Fr. J. J. BERTHIER O. P.

SANCTUS THOMAS AQUINAS


"DOCTOR COMMUNIS"


ECCLESIAE

« Maius aliquid in sancto Thoma quam sanctus Thomas suspicitur et defenditur ».

(IOAN. A SANCTO THOMA, *Cursus Theol.*, De approb. doctr. Ss. Thomae, Prol.)

VOL. I: TESTIMONIA ECCLESIAE.





ROMAE
EX TYPOGRAPHIA "EDITRICE NAZIONALE"
VIA GREGORIANA, 9

1914

BENOSO GOZZOLI.

BENEDICTO . XV . P. M.

PONTIFICIVM

AVSPICATO . FELICITER

PIETATIS

ERGO

APPROBATIONES

Nihil obstat
Fr. Leonardus Lehu
S. Theol. Mag.
Romae, die 20 iulii 1914.

Nihil obstat
Fr. Paulus Girardin
S. Theol. Lect.
Mareni, die 22 iulii 1914.

FACULTAS R.MI P. MAGISTRI GENERALIS ORD. PRAED.

Rome, 7 mars 1914
en la Fête de st. Thomas d'Aquin.

Révérend et cher Père,

L'ouvrage dont vous préparez la publication me semble propre à faire connaître l'esprit et la mission de l'Ordre des Frères-Prêcheurs.

Notre saint Patriarche Dominique, avec son génie élevé, large et en même temps pratique, se plaçant en face des nécessités de son temps, qui, pour mieux dire, sont plus ou moins celles de tous les temps, voulut créer un Ordre doctrinal, tout spécialement destiné à la défense et à la propagation de la science sacrée.

Celui qui aime à s'appeler *le Père des lumières, le Dieu et Seigneur des sciences*, daigna bénir le projet en donnant à l'Institut nouveau toute une légion de Docteurs illustres, entre lesquels domine Thomas d'Aquin. Car c'est lui qui a, le mieux de tous, approfondi, condensé, coordonné, synthétisé et éclairé de sa puissante intelligence le magnifique ensemble de la doctrine sainte.

Que les trésors recueillis par ses travaux et consignés dans ses écrits aient été précieusement gardés par les Fils de Dominique; que les oracles sortis de ses lèvres aient servi, jusqu'à nos jours, de base et de loi à leur enseignement comme professeurs, on le comprend: l'impulsion de la piété et du cœur s'ajoutait pour cela à l'ascendant du grand génie.

Mais on se demandera peut-être comment, en dehors de la grande Famille Dominicaine, les principes philosophiques et théologiques de Thomas ont été accueillis soit par l'Eglise Catholique, Maîtresse de la Doctrine, soit par ses interprètes les plus accrédités, soit même par les penseurs illustres restés en dehors de l'Eglise et de son magistère doctrinal.

Le *Sanctus Thomas « Doctor Communis »* répond à cette question, et pour cela il lui suffit, sans apologie aucune, de mettre sous les yeux du lecteur, en faveur de Thomas d'Aquin, les témoignages successifs des Papes, des Evêques, des Conciles, des Ordres Religieux, des Universités savantes et de leurs Maîtres les plus insignes.

Pour les disciples du saint Docteur cette espèce de *Chaîne d'or* et de *Somme historique* sera la plus douce des consolations, le plus efficace des encouragements. Quant à ceux qui n'ont pas eu cette formation intellectuelle, et ne partagent pas complètement, jusqu'ici, cette admiration, ils auront au moins, pourvu qu'ils soient des esprits attentifs, réfléchis, sincères amis du vrai, un ensemble de documents qui les mettront à même de porter des jugements plus éclairés, et qui les inviteront peut-être à s'approcher enfin d'une source si abondante, si pure, si belle, si salutaire, si abordable à tous.

Dans cette espérance, Révérend et cher Père, je vous bénis et vous remercie.

Votre dévoué en S. D.
Fr. Hyacinthe Marie Cormier
Maître Général de l'Ordre des Frères-Prêcheurs.

APPROBATIO R.MI MAGISTRI S. PALATII.

Très révérend Père,

J'accorde bien volontiers l'*imprimatur* à votre ouvrage: *S. Thomas Doctor Communis*. Je vous félicite beaucoup, et je souhaite à votre ouvrage une grande diffusion pour le bien. Avec révérence

Votre affectionné en N. S.
Fr. Albert Lepidi, O. P.

Nettuno — Stella Maris — 15 septembre 1914.

Imprimatur Franciscus Faberi Vic. Urbis adsessor.

SANCTUS THOMAS

" DOCTOR COMMUNIS "

ECCLESIAE

PRAEFATIO

I.

DE DOCTRINAE SCHOLASTICAE ORIGINE ET INDOLE.

I. Quia nonnulli sibi aliisque fingunt doctrinam scholasticam non esse nisi mediae aetatis partum, atque ab aliis doctrinis non modo discrepantem, sed et in se prorsus singularem, quam nonnulli Theologi, imprimisque Thomas Aquinas, invexerunt atque Scientiae Sacrae affixerunt, hinc operae pretium nobis videtur istiusmodi errorem gravissimum brevius confutare. Quod ut praestemus, iudicamus breviter notandos esse fontes unde praeter proprium ingenium, doctrinas suas hauserunt Philosophi graeci imprimisque Stagyrita, a quo Scholastici mutuo acceperunt: hinc enim augebitur huius auctoritas, ubi comprobatum fuerit Philosophum non tantum proprio ingenio excogitasse, sed et veterum sapientia fuisse munitum. Quod eximia perspicuitate significavit compendiosis verbis Angelicus, dum haec habuit: « Dicit [Aristoteles] quod post omnes praedictos Philosophos [infra nominandos] supervenit negotium Platonis, qui immediate Aristoteli praecessit. Nam Aristoteles eius discipulus fuisse perhibetur. Plato siquidem in multis secutus est praedictos Philosophos naturales, scilicet Empedoclem, Anaxagoram et alios huiusmodi. Sed alia quaedam habuit propria

praeter illos praedictos Philosophos, propter Philosophiam italicorum Pythagoricorum. Nam ipse, ut studiosus erat ad veritatis inquisitionem, ubique terrarum Philosophos quaesivit, ut eorum dogmata sciret. Unde in Italiam Tarentum venit, et ab Archita Tarentino, Pythagorae discipulo, de opinionibus Pythagoricis est instructus. Cum enim naturales Philosophos, qui in Graecia fuerunt, sequi videret, et intra eos aliqui posteriores ponerent omnia sensibilia semper esse in fluxu, et quod scientia de eis esse non potest, quod posuerunt Heraclitus et Cratillus... etc ».[1]

Ubi habes Thomam notare hanc doctrinae Aristotelicae excellentiam, quod nempe ex praeteritarum aetatum doctrinis et disputationibus, immo et confutationibus habeatur.

Nominandi imprimis sunt, respectu habito ad rem theologicam, poëtae, utpote antiquiores, quorum « est inducere ad aliquod virtuosum, per aliquam praecedentem repraesentationem ».[2] Ex hisce autem celebriores numerat Aquinas, ita undique colligente Petro de Bergamo: « Poëtae theologizantes, ante septem Sapientes, fuerunt Orpheus, Musaeus, Linus, Hesiodus ».[3] Etenim, ait Thomas, « apud Graecos primi famosi in scientia fuerunt quidam poëtae theologi, sic dicti quia de divinis carmina faciebant ».[4] De quibus Diogenes Laërtius: « Ipsi tamen Sapientes sophistae quoque sunt appellati; neque hi solum, verum et poëtae quoque sophistarum appellatione honorantur ».[5] Patet hic « sophistam » idem esse ac « sapientem ».

Hinc Solon legislator carmina Homeri rectiori ordine digessit; Zenon philosophus, Stoicorum parens, quinque libros, in Homeri poëmata conscripsit; Plato statuit « non debere eos qui necdum sunt sapientiae initiati incidere in homerica poë-

[1] *In I Metaph.*, lect. X, princ. Cf. ibid. lect. XII, fine; lec. XIV, princ.
[2] *In I Poster.*, lect. I. Cf. *In I Tim.*, lect. II, princ.
[3] *Tabula aurea*, voc. « Poetica », 3.
[4] *In I Metaph.*, lect. IV, med.
[5] *De vita et moribus Philosophorum*, Prol., 3.

mata, ne heroa illum arbitrentur scribere fabellas ».[1] Haud secus et Aristoteles ipse Homericorum carminum editionem novam, « ex narthece » dictam, procuravit in usum Alexandri discipuli.

Per saeculorum tractus doctrina philosophica, seu melius theologica, priscis aevis, non nisi carminibus, seu in « lingua deorum » expressa apud Graecos, immo plerumque et apud Hebraeos invenitur. Ab Hebraeis habes *Librum Iob, Psalmos, Prophetias, Libros sapientiales*, aliosque carminibus concinnatos. Pherecides, Pythagorae magister, primus inter Graecos « versuum nexu repudiato, conscribere ausus passivis verbis fuit ».[2] De quibus ita Clemens Alexandrinus doctissimus: « Quin etiam poëtae, qui a prophetis didicere Theologiam, per arcana sensa multa philosophantur; Orpheus, inquam, Linus, Musaeus, Homerus et Hesiodus, et qui ea sunt ratione sapientes. Velum autem eis apud vulgus est poëtica delectatio, somniaque et symbola, quae sunt omnia hominibus obscuriora, non propter invidiam, sed ut aenigmatum notionem subiens inquisitio, ad inveniendam recurrat veritatem ».[3]

Neque septem Sapientum doctrinas floccifecerunt Philosophi subsecuti. De his merito ait Angelicus: « Dicitur Thales speculativae Philosophiae princeps fuisse, quia inter septem Sapientes, qui post theologos poëtas fuerunt, ipse solus ad considerandum rerum causas se transtulit, aliis Sapientibus circa moralia occupatis ».[4]

Ita Philosophi a suis antenatis acceperunt doctrinas, imprimisque Aristoteles, qui eorundem frequentissime sententias refert et discutit.

[1] *In Alcibiad.* II, edit. Didot, p. 499. Cf. *De civit.*, II, p. 37, edit. Didot.
[2] APULEIUS, *Florid.*, lib. II, fine. Hinc sane Philosophorum nomen ipsi Musici qua poëtae antiquitus obtinuerunt. Cf. EVER. FAITHIUS, *Antiquit. Homer.*, p. 433 sq. edit. Argent. 1743.
[3] *Strom.*, lib. V, cap. IV. Cf. TULLIUS., *Tuscul. quaest.*, lib. V.; *De natura deorum*, lib. I, passim.
[4] *In I Metaph.*, lect. IV, med.

Id praeprimis notare praestat, quod ex septem illis Sapientibus, quatuor ex Asia oriundi fuere, scilicet Thales, Bias, Pittacus, et Cleobulus; duo ex Europa, Solon nempe Atheniensis et Chilon Lacedaemonius; septimus autem assignatur mox Periander Corinthius, mox Anacharsis Scyta, mox Epimenides Cretensis, a sancto Paulo laudatus; mox Acusilaus Argensis, mox Pherecydes Syrus, mox Myson Cheneus, mox demum Pysistratus tyrannus.

Sed a sapientibus exteris rursus, et quidem multa, petierunt mutuo: unde « Philosophiae opus quidam a Barbaris incoepisse aiunt. Exstitisse enim apud Persas quidem Magos; apud Babylonios vero, vel Assyrios, Chaldaeos et apud Indos Gymnosophistas, etc. ».[1]

Ita et Aristoteles, etsi investigandi causa apud Orientales iter nullum arripuerit, de istorum tamen doctrinis instrui curavit, praesertim a Callisthene, Alexandri regis comite ad Babylonios, quem explicatius interrogavit. Unde et Ioseph historicus: « Horum dogmatum [nempe Chaldaicorum] plurima et Aristoteles et Plato susceperunt. Plotinus vero et Porphyrius, et Iamblicus et Proclus omnia sunt secuti, et tanquam divinas voces ea susceperunt ».[2] Qui et addit Abraham patriarcham e Chaldaea in Palaestinam profectum Aegyptios scientiam siderum edocuisse: « Nam ante Abrahami ad se adventum, Aegyptii rudes erant huiusmodi disciplinarum, quae a Chaldaeis ad Aegyptios profectae, hinc ad Graecos tandem pervenerunt ».[3]

Haud secus Porphyrius de Pythagora: « Quae pertinent ad Deorum cultum caeteraque studia quae vitam respiciunt, a Magis aiunt audiisse et didicisse ».[4]

Valerius autem Maximus de eodem: « Aegyptum petiit ubi litteris eius gentis assuefactus, praeteriti aevi sacerdotum commentarios scrutatus, innumerabilium saeculorum observa-

[1] Diog. Laërtius, *De vita et moribus Philosophorum*, prooem.
[2] *Antiq.*, lib. I, cap. v.
[3] Ibid., lib. XII et XV.
[4] *De vita Pythagorae*, p. 88, edit. Didot.

tiones cognovit. Inde ad Persas profectus, Magorum exactissimae prudentiae se formandum tradidit ».[1]

Magi autem illi fuerunt qui alias « sapientes » seu « contemplativi » dicti sunt, seu rectius: « Apud Persas, ait Porphyrius, rerum divinarum sapientes et Numinis magistri " Magi " appellantur. Id enim significat " magus " lingua persica ».[2]

Philo demum: « Apud Persas, Magi, naturae sectatores, prae veritatis cognoscendae studio, qui per otium divinas virtutes contemplantur, clarius et alios iisdem initiant mysteriis ».[3]

A Magis persuasus, Xerses templa Graecorum inflammavit, « quod parietibus includerent Deos..., quorum hic mundus templum est et domus ». Hi autem « congregantur in fano commentandi causa, atque inter se colloquendi ».[4]

Quinam Philosophi Graecorum et quanta a Magis didicerint, notant veteres. Ita quippe Tullius: « Quid de Pythagora, quid de Platone, aut Democrito loquar, a quibus propter discendi cupiditatem videmus ultimas terras esse peragratas?... Cur ipse Pythagoras et Aegyptum lustravit, et Persarum Magos adiit? Cur tantas regiones barbarorum pedibus obiit? Cur maria transmisit? Cur haec eadem Democritus? ».[5]

Ita et Plinius: « Quanquam animadverto summam claritatem litterarum gloriamque ex ea scientia antiquitus et pene semper petitam. Certe Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato ad hanc discendam navigavere: exsiliis verius quam peregrinationibus susceptis. Hanc reversi praedicavere, hanc in arcanis habuere ».[6]

Elianus demum: « Democritum Abderitam fama est, cum aliis, tum in hoc singulari fuisse sapientia, quod ignorari et latere cupiebat, quod etiam opere reque complevit. Proinde

[1] *Dicta*, etc. lib. VIII, cap. VII.
[2] *De abstin.*, lib. IV, 16.
[3] Tullius, *De Legibus*, lib. II, 25.
[4] Idem, *De divinat.*, lib. I, 89.
[5] Idem, *De finibus bonorum et malorum*, lib. V, 29.
[6] *Nat. Hist.*, lib. XXX, cap. I.

multas terras adibat, et perveniebat ad Chaldaeos, atque Babylonem et ad Magos et ad Sophistas Indos ».[1]

De hisce Clemens Alexandrinus: « Haec dicit Democritus, cum de se ipso quidem scriberet, et de magna sua se iactaret doctrina: " Ego, ex iis quae meo tempore fuerunt, plurimas terras peragravi... Cum his autem postremo octoginta annis fui in terra aliena... " Adiit enim Babylonem, Persidem et Aegyptum, Magorum et Sacerdotum se praebens discipulum ».[2] Immo ipse Democritus morales libros scripsit babylonios. Dicitur enim Acicari columnam interpretatus esse, et suis scriptis inseruisse.[3]

Unde colligit idem Clemens Alexandrinus: « Fateantur ergo Philosophi suos magistros fuisse Persas, vel Sauromatas, vel Magos ».[4]

Quamplurima iterum didicere Graeci ab Indiae Philosophis, praesertim ab Brachmanibus.

Hosce, ut dictum est, invisit Democritus ad discendam eorundem Philosophiam; hosce et Pyrrho, Scepticorum parens, adivit Anaxarcho comite, quod refert Diogenes Laërtius.[5] Haud secus Brachmanes « sapientes viri, teste Apuleio, Pythagorae contulerunt pleraque Philosophiae eius: quae mentium documenta, corporumque exercitamenta, quot partes animi, quot vices vitae, quae Diis Manibus pro merito suo cuique tormenta vel praemia ».[6]

Neque hic rursus praetereundum nobis est Phoenicum Philosophos ab Assyriis ortos, Maris Rubri accolas, Hebraeis vicinos, multa de re philosophica Orbi seu melius ipsis Graecis tradidisse. Pythagoras quippe, sectae Italicae auctor, praeceptorem habuit Pherecydem, in Syria natum, quem fama est

[1] *Var. Hist.*, lib. IV, cap. XX.
[2] *Strom.*, lib. I, cap. XV.
[3] Ibidem.
[4] *Admonit. ad Gent.*, cap. V.
[5] *De vita Philosophorum*, lib. IX, art. « Pyrrho Heliensis ».
[6] APULEIUS, *Florid.*, lib. II fine.

fuisse « a nemine institutum, exercuisse autem seipsum cum comparasset sibi reconditos Phoenicum libros ».[1] Adde quod enarrat Clemens Alexandrinus: « Alexander, in libro *De Symbolis Pythagoricis* refert Pythagoram discipulum fuisse Nazarati Assyrii ».[2]

Thales iterum, sectae Ionicae parens, de nobilissima, teste Diogene Laërtio,[3] inter Phoenices familia oriundus fuit.

Zeno, Stoicorum auctor, fuit « ex Cypria civitate Graecanica, sed quae Phoenicos incolas haberet, » teste Laertio.[4]

Ita et, referente Porphyrio,[5] Philo, a Philone Iudaeo diversus, e Biblensi civitate (Biblos) ortus, Sanchoniatonis Berythensis opera de phoenica in graecam transtulit linguam.

Ita et Mochus, unus ex Sanchoniatonis continuatoribus, teste Strabone, Possidonii auctoritati innixo: « Antiquum de atomis dogma Mochi est, hominis Sydonii, qui ante Troiani belli tempus vixit ».[6]

Nec pauciora Graeci ab Aegyptiis mutuo acceperunt. Etsi enim Aristoteles professus sit « Aegyptiis antiquiores esse Magos,[7] » certum tamen est Graecos et ab Aegyptiis multa didicisse, quae caeterum Assyrii in Aegyptiis partibus propalaverant.

Hinc Thales, teste Diogene Laërtio, « nullo praeceptore usus est, nisi quod in Aegyptum profectus, ibi cum sacerdotibus familiariter est versatus.[8] » Sacerdotes vero apud Aegyptios custodiebant scientiam. Etenim, testante Strabone: « Aegyptiorum sacerdotes Philosophiam et Astronomiam exercebant, et cum regibus conversabantur ».[9]

[1] SUIDAS... *Hist.* voc. « Pythagoras », edit. Basil. 1581.
[2] *Strom.*, lib. I, cap. XV.
[3] *De vita Philos.*, lib. I., art. « Thales Milesius ».
[4] Ibid., lib. VII, art. « Zeno Citticus ».
[5] *De abstin.*, lib. II, p. 51, edit. Basil. 1547.
[6] *Geogr.* lib. XVI, cap. II, 24, edit. Didot.
[7] DIOG. LAERT., *De vita Philos.* Prooem.
[8] Ibid., lib. I, art. « Thales Milesius ».
[9] *Geogr.*, lib. XVII, cap. I, 29, edit. Didot.

Solon et ipse Aegyptios invisit discendi causa, quod refert Plato: « Cum de vetustatis memoria ab illis sacerdotibus, qui in hac re peritissimi erant, quaesisset, expertum se esse dicebat neque seipsum, neque alium Graecorum quemquam cognitionem antiquitatis nullam habere ».[1]

Idem simul refert Plutarchus.[2]

De aliis Philosophis Aegyptum peragrantibus ita Tullius: « Cur Plato Aegyptum peragravit, ut a sacerdotibus barbaris numeros et coelestia acciperet? Cur ipse Pythagoras et Aegyptum lustravit et Persarum Magos adiit? Cur haec eadem Democritus? ».[3]

Plato quidem, mala salute impeditus, Assyriam non petivit, sed tamen Italiam, ut Persarum et Assyriorum doctrinas a Pythagorae discipulis disceret; de quo ita Valerius Maximus: « Quo minus miror eum in Italiam transgressum ut ab Archita Tarenti, a Timaeo et Arione et Coeto Locris praecepta et instituta acciperet ».[4] Quos sane Pythagorae discipulos Orientalium dogmata a praeceptore suo collecta Platoni manifestasse in dubium vocari nequit.

Adverte caeterum Cleobulum, unum ex septem Sapientibus, teste Diogene Laërtio,[5] ex Aegypto multa didicisse.

Adde iterum Porphyrium interrogasse de nonnullis Chaldaeorum et Aegyptiorum dogmatibus: « Quaedam ex iis quae Chaldaeorum sapientes tradiderunt impetum in nos faciunt; quaedam ab iis quae Aegyptiorum prophetae docent ». De quibus Iamblicus, Porphyrii discipulus: « Si quod philosophicum dubium proponas, illud determinabimus tibi iuxta antiquas Mercurii columnas, quas Plato et Pythagoras olim lectitantes, Philosophiam inde constituerunt ».[6]

[1] *Tim.*, princ., p. 200, edit. Didot.
[2] *De Iside et Osiride*, 10, edit. Didot.
[3] *De finibus*, lib. V, 25.
[4] *Dicta*, lib. VIII, cap. VII.
[5] *De vita Philos.*, lib. I, art. « Cleobulus ».
[6] *De Myst.*, sect. I, cap. II.

Tanta autem exinde fuit Graecorum in Aegyptios admiratio, ut illi quandam humilitatem perceperint, atque hinc Pythagoras dimiserit nuncupari « sapientem », volueritque « amicum sapientiae » tantum dici; Solon vero tripoda sibi ut « sapientissimo » dicatum remiserit, eo quod Deus solus sapientiae auctor sit.

Graecos demum ab Hebraeis plura accepisse palam est, tum propter librorum hebraicorum celebritatem, praesertimque Moysis et Salomonis, tum propter doctrinarum excellentiam, tum propter regionum viciniam, tum propter doctrinas in variis gentibus ab Hebraeis diffusas primitus atque a Philosophis graecis demum acceptas. Hebraeorum Libri sacri et Philosophiam aliquam, eandemque sublimissimam constituunt, siquidem Philosophiae ultimum atque summum dogma est omnium exsistere supremam Causam; primum vero *Geneseos* est: « In principio Deus creavit coelum et terram »:[1] unde Moyses summus apparet Philosophus. Haud secus « Adam iure optimo primus sapiens dici potest... Radii enim quidam, ut ita loquar, ex illius animo effulgentes, et divinarum cogitationum actionumque pleni per omnem naturam penetrantes ».[2]

Hinc Pythagoras « ad Aegyptios quoque et Arabes, Chaldaeos et Hebraeos accessit »;[3] immo « fertur Hermippum in libro primo *De Legislatoribus*, prodidisse Pythagoram transtulisse Philosophiam suam a Iudaeis ad Graecos ».[4] Quod comprobat Clemens Alexandrinus: « Pythagoras etiam multa ex nostris transtulit in suorum dogmatum traditionem ».[5]

De Platone autem, una simul ac de aliis, ab Hebraeis plurima mutuo accipiente, ita idem Clemens Alexandrinus: « Et in summa Pythagoras et qui sunt cum eo cognominati, una etiam cum Platone, maxime ex aliis Philosophis usi sunt legislatore

[1] *Gen.* I, 1. Vide card. Lorenzelli, *Philos. theor.*, Prol. I, edit. 1896.
[2] SUIDAS, *Hist.*, voc., « Adamus » edit. 1581.
[3] PORPHYRIUS, *Vita Pythag.*, 11.
[4] ORIGENES, *Cont. Cels.*, lib. I, 15.
[5] *Strom.*, lib. I, cap. XV.

Moyse, ut coniici potest ex ipsis dogmatibus ».[1] Unde Numenius e Schola Pythagoricorum: « Quid est Plato, nisi Moyses atticizans? ».[2]

Nec secus Aristotelem narrarunt Clemens Alexandrinus,[3] et Eusebius,[4] teste Clearcho Aristotelis ipsius discipulo, collocutum cum aliquo Hebraeo esse; immo et voluit Aristobulus Iudaeus, teste Clemente praedicto, « Philosophiam Peripateticam ex Lege Mosaica atque aliis pendere Prophetis ».[5]

Quod egregie confirmatur Scripturis praesertim de Salomone quem constat « fuisse multis annis Graecorum sapientibus antiquiorem » [6] Id ipse enarrat, seipsum nempe postulasse a Deo « sapientiam ad discernendum iudicium », Deum autem ipsi fecisse « secundum sermones » eius, atque ipsi dedisse « cor sapiens et intelligens in tantum ut nullus ante similis fuerit, nec post surrecturus sit ».[7] Quod confirmat alias: « Ut scivi quoniam non possem esse continens [idest sapientiae compos] nisi Deus det, et hoc ipsum esset sapientiae, scire cuius esset hoc donum, adii Dominum et deprecatus sum illum, et dixi ex totis praecordiis meis: " Deus patrum nostrorum, qui fecisti omnia verbo tuo, da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam," etc. »[8] Quae vero inde sciverit disce mirabiliter enarrata in libris *Sapientiae*,[9] et *Regum*,[10] ubi habes ipsum calluisse scientias omnes de Philosophia et Theologia, de moribus, de sideribus, animalibus, plantis, temporum vicissitudinibus, etc., quae iampridem didicerant veteres, Iob imprimis atque David rex. Id tamen quod proximius ad rem

[1] *Strom.*, lib. V, cap. v.
[2] Ibid., lib. V, cap. x.
[3] Ibid., lib. I, cap. xv.
[4] *Praep. evang.*, lib. X, cap. vii.
[5] *Strom.*, lib. V, cap. xiv.
[6] Ibid., lib. I, cap. xv.
[7] III *Reg.*, iii.
[8] *Sap.*, VIII, 20; IX, 1.
[9] Ibid., VI-IX.
[10] III *Reg.*, iv-v.

nostram facit nota, videlicet ipsius sapientiae famam latius etiam ad exteros patuisse. Etenim: « Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, et prudentiam multam nimis, et latitudinem cordis, quasi arenam quae est in littore maris. Et praecedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium et Aegyptiorum. Et erat sapientior cunctis hominibus: sapientior Ethan Ezrahita, et Herman, et Chalcol, et Dorda filiis Mahal; et erat nominatus in universis gentibus per circuitum. Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas, et fuerunt carmina eius quinque et mille. Et disputavit super lignis a cedro quae est in Libano, usque ad hyssopum quae egreditur de pariete; et disseruit de iumentis, et volucribus, et reptilibus, et piscibus. Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, et ab universis regibus terrae qui audiebant sapientiam eius. Misit quoque Hiram rex Tisri servos suos ad Salomonem.... Ait Hiram: " Benedictus Deus, qui dedit David filium sapientissimum " »:[1] Immo « regina Saba, audita fama Salomonis, in nomine Domini venit tentare eum in aenigmatibus... Videns autem omnem sapientiam Salomonis,.. non habebat ultra spiritum, dixitque ad regem: " Verus est sermo quem audivi in terra mea super sermonibus tuis et super sapientia tua; et non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni et vidi oculis meis, et probavi quod media pars mihi nuntiata non fuerit " ».[2]

Id imprimis notare praestat, nempe inter illas gentes quae a Salomone didicerunt distingui tres gentes quae maxime de sapientia sua gloriabantur, scilicet Orientales seu Assyrios, inter quos vixerunt Noe eiusque filii; Aegyptios a quibus se accepisse fatentur Graeci, et Phoenices qui scientias et artes per littora Maris Medii detulerunt [3].

[1] III *Reg.*, iv-v.
[2] Ibid., x, 1-7.
[3] Vide Natalis Alexandre, viri doctissimi, Dissertationem X, *Hist. Eccl. Vet. Test.*, prop. II, edit. Venet. 1778, to, p. 13, sqq.

II. Ii sunt fontes varii e quibus propriam Philosophiam hausit Philosophus: iam addendum verbum est de doctrinae transmissione ab antiquis ad iuniores. Quod quo facilius perspicere valeas, in mentem tibi revoca duas Philosophiae Scholas, Ionicam nempe et atque Italam, potiores exstitisse.

Prioris parens atque auctor fuit Thales, hoc nomine nuncupatae, quia Thales Mileti in Ionia natus est. Is vero primus habitus fuit inter septem Sapientes, eo quod dum sex alii vitae genere distinguebantur, et quibusdam praeceptis ad bene vivendum accommodatis, verbis nempe brevibus, unicuique memoratu dignis et aptatis, « iste ut successores etiam, ait Augustinus, propagaret, rerum naturam scrutatus, suasque disputationes litteris mandans eminuit ».[1]

At vero « Thaleti successit Anaximander, Anaximandro Anaximenes, Anaximeni Anaxagoras, Anaxagorae Archelaus, ei vero Socrates, qui primus Ethicen invenit: huic vero cum Socratici reliqui, tum imprimis Plato, qui Veterem Academiam instituit ».[2]

Socrati duo illustriores discipuli fuerunt, scilicet Plato atque Antisthenes.

Platoni successor fuit Speusippus, Speusippo autem Xenocrates, Xenocrati Polemon, Polemoni Crantor et Crates.

Isti pressit vestigia Arcesilaus, qui Academiam Mediam instituit.

Hunc subsecutus est Lacydes, qui Novam inde Academiam erexit.

Huic successit Carneades, Carneadi vero Clitomachus, qui Academicorum ultimus fuit.

Alteri vero Socratis discipulo, nempe Antistheni, adhaesit Diogenes Cynicus, Diogeni Crates Thebanus, Crati Zenon Cyprius. Indeque Cynicorum secta finem habuit.

[1] *De Civitate Dei*, lib. VIII, cap. II.
[2] LAERTIUS, *De vita Phil.*, Prol.

Zeno instituit Scholam Stoicorum, eiusque vestigia secutus est Cleanthes, Cleanthis demum Chrysippus, quocum Stoicorum secta finem sortita est.

Platoni duo rursus fuerunt discipuli, videlicet Speusippus, de quo dictum est, et Aristoteles. Isti successit Theophrastes, qui Scholam Ionicam clausit.

Schola autem Itala institutorem habuit Pythagoram, Pherecidis successorem, idque nomen ipsi imposuit eo quod in illa Italiae parte moratus diutius quae Magna Graecia dicebatur.

Pythagorae successit Telauges ipsius filius, huic vero Xenophanes, Xenophani autem Parmenides, Parmenidi Zenon Eleates; isti Leucippus, cui Democritus: isti varii exstitere discipuli, quorum famosiores fuerunt Nausiphanus et Naucydes; quorum vices suscepit Epicurus, qui Scholam Italam clausit.

Ea igitur est diversarum Philosophiarum a primaeva Philosophia ad Aristotelem usque necessitudo et quasi communis origo. « Sic ergo et graeca et barbara [extera] Philosophia, aeternae veritatis avulsam quandam particulam, ex Verbi quod semper est Theologia, decerpsit. Qui autem divisa rursus composuerit, et perfectum verbum unum fecerit, scias futurum ut veritatem citra periculum contempletur ».[1]

III. Qui autem Philosophiae disiecta membra rursus composuit fuit Aristoteles: vir summo inter mortales donatus ingenio atque studiositate. Hic nempe omnium Philosophiarum documenta simul undique collegit, primusque, pecunias ad emendos codices necessarias procurante rege Alexandro, bibliothecam ditissimam constituit, eiusque exemplo, ait Strabo,[2] reges Aegypti et suas bibliothecas postmodum et ipsi constituerunt. Innumera illa volumina perlegit Philosophus, unde omnium sec-

[1] CLEMENS ALEX., *Strom.*, lib. I, cap. XIII. De variis Philosophorum doctrinis et Scholis legendus L. THOMASSIN, *La méthode d'étudier et d'enseigner la Philosophie*, édit. Paris, 1685; STANLEY, *Hist. Philosophorum*, Lipsiae, 1711.
[2] *Geogr.* lib. XIII, cap. I, 54, edit. Didot.

tarum philosophicarum doctrinas memoria complexus est, id deligens quod retinendum erat et quod reiiciendum.

Tantae autem fuit in legendo sedulitatis, ut Plato domicilium Aristotelis vocaret « domum lectoris », οἶκον ἀναγνώστου, teste Hermea Ammonio, qui Aristotelis biographiam conscripsit. Quapropter, licet itinera hac illac non susceperit, attamen omnium Philosophorum sententias apprime cognovit, easdemque ad crisim vocare potuit, quod in operibus suis praestitit egregie.[1]

Omnia igitur ab antiquis Philosophis dicta composuit, contulit, integramque iisdem Philosophiam concinnavit, atque Philosophorum Princeps cum Platone renuntiatus est. Immo rectissime Erasmus: « Aristoteles Philosophorum, ne Platone quidem, iuxta M. Tullium, excepto, citra controversiam omnium doctissimus. Unus hic Philosophiam a diversis per fragmenta sparsim mutilatimque traditam in ordinem redegit, ac veluti in corpus compegit ».[2] Per ipsum nimirum factum est

[1] De hac bibliotheca inter omnes priore atque pretiosiore, nonnihil addendum videtur. Aristoteles libros suos moriens legavit Theophrasti, celeberrimo discipulo, quem hoc nomine ipse Aristoteles propter divinam eloquentiam donaverat. Theophrastes rursus Neleo, alteri Philosophi discipulo, ex testamento reliquit. Neleus autem selegit omnia opera ab Aristotele conscripta, secumque retinuit, caetera autem Ptolemaeo Philadelpho, Aegyptiorum regi, vendidit. Opera aristotelica Neleus haeredibus reliquit, qui eadem in capsa recondiderunt, immo in terra absconderunt, ne reges Pergami abriperent. Plura autem illic prae humiditate perierunt. Remanentia pretio emit Appellico Teius, qui et exscribi, iussit: etsi parum accurata excriptio fuerit. Haec Sylla, Athenis subactis, abstulit Romamque detulit, ubi rursus exscripta, sed magna socordia, fuere. Tyrannio grammaticus eadem Romae ad usum habuit, postmodum Andronicus Rhodensis, qui plura exemplaria confici fecit, eademque vulgavit. Plura Aristotelis desiderantur opera, imprimis *Dialogi* a Tullio frequentius laudati. De qua bibliotheca legendus Strabo, *Geogr.* lib. XIII, cap. 1, 54.

Aristoteles anno 322 a. Chr. n. obiit. De ipsius indole haec habet recentior: « Aristote était de petite taille, chauve, avec des joues maigres et de petits yeux; il avait un certain goût pour le luxe et l'élégance, l'esprit porté à la plaisanterie, malgré un tempérament légèrement mélancolique. Il était d'humeur paisible et affectueuse, et l'histoire nous le dépeint comme une des âmes les plus aimantes de l'antiquité. TH. DELMONT, *Nouveau recueil de dissertations philosophiques*, p. 745, Paris 1894.

[2] *Epist.* lib. XXVIII, ep. 13. Cf. TULLIUM, *De finibus bonorum et malorum*, lib. V, p. 98, édit. Paris, 1565.

imprimis quod Plato pronuntiaverat: « Quidquid Graeci a Barbaris [exteris] acceperunt, melius reddiderunt ».[1]

Id caeterum notare praestat cum Tullio: « Non defuerunt acutissimi et solertissimi viri qui docerent disputationibus suis Aristotelem et Platonem ita sibi concinere, ut imperitis minusque attentis dissentire videantur: multis quidem saeculis, multisque contentionibus, sed tamen eliquata est, ut opinor, una verissimae Philosophiae disciplina ».[2]

Quia tamen postea maior visa omnibus est Aristotelis auctoritas pleniorque Philosophia, hinc de ipso magis dicendum.

Aristotelis commentatores plurimi exstiterunt. Imprimis notandi sunt Theophrastes, qui in Schola quasi duo millia discipulorum connumeravit, inter quos eminuere Strato Lampsacensis et Demetrius Phalereus.

Interpres alius fuit Alexander Aphrodisius, quem latine transtulit Hieronymus ad discendam Philosophiam; Simplicius, Ammonius, Themistius, Philoponus.

Hinc quasi in Orbe terrarum toto regnavit Philosophia Peripatetica, una cum Platonica, ita ut undique silerent et ipsi Stoici, qui primo contra Aristotelem vehementius docuerant et scripserant.

De Philosophis romanis nihil nobis agendum, siquidem ipsi nec nisi Graecos retulerunt. Tullius et Seneca, ille quidem potius Academicus, iste autem potius Stoicus, Graecos sequuntur, atque eximia aliunde eloquentia doctrinas plurimas eorundem expresserunt;[3] nec secus dicendum de Marco Aurelio, Epictete utroque stoico.

[1] *In Epinomide*, circa finem, édit. DIDOT, p. 512.

[2] *Cont. Acad.*, lib. III, cap. XXVII. De quo argumento cf., si libuerit H. P. CAZAC, *Polémique d'Aristote contre la théorie platonicienne des idées*, Tarbes, 1891.

[3] Qua ratione Romani fuerunt Graecorum in arte et scientia discipuli, tibi enarrant historici: at maiori documentorum copia Io. LAMIUS, *De eruditione Apostolorum*, pp. 1112 sqq. Antiqui etiam Romani Philosophia graeca, id est pythagorica, usi sunt. Cf. THOMASSIN, *Méthode d'étudier la Philosophie*, livr. II, I, ch. XXII.

Omnium inde princeps et magister Aristoteles demum remansit, qui proinde antonomastice « Philosophus » apud omnes audivit. Hic generis humani varias doctrinas collegit, in unum composuit.

IV. Hic autem nobis inquirendum remanet quomodo Sapientia christiana sese habuit ad Sapientiam humanam, seu philosophicam.

Pax et concordia primitus inter utramque sapientiam institui nequiverunt: non quod vera Philosophia per se contraire doctrinae christianae possit, sed potest tamen propter humanae mentis debilitatem, quum impar omnino sit quae mysteria revelata intelligat, dogmata vero philosophica non nisi raro, per longum tempus, cum admixtione multorum errorum discere possit, quod peregregie more suo explanat divus Thomas in utraque *Summa* [1] Unde conflictus Philosophiam inter et Revelationem ortus est, dum Philosophia vel in se sisteret, neque de Sapientia revelata curaret, quam et « stultitiam » esse dicebat; vel etiam errores suos contra Revelationem propugnaret, atque sophismatibus istam debellaret.

Quod probe notavit Apostolus: « Quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes. Quoniam et Iudaei signa petunt et Graeci sapientiam quaerunt: nos autem praedicamus Christum Crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudaeis atque Graecis Dei virtutem et Dei sapientiam ».[2]

Unde Paulus apud Athenienses cum Iudaeis quidem, sed et cum Philosophis disputabat: « Disputabat igitur in Synagoga cum Iudaeis.... Quidam autem Epicurei et Stoici philosophi disserebant cum eo; et quidam dicebant: "Quid vult seminiverbius hic dicere?" Alii vero: "Novorum daemoniorum

[1] Cf. *Sum. Theol.*, I, q. 1, a. 1; *Contr. Gent.*, lib. I, cap. IV, etc.
[2] I *Cor.*, 1, 21-24.

videtur annuntiator esse", quia nempe Iesum et resurrectionem annuntiabat. Ubi autem in Areopago, summa quidem eloquentia et doctrina, de Deo dixisset, nonnihilque de poenitentia agenda et de resurrectione mortuorum futura addidisset, « quidam irridebant, quidam vero dixerunt: "Audiemus te de hoc iterum" ».[1]

Hinc est quod Paulus et Legem veterem et Philosophiam deprimit, non quidem propter ipsarum in se defectum, sed propter usum malum ab hominibus acceptum. Inde colligit: « Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum,... et non secundum Christum ».[2]

Id nempe evenit quod praedixerat ipse Plato: « Videtur scientiarum caeterarum omnium possessio, nisi quis scientiam Optimi nactus fuerit, raro quidem prodesse, obesse plerumque illi qui sit huiusmodi scientiis praeditus ».[3]

Hinc primo christiani Doctores istud periculi prae oculis habentes, Philosophiam Philosophorum male habuerunt, nimia quandoque etiam verborum asperitate, contra haereticos Philosophia abutentes in damnum Fidei.

Tertullianus Philosophos dicit esse « Patriarchas haereticorum »; de Aristotele autem: « Inferunt [haeretici] Aristotelem qui illis Dialecticam instituit, artificem struendi et destruendi versipellem, in sententiis coactam, in coniecturis duram, in argumentis operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem ne quid omnino retractaverit... Quid ergo Athenis et Hierosolymis? Quid Academiae et Ecclesiae? [4]

Cyrillus Alexandrinus haereticos irridet, « qui nihil aliud quam Aristotelem ructant ».[5]

Queritur Basilius Eunomium « ex mundi sapientia gar-

[1] *Act.*, XVII, 17-32.
[2] *Coloss.*, I, 8.
[3] *Alcibiade*, II, édit. Didot, p. 498, sq.
[4] *Praescript.*, cap. XII. Alia plura de hoc argumento tibi in eodem libro legenda sunt.
[5] *Thes.*, lib. II, édit. Migne, col. 146.

rire », siquidem « Aristotelis sunt sermones illi de habitu et privatione, etc. »,[1] doletque homines « technologice magis quam theologice de divinis rebus disserere ».[2]

Gregorius Nazianzenus lamentatur « in Ecclesiam irrepsisse captiones sophisticas ac pravum artificium aristoteleae artis, aut Platonis facundias et huiusmodi alia, velut aegyptiacas quasdam plagas ».[3]

Gregorius Nyssenus respuit « Dialecticae subtilitatis argutiam, quae et veritatem in mendacii suspicionem apud imperitos traducit ».[4]

Ambrosius: « Nihil nobis cum Philosophia, ne Fidem nostram per elementa mundi huius traducat a vero... Reliquerunt [Ariani] Apostolum, sequuntur Aristotelem; reliquerunt sapientiam quae apud Deum est, elegerunt disputationis tendiculas et aucupia verborum, secundum Dialecticae disciplinam ».[5]

Hilarius: « Oportuerat homines religiosam divinarum rerum scientiam praeferentes, ubi evangelicae atque apostolicae praedicationis veritas praecellebat, callidae Philosophiae tortuosas quaestiones abiicere ».[6]

Faustinus: « Noli adversus Christum, Dominum totius creaturae, Aristotelis artificiosa argumenta colligere, qui te Christianum qualitercumque profiteris ».[7]

Augustinus sententiam eorum commendat qui volunt per scyniphes, qui tertia plaga Aegyptios vexarunt, designari « Philosophiae artis astutiam... ».[8]

Horum omnium, aliorumque passim ita aetate Patrum opinantium sententiam cecinit Prudentius:

[1] *Contr. Eunom.*, lib. I, 9.
[2] *Epist.*, 18.
[3] *Orat.*, XXXII, 25, édit. Migne to. II, col. 202.
[4] *Contr. Eunom.*, lib. III, princ., édit. Migne, col. 574. Cf. ibid, lib. I, col. 266.
[5] *In Ps.*, CXVIII, serm. XXII.
[6] *De Trinit.*, lib. XII, 19.
[7] *Contr. Arian.*, cap. I, 10.
[8] *In Ps.*, CIV.

« Fidem minutis dissecant ambagibus
Ut quisque lingua est nequior:
« Solvunt ligantque quaestionum vincula
Per syllogismos plectiles.
« Vae captiosis sycophantarum strophis!
Vae versipelli astutiae!
« Nodos tenaces recta rumpit regula,
Infesta dissertantibus
« Idcireo mundi stulta delegit Deus,
Ut concidant sophistica ».[1]

Haud secus aetate media. Ita cum provinciae suae Episcopis Mansuetus, Mediolanensis Episcopus, scribit ad Constantinum IV Pogonatum: « Si sunt qui audacia Dialecticae artis inflati, cothurnata cervice, buccis tumescentibus, sinuosis circumitionibus et flexuosis ambagibus, phaleriis verborum pompisque sermonum, sua ferali calliditate, simplicem Fidei rationem convellere, et delegatas a Patribus regulas conculcare, vel temerare voluerint, eorum inflationibus tranquillitas vestra non acquiescat ».[2]

Remigius episcopus Lugdunensis: « Destructus est Plato et Aristoteles per mortem Christi, et eorum sapientia in Ecclesia pro nihilo ducitur ».[3]

Bernardus: « Quid ergo docuerunt vel docent nos Apostoli sancti? Non Platonem legere, non Aristotelis versutias inversare ».[4] Et alias: « Ubi nunc aristotelicae subtilitatis facunda quidem, sed infecunda loquacitas? »[5]

V. Atque tamen illi ipsimet qui Philosophiam ore deprimunt, eodem ipso ore quandoque, mutatis rerum aspectibus, seu adiunctis, extollunt et necessariam agnoscunt.

[1] *Apotheosis*, praef.
[2] Vide in *Patrol. Lat.*, édit. Migne, vol. LXXXVII, col. 1264.
[3] *In I Cor.*, cap. II.
[4] Serm. I, *In festo Apost. Petri et Pauli.*
[5] Serm. II, *De Nativ. Dom.* Haec atque huiusmodi legesis apud LAUNOY, *De varia Aristotelis fortuna*; PETAVIUM, *Theol. dogm.*, Proleg., cap. III; THOMASSINUM, *Dogm. theol.* De proleg. Theol. capp. XXXV-XLVI.

Immo adversarios impugnant per Dialecticam aliquam, atque per Dialecticam, seu rectius, per Philosophiam nonnullam adversariorum obiectiones solvunt.

Clemens Alexandrinus rursum de Philosophiae utilitate eximia doctrina tractat. Eos imprimis argute irridet qui eandem timent: « Multi autem non secus ac pueri larvas, timent graecam Philosophiam, dum verentur ne eos abducat ».[1]

Statuit Philosophiam ante Domini adventum fuisse necessariam: nunc autem ad religiosam pietatem utilem esse, eo quod praevia quaedam eruditio sit iis qui Fidei per demonstrationem facta colligunt... Liberales artes ait conferre ad Philosophiam, tanquam ipsarum Dominam: ita etiam Philosophiam ipsam ad sapientiam comparandam conducere. At vero « Philosophia velut artificium est quoddam et facultas: sapientia autem scientia divinarum humanarumque rerum causarumque quibus eae continentur ».[2]

« Scientia, ait, est demonstratio firma et stabilis eorum quae per Fidem accepimus: quae per doctrinam Domini super Fidem aedificatur, et ad hoc deducit quod immutabile est, et cum scientia comprehendi potest ».[3]

Basilius ita: « Facultas Dialecticae muri instar est dogmatibus, quod ea non sinit facile deripi et quorumlibet incursioni patere ».[4]

Hilarius: « Apostolus sani sermonis in Episcopo voluit esse doctrinam, Fidei conscientiam, et exhortationum scientiam, adversum impias et mendaces et vesanas contradictiones obnitentem ».[5] Atque peregregiam hanc dicti rationem hic affert quod « humana mens hoc solum sapit quod intelligit ».

Theodoretus historicus Didymum laudat quod « a puero sensu oculorum orbatus, et poëticis ac rhetoricis disciplinis

[1] *Strom.*, lib. VI, cap. x.
[2] Ibid., lib. I, capp. IV-V.
[3] Ibid., lib. VII, cap. x.
[4] *In Is.*, cap. II.
[5] *De Trinit.*, lib. VIII, I.

excultus est, et Arithmeticam, Geometriam, et Astronomiam, Aristotelis syllogismos, et Platonis facundiam aurium adiumentis didicit: non quasi veritatem ista doceant, sed quod arma sint veritatis contra mendacium ».[1] Ubi auctor veritatem quasi antonomastice nuncupat veritatem summam, seu divinam.

Nazianzenus laudat Basilium quod Philosophiam calleret, praesertim ea parte « quae in logicis demonstrationibus, aut oppositionibus et concertationibus versatur, quam Dialecticam nominant ». Immo id statuit: « Quemadmodum terra et coelum, necnon aër et similia non ideo sunt contemnenda quia quidam male his sunt abusi, pro Deo ea quae Dei non sunt venerantes: ita quidquid utilitatis ex Philosophia percipi potest, id omne ad vitäe usum fructificare debemus: ita tamen ut periculum effugiamus, et nequaquam contra Creatorem creaturam iuxta insipientes concitemus, sed ex opificio Opificem deprehendamus, et, sicut divinus inquit Apostolus, omnem intellectum Christo captivemus ».[2]

Arnobius: « Ars dialectica in rebus obscuris ingreditur, ut videatur esse verum quod verum est ».[3]

Cassianus aurea sententia: « Rationi non obest sermo rationis, et semper veritas ventilata plus rutilat, meliusque est errantes disputationis curatione corrigi quam censurae severitate damnare ».[4]

Assentitur plane Augustinus, cuius *Dialecticae principia et Categoriae ex Aristotele decerptae* Deodato filio suo missa, legebantur Parisiis antiquitus: « Disputationis disciplina ad omnia

[1] *Hist. eccl.*, lib. IV, cap. XXVI.
[2] *Orat.*, XX, alias XLIII, 12. De laudibus Basilii.
[3] *Concert. cum Serap.*, De Deo Trino, lib. I, n. 4. Summi NAZIANZENI, prout sapientissimorum sententiam referentis, hic hortationem ad iuvenem recitare placet: « Diligenter optimis disciplinis incumbe, et in libris poëtarum, historicorum commentariis, fluente oratorum facundia, subtilibus philosophorum meditationibas temet exerce: sic tamen ut prudenter in omnibus hisce verseris ». *Ad Seleuc.*, V, 35, sq. Cf. BASILIUM *Ad adolescentes, quomodo possint ex Gentilium libris fructum facere*, inter eiusdem Opera, édit. Migne, to. III, p. 365, seg.
[4] *De Incarn.*, lib. I, cap. VI.

genera quaestionum quae in Litteris sanctis sunt penetranda et dissolvenda plurimum valet ».[1]

Id nota caeterum, Augustino omnium nomine testante, non solum ex Graecorum Romanorumve Philosophia, sed et Barbarorum, confirmandam et enucleandam esse Fidei doctrinam, ubi eidem consonaret, ita ut, exempli gratia, ubi de hominis felicitate in veri Dei cognitione et sanctarum Legum observatione reponenda, ita pronuntiat: « Si qui forte alii eiusdem sententiae iudices fuere, sive aliarum quoque gentium, qui sapientes vel Philosophi habiti sunt, Atlantici, Lybici, Aegyptii, Indi, Persae, Chaldaei, Scytae, Galli, Hispani, aliique reperiuntur, qui hoc viderint ac docuerint, eos omnes caeteris anteponimus, eosque nobis propinquiores fatemur ».[2]

Damascenus demum Aristotelicus: « Omnis artifex aliquibus instrumentis opus habet ad operum suorum effectionem. Porro decet reginam ancillarum quarundam uti ministerio. Accipiamus igitur doctrinas istas tanquam veritatis famulas, et impietatem quae tyrannico dominatu sibi eas usurpaverat, procul amandemus; neque bono male utamur, nec ad circumveniendos simpliciores convertamus artem illam disputandi. Ac tametsi neutiquam variis istis sophisticis inventis veritas opus habeat, nihilominus ad evertendos malos illos pugnatores et ad falso nomine appellatam istam refellendam scientiam, illis utemur ».[3]

VI. De qua sententiarum varietate patet conflictum non quidem ex rerum natura, sed ex circumstantiarum adiunctis plerumque ferbuisse, circa Philosophiae in genere, et doctrinarum Platonicarum atque Aristotelicarum speciatim indolem et utilitatem.

Neque secus per mediam aetatem res sese habuit.

[1] *Doctrina Christ.*, lib. II, cap. XXXI. Cf. *Retract.*, lib. I, cap I; *Contr. Cresc.*, lib. I, cap. XIII.

[2] *De Civit. Dei*, lib. VIII, cap. IX.

[3] *Dialectica*, cap. I.

De Platonicis doctrinis quaestio vix ea aetate hinc inde mota est, tum quia Patres frequentius iisdem adhaeserunt, tum quia in se minus nota essent ipsius opera, etsi notiora haberentur in operibus Augustini, Pseudo-Dionysii, aliorumque. Nonnulla tamen scripta eiusdem innotuerant, imprimisque liber *Timaei*, quem commentariis ornare statuerat Aquinas; *Phaedonem* pariter prae manibus habuit idem Doctor. Unde et ipse passim nominatur Plato una cum Aristotele. Omnium instar adducatur iterum Bernardus: « Quid ergo docuerunt vel docent nos Apostoli sancti? Non Platonem legere, non Aristotelis versutias inversare ».[1]

Sed praeprimis de Aristotelis operibus disputatum est. Philosophi opera apud Occidentales iamdiu, etsi rarius, innotuerant. Sylla Romam adtulerat; Tullius, Plinius, Victorinus, Augustinus, Boëtius, Cassiodorus perlegerant: eiusdem libros *De Logica* et *Dialectica* tempore Caroli Magni, in translationibus Augustini et Boëtii, prae manibus habebant atque in studiis terebant; moxque paulatim, instigantibus praesertim Arabum Philosophis, multi Aristotelicas doctrinas amplexati sunt. Inde vero errores varii orti apud nonnullos, tum quia Aristotelis opera, nuper a Constantinopoli adlata, nonnulli male interpretarentur, tum quia Arabes, qui caeterum falsatis utebantur translationibus infecerant suis erroribus.[2]

[1] *In festo sanctorum Petri et Pauli*, serm. I.

[2] Id notandum est, videlicet Arabum translationes et versiones, non immediate e graecis voluminibus confectas fuisse, sed e translationibus hebraicis et syriacis; neque translationes latinas immediate ex arabicis, sed ex translationibus hispanicis ex arabo habitis. Unde erroribus multis passim scatebant. Has translationes postmodum correxit Thomas opera imprimis Fr. Gulielmi de Morboeka.

De doctrinarum Peripateticarum diffusione per aetatem mediam haec habet doctissimus BLAINVILLE:

« Lorsque les sciences montèrent sur la chaire de Mahomet avec les Abassides, les Arabes commencèrent par les Mathématiques; vint ensuite la Logique. La Théologie et la Philosophie furent confondues. Sous les Ommiades d'Espagne, l'Astronomie, les Mathématiques, la Médecine furent les premiers objets des études. Jusqu'au milieu du douzième siècle, les chrétiens ne con-

Averrhoès, (Ibn Roschd) videlicet, anno 1198 vita functus, Aristotelis auctoritatem et famam male usurpatus, in quaestiones omnes et dubia et disputationes effrenatas induxerat, sophismatibusque in periculum dogmata Fidei adduxerat. Quod periculum eo gravius dicendum fuit apud imperitos, quo maior ignorantia et vividiores fuerunt passiones. Multos errores doctrinis Aristotelicis e penu suo addiderant Arabes, atque sub tanto Philosophi patrocinio sparserant de Providentia divina, de creatione, unitate et immortalitate animae, de libertate humana, de resurrectione corporum, indeque de omnium passionum illecebris admittendis.

naissaient les Arabes que comme d'habiles Mathématiciens et de savants Astronomes.

« Avicenne parut vers la fin du dixième et le commencement du onzième siècle. Il fut à l'Orient ce qu'Averrhoès fut à l'Espagne, ce qu'Albert-le-Grand fut à l'Occident. Peut-être même qu'Albert dût à Avicenne l'idée de ses vastes travaux. L'un et l'autre entreprirent, non pas de commenter Aristote, mais de composer sous les mêmes titres le même nombre de traités que lui, en s'appropriant ses sentiments, et souvent ses expressions.

« Les ouvrages d'Avicenne eurent la même influence en Espagne qu'en Orient. Averrhoès, qui, dans sa méthode se rapproche de saint Thomas, décida de la fortune du Stagirite parmi ses contemporains...

« La Philosophie suivit chez les chrétiens la même progression que parmi les Arabes. Constantin, Gerbert, Abélard s'occupèrent d'abord de la Médecine et des Mathématiques. Vers le milieu du douzième siècle, commença l'étude de la Métaphysique, de la Logique, connues par les écrits d'Avicenne, d'Algazel, d'Alfarabius, et transmises de ces sources aux Latins par l'archidiacre Dominique Gonsalvi et le juif espagnol Jean Avendreath. Cependant avant la première année du treizième siècle, les Philosophes arabes et Aristote ne paraissent point cités dans les écrits des Scolastiques; et en 1274, époque de la mort de saint Thomas, on possédait des versions faites, soit de l'arabe, soit du grec, de tous les ouvrages d'Aristote. L'époque de leur publication a donc eu lieu dans un laps de temps de soixante-douze ans, et l'on peut assigner les années 1220 à 1225 comme l'époque où la Philosophie Péripatéticienne commença à être employée dans nos écoles, soit qu'elle nous vint des Arabes, soit qu'elle fût un résultat des rapports ouverts entre Constantinople et l'Occident. C'est en effet par ces deux voies qu'elle nous est arrivée...

« Dès qu'on put se procurer des versions immédiatement tirées du grec, on renonça à l'emploi des versions arabes-latines. Saint Thomas, secondé par le pape Urbain IV, contribua puissamment à enrichir l'Occident de traductions faites immédiatement du grec ». *Hist. des sciences*, to. II, pp. 61-63. Cf. Jourdain, *Recherches sur les traductions d'Aristote.*

Magis invaluit periculum ubi Federicus Imperator, homo impiissimus, suis arabicis stipatus Philosophis, palam professus est « a tribus baratoribus... scilicet Christo Iesu, Moyse et Mahumeto totum mundum fuisse deceptum ».[1]

Gualterius inde Prior Sancti Victoris Parisiensis, qui primus contra novos aristotelicos, id est contra Scholasticos, scripsit, haec habet: « Quisquis hoc legerit non dubitabit quatuor labyrinthos Franciae, id est Abaelardum et Lombardum, Petrum Pictaviensem et Gilbertum Porretanum, uno spiritu aristotelico afflatos, dum ineffabilia Trinitatis et Incarnationis scholastica levitate tractarunt, multas haereses olim vomuisse et adhuc errores pullulare ».[2]

Hinc anno 1209, Concilium Senonense damnavit Almaricum qui Aristotelicis nitebatur doctrinis, operaque Aristotelis comburi iussit.

Quod ita refert Rigordus: « In diebus illis [anno 1204 et circa] legebantur Parisius libelli quidam ab Aristotele, ut dicebatur, compositi, qui docebant Metaphysicam, delati de novo a Constantinopoli, et a graeco in latinum translati: qui, quoniam non solum praedictae haeresi (Almarici) sententiis subtilibus occasionem praebebant, immo et aliis nondum inventis praebere poterant, iussi sunt omnes comburi, et sub poena excommunicationis cautum est in eodem Concilio ne quis de caetero scribere et legere praesumeret, vel quocumque modo habere ».[3]

Anno 1215, Robertus, Legatus Pontificius, qui ad nonnulla reformanda missus fuerat in Universitate Parisiensi, licentiam facit ut « legant libros Aristotelis *De Dialectica*, tam de Veteri quam de Nova in scholis ordinarie et non ad cursum »...[4]

[1] Ita Gregorius IX: « Iste Rex pestilentiae [Federicus] a tribus baratoribus, ut eius verbis utamur, scilicet Christo Iesu, Moyse et Mahumeto totum mundum fuisse deceptum... proponens ». Cf. Labbe, *Concil.*, to. II, p. 329, edit. 1ª.

[2] *Contr. Abaelard.*, Prol.

[3] *De gestis Philippi Augusti*, apud Franc. Duchesne, *Veter. Hist. Franc. Script.*, to. V, p. 51, edit. 1649.

[4] Denifle, *Chartul. Univ. Paris.*, to I, p. 78.

Praecipit tamen ut « non legantur libri Aristotelis *De Metaphysica* et *Naturali Philosophia*, nec *Summae* de eisdem, aut *De doctrina* Magistri David de Dinand, aut Almarici haeretici, aut Mauritii Hispani ».[1]

Licentia de tradenda Aristotelis Dialectica eo maioris momenti hic censenda est, quod prius legebatur *Dialectica* sancti Augustini, quae caeterum ab Aristotele desumpta fuerat.

Anno demum 1231, Gregorius IX canonem Senonensem confirmavit, servarique iussit, donec opera prohibita expurgarentur: « Et libris illis *Naturalibus* qui in Concilio provinciali ex certa scientia prohibiti fuere, Parisiis non utantur, quousque examinati fuerint, et ab omni errorum suspicione purgati ».[2]

Multis hic omissis quae apud historicos legere praestat,[3] ad conclusionem hanc devenimus quam suggerit historia, quod nempe, anno 1366, duo Legati ab Urbano V ad Parisienses missi, omnia Stagirici opera legendi licentiam fecerunt; quam anno 1452 confirmavit Cardinalis d' Estouteville in sua *Studiorum Ordinatione*, immo et *Moralia* eiusdem perlegi iussit.

Interea namque completa fuerat illa operum Aristotelis expurgatio a Gregorio IX requisita: hanc autem compleverant duo homines inter omnes eximii, Albertus videlicet Magnus eiusque discipulus Thomas Aquinas.[4] Ille quidem solemniter id pronuntiat: « Scias quod non perficitur homo in Philosophia, nisi ex scientia duarum Philosophiarum Aristotelis et Platonis ».[1] Quapropter doctrinas Platonicas, expurgatas quidem hausit praesertim in operibus Pseudo-Dionysii, quem pluries ex integro, tum in lectionibus, tum in libris commentatus est; Aristotelicas vero in ipsius Stagiritae operibus, quae Occidentalibus, eximio sui honore, demum in paraphrasi restituit.

[1] Deniflé, *Chartul. Univ. Paris.*, to I, p. 79.

[2] Ibid., p. 130.

[3] Ibid., p. 139.

[4] Iubentibus Pontificibus Romanis id oneris etiam susceperunt Albertus et Thomas. Albertus quippe ita ipse, postquam disseruit de errore unici intellectus separati, addit: « Haec omnia aliquando collegi in Curia exsistens ad praeceptum Domini Alexandri Papae, et factus fuit inde libellus quem multi habent, et intitulatur *Contra errores Averrois* ». *Summ. Theol.*, P. II, tr. XIII, g. 77. Haud secus *Expositio in Sanctum Iohannem* fuit « ad instantiam Alexandri IV pro extirpandis haeresibus tunc vigentibus Romae lecta ». *Exposit. in Sanctum Iohannem*, Prol. De Thoma autem ita Polemaeus Lucensis: « Tunc Frater Thomas redit de Parisiis ex certis causis, et ad petitionem Urbani [IV] multa fecit et scripsit... Isto autem tempore Thomas tenens Studium Romae, quasi totam Philosophiam sive Moralem sive Naturalem exposuit, in scriptum seu Commentum redegit, sed praecipue Ethicam et Metaphysicam quodam singulari et novo modo tradendi ». *Hist. Eccles.*, lib. XXII, Cap. XXIV.

Id muneris exsequuti sunt Albertus et Thomas hic in conventu Sanctae Sabinae de Urbe, ubi et nos huiusmodi facinora in memoriam revocamus.

Opus vero complevit Thomas Aquinas, qui doctrinam Revelationis seu Fidei ex Scripturis et Patrum operibus summa cura ac perspicuitate investigavit et collegit, doctrinam vero Philosophiae, a Platone, imprimisque ab Aristotile accepit; utramque composuit, ita ut amico foedere simul constare possint, atque tibi invicem iuvare. Quod hic non nisi insinuatum dimittimus, siquidem multimode infra a variis auctoribus explananda res erit.

VII. Ex quibus omnibus habes Philosophiam scholasticam non esse nisi Philosophiam generis humani, etiam revelatione destituti, a duobus praesertim ingeniis inter mortales summis, Aristotelis scilicet et Thomae Aquinatis, tum undique collectam, tum proprio marte partam: quae Philosophia ab erroribus purgata mirifice Theologiae inservit, sive incipiat et procedat, ut apud Aristotelem fit, a facilioribus et sensibilibus ad separata; sive e converso, ut in Platone et Pythagora.[2]

Id celeberrima pictura Raphaëlis expressum in Aula « Signaturae » habes, ubi apparent ex una parte *Revelatio*, seu « Divinarum rerum notitia », ex altera autem *Philosophia*, seu « Causarum cognitio », ducibus Platone, qui coelum intuetur, et Aristotele, qui terram seu sensibilia indigitat, siqui-

[1] *In Metaph*, lib. I, tr. V, cap. 15.

[2] Thomas, *In Metaph.*, lib. III, lec. 1.

dèm « proprium Philosophiae Aristotelicae fuit a manifestis non discedere ».[1]

Hinc Scholasticis doctoribus, imprimisque Aquinate procurantibus, plaudente Orbe christiano,

« Theologus Dantes, nullius dogmatis expers,
Quod foveat claro Philosophia sinu,

Aquinatisque caeterum fidus assecla,[2] Philosophos veteres in Limbo suo consistentes, hisce carminibus extollere in sacro Poemate ausus est, circa annum 1302:

« Poichè innalzai un poco più le ciglia,
Vidi il Maestro di Color che sanno [Aristotile]
Seder tra Filosofica Famiglia.
« Tutti l'ammiran, tutti onor gli fanno.
Quivi vid'io e Socrate e Platone
Che, innanzi agli altri, più presso gli stanno;
« Democrito, che il mondo a caso pone,
Diogenes, Anassagora e Tale,
Empedocles, Eraclito e Zenone;
« E vidi il buon accoglitor del quale,
Dioscoride dico; e vidi Orfeo
E Tullio, e Livio, e Seneca morale;
« Euclide geometra e Tolomeo,
Ippocrate, Avicenna e Galieno,
Averrois che il gran Commento feo. »[3]

Hoc est homines illi qui Philosophiae incubuerunt, etiamsi erravissent, et quidem gravissime, non tamen dimissi extemplo

[1] Hic obiter notatum volo non abs re fore, immo perutile, si Theologiae Scholasticae candidatus perlegat attente inter Fr. SYLVII *Opuscula*, Tractatum *De Scholasticis Doctoribus*. Vide SYLVII Opera, to. V. q. 2, edit. Venet. p. 305, 399; sed prae primis legendus est aureus liber card. SALV. TALAMO, *L'Aristotelismo della Scolastica, nella storia della Filosofia*, edit. 3ª, an. 1881.

[2] G. POLETTO: « Ben si può dire che tutta la Teologia e la Filosofia di Dante altro non sono che raggio riflesso della dottrina dell'Aquinate ». *Dizion. dantesco*, voc. « Tom. d'Aquino ».

[3] *Inferno*, IV, 130-144.

sunt, sed potius interrogati an verum etiam nonnihil tenerent, idque suum sponte fecerunt Philosophi Theologique christiani. Qui modus se habendi Doctoribus Scholasticis, praesertimque Thomae de Aquino, tribuendus est, non quod mancipiorum instar, illis, neque etiam Aristoteli, inservierunt, sed quod sua ratione inquisiverunt quid illi rationis suae ope de veritate perceperint et tradiderint, atque suum fecerunt.[1]

Adverte caeterum Scholasticos imprimisque Aquinatem non ab ipsis solum Gentilium philosophis Philosophiam didicisse, sed etiam a Patribus Doctoribusque christianis, qui alio et alio gradu imbuti illa Philosophia fuerunt. Quot quantaque studia de istorum doctrinis etiam philosophicis compleverit Thomas, omnes sciunt et agnoscunt, de Augustini praeprimis sententiis, qui omnes alios quasi complectitur. Etenim, ait Io. Lamius, « quum tam mirabiliter Ecclesiam suam per indoctos et rusticanos Apostolos Deus instituisset,... contrario portento eam firmam et inconcussam servare voluit, et obstantes scientiae saecularis errores per ipsam saecularem doctrinam... tollere, ut error tandem et superstitio suo ipsa ferro conficeretur et caderet. Tunc viros doctissimos et liberalibus disciplinis mirabiliter instructos, vel ex ethnicorum abduxit, vel in ipso Ecclesiae gremio suscitavit, qui profanam doctrinam... omni eruditionis saecularis apparatu, omni Philosophiae instrumento, eloquentia quoque ipsa, et dicendi copia et elegantia expugnarent, ut Aristides, Athenagoras, Iustinos, Tatianos, Theophilos, Tertullianos, Clementes Alexandrinos, Origenes, Apollonios, Melitones, Cyprianos, Lactantios, Arnobios, Minutios Felices, Methodios, Apollinarios, Eusebios, Athanasios, Gregorios, Basilios, Chrysostomos, Hieronymos, Augustinos, et sexcentos alios, qui et Ecclesiae hostes, ipsis eorum armis, mirabiliter debellaverunt, et Ecclesiam tropaeis insignibus exor-

[1] Cf. D. VALFREDI, O. P., *Commentarius philosophicus de usu philosophiae in theologicis D. Thomae operibus*, Genuae, 1777. Quod opus contra nonnullas Bruckeri criminationes insulsas scriptum est.

narunt, et Christianam doctrinam splendide et magnifice illustrarunt ».[1]

Augustinus hic ultimo laudatus, potius attendendus est, utpote qui omnium antiquorum doctrinas et pervestigavit et discussit ac ventilavit, quemque Thomas qua magistrum habuit. De ipso sanctus Antoninus : « Quasi sol refulgens, qui Dominus dicitur Planetarum, et pater luminis, super omnia luminaria splendens, delectabilis oculis, ac per omnia respiciens: sic Augustinus Ecclesiam illustravit, gemma Doctorum, Pater Theologorum, suavis eloquio, omnes materias penetrando dilucidans ».[2] De quo iterum recte recentior: « Nul n'a mieux contribué que l'évêque d'Hippone à édifier le monument de la Philosophie chrétienne. Son œuvre prépare celle de saint Thomas et des Scolastiques: elle la porte, comme celle-ci portera plus tard toutes les sciences modernes, si elles veulent se fonder ailleurs que sur le doute, et former ensemble un même corps ».[3]

Inter illos vero « sexcentos alios » nonnulli strictius nempe Philosophi nominandi sunt, qui aetate illa floruere, videlicet Anatolius Aristotelicus, Malchion, Prohaeresius, Victorinus Afer, Pantaenus, Theodorus postea Gregorius dictus, Phileas martyr, Plutarchus christianus, Serenus, Heraclides, Alexander Hierosolymitanus, Pionius, Apphianus martyr, Aedesius, Pamphilus martyr, Ioannes confessor, Didymus Alexandrinus, Eusebius Emissenus, Aquila ex iudaeo christianus, Pierus Alexandrinus, Ammonius Alexandrinus, Heraclas, quibus addendae et feminae sunt, nempe Heraide, Basilides, etc.[4] Qui omnes Philosophiam aliquam christianam constituerunt, quam Scholastici ipsi praesertimque Doctor Angelicus, vel immediate ab ipsis auctoribus, vel mediate a clarioribus inter ipsos Doctoribus mutuati sunt.

[1] Io. Lamius, *De eruditione Apostolorum*, pp. 988-989.
[2] *Hist.*, P. II, tit. viii.
[3] Elie Blanc, *Dictionn. de Phil.*, art. Augustin edit. 1906. Cf. Nourrisson, *Philosophie de saint Augustin*, édit. 1865.
[4] De hisce omnibus vide Io. Lamium, op. cit. in Indice.

Atque demum advertas oportet nonnullam Philosophiam in Scripturis haberi, ut antea notavimus, ipsique Gentilium Philosophi hanc agnoverunt atque nonnunquam expilaverunt. De qua Philosophia recentior nonnullus id scribit: « Connaître Dieu et le faire connaître au monde, telle fut la mission donnée au peuple juif:[1] mais ce fut par les inspirations de la foi, par une révélation spontanée que ce peuple fut conduit à la connaissance de Dieu, et ce fut en s'adressant au cœur de l'homme, à son sentiment moral, à son imagination, que les sages et les prophètes des anciens Hébreux cherchaient à entretenir et à propager la croyance à l'Être unique, créateur de toutes choses. Les Hébreux ne cherchèrent pas à pénétrer dans les secrets de l'Être; l'existence de Dieu, la spiritualité de l'âme, la connaissance du bien et du mal, ne sont pas chez eux les résultats d'une série de syllogismes. Ils croyaient en Dieu créateur, qui s'était révélé à leurs ancêtres, et dont l'existence leur semblait au-dessus du raisonnement des hommes; et leur morale découlait naturellement de la conviction, du sentiment d'un Dieu juste et bon. Il n'existe donc dans leurs livres aucune trace de ces spéculations métaphysiques que nous trouvons chez les Indiens et chez les Grecs, et ils n'ont pas de Philosophie dans le sens que nous attachons à ce mot. Le Mosaïsme, dans sa partie téorique, ne nous présente pas une Théologie savante, ni un système philosophique, mais une doctrine religieuse, à laquelle on donnait pour fondement la révélation ».[2]

Quod tenendum rursus est de Novo Testamento.

Attamen notanda duo hic sunt, primo scilicet in utroque Testamento id palam asseri, Dei nempe exsistentiam eiusque attributa, atque principia moralia exinde fluentia demonstrari posse atque revera demonstrari ex creaturis. In Veteri quidem ita: « Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei, et de his quae videntur bona non potuerunt

[1] Summa reapse laus est Hebraeorum Dei veri veram notionem caeteris servasse.
[2] Munk, *Mélanges de Philosophie juive et arabe*, p. 461.

intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex, sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem et lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt. Quorum si specie delectati, deos putaverunt, sciant quanto his Dominator eorum speciosior est; speciei enim generator haec omnia constituit. Aut si virtutem et opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis quoniam qui haec fecit fortior est illis: a magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri ».[1] In Novo autem: « Invisibilia ipsius [Dei] a creatura mundi, per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus et divinitas: ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum ».[2] Secundo autem notandum illas quasi conclusiones revelatas, non solum doctrinam constituere, sed et rationi humanae vel conformes, vel saltem non difformes esse, unde alio aliove modo ratiociniis subiici possunt.

Quod eximie iam monuerat Origenes: « Cum servetur confessionis ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, et usque ad praesens in Ecclesiis permanens, illa sola credenda est veritas quae in nullo ab ecclesiastica traditione discordat... Sancti Apostoli Fidem Christi praedicantes de quibusdam quidem quaecumque necessaria omnibus credentibus, etiam his qui pigriores erga inquisitionem divinae scientiae videbantur, manifestissime tradiderunt, rationem scilicet assertionis eorum relinquentes ab his inquirendam qui Spiritus dona excellentia, et praecipue sermonis, sapientiae et scientiae per ipsum Spiritum Sanctum percipere merebantur; de aliis vero dixerunt quia sint: quo modo autem aut unde sint, siluerunt profecto, ut studiosiores quique ex posteris

[1] *Sap.* XIII, 1-5.
[2] *Rom.* I, 20-21.

suis amatores sapientiae et scientiae exercitium habere possent, in quo ingenii sui fructum ostendere valerent ».[1]

Quod eximia subtilitate atque diligentia praestiterunt Doctores Scholastici, perfectius vero eorundem omnium Princeps, scilicet Thomas Aquinas.

Quidquid ergo humanum genus vel proprio marte investigavit, vel ex revelatione didicit, ipsis notum est atque ab eisdem in thesauros suos congestum.

Immerito igitur eisdem exprobrant nonnulli quod suam doctrinam e proprio penu sponte deprompserint, quum reipsa eosdem edocuit illa « multitudo sapientium [quae] sanitas est Orbis terrarum » etsi propriis investigationibus plurima invenerint.[2] Unde Aquinas in una sui *Summa Theologica* refert, praeter Auctores sacros, 46 Philosophos seu Oratores et Poëtas, 41 Summos Pontifices, 19 Concilia, 51 Doctores.

II.

CHRONOTAXIS VITAE ET OPERUM SANCTI THOMAE.

VIII. Anno 1227. — Hoc anno, ut probabilius, Thomas apud Roccam Siccam, e Comitibus de Aquino nascitur, patre Landulpho, matre Theodora.

1232. — A parentibus ad Montem Cassinum mittitur educationis inchoandae causa apud Benedictinos, inter quos ipsius avunculus Abbatem agebat.

1237, vel circa. — Reducitur Neapolim ad discendas Litteras a Magistro Martino, Philosophiam autem a Magistro Petro de Hibernia.

[1] ORIGENES, ap. PAMPH. *Apol.*, I.
[2] *Sap.* VI, 26.

1243. — Circa mensem augustum huius anni, Ordinem Praedicatorum ingreditur, habitumque recipit, ut videtur, a Fratre Thoma Agni de Lentino.

Eodem anno, mense septembri, a fratribus suis apud Romam quasi captivus fit, atque ad parentes vi remeat.

1244. — Hoc anno, mense septembri, vel circa, Ordini Praedicatorum restituitur, moxque ad Coloniam pergit.

1244-1245. — Per annum scholasticum, inter alia studia, lectiones B. Alberti Magni Coloniae audit, qui tunc librum *De divinis nominibus* interpretabatur.

Isque est primus Theologiae annus Fr. Thomae.

1245-1246. — Parisios regressus, circa mensem octobrem, una cum Alberto Magno commoratur in conventu celeberrimo Sancti Iacobi Parisiensis, qui tunc temporis unicum Studium Generale in Ordine fuit, atque lectiones imprimis audivit Fr. Ioannis Pungensasinum, recentius ad Magisterium promoti, atque Fr. Alberti, Lectoris, postea Magni nuncupati.

Et iste fuit Thomae alter Theologiae annus.

1246-1247. — Lectiones Parisiis audit Fr. Alberti, ad Licentiam et Magisterium iam evecti, atque iterum lectiones Fr. Stephani Antisiodorensis, Baccalaurei, necnon Fr. Ioannis Pungensasinum, qui tertio anno qua Magister *Sententias* legebat.

Hic est annus tertius Theologiae Fr. Thomae.

1247-1248. — Parisiis lectiones Fr. Stephani Antisiodorensis, Magistri recentius facti, atque Fr. Alberti, qui tertium Cursus sui annum agebat, audivit.

Is fuit quartus studii theologici Fr. Thomae annus.

1248-1252. — Die 7 iunii 1248, Capitulum Generale constituit Coloniae Studium Generale, ad quod inaugurandum missus est Fr. Albertus, qua Studiorum Regens, et Fr. Thomas, qui iuxta Ordinis sui leges, quatuor vel quinque annos Philosophiam, Scripturam Sacram et *Sententias* explanaturus erat.

1252. — Eo forsitan anno publici iuris fecit suum *De Ente et Essentia*, suumque *De principiis Naturae*, aliaque forsan opuscula.

Eodem anno, mense septembri, inchoat Parisiis, qua Lector Biblicus, ut videtur, primum annum ad Magisterium praevium.

1253-1254. — Legit Parisiis *Sententias*, qua Baccalaureus, anno secundo ad Magisterium praevio, indeque Licentia donandus fuisset: mora vero interposita est propter turbationes a Guglielmo de Sancto Amore in Universitate excitatas.

1255. — Quo anno, mense februario Licentiam adeptus fuit: at vero impediunt aemuli quo minus « Principium » suum in aula episcopali faciat, ut Magister renuntietur.[1]

Eodem edidit anno commentaria *In IV libros Sententiarum.*

1256. — Huius anni mense septembri, Ananiae degit apud Summum Pontificem, una cum Humberto de Romanis, sancto Bonaventura, Alberto Magno, ad tuenda Religiosorum iura: unde die 5 octobris sententia lata est contra Sanctamoreum.

Edidit eo tempore librum *Contra impugnantes Dei cultum.*

1257. — Mense octobri huius anni, suum tandem pronuntiat Parisiis «Principium», seu inauguralem orationem, quam infra lectori exhibituri sumus.

Eo tempore, edit opus *Contra impugnantes Religionem, Quaestiones de veritate*, atque sex priora *Quodlibetalia.*

1258-1259. — Regens fit Studiorum in Studio Generali Parisiensi, comitemque habet qua Baccalaureum Fr. Annibaldum de Annibaldis.

Eo forsan tempore *Expositionem in Isaiam* et *Matthaeum* conscripsit.

Interea rursus Sermones quadragesimales Parisiis habet.

[1] Thomae obiiciebant, quoad aetatis sufficientiam, non obstante voluntate et dispensatione Summi Pontificis, hanc legem a Cardinali Roberto de Courçon, Legato Apostolico, pro Universitate Parisiensi, anno 1213 latam: « Circa statum Theologorum statuimus quod nullus Parisiis legat citra tricesimum quintum aetatis suae annum, et nisi studuerit per octo annos ad minus, et libros fideliter et in Scholis audiverit, et quinque annis audiat Theologiam, antequam privatas lectiones legat publice ». Cf. DENIFLÉ, *Chartul. Univ. Paris.*, to I, p. 79.

Die 1 iunii eodem anno, interest Capitulo generali apud Valencenas celebrato, qua socius forsan Provincialis Romani. Iubetur ibidem ut una cum Fr. Alberto Magno, Bonomio Brittone, Florentio Gallico, Petro de Tarantasia, omnibus quidem in Facultate Parisiensi Magistris, Studiorum rationem conficiat atque ordinet.

1260, vel 1261. — Romam repetit ibidemque nonnullas lectiones habet.

Commentarium alterum conscripsit *In I Sententiarum.*

1261. — Apud Urbanum IV degens, lectiones habuit Urbeveteri, Anagniae, Viterbii, Perusii, et apud Praedicatores.

Eo temporis spatio, vel circa, conscripsit sua *Commentaria* in Aristotelis *Physicam, Ethicam, Metaphysicam;* suam *Summam contra Gentes,* suum *Contra errores Graecorum,* suas *Quaestiones de anima,* suam *Expositionem libri Iob,* suum *Officium Corporis Christi,* suum *Contra errores Graecorum,* suam *Catenam in Evangelium sancti Matthaei,* suum denique *Compendium Theologiae.*

1262. — Prosequitur *Catenam Auream* in tria posteriora Evangelia.

Conscribit opusculum *De emptione et venditione.*

1264-1268. — Interea in Italia degens, conscribit vel prosequitur *Quaestiones de potentia Dei, De spiritualibus creaturis, De unione Verbi Incarnati, De malo;* alteram *Quodlibetorum* seriem, *Primam Partem Summae Theologicae* et *Primam Secundae, Expositionem libri de Causis,* aliaque opera.

Iter habet per Urbeveterem, Bononiam, Romam, etc.

1265. — Eo anno, in Capitulo Provinciali Anagniae celebrato, ita de Fr. Thoma: « Fratri Thomae de Aquino iniungimus in remissionem omnium peccatorum quod teneat studium Romae, et volumus quod Fratribus qui stant secum ad studendum provideatur de necessariis vestimentis a conventibus de quorum praedicatione[1] originem traxerunt.

[1] Dicebatur « praedicatio » illa regio in qua conventus aliquis iure ordinario licentiam praedicandi habuit.

« Si autem illi studentes inventi fuerint negligentes studio, damus potestatem Fratri Thomae quod ad conventus suos possit remittere ».[1]

1269-1271. — Die 12 maii, anno 1269, in Capitulo Generali Parisiensi interest qua Definitor Provinciae Romanae, ibique sententiam suam profert *De secreto naturali.*

Per duos rursus annos officium Regentis gerit in Studio Parisiensi Praedicatorum.

Concinnat *Quaestiones de virtutibus,* edit *Commentaria in Evangelium sancti Ioannis,* et *In Epistolas sancti Pauli.* Ultimam apponit manum ad *Secundam Secundae* suae *Summae Theologicae.*

Eo circiter anno, publici iuris facit suum *De perfectione vitae spiritualis,* suum *De aeternitate mundi,* suam *Expositionem in Perihermeneiam,* suum *In duos libros priores*[2] *Meteororum, Lecturam super Ioannem,* etc.

1271. — In Italiam revertitur, atque Romae iterum docet.

Publici iuris facit eo tempore, ut videtur, suam *Responsionem de articulis XXXVI, Responsionem de articulis CVIII,* suam *De articulis iterum remissis.*

1272-1273. — Parisiensis Universitas enixe petit ut Parisios redeat: at vero Neapolim mittitur, ubi Theologiam tradit.

Interea tamen, anno scilicet 1272, Capitulum Provinciale Florentiae celebratum ita decernit: « Studium Generale Theologiae, quoad locum, personas et numerum studentium plenarie committimus Fratri Thomae de Aquino ».[3]

Eo tempore varia edit opera, videlicet *In IV Politicorum, In III* priores *Libros de coelo et mundo, In II De generatione et corruptione,* suum *De unitate intellectus, De virtutibus,* libros VII-IX *Quodlibetorum, Tertiam Partem*

[1] Vide P. Masetti, *Monum. Prov. Rom.*, vol. I, p. 136.

[2] In lib. II. *Meteor.*, lect. XI, legitur: « Non est idem horizon habitantibus " hic Parisiis " et habitantibus Romae ».

[3] *Acta Capit. Prov. Rom.*, mss. Cf. P. Masetti, *Mon. Prov. Rom.*, vol. I, pag. 136.

Summae, quam mala salute impeditus prosequi nequivit a die 6 decembris 1273.

Eodem forsan anno, ipsi commissum est ut omnia Provinciae Romanae Studia perlustraret et visitaret, unde invaluit traditio ipsum Perusii, Pisis, Florentiae, Viterbii et alibi docuisse, etsi forsan non nisi unam vel alteram lectionem habuerit.[1]

1274. — Vocatus ad Concilium Lugdunense a Gregorio X, iter arripit.

Responsionem scribit ad Bernardum Abbatem.

Commentatur *Canticum Canticorum*.

Fossae Novae morbo correptus sanctissimam animam Deo restituit, nonis martii, id est die 7 martii.

Praedictam Chronotaxim ab Echard[2] mutuo accepimus quasi integram, nonnullis tamen additis.

Plurima ex scriptis authenticis sancti Thomae quo anno prodierint vel cum dubietate asseritur, ut nonnunquam in praecedenti Chronotaxi factum est; vel prorsus ignoratur, quae tamen in Operum Catalogo una cum caeteris indicanda erunt.

IX. De sancti Thomae indole nonnihil, etsi pauca, videntur addenda, ad meliorem praedictorum intelligentiam obtinendam.

De statura corporali narrant coaevi ipsum fuisse « magnae staturae et pinguis, et calvum supra frontem, grossum et brunum, magnum in corpore et rectae staturae,... coloris triticei,... magnum habentem caput;... virilem robore ».[3] Auctor *Vitae sancti Thomae* praemissae primo volumini Operum iussu Pii V editorum ita: « Corpore erat pene vasto, procera ossium magnitudine, quam nec exilis quidem caro replebat, oculis modestissimis, facie oblonga, colore subflavo, fronte depressiori quam mentis longitudo postularet, capite magno, rotundo, et nonnihil calvo, rectus semper ingressus est ».[4]

[1] Cf. P. Masetti, *Monum. Prov. Rom.*, vol. I, p. 137.
[2] *Scriptores*, to. I, pp. 271-283.
[3] *Process.*, nn. 2, 3, 5, 15, 19, 45; Guill. de Tocco, *Vita*, VII, 39.
[4] *Vita*, cap. XXXI.

« Ex solo eius corporali adspectu videbatur oriri ut nemo ipsum aliquandiu alloquendo et conversando potuisset aspicere, a quo non contingeret gratiam spiritualis consolationis haurire ».[1] In adversitatibus « nulla in eo erat immutatio ».[2]

De ipsius ingenio nihil addendum videtur, quum opera ipsius testentur infinitique numero eius disciputi et asseclae. Id unum notatum volo, videlicet tantae fuisse perspicuitatis, ut in quaestionibus distinguendis, dispiciendis, per analysim, atque postmodum per synthesim componendis, nullus nisi Aristoteles ipsi adaequari possit; summe fidelis ipsi concessa memoria est, ut quidquid in variis legisset bibliothecis retineret.

Sanctissimae rursus vitae fuit, de qua Petrus Grassi in Processu canonizationis testis: « Interrogatus de vita et conversatione Fr. Thomae, dixit quod ab eo tempore quo ipse testis erat scholaris et puer, audivit, nemine discrepante, dici communiter et teneri quod ipse Fr. Thomas erat homo sanctissimae vitae,... et quod die quolibet ipse ante omnes dicebat missam suam; et ex ordinatione sua praeter id servabat continue quod immediate post completam missam suam, priusquam exueretur ex toto, erat indutus presbyter alius ad aliam missam dicendam: quam etiam ipse audiebat ad finem, priusquam ad actus alios traheretur, et insuper quod ipse nunquam, praeter naturalis quietis horas, horam habebat aliquam otiosam qua trahi posset, vel aliquatenus occupari ad actus aliquos saeculares; sed aut legebat, aut scribebat, seu scribi faciebat, aut orabat, aut praedicabat ».[3]

De ipsius sententiis ita Salmanticenses: « Quoniam aiunt Mercurium [Hermetem] sermonis et veritatis esse praesidem, ob id effigiem eius quadratam et ad formam cubi faciebant: iudicantes huiusmodi figuram, in quamcunque partem ceciderit,

[1] *Acta Sanctorum*, martii, to. I, p. 671.
[2] Ibid. p. 714. Vide qua ratione sese gesserit ad iniurias Fr. Peckham, apud Denifle, *Chartul. Univ. Paris.*, to I, p. 634.
[3] *Process.*, n. 6.

perpetuo rectam remanere; sic veritas, ubicunque sit, similis et uniformis est, mendacium multiplex et varium. Quae quadrata forma quam tibi [Thoma] examussim quadret, nemo non viderit ».[1]

Hinc pronum est de stylo Thomae iudicium: « Ea namque styli [Thomae] puritas est, ut superfluat si quid addiderim, arescat vero, si quid exemeris. Ea in verbis formalitas ac proprietas, ut nihil insit extraneum, nihil accidens ».[2]

« Huius [Thomae] doctrina prae caeteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum ».[3]

Demum, iamiam moriturus, ita coram Sanctissimo sibi allato vitam propriam quasi compendio enarravit: « Sumo te, pretium redemptionis animae meae; sumo te, Viaticum peregrationis meae, pro cuius amore vigilavi, et laboravi, et praedicavi. Te docui, nihil unquam contra te dixi: sed si quid ignorans, non sum pertinax in sensu meo; si quid male dixi, totum relinquo correctioni Ecclesiae Romanae ».[4]

III.

CATALOGUS OPERUM SANCTI THOMAE.

X. Catalogus iste operum sancti Thomae confectus est iuxta documenta P. Echard,[5] P. Mandonnet,[6] et D. Grabmann,[7] ad quos lectorem remittimus, qui auctoritates et testimonia no-

[1] SALMANT., edit. Palmé, vol. I, p. 51.
[2] CAIETANUS, *Comment. in Summam*, Prol.
[3] INNOCENT. VI, vita functus a. 1362.
[4] *Process. Canoniz.*, testim. Logothetae.
[5] *Scriptores Ord. Praed.*, to. I, pp. 283, sqq.
[6] *Des écrits authentiques de saint Thomas*, p. 102, sqq. Friburgi Helvetiorum, an. 1910.
[7] *Thomas von Aquin, Eine Einführung in seine Persönlichkeit und Gedankenwelt*, pp. 15-20, München, 1912.

scere cupiverit; id tamen advertimus, catalogum istum, etsi diversis auctum, in nonnullis perficiendum remanere.

Opera autem divi Thomae in duas classes, pro modo nostro dispertimur, nempe Commentariorum in aliena opera, et Operum ab ipso Doctore nostro concinnatorum.

I. — COMMENTARIA IN ALIENA OPERA.

I. — *In Philosophos.*

1. In *Perihermeneiam.*
2. In Posteriores *Analyticorum.*
3. In Octo libros *Physicorum.*
4. In Tres primos *De Coelo et Mundo.*
5. In Duos libros *De Generatione et Corruptione.*
6. In Quatuor *Meteororum.*
7. In Primum *De Anima.*
8. In Secundum et Tertium *De Anima.*
9. In Primum *De Sensu et Sensato.*
10. In Primum *De Memoria et Reminiscentia.*
11. In Duodecimum *Metaphysicorum.*
12. In Decem *Ethicorum ad Nicomachum.*
13. In Quatuor Primos *Politicorum.*
14. In Primum *De Hebdomadibus Boëthii.*
15. In librum *De Causis.*

II. — *In Scripturam Sacram.*

1. *Sermo de tota Scriptura.*[1]
2. In librum *Iob.*
3. In Quatuor primos Nocturnos *Psalterii.*
4. In *Cantica Canticorum.*
5. In *Isaiam.*
6. In *Ieremiam.*
7. In *Threnos.*

[1] Vide P. FRANC. SALVATORE C. R. S., *Due sermoni inediti di san Tommaso d'Aquino*, p. 17, Roma, 1912.

8. Catena super *Matthaeum.*
9. Catena super *Marcum.*
10. Catena super *Lucam.*
11. Catena super *Ioannem.*
12. Expositio super *Matthaeum.*
13. Expositio super *Marcum.*
14. Expositio super *Lucam.*
15. Expositio super *Ioannem.*
16. Lectura super *Matthaeum.*
17. Lectura super *Ioannem.*
18. Expositio in *Epistolam Pauli ad Romanos.*
19. Expositio in *Primam ad Corinthios.*
20. Expositio in *Secundam ad Corinthios.*
21. Expositio in *Epistolam ad Hebraeos.*
22. Expositio in capitulum *Cum Marthae,* de celebratione Missarum.[1]

III. — *In Decretales.*

1. In Primam Decretalem.
2. In Secundam Decretalem.

IV. — *In Theologos.*

1. In Quatuor *Sententiarum.*
2. In Primum *Sententiarum* (altera vice).
3. In Dionysium *De divinis Nominibus.*
4. In Boëthium *De Trinitate.*

II. — SCRIPTA SANCTI THOMAE PROPRIA.

I. — *Philosophica.*

1. De principiis Naturae.
2. De occultis operationibus Naturae.
3. De mixtione Elementorum.

[1] Cf. DOUAIS, *Reliques de saint Thomas d'Aquin*, p. 104.

4. De aeternitate Mundi.
5. De motu Cordis.
6. De unitate Intellectus.
7. De Substantiis separatis.
8. De Ente et Essentia.
9. De Rege et Regno (De regimine Principum).
10. De regimine Iudaeorum.

II. — *Theologica.*

1. Summa Theologica.
2. Summa contra Gentes.
3. Compendium Theologiae, *De Fide et Spe.*
4. Oratio habita ut « Principium » de officio Doctoris.[1]
5. De articulis Fidei et Sacramentis.
6. De rationibus Fidei.
7. Contra errores Graecorum.
8. Contra impugnantes Dei cultum.
9. De Perfectione vitae spiritualis.
10. Contra retrahentes a religionis ingressu.
11. De Iudiciis astrorum.
12. De Sortibus.
13. De forma absolutionis.
14. De emptione et venditione.
15. (Quaestiones disputatae) De Veritate.
16. De Potentia.
17. De Spiritualibus creaturis.
18. De Anima.
19. De unione Verbi Incarnati.
20. De Malo.
21. De Virtutibus in communi
22. De Virtutibus Cardinalibus.
23. De Charitate.
24. De Correctione fraterna.
25. De Spe.
26. Quodlibeta.
27. Responsio de articulis XXXV.

[1] P. FRANC. SALVATORE, *Due Sermoni inediti di san Tommaso*, pp. 17, Romae, 1912.

28. Responsio de articulis XLII.
29. Responsio de articulis CVIII.
30. Responsio de articulis iterum remissis.
31. Responsio de articulis VI.
32. Responsio ad Bernardum abbatem.
33. De *Pater Noster*.
34. De *Credo in Deum*.
35. De decem praeceptis.
36. De secreto.[1]
37. Collationes Dominicales et de Festis.[2]
38. Officium Corporis Christi.

39. Bulla Urbani IV, qua instituta fuit Corporis Christi Festivitas Quam esse sancti Thomae nullus diffitebitur qui legerit, non quidem in *Bullario Romano*, ubi additis quibusdam textus primigenius immutatus remansit, sed in textu primigenio qui in Vaticano Archivio asservatur.

40. Epistola ad novitium Fr. Iohannem missa de modo acquirendi scientiam.[3]

41. Orationes piae, quarum initia hic ponimus:[4]
— « Ad te, Fontem misericordiae » pro peccatorum remissione.
— « O Deus Omnipotens », pro obtinendis virtutibus.
— « Te Deum totius consolationis invoco », pro gaudio coelesti obtinendo.
— « Concede mihi, misericors Deus », ad vitam sapienter instituendam.
— « Laudo, glorifico, benedico te », pro Dei beneficiis.
— « Omnipotens, sempiterne Deus », ante Communionem.
— « Sit, Iesu dulcissime », post Communionem.
— « Gratias tibi ago, Domine sancte », post Communionem.
— « Adoro te devote », pro Elevatione.
— « Creator ineffabilis », ante scriptionem, dictationem, praedicationem.
— « O beatissima et dulcissima Virgo », ad B. Virginem.

[1] Vide ECHARD, *Scriptores*, to. I, p. 280.
[2] Inter quas maxime sunt attendendi sermones qui de Eucharistia agunt, ubi manifestius apparet modus praedicandi divi Thomae in solemnioribus festivitatibus et circumstantiis.
[3] Cf. ECHARD, *Scriptores*, I, p. 341; MARTÈNE, *Ampliss. Coll.*, to. I, p. 1352; de RUBEIS, in praevia admonit. Cf. P. ESSER, *D. Thomae Aquinatis monita et preces*, p. 17 sqq. edit. Viennae, 1882.
[4] Recensionem sequimur a P. A. UCCELLI sac., exhibitam in periodico *Scienza e fede*, serie III, vol. 1, fasc. martii, 1868. Vide P. ESSER, *D. Thomae Aquinatis monita et preces*, pp. 60 sqq.

42. Praedictis addendum est epitaphium quod conscripsit in honorem B. Petri Martyris.[1]

43. In diversis operibus divo Thomae male tributis, non pauca tamen de ipsius doctrinis plerumque continentur, quum illa ab ipsius discipulis excipientibus haberi possunt.

44. Haud secus in Officio sancti Augustini, quod Thomas, ut ferunt, correxit et in melius reduxit.

45. Ita in Statutis quae anno 1259 in Capitulo Generali iussus est una cum aliis Magistris de Studiorum ratione ordinare.[2]

46. Nonnulla addenda forent opuscula authentica, quae tamen hucusque deperdita remanserunt.[3]

Unde et nobis merito hisce concludere licet :

« O Thoma,
Quam bene vixisti !
Quam bene scripsisti !
Ut nunquam talis
Postea mortalis
Melius vixerit,
Melius scripserit ».[4]

Hic pro coronide nonnihil addendum brevius videtur de Operum divi Thomae diffusione in toto Orbe christiano.

Nullus auctor huius indolis in medio aevo exstitit, cuius opera adeo fuerint undique diffusa.

Cuius facti rationem hanc assignat Logotheta in *Processu Canonizationis*, quod nempe « etiam laici et parum intelligentes quaerunt et appetunt ipsa scripta habere »[5] Atque addit Frater Guglielmus de Tocco, « sub huius Doctoris lucida et aperta doctrina floruerunt quamplures Magistri religiosi et saeculares, propter modum compendiosum, apertum et facilem ».[6]

[1] Cf. UCCELLI, loc. cit., p. 22. Vide TOURON, *Vie de saint Thomas*, livr. III, ch. III.
[2] Cf. ECHARD, *Scriptores*, to. I, p. 280.
[3] De hisce vide P. MANDONNET, *Les écrits authentiques de saint Thomas*, p. 122, sqq.
[4] GIUS. BATT., P. apud P. GERVASIUM A S. ELIA, Carmel. excalc., in libro cui titulus : *Il falso e' l vero.*
[5] *Acta Sanctorum*, martii, to. I, p. 713, édit. Palmé.
[6] Ibid., p. 663.

Hinc praegrandis codicum[1] et incunabulorum[2] numerus, etsi plurimi codices et incunabula non adnotentur, quia vel perierunt, vel adhuc in bibliothecis privatis latent. Quod iam ab anno 1430 testatus fuerat Fr. Hermann Korner: « Non est inter omnes modernos Doctores quiscumque, cuius doctrina tam avide legitur, cuius libri a Magistris tam sedule pronuntiantur, et cuius volumina tantum sunt multiplicata et tam communia, sicut sunt sancti Thomae Doctoris in singulis Orbis Universitatibus ».[3]

Innumeras adde editiones ab initio diversorum operum, praesertim *Summae Theologicae,* quae separatim prodierunt.[4]

Editiones Omnium Operum sancti Thomae hucusque simul confectae istae numerantur:

An. 1570-1571, Romae prodiit editio dicta «Sancti Pii V», quia ab hoc Pontifice procurata, apud haeredes Antonii Bladi et Ioannis Osinarini, in 18 vol. in-fol.

An. 1594-1596, Venetiis, in 18 vol. in-fol. apud Dominicum Nicolini.

An. 1612, Antuerpiae, in 18 vol. in-fol. apud Ioannem Keerbergium.

An. 1660, Parisiis, in 23 vol. in-4°, apud Societatem Bibliopolarum.

An. 1745, Venetiis, in 28 vol. in-4° a Fr. Bernardo de Rubeis curata, sed incompleta.

An. 1852-1870, Parmae, in 25 vol. in-4°, apud Petrum Fiaccadori.

An. 1872-1880, Parisiis, in 34 vol. in-4°, apud Ludovicum Vivès.

An. 1882, Romae, iussu Leonis Papae XIII, inchoata est editio solemnissima et accuratissima, quae non nisi lentius perficitur.

[1] Cf. D. A. Michelitsch, *Thomas-Schriften,* Band. I, S. 60, sqq.
[2] Cf. *Catalogue des incunables,* pro Galliis praesertim.
[3] *Chron. nov.,* p. 183, edit. Schwahn, 1895.
[4] Cf. Touron, *Vie de saint Thomas,* livr. VI, ch. x; Echard, *Scriptores,* to. I, p. 322, sqq.

IV.

DE TITULO « DOCTORIS COMMUNIS » QUEM DIVO THOMAE TRIBUIMUS SEU MELIUS RESTITUIMUS.

XI. Praenotandum duplicis esse generis titulos huiusmodi alicui quasi publica voce et sententia collatos. Nonnulli scilicet quasi sponte cuiusque propria et pro libitu adiiciuntur, ad significandas genericas qualitates: neque tamen adiectivorum limites transgrediuntur, neque significant personam, nisi praemisso huius nomine.

Alii vero sunt qui quasi nomina propria evadunt, utpote specialissimam notam referentes, apud vulgus agnitam, et ab omnibus admissam, ita ut personam ipsam significent.

Prioris generis tituli sancto Thomae vivo et mortuo concessi quasi innumerabiles fuere. Unde Universitas Parisiensis, die 2 maii 1274, non multos nempe post dies ab ipsius obitu, dum efflagitaret a Capitulo Generali Praedicatorum sibi concedi eiusdem exuvias, ipsum vocat « Stellam matutinam, praeeminentem mundo, Iubar in lucem saeculi, immo, ut verius dicamus, aiunt, Luminare maius quod praeerat diei ».[1] Haud secus passim dictus est « Doctor egregius, Doctor eximius », sexcentisque huiusmodi titulis donatus, infra referendis, ubi de epigraphis in honorem divi Thomae concinnatis dicturi sumus hic tamen omnino dimittendis ut ad rem nostram nihil confacientibus.

Alterius vero generis tituli, qui quasi nomina propria habentur, atque personam ipsam ex usu designant, duo Thomae concessi fuerunt: primitus quidem « Doctoris Communis », postmodum vero « Doctoris Angelici ».

[1] P. Denifle, *Chart. Univ., Paris.,* to. I, p. 504.

De priori illo titulo hic agimus, utpote antiquiori, magis comprehensivo atque ad rem nostram hic planius aptato. « Sanctus Thomas, ait Petrus de Alva, O. S. Fr., solus vocabatur "Doctor Communis" sicut Alexander Halensis "Doctor Irrefragabilis;" ac idem erat dicere: "Haec opinio est communis," ac dicere: "Est opinio sancti Thomae" ».[1]

Rem historice describit doctissimus Sylvius: « Iam olim, inquit, etiam cum Sanctorum Catalogo nondum esset adscriptus, "Communis" nomen sortitus est. Nam et Durandum, et Thomam de Argentina, Brullaeum, Godefridum de Fontibus, reliquosque fere omnes Theologos "Communis Doctoris" titulo sanctum hunc induere solitos testatum reliquit Vincentius Haerlemius ».[2]

« Paludanus etiam: "Quinta, inquit, opinio est Thomae « Communis Doctoris" ».[3]

« Hinc Navarrus: "Angelicus, inquit, omniscius ille Thomas"[4] alibi vero frequentissime: "Iuxta sanctum Thomam communiter receptum" ».[5]

Praedictis nonnulla, et quidem specialiora ordine chronologico nobis videntur addenda.

Ante annum 1278, Fr. Stephanus de Salanhac, qui, etsi anno 1291 vita functus sit, anno tamen 1278 scribere desiit, hisce explanat rationibus cur Thomas adhuc vivus esset Doctor omnium, quia nempe omnes suo tempore, paucis exceptis, ad eius doctrinam quasi certatim accesserant, siquidem « Frater Thomas de Aquino, Apulus, doctor est egregius et famosus in Orbe, qui plurima scripsit, cuius doctrinam sanam et lucidam totus Oriens et Occidens, sine invidia iudicando amplectitur et miratur, et eam habere se gaudet et gloriatur. Ipsa nam-

[1] *Nodus*, V, § 2, p. 44.
[2] *Epist. praefixa* commentationi PALUDANI *In IV Sent.*, data Parisiis an. 1514.
[3] *In IV Dist.*, XLIV, q. VII.
[4] *Enchirid.*, init.
[5] SYLVIUS, *Opusc.*, III, Orat. IV. p. 67, edit. 1726.

que tanquam lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem, donec Lucifer oriatur: indeque hauriunt universi, et obtrectatores et aemuli in occulto ».[1]

Eadem quasi aetate Fr. Iacobus de Viterbio, Ord. Erem. S. Aug., Archiepiscopus Neapolitanus explicatius, quia scilicet omnibus intelligibilis apparuit, siquidem in eius scriptis invenitur « communis veritas, communis claritas, communis illuminatio, communis ordo et doctrina cito perveniendi ad intelligentiam ».[2]

Anno 1313, Capitulum Generale Praedicatorum Metis celebratum, haec habet: « Cum doctrina venerabilis Doctoris Fratris Thomae de Aquino sanior et "communior" reputetur... ».[3]

Circa annum 1317, Fr. Ptolomaeus Lucensis ait: « Modernos Doctores [Thomas] transcendit in Philosophia sive in Theologia, sive in quacumque materia, secundum communem hominum intelligentiam et opinionem, et inde in Schola hodie Parisiensi "Communis Doctor" appellatur, propter suam claritatem doctrinae ».[4]

Eodem tempore Fr. Nicolaus Treveth Anglus: « Cuius [Thomae] acutissimum ingenium excellentemque scientiam laudibus extollere privatis supervacuum iudicamus, cum sapientiae eius tam publica sint monumenta, ut "Doctor Communis" a viris Scholasticis nuncupetur ».[5]

Anno 1319, Fr. Dominicus Granerius, Magister Sacri Palatii, dum dicat Ioanni XXII Pontifici *Commentaria* sua in Scripturam Sacram, ita pronuntiat: « Tandem super textum ad minus duas movebo quaestiones, et pro earum determinatione ad aliquod operum "Doctoris Communis" scilicet Fr. Thomae de Aquino nostri Ordinis, doctrina cuius a pueritia sum imbutus, lectorem remittam ».[6]

[1] *Arch. Gen. O. P.*, III, 2, fol. 15.
[2] *Acta SS.* to. I martii, p. 713.
[3] *Acta Cap. Gen.*, to. II, p. 64.
[4] *Hist.*, lib. XXII, cap. VIII et IX. Apud MURATORI, to. XV, col. 1169.
[5] *Annal.*, p. 287, edit. Londin., 1845.
[6] Apud ECHARD, *Scriptores*, to I, p. 613.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

Anno 1323, occasione canonismi sancti Thomae, Henricus Herfordiensis: « Thomas de Aquino, doctor excellentissimus, communiter in omnibus et ecclesiasticis et philosophicis, propter quod et " Doctor Communis " vel " Doctor Generalis " dicitur ».[1]

Anno 1330, vel circa, Fr. Armandus de Bellovisu, Magister Sacri Palatii: « Vestigiis doctorum inhaereo meliorum, et praecipue " Doctoris Communis, " reverendissimi et praeclarissimi Thomae ».[2]

Circa annum 1350, Fr. Thomas Strasburgensis, Magister Generalis Eremitarum sancti Augustini, perpetuo Thomam sub agnomine « Doctoris Communis » laudat et allegat in commentariis suis super librum *Sententiarum*.[3]

Ita Ludovicus Vallisoletanus circa an. 1410: « Vixit [sanctus Thomas] postquam ad magisterium Theologiae assumptus fuit annos circiter viginti. In quibus quantum utilis Ecclesiae Dei et admirabilis fuerit eius scientia et doctrina, opera eius in tam brevissimo confecta tempore testimonium perhibent veritati. Eius namque doctrina, quam totus Orbis complectitur et miratur, quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem. Quos enim doctos non docuit? Quos protervos non corripuit? Quos devios non direxit? Sic enim divina docuit et humana decentissime; quantum fuit expediens ad salutem hominum, sufficientissime pertractavit. Et ideo " Doctor Communis " rectissime nominatur: nam eius doctrina est sal condiens scripturam aliam qualemcumque, quae sicut mysteriis sapientes exercet, sic in superficie simplices refovet. Habet enim in publico unde parvulos nutriat, et servat in secreto unde mentes sublimium in admiratione suspendat; in ipsa enim sunt brevis stylus, grata facundia, firma, clara, celsa sententia ».[4]

[1] *Memorabilia*, p. 239.
[2] Apud ECHARD, *Scriptores O. P.* to. I, p. 584.
[3] P. DENIFLÉ, in suo *Luther und Lutherthum*, to. I, p. 413, edit. Magunt., 1904, varia indicat loca.
[4] Ex *Archiv. O. P.*, cod. QQ. p. 350.

Anno 1430, vel circa, Fr. Hermann Korner O. P. ita: « Hic gloriosissimus Doctor dictis et scriptis suis universam Ecclesiam catholicam mirifice decoravit. Et licet a quibusdam perfidis et Deo odibilibus clericis et religiosis ironice et derisorie livore invidiae agitatis " Doctor Communis " appelletur in ipsius Sancti vituperationem et Ordinis sui contumeliam, propter stylum planum et intelligibilem, illos sibi praeferentes qui verbis vanis et terminis inusitatis ventum verberantes, super se ambulant, nec vocem propriam intelligunt, nec fructuosi legentibus exsistunt; tamen merito et in veritate " Doctor Communis " bene dici potest et est... Doctor iste sanctissimus in *Summis* suis et scriptis theologicis instruit maiores et doctos; in philosophicis autem et moralibus commentis suis informat mediocres et aptos; et in dialecticis tractatibus erudit iuvenes studentes. Non enim est inter omnes modernos doctores quiscumque, cuius doctrina tam avide legitur, cuius libri a Magistris tam sedule pronuntiantur, et cuius volumina tantum sunt multiplicata et tam communia, sicut sunt sancti Thomae Doctoris in singulis Orbis Universitatibus ».[1]

Anno demum 1495, Basileae typis prodeunt *Commentaria* divi Thomae *in Epistolas sancti Pauli*, sub hoc praemisso monito: « Feliciter incipiunt *Commentaria* clarissimi Doctoris Angelicique ac " Communis " sancti Thomae Aquinatis ».[2]

Etsi autem ea sequiori aetate, saeculo XV scilicet, veteri titulo « Doctoris Communis », et quidem vix non male, vel additus sit, vel subintraverit recentior « Doctoris Angelici », ille tamen non omnino dimissus fuit, quod variis patet argumentis, e quibus multis pauca seligimus.

Circa annum quippe 1640, doctissimus homo Franciscus Sylvius in variis suis operibus illum sedulo retinet. Hinc in commentariis in *Summam* divi Thomae, istum vocat « Academiarum omnium " Communem Magistrum " », atque com-

[1] *Chron. nov.*, p. 183, edit. Schwahn, 1895.
[2] PELLECHET, *Catalogue des incunables*, n. 942.

mentarios ipsos sub hoc titulo edit: « *Commentarii in Summam* sancti Thomae Doctoris Angelici et Communis »; eidem demum Doctori suum Opusculum IV hisce verbis dicat: « Sancto Thomae Aquinati, Quinto Ecclesiae Doctori Angelico et Communi, Theologorum Principi ».[1]

Supra iam ostendimus doctissimum hominem hunc titulum historice enarrasse.

Anno deinde 1666, eruditissimus P. Vincentius Baronius O. P.: « [Thomas] hinc " Doctoris Communis " nomen assecutus est, quia viam tritam Patrum calcavit ».[2] Huncque titulum fusius explanat, quod mox infra ex ipsius referendo textu apparebit. Cuius tituli, anno 1719, meminit Echard: « [Sanctus Thomas] quem " Communem Praeceptorem " Academiae Orbis christiani universae agnoscunt, inter Patres suos veneratur Ecclesia Catholica, suaeque Fidei ac doctrinae tutissimum ac fidelissimum adhibet interpretem ».[3]

De quo rursus, anno 1734, Fr. Petrus de Monteyro suum edidit epigramma:

« Unica Dominici proles, quid docta superbis?
Nonne vides Thomam perdere posse ducem?
« Evasit " Doctor Communis " et omnibus idem
Proficuus: soli non tibi Sol micuit.
« Quae docuit Thomas Ecclesia precatur
Ut capiat: tantae haec utilitatis erant! ».[4]

Haud secus in illa editione *Summae Theologicae* quae una cum Caietani et Porretani *Commentariis*, anno 1773, Romae prodiit, eaque omnibus splendidiore, in decem volumina distributa, vocatur Thomas in epigrammate praemisso « Academiarum " Communis Magister " ».

Ad finem usque demum saeculi XVIII, theses publicae in Universitate Lovaniensi aliisque propugnatae, divo Thomae

[1] Eiusdem opera passim adeas.
[2] *Apolog.*, lib. I, sec. 1. art. 2, § 1, edit. Paris. 1666.
[3] *Scriptores*, to. I, p. 271.
[4] *Epigram.*, n. LXXXVIII.

qua « Doctori Communi » inscribebantur. Non immerito igitur, si historiae steterimus, huiusmodi titulum operi nostro praefiximus.

XII. Res iterum ab intrinsecis patebit, ubi explanationem Fr. Vincentii Baronii, supra laudati, attente legeris, quam hic tibi oculis subiicimus: « Ut doctrinae divi Thomae veritas, inquit, constet, et discipulorum illius tenacium innocentia, aperienda est causa quae nos in tuto ponit.

« Eam vero repeto a singulari discrimine quod observatum est a me mille experimentis intercedere divum Thomam inter et Theologorum reliquos, quod sanctissimo Praeceptori prima ac pene una cura fuit inquirere ac certo nosse quid Scriptura, quid sensus omnium Patrum de quaque re doceret, ut eo constituto tanquam immoto fundamento totam illi Theologiam adstrueret. Hinc " Doctoris Communis " nomen assecutus est, quia viam tritam Patrum calcavit semper, et fugit diverticula. Singularissimus quidem est Doctor, et multa recondita et superioribus saeculis ac Doctoribus occulta invenit: sed hoc " Doctoris Communis " titulo nulla ratione adversatur. Duo enim in quolibet doctore distinguenda sunt, nempe sententia et argumenta quibus propugnatur. Communissimus est Thomas sententiis, quia via regia incedit, duce verbo Dei, vestigia Patrum secutus. Singularissimus est inventione argumentorum a quibus nihil est periculi, si deficeret; plurimum est laudis, si efficacia sint. Totum imminet malum a sententiis, si a communi via aberrent, et cum suas sanctissimus Doctor communes Patribus et Ecclesiae delegerit, hoc delectu sibi suisque discipulis ab erroribus, a periculo, aut metu censurarum, immunitatem comparavit, et proprium fecit veluti suae scholae characterem ».[1]

Thomas igitur ea prima ratione « Doctor Communis » nuncupatus est, quia summa sedulitate, humilitate, perspicacia,

[1] *Apolog.* lib. I, sec. I, art. 2, § 1, edit. Paris. 1666.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

doctrinam communem Ecclesiae investigavit atque exploravit, demumque eximia fidelitate retinuit, asserens, negans, in dubio relinquens cum ipsamet Ecclesia.

Alia autem ratio occurrit cur « Doctor Communis » audivit, et est quia ipsa Ecclesia agnovit solemniter frequentiusque divum Thomam doctrinas catholicas eximia sedulitate rimatum esse, atque sine ulla imminutione aut deviatione tradidisse. Unde duplici titulo verissimum apparet dictum P. Ioannis a Sancto Thoma, doctissimi Theologi et quidem Thomistae, quod in locum epigrammatis praemisimus, scilicet: « In sancto Thoma aliquid maius ipso Thoma quaeritur et suspicitur », nempe ipsamet Ecclesiae auctoritas, quam fidelissime inquisivit, quaeque seipsam in suo Doctore recognovit.

« Cum Deus innotescat Verbo et creaturis, et Theologi sit a Verbo ad creaturas progredi, Philosophi vero ab operibus ad Deum conscendere, nonnulli inducta in Theologiam philosophica methodo, prius opera quam Dei Verbum scrutati sunt, ordine certe praepostero. Cum enim supra rationem sint quaecumque docet Fides, et a Dei arbitrio pendeant, nihil eorum potest esse compertum, nisi Verbo Dei interprete eius voluntatis, et rerum quae in divinitate lateant.

« Verum diversa methodus, sed nescio an perinde tuta, placuit aliis Theologis. Inspexere ante opera quam Verbum, et ingenio indulgentes, probaverunt quae illis videbantur naturae aut excellentiae operum convenientiora, atque his cogitationibus apud se constitutis tamquam veris, consuluerunt Scripturam, non tam ut explorarent quid ipsa vellet, quam ut ad sensus suos traherent, etiam obtorto collo, et ex illa praeiudicatam opinionem confirmarent.

« Ordine plane diverso a divo Thoma processere: ille a Scriptura ad rationes progreditur, isti e contra a ratione ad Scripturas; ille Scripturae rationem subiicit, isti Scripturam quidem non subiiciunt rationi, sed advocant in subsidium rationis; divus Thomas non sibi permittit opinionum inventionem, sed argumentorum; alii utrumque debent suae industriae: unde nihil mirum si tutiorem ac magis divinam esse dicamus doctrinam divi Thomae, quia nimirum dimidia parte minus habet sui et minus sibi fidit, nec adlaboravit ut sua inventa probaret, sed divina dogmata et sensus Patrum. Atque haec est securitatis doctrinae Magistri et nostrae fiduciae causa, quam Summi Pontifices, quam Christus ipse confirmarunt: nec vesti dominicanae, ut somniat Petrus[1] nos dicere, hanc ab haeresi immunitatem asserimus, sed affectui et studio in divum Thomam, a quo cum recesserint aliqui ex nostris, non est mirum ab ista immunitate excidisse.

« Architecti quod exstruunt aedificium ad perpendiculum metiuntur, neque quicquam semota regula moliuntur: sic plane divus Thomas, quidquid docuit et scripsit unquam ad unius Traditionis regulam exegit; nec satis illi fuit ubique Verbi divini oraculum consulere, et, ut par est ovem Christi, Pastoris vocem audire, eiusque sequi vestigia: visum est aliquid magis arduum moliri. Quid enim hoc esset Scholae Principi Angelo ab Ecclesiae et Patrum consensu recessisse nunquam? Hoc pii quique, hoc Theologi vulgares ambiunt et assequuntur. Quid ergo habet divus Thomas prae caeteris singulare? Quod omnes scientias Fidei obsequio subiecerit; quod ex Philosophia eas sententias delegerit, quae ad Fidei mysteria explicanda et propugnanda necessariae essent et convenientiores: uno verbo, sicut vitae origo et finis est a corde, quod primum omnium incipit et ultimum desinit vivere, ita divo Thomae scribenti et docenti Fides cordis instar fuit, ab una Fide et Traditione coepit, et in Fidem desiit. Theologica a Traditione et principio Fidei hausit; in opinionibus vero philosophicis deligendis inter hinc inde probabilia, unius Fidei defendendae rationem habuit: ut merito divi Thomae scripta voces Religionis Christianae armamentarium, et quaecumque tradit sint vel consectaria a Fide deducta, vel praesidia Fidei et ad illam apparatus.

[1] Petrus nempe a Valle Clausa, scilicet P. Theophilus Raynaud S. I., qui, una cum Petro de Alva O. M., sese Ordini Praedicatorum infensissimum exhibuit.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

« Quid ergo mirum est si a Fide praedicemus nunquam posse deficere eius doctrinam, neque ullius erroris accusari, neque quicquam contra illam decisum vel decidi posse? Quid mirum, si pleno ore vocemus Regulam Fidei? Quis post ista superest dubitandi locus a Christo semel et iterum dictum: " Bene scripsisti de me, Thoma; " ab Innocentio VI: " Qui eam doctrinam tenuerit, nunquam a veritatis tramite deviasse; et qui eam impugnaverit, semper de falsitate suspectum fuisse "? ».[1]

Aliis verbis, « Doctor Communis » noster hinc nonnullam subalternatam participavit atque mutuo accepit inerrantiam ab ipsa Fide et Ecclesia, eo quod strictius se fidelem utriusque sectatorem ingeniosumque interpretem exhibuit.

Quod fusius prosequitur idem perspicacissimus Theologus: « Cum summi Pontifices doctrinam divi Thomae laudant impense, et ab omni errore immunem praedicant, quo sensu convenit nos ista excipere? Non quasi dicta ab Oratoribus ad eloquentiae lenocinia, neque a Philosophis aut Theologis, quasi velint omnia ex divo Thoma certa et comperta esse. Non ea est mens Pontificum; et facile innotescit, si inspiciamus quam ipsi personam gererent, dum illa pronuntiabant. Agebant Pastores et Iudices rerum Fidei: idque statuebant, sepositis omnibus quaestionibus metaphysicis, doctrinam divi Thomae tutam esse, ubique Traditioni consentaneam, delectum opinionum eius esse convenientissimum ad mysteria explicanda. Referebant haec ad officii quo fungebantur regulas, et ad rerum Fidei defensionem: sicut quisque professorum omnia ad suae disciplinae et artis finem refert quaecumque tractat.

« Horum itaque decretorum verus et certus est sensus, divum Thomam merito Theologorum Principem censeri, quod ubique Theologum agat pro dignitate, Ecclesiae consensui et Traditioni semper adhaereat, et quas ex Philosophia habet opiniones Fidei principiis esse convenientissimas.

[1] *Apolog.*, lib. I, sect. 1, art. 2 § 1.

« Ea interpretatione evitamus vitia eorum qui nihil singulare, vel quid nimium volunt a summis Pontificibus assertum. Neque enim assentior Theophilo [Raynaud] et aliis qui, ut huiusmodi suffragia declinent, interpretantur lata, ut testentur Summi Pontifices nihil habere divum Thomam Fidei aperte adversum, neque etiam cum illis convenio qui huiusmodi Pontificum decretis putant rata, indubitata quae divus Thomas scripserit. Quid ergo ab his extremis interpretationibus asserimus diversum et quasi medium? Nempe summos Pontifices eo sensu locutos quo conveniebat supremos arbitros: ut nihil dixerit sanctus Doctor quod a Fidei principiis necessaria aut probabili consecutione non esset deductum, atque eo etiam referretur et conduceret ad Fidei mysteria pios docendo, et propugnando adversus impios...

« Sed, inquies, haeresis est Fidei regulam privatum doctorem vocare, qualem esse divum Thomam non negamus. Verum si quae subsit illi voci haeresis, eius reum dicimus esse Pium V, qui hoc elogio divum Thomam ornavit, idque Decreto pontificio, ne causetur Theophilus privati Doctoris sensum esse... [Sed] haec nomina: " Fundamentum, Regula Fidei... " neque prorsus quid idem, seu synonymum et univocum, neque omnino diversum, sed analogia quadam commune multis: ita tamen ut Scripturae et Concilio altiori ratione conveniat notio " Regulae " quam divo Thomae asseramus, sicut de " Fundamenti " vocabulo ad Christum et ad Apostolos... Divo Thomae non asserimus titulum infallibilis regulae, quasi nulli rei nequeas regulae nomen conferre, nisi asseras infallibilitatem. Quid enim fiet clepshydris et horologiis, quibus metimur horarum moras ut regulae primae, id est motui coelorum inferioribus? Hoc damnabis erroris contra Philosophiam, sicut haeresis contra Fidem, si quis dixerit virum sanctum esse regulam vitae christianae, quo nihil in scriptis Patrum et in ore omnium frequentius? ».[1]

[1] *Apol.*, lib. I, sect. 1, art. 2, § 1.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

Si quid praedictis de Thomae inerrantia brevius enucleatiusque addere liceat, iubemus distinguendum esse inter materiam et formam, seu doctrinas inter et modum tradendi.

Doctrinae autem aliae ad Philosophiam aut Theologiam pertinent, aliae vero ab Historia aut Hermeneutica acceptae sunt.

Doctrinas sancti Thomae ad Philosophiam aut Theologiam spectantes, quatenus ab ipso summa cura summoque ingenio plenius rectiusque investigatas et explanatas, approbavit ut suas Ecclesia; doctrinas, easdemque paucas, autem ab Historia vel ab Hermeneutica acceptas, dimisit, sicut et suis auctoribus dimisit Thomas, ubi nihil praedictis contradicerent.

De forma vero id tantum statuit Ecclesia, sive usu, sive hortamentis, nempe formam syllogisticam id eximii meriti praeseferre quod iuvenum ingenia eximie exerceat atque robustiora efficiat. Quod iamdiu notavit Bossuet: « Ce qu'il y a à considérer dans les Scolastiques, ou dans saint Thomas, est ou le fond ou la méthode. Le fond qui sont les Décrets, les dogmes et les maximes constantes de l'Ecole, n'est autre chose que le pur esprit de la tradition et des Pères; la méthode qui consiste dans cette manière contentieuse et dialectique de traiter les questions aura son utilité, pourvu qu'on la donne non comme le but de la science, mais comme un moyen pour y avancer ceux qui commencent: ce qui est aussi le dessein de saint Thomas, dès le commencement de la *Somme*, et qui doit être celui de ceux qui suivent sa méthode. On voit aussi par expérience que ceux qui n'ont pas commencé par là, et qui ont mis tout leur fort dans la critique, sont sujets à s'égarer beaucoup, lorsqu'ils se jettent sur les matières théologiques. Erasme dans le siècle passé, Grotius et M. Simon [Richard] dans le nôtre en sont un grand exemple ».[1]

Quibus exemplis alia addi possent, hisce nostris praesertim diebus.

[1] *Défense de la Tradition et des Pères*, ch. XX.

Ex praedictis habes curnam et qua ratione Thomam Aquinatem veteres dixerint quasi antonomastice, et nos post ipsos dicimus eum « Doctorem Communem »: quo titulo nullum gloriosiorem Doctori homini dari posse censemus.

Ex infra referendis documentis patebit eodem titulo reapse donandum esse Aquinatem in perpetuum. Ista autem sunt quae sequuntur:

1° Testimonia Summorum Pontificum;
2° Testimonia Conciliorum Generalium;
3° Testimonia Episcoporum simul opinantium;
4° Testimonia Ordinum Religiosorum;
5° Testimonia Universitatum;
6° Testimonia virorum illustrium.

Quorum tres priores series referunt Ecclesiae ipsius sententiam ab ipsa prolatam, primumque Volumen nostrum constituunt; tres vero posteriores particularium sententiam Coetuum et Doctorum alio aliove modo ab Ecclesia comprobatam atque Volumen nostrum alterum complent.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

LIBER PRIMUS

TESTIMONIA ECCLESIAE

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

LIBER PRIMUS.

TESTIMONIA ECCLESIAE

PARS PRIMA.

TESTIMONIA PONTIFICUM

1. Quum ab initiis Ordo Praedicatorum studio sacro enixe incubuerit, sibique maximas laudes exinde a Pontificibus demeruerit, hinc nonnulla sunt encomia recitanda, quae Pontifices Ordini, ante etiam Thomae aetatem, detulerunt, quo plenius rectiusque intelligatur undenam Thomas doctrinam suam ebiberit, ingeniumque suum acuerit, etsi postmodum ipse doctrinam illam ad tantae perfectionis fastigium unus extulerit.

Sanctus ergo patriarcha Dominicus, qui prius « Doctor magnus evaserat »[1] in Universitate Palentina, se coram pontifice Innocentio III sistit, licentiam expetens instituendi, non obstantibus prohibitionibus nonnullis, novum in Ecclesia Ordinem, cuius finis specificus et formalis, praesupposito fine ultimo, nempe gloriae divinae et sanctificationis asseclarum, esset salus animarum, medium autem essentiale propagatio ac defensio veritatis sacrae, per praedicationem tum in pulpitis sacris tum in cathedris habendam; medium demum subsidiarium, etsi necessarium, studium sacrum: siquidem ignorantes propagare nequeunt nisi ignorantias suas, quod est pessimum malum.

2. Annuit Innocentius. Etenim, « celebrato Lateranensi Concilio, anno Domini 1216, cui interfuit ipse Dominicus, Summus Pontifex ordinans quaedam circa negotium fidei in partibus Tolosanis agenda, et decernens

[1] Ita Dantes, *Parad.*, XII, 85.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

super iis scribere beato Dominico et iis qui cum eo erant, accito notario, dixit ei: "Sede et scribe super iis: Fratri Dominico et sociis suis, in haec verba;" et stans paululum: "Noli scribere, inquit, sic, sed hoc modo: Fratri Dominico et cum eo praedicantibus in partibus Tolosanis;" statimque aliquandiu considerans plus: "Sic, inquit, scribe: Magistro Dominico et Fratribus praedicatoribus." Et surrexit. Sic dixit Dominus, scripsit notarius.

« Nutu Dei praesens tunc Romae aderat Pater sanctus, qui, audito verbo Domini totius mundi, Vicarii Iesu Christi, gavisus est gaudio magno valde: nam deinceps in Curia et ubique ipse et filii eius coeperunt se Fratres Praedicatores vocare, coeperuntque in Curia et ubique ab omnibus sic vocari ».[1]

3. Quae « magistri » denominatio non titulum modo significat, quod nempe Dominicus lauream adeptus esset, sed et officium, docendi scilicet et praedicandi, seu doctrinam sacram tradendi. Sic Deus Dominici « meritis et doctrinis illuminare dignatus est Ecclesiam suam »,[2] non solum quia, vocante Deo, Dominicus ipse praedicavit et docuit, eximio quidem profectu, sed etiam quia doctorum et praedicatorum Ordinem instituit, qui « primo habuit studium cum religione », unde reputatus est « praeeminens quodammodo ».[3] Ita sancivit et quasi ad perfectionem adduxit gloriosissimus Pontifex ea quae prius innuerat, Dominicum sociosque « baiulos Dominici verbi » atque « praedicatores fideles »[4] appellans, eosque sub Sanctae Sedis, seu « beati Petri protectione » suscipiens.[5]

[1] Fr. STEPHANUS DE SALANHAC, in *Tractatu de glorioso nomine Praedicatorum*, cap. I.

[2] Oratio in Missa sancti Dominici.

[3] HUMBERTUS DE ROMANIS, *Opera de vita regulari*, vol. II, p. 67, edit. BERTHIER.

[4] Die 28 iunii 1210. Vide *Bullar. O. P.*, to. VII, p. 1, Const. *Habuisse baiulos*.

[5] Die 8 oct. 1215. *Bullar. O. P.*, to. I, p. 1, Const. *Iustis petentium*. Hic notatum volo *Bullarium O. P.*, confectum fuisse maxima ex parte documentis authenticis seu originalibus tunc in Archivio Ordinis asservatis, ut notat Bremondius saepe saepius in titulo ipso singuli documenti, hodie autem in Archivium Vaticanum translatis.

Quae si ex aliis fontibus habentur, undenam accepta fuerint sedulo notabitur. Utraque cum Regestis Pontificiis contulit solertissimus P. Ligiez, quoad antiquiorem epocham, et vix ullam invenit alicuius momenti lectionem variantem. Hinc summa fides textui nostro adhibenda est, neque alios fontes praeter ipsum *Bullarium* notabimus, nisi secus agendi occurrat peculiaris aliqua ratio. Cuique caeterum adire licet POTTHAST, quoad Chronologiae antiquioris rem, atque collationem instituere, quam et nos instituimus.

4. Haud secus, immo clarius, idem protestatus est Honorius III. Cuius mentem penitius perspicies, ubi in memoriam revocaveris eum in votis habuisse ut « ab ecclesiarum Praelatis et Capitulis ad Theologiae professionis studium aliqui docibiles destinentur, qui cum docti fuerint, in Ecclesia Dei velut splendor fulgeant firmamenti, ex quibus postmodum copia possit haberi doctorum »,[1] qui erunt « quasi ordo praecipuus in Ecclesia » iuxta Gregorii IX dictum.[2] Hinc, die 22 decembris, anno 1216, enixe commendavit, laudavit, approbavit novum istum Ordinem, cuius finis ille idem prorsus erat quem ipse intentum habuerat. Hinc laudibus omnimodis ipsum cumulavit: « Nos attendentes Fratres Ordinis tui futuros pugiles fidei et vera mundi lumina »,[3] multaque alia huiusmodi encomia per totum pontificatus officium superaddidit.[4]

5. Ita rursus Gregorius IX, qui frequentius intensiusque Ordinem commendavit propter doctrinam: unde, v. gr., ad Senonensem Archiepiscopum suffraganeosque mandat in epistola data die 4 februarii 1234: « Fratribus Praedicatoribus habentibus zelum Dei et in opere potentibus, apostolica scripta direximus... Caeterum quod dicti Fratres sunt ad confutandos haereticos aptiores, quo magis in eis vivificat vita doctrinam, et doctrina vitam informat, dum hoc in eorum moribus legitur, quod sermonibus explicatur, negotio fidei credimus utile ut eos ad extirpandos errores perversorum dogmatum, sicut expedire videritis, advocetis ».[5]

Et alia huiusmodi multa tibi passim prostant documenta.[6] Quibus adde eundem Pontificem id iussisse, die 5 septembris 1234, doctoribus et scholaribus Parisiis commorantibus, ut omnes in iudiciis atque scholis uterentur epitome Decretalium concinnata a doctissimo Fratre Raymundo de Penaforte O. P., unde iste Iuristarum quasi dux et postmodum patronus agnitus est.[7]

6. Defuncto Coelestino IV, qui nonnisi septemdecim dies pontificatum tenuit nihilque ad Ordinem mandasse videtur, Innocentius IV lau-

[1] *De Magistro*, cap. *Super specula*, edit. E. FRIEDBERG, V, 5, col. 770.

[2] *De Haereticis*, cap. *Sicut*, edit. E. FRIEDBERG, V, 7, col 790.

[3] *Bullar. O. P.*, to. I, p. 4, Const. *Nos attendentes*.

[4] Ibidem, to. VIII, p. 4 sqq., nn. I-XIII.

[5] Ibidem, to. I, p. 66, Const. *Olim intellecto*.

[6] Ibidem, to. VIII, p. 5 sqq., nn. XIV-XXXVIII. Nec omittas epistolam consolatoriam et encomiasticam quam, Sede vacante, sacrum Collegium Cardinalium Ordini direxit de morte Fratrum propter fidei causam Avignoneti occisorum; quam legesis ibidem, to. I, p. 117, cuius initium est *Nostis, Fratres*.

[7] Ibidem, to. I, p. 69, Const. *Rex pacificus*. Vide PP. BALME et PABAN, *Raymundiana*, fasc. II, 1901, p. 23.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

dum et hortationum seriem prosecutus est. Praeter plurima quippe Praedicatorum encomia de zelo et doctrina fidei,[1] haec invenitur speciatim de scientia in scholis tradenda scripsisse, die 9 iunii 1246, laudans Archiepiscopum Rhemensem quod coenobium Praedicatorum transferendum curet, quo commodius Canonici lectiones eorum audire possint. « Cum locum Fratrum Ordinis Praedicatorum Rhemensium transferre cupias, ut iidem Fratres maioris ecclesiae Canonicis viciniores effecti, accedere valeant commodius ad eanden, et ibidem Lector Fratrum ipsorum accedentibus ad percipienda theologicarum doctrinarum fluenta, scientiam disseminet salutarem... ».[2]

7. Ex historia rursus et testimonio Alexandri pp. IV constat Innocentium sub patrocinio suo accepisse Fratres qui in Parisiensi Universitate doctrinam sacram laudabili zelo et profectu tradebant.[3] Ita enim Alexander in suis litteris ad Parisienses datis, anno 1255, die 14 aprilis: « Quia dilecti filii Bonushomo et Elias [Bruneti], Praedicatorum Ordinis Fratres, scholas regentes Parisiis in Theologica Facultate, ex certis causis, se ordinationibus et obligationibus huiusmodi subiicere noluerunt, ad Sedem Apostolicam appellando, eos beneficio societatis in magistralibus privavistis, ipsosque privatos publice nuntiantes, iniunxistis districte ut scholares lectiones eorum non audirent, ne ipsorum auditores a poena quam Universitas infligere talibus consuevit, se possent per ignorantiam excusare. Demum, cum iidem Fratres super hoc ad dictae Sedis praesidium confugissent, fel. rec. Innocentius [IV] papa, praedecessor noster, audito quod inter vos et cives... discordia... fuerat iam sopita, volens de medio vestrum submovere materiam controversiarum et pacifice reformare mutuae charitatis affectum, ipsos Fratres ad vestrum collegium et consortium restituit de gratia speciali, prohibitionem seu mandatum factum scholaribus et auditoribus eorundem penitus revocando, ac dando vobis suis litteris in mandatis ut praedictos Fratres sine difficultate seu dilatione resumentes ad statum pristinum et ad collegium magistrorum ac Universitatis consortium admittentes, eos occasione praemissorum nullatenus vexaretis, venerabilibus Fratribus nostris Sylvanectensi et Ebroicensi Episcopis super hoc mandati apostolici exsecutoribus deputatis. At licet ad vos mandatum restitutionis et revocationis huiusmodi pervenisse dicatur, ipsi tamen Fratres usque nunc adipisci efficax suae restitutionis commodum, vobis quaedam obiicientibus, nequiverunt... ».[4]

[1] *Bullar. O. P.*, to. VIII, p. 8 sqq., nn. XL-LXI.
[2] Ibidem, to. I, p. 165, Const. *Cum locum*.
[3] De quibus lege ECHARD, *Scriptores O. P.*, to. I, p. 139.
[4] *Bullar. O. P.*, to. I, p. 276, Const. *Quasi lignum*.

Quae Innocentii litterae iamdiu periisse dicuntur. Discimus tamen a Bulaeo historico easdem datas fuisse die 1 iulii, anno 1254.[1]

Hisce igitur praemissis, ad ipsamet encomia a Pontificibus ipsi divo Thomae directe vel indirecte tributa, eademque a nobis referenda devenimus.

I.

ALEXANDER IV.

1254-1261.

8. Norunt omnes qua tenacitate nonnulli, duce Guillelmo a Sancto Amore, conati sint amovere Fratres Mendicantes a cathedris theologicis in Universitate Parisiensi occupandis, proindeque in omnibus consequenter Academiis.[2]

Fratres vero tum a summo pontifice Alexandro IV, viro utique perspicacioris ingenii, invictae constantiae, summaeque in bonos benevolentiae, tum a Ludovico Francorum rege, cui nullum in hac re sicut et in multis aliis par elogium, protecti ac promoti, iuri suo tandem steterunt.

Non enim solum id adepti sunt ut Fratres Bonushomo et Elias in universitatem praedictam rursus admitterentur, ita sub poenis ecclesiasticis iubente Summo Pontifice, sed etiam ut alii Fratres acceptarentur, quod iterum iussit idem Pontifex urgentissimo diplomate ad Reginaldum Mignon de Corbeil, Episcopum Parisiensem directo, quo isti committebat ut magistros et scholares parisienses molestiam Fratribus inferentes excommunicatione puniret. En caeterum pontificium Breve idemque integrum, datum die 3 martii, anno 1256.

9. « Alexander episcopus, servus servorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Parisiensi, salutem et apostolicam benedictionem.

[1] *Hist. Univ. Paris.*, to III, p. 254. Cf. *Bullar. O. P.*, to. I, p. 278, nota 14. De praedictis turbationibus atque inimicitiis vide omnino doctissimum P. DENIFLE, O. P., *Chartularium Univ. Paris.*, to. I, passim. A quo auctore referendo saepius abstinemus, quod lector studiosus eundem prae manibus de hisce habere perpetuo debet.

[2] *Bullar. O. P.*, to I, p. 280, Const. *Controversiam*. Quod Breve emanatum est die 14 aprilis an. 1255.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

« De quibusdam magistris et scholaribus ac auditoribus parisiensibus evidenter agnoscitur quod ipsi non pacifici, sed auctores scandali; non Dei, sed Sathanae vocari filii delectantur, charitatis ordinem adeo pervertentes, quod non solum a se ipsis, sed etiam ab aliis excludunt damnabiliter pietatis studium, et desiderabilem nobis super omnia salutem impediunt animarum. Sane pervenit ad notitiam nostram quod praedicti magistri, scholares et auditores nequiter impedire praesumunt ne aliqui dilectis filiis Priori et Fratribus Ordinis Praedicatorum Parisiensium eleemosynas largiantur, vel ab eis, aut in domo ipsorum sermones seu lectiones, sive disputationes audiant, vel confiteantur ipsis peccata propria, etiamsi a te loci Dioecesano, vel a proprio sacerdote, super hoc habeant facultatem.

« Praeterea dicti magistri scholares Fratrum ipsorum et Fratres eosdem suas intrare scholas, lectionis et disputationis tempore, non permittunt. Unde sequitur quod in mentibus devotorum ac Deum timentium, et potissime laicorum, grave scandalum generatur.

« Nobis exinde materia vehementis admirationis producitur et stuporis, praesertim cum praedicti magistri et scholares ac auditores deberent in virtutum Domino consequi affluentiam gaudiorum quod iidem Fratres, viri utique sanctae conversationis et vitae, per quorum ministerium salus potissime proficit animarum, tam laudabiliter in Theologica proficiunt Facultate, quod et digni magisteriali reputantur honore, et quasi ubique terrarum habentur in conspectu Dei et hominum gratiosi. Nec mirum, quia ipsorum sub extrema paupertate viventium pia semper ad hoc desudat intentio, quod perpetui vigoris augmentum Religio Christiana suscipiat, et eorum doctrinis sancta Dei Ecclesia iugiter illustretur. Ex huiusmodi quidem meritorum claritate procedit quod nos tam enormem et atrocem Fratrum ipsorum pati molestiam nequeuntes, immo nullatenus sustinere volentes, illius temeritatis vitium, quod vergit in periculum animarum, Fraternitati tuae per apostolica scripta districte praecipiendo mandamus quatenus in omnes qui statuti, vel ordinationis, aut cuiuscumque alterius causae praetextu, impediunt, vel de caetero impedire praesumpserint, ne praedictis Fratribus presbyteris fiat a volentibus libera confessio peccatorum, si nostra, seu Legati Sedis Apostolicae, aut tua, vel proprii sacerdotis, super hoc habeatur auctoritas; aut ne sermones et lectiones ac disputationes audiantur eorum, vel quod scholares magistrorum ipsorum Fratrum, et iidem Fratres, lectionis et disputationis tempore, in scholis aliorum minime admittantur, monitione praemissa, excommunicationis sententiam non differas promulgare, quam postmodum solemniter publices ac publicare facias, et, usque ad satisfactionem condignam, inviolabiliter ab omnibus observari, non obstante quacumque indulgentia, per quam

praecepti nostri exsecutio in hac parte impediri valeat, vel differri. Nos etiam nihilominus irritum decernimus et inane, si a magistris et scholaribus ac auditoribus memoratis contra mandati nostri tenorem, super his aliquid fuerit attentatum.

« Datum Laterani, V nonas martii, Pontificatus nostri anno secundo ».[1]

10. Porro Fratrem Thomam computandum imprimis esse inter illos qui erant « viri utique sanctae conversationis », et « tam laudabiliter in Theologica proficiunt Facultate, quod et digni magisteriali reputantur honore », tria in comperto ponunt.

Primum est quod Frater Thomas per duos annos proxime anteactos Parisiis, fama summa ab initio sibi parta, legerat seu docuerat.

Secundum quod die 11 martii, nimirum infra octo dies a praecedenti diplomate emisso, idem Pontifex gratias refert Cancellario Universitatis, propter licentiam Fratri Thomae concessam habendi « Principium regiminis », ut nempe in Facultate Theologica doceat demum qua magister, et concessa fuerit, ait Pontifex, « priusquam illuc nostrae litterae pervenirent, quas tibi super hoc specialiter mittebamus ».[2] Quae litterae ad Cancellarium directae de eodem sane argumento erant quo epistola ad Episcopum.

Tertium quod Pontifex, Viterbii versatus, anno 1256, die 15 octobris, id exegit ab Othone Duacensi et Christiano canonico Belvacensi, coram se ipso mandatis et constitutis, « quod Fratres Praedicatores et Minores, et specialiter ac nominatim Fratres Thomam de Aquino de Ordine Praedicatorum, et Bonaventuram de Ordine Minorum, doctores Theologiae... ad Universitatem reciperent ».[3]

11. Hic caeterum referimus litteras quibus Pontifex Cancellario gratulatus est propter licentiam Fratri Thomae sponte concessam:

« Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Cancellario Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem.

« Delectabile nobis est auditu percipere quod te in his promptum reddis et vigilem [ad ea] quae pietatem continent, vel sapiunt honestatem, prout patenter cognoscitur [ex eo] quod dilecto filio Fratri Thomae

[1] Die scilicet 3 martii, an. 1256. Vide *Bullar. O. P.*, to. I, p. 296, Const. *De quibusdam*. Cf. ECHARD, *Scriptores O. P.*, I, 279.

[2] Quae litterae ad nos usque non pervenerunt. Patet tamen easdem missas fuisse die 3 martii, una cum litteris ad Episcopum Parisiensem poenas Universitati minitantibus, nisi cederetur, et quidem ab ipso Episcopo intimandas.

[3] *Bullar. O. P.*, to. I, p. 352, Const. *Cum olim*.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

de Aquino Ordinis Praedicatorum, viro utique nobilitate generis et morum honestate conspicuo, ac thesaurum litteralis scientiae per Dei gratiam assecuto, dedisti licentiam in Theologica Facultate docendi priusquam illuc nostrae litterae pervenirent, quas tibi super hoc specialiter mittebamus. Quia vero condecens est ut huiusmodi negotium a te laudabiliter inchoatum, festinum habeat exitum et felicem, devotionem tuam attente rogandam duximus, et monendam per apostolica tibi scripta, mandantes quatenus eundem Fratrem in praedicta Facultate cito facias Regiminis habere Principium, et dilectos filios Priorem et Conventum Parisienses eiusdem Ordinis habeas pro divina et nostra reverentia commendatos, eosque favoris opportuni praesidio prosequaris: maxime cum ipsi pro turbatione Studii per quosdam iniquitatis filios nequiter procurata, in multa vexatione hactenus exstiterint et exsistant, Parisiensi Ecclesia de ipsorum laboribus, sicut nosti, utilitatem non modicam consequente.

« Preces autem et mandatum nostrum sic adimpleat tua sinceritas, quod nos, qui laetitiam de praedictorum Fratrum prosperitate concipimus, de tua benevolentia gratiosa circa ipsos exhibita speciales tibi gratias referamus.

« Datum Laterani, V idus martii, pontificatus nostri anno secundo ».[1]

[1] Die nempe 11 martii, an. 1256. Vide *Bullar. O. P.*, to. I., p. 298. Const. *Delectabile nobis.*

Nullus est qui ignoret Fratrem Thomam sibi visum esse indignum qui magisterii honore donaretur: consensum tamen praebuisse ex obedientia, famosamque Principii sui orationem habuisse, cuius thema: « Rigans montes... » notum remanserat, textus vero in oblivionem missus. Quem tamen recentius professor D. SALVATORE invenit feliciter in Bibliotheca Nationali Florentina, cod. G. 4.936, atque publici iuris fecit Romae 1912 opusculo *Due sermoni inediti di san Tommaso*, p. 11-16. Legatur perspicua de sermonis authentia discussio: de qua caeterum authentia dubium movere nullus potest. Hic subicimus ipsam orationem, praemissa Guillelmi de Tocco narratione affini, unde habes quid de magistri dignitate et officio sentiret Thomas, qualisque tenoris fuerit illa oratio toties ab antiquis et hodiernis laudata.

Ita Fr. Guillelmus de Tocco:

« Post decursum studii fructuose completum, cum tempus instaret quo Bacellarii Theologiae erant Parisiensi Cancellario praesentandi, non servato ordine secundum anticipationem temporis consueti, mandavit praedictus Cancellarius [iussus ab Alexandro IV] Priori Parisiensi Ordinis Fratrum Praedicatorum, ut ex parte sua mandaret praedicto Fr. Thomae, ut ad recipiendum magisterium in Theologia, non obstante consuetudine qua erant sibi alii praeferendi, sine contradictione aliqua se pararet. Qui humiliter se excusans propter defectum scientiae et aetatis, obtinere quod excusaretur non potuit propter praeceptum obedientiae quod coëgit. Qui humiliter suscipiens onus impositum, ad locum orationis se contulit: in quo prostratus cum lacrimis oravit Deum ut ad suscipiendum et exsequendum magisterium scientiam et gratiam dignaretur sibi infundere, quem di-

12. De quo diplomate, ait Echard, tria veniunt adnotanda: « Primo quanta cum gloria Aquinas *Sententias*, duobus annis praecedentibus, legeret, qui thesaurum litteralis scientiae assecutus dicitur.

gnatus adhuc fuerat indignum multis gratiis praevenire. Et incipiens *Psalmum*
XI, 2: " Salvum me fac Deus, quoniam diminutae sunt veritates a filiis homi-
num " diu orans cum lacrimis obdormivit; et ecce ad eum nuntius coelitus missus
est Frater quidam eiusdem Ordinis antiquus, admodum reverendus, et dixit ei:
" Fr. Thoma, quid Deum oras cum lacrimis? " Respondit: " Quia impositum
est mihi onus magisterii, ad quod scientia mea non sufficit: et quod proponam
pro meo Principio non occurit. " Cui senex dixit: " Ecce exauditus es, suscipe
onus magisterii, quia Deus tecum est. Pro tuo autem Principio nihil aliud pro-
proponas, nisi hoc: *Rigans montes de superioribus suis: de fructu operum tuorum*
satiabitur terra. " Quo dicto Frater Thomas evigilans, Domino gratias reddidit,
qui eum velociter exaudivit. Quod verbum non solum thema fuit Principii, sed
totius sui sufficientiam studii indicavit; quia ex his, quae de montibus divinae
speculationis accepit, totam Ecclesiam, quasi agrum divini seminis complutum
sapientiae pluviis, satiavit ». *Acta Ss.*, die 7 martii, to. I, p. 614, edit. vet.

En igitur Sermonem ipsum, hucusque desideratum, quem, ut videtur, habuit Thomas die 23 octobris an. 1257. Cf. ECHARD, *Scriptores O. P.*, I, p. 255.

SERMO FRATRIS THOMAE.

« *Rigans montes de superioribus suis: de fructu operum tuorum satiabitur terra. Psal.*, CIII, 13.

« Rex coelorum et Dominus hanc legem ab aeterno instituit, ut providentiae
suae dona ad infima per media pervenirent. Unde Dionysius quinto capitulo *Eccle-*
siasticae Hierarchiae dicit: " Lex Divinitatis sacratissima est, ut per prima media
adducantur ad sui divinissimam lucem. " Quae quidem lex non solum in spiri-
tualibus, sed etiam in corporalibus invenitur. Unde Augustinus, *De Trinitate:*
" Quemadmodum igitur crassiora et infirmiora per corpora subtiliora et poten-
tiora quodam ordine reguntur, ita omnia corpora per spiritum vitae rationalem. "
Et ideo psalmo praedictam legem in communicatione spiritualis sapientiae observa-
tam sub metaphora corporalium rerum proposuit Dominus: " Rigans montes etc. "
Videmus autem ad sensum a superioribus nubium imbres effluere, quibus montes
rigati et flumina de se emittunt, quibus terra satiata fecundatur. Similiter de su-
pernis divinae sapientiae rigantur mentes doctorum qui per montes significantur,
quorum ministerio lumen divinae sapientiae usque ad mentes audientium deri-
vatur. Sic igitur in verbo proposito quattuor possumus considerare, scilicet: spi-
ritualis doctrinae altitudinem, doctorum eius dignitatem, auditorum conditionem,
et communicandi ordinem.

« Altitudo ista ostenditur in hoc quod dicit: " De superioribus suis. " *Glossa*:
" De altioribus arcanis. " Habet enim sacra doctrina altitudinem ex tribus. Primo,
ex origine: haec enim est sapientia quae desursum esse describitur. *Iac.*, III, 15:
" Sapientiam de sursum descendens: " et *Eccli.*, I, 5: " Fons sapientiae ver-
bum Dei in excelsis. " Secundo ex subtilitate materiae. *Eccli.*, XXIV, 7: " Ego in
altissimis habitavi. " Sunt enim quaedam alta divinae sapientiae, ad quae omnes
perveniunt, etsi imperfecte, quia " cognitio exsistendi Deum naturaliter omnibus
est inserta " ut dicit Damascenus, et quantum ad hoc dicitur, *Iob*, XXXVI, 25:
" Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul. " Quaedam vero

« Secundo, nec quidquam reclamante Guillelmo de Sancto Amore, cum suis sequacibus, nec exspectato mandato apostolico, ipsi licentiam iam nimium, per annum scilicet solidum, retardatam, Cancellarium Ecclesiae Parisiensis, Haimericum dictum, concessisse.

sunt altiora, ad quae sola sapientum ingenia pervenerunt, rationis tantum ductu, de quibus *Rom.* I, 19: " Quod enim notum est Dei, manifestum est in illis. " Quaedam autem sunt altissima quae omnem humanam rationem transcendunt; et quantum ad hoc dicitur, *Iob*, XXXVIII, 20: " Abscondita est sapientia ab oculis omnium viventium; " et in *Psal.* XVII, 12: " Posuit tenebras latibulum suum. " Sed hoc per Spiritum Sanctum qui " scrutatur etiam profunda Dei " I *Cor.*, II, 10, sacri doctores edocti tradiderunt in textu Sacrae Scripturae; et ista sunt altissima, in quibus haec Sapientia dicitur habitare. Tertio, ex finis sublimitate: finem enim habet altissimum, scilicet vitam aeternam, *Ioann.*, XX, 31: " Haec autem scripta sunt, ut credatis quia Iesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius. " *Col.*, III, 1, 2: " Quae sursum sunt quaerite ubi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram. "

« [Secundo, doctorum dignitatem]. Ratione enim altitudinis huius doctrinae et in doctoribus eius requiritur altitudo; unde per montes significantur, cum dicitur: " Rigans montes. " Et hoc propter tria, scilicet: propter montium altitudinem: sunt enim a terra elevati et coelo vicini. Sic enim sacri doctores terrena contemnendo solis coelestibus inhiant. *Philipp.*, III, 20: " Nostra autem conversatio in coelis est, " unde de ipso Doctore doctorum, scilicet Christo, dicitur, *Is.*, II, 2: " Elevabitur super colles et fluent ad eum omnes gentes. " Secundo, propter splendorem. Primo enim radiis illustrantur. Et similiter sacri doctores mentium splendorem primo recipiunt: sicut montes enim doctores primitus radiis divinae sapientiae illuminantur. *Psal.*, LXXV, 5: " Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis, turbati sunt omnes insipientes corde, " idest a doctoribus qui sunt in participatione aeternitatis. *Philipp.*, II, 15: " Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. " Tertio propter montium munitionem, quia per montes terra ab hostibus defenditur. Ita et doctores Ecclesiae in defensionem fidei debent esse contra errores. Filii Israel non in lancea nec in sagitta confidunt, sed montes defendunt illos; et ideo quibusdam improperatur, *Ezech.*, XIII, 5: " Non adscendistis ex adverso neque opposuistis murum pro domo Israël, ut staretis in praelio in die Domini. " Omnes igitur doctores Sacrae Scripturae esse debent alti per vitae eminentiam, ut sint idonei ad efficaciter praedicandum, quia, ut dicit Gregorius in *Pastorali*: " Cuius vita despicitur, necesse est ut eius praedicatio contemnatur. " *Eccle.*, XII, 11: " Verba sapientum quasi stimuli et quasi clavi in altum defixi. " Non enim cor stimulari potest aut configi in timore Dei, nisi in vitae altitudine defigatur. Debent esse illuminati, ut idonee doceant legendo. *Ephes.*, III, 8, 9: " Mihi autem omnium sanctorum minimo data est gratia haec, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo; " muniti, ut errores confutent disputando. *Luc.*, XXI, 15: " Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. " Et de his tribus officiis, scilicet praedicandi, legendi et disputand dicitur *Tit.*, I, 9: " Ut sit potens exhortari " quantum ad praedicationem;

« Tertio tamen, ut magister agnosceretur et esset, ipsi necessario habendum Principium. Hoc vero Principium solemne habebatur in aula episcopali, adstante sacrae Theologiae magistrorum omnium conventu,

" in doctrina sana " quantum ad lectionem, " et contradicentes revincere " quantum ad disputationem.

« Tertio, auditorum conditionem, quae sub terrae similitudine figuratur. Unde dicit: " Satiabitur terra. " Et hoc quia terra infima est. *Prov.*, XXV, 3: " Coelum sursum et terra deorsum. " Item stabilis et firma. *Eccl.*, I, 4: " Terra autem in aeternum stat. " Item fecunda. *Genes.*, I, 11: " Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum. " Similiter debent ad similitudinem terrae esse infimi per humilitatem. *Prov.*, XI, 2: " Ubi humilitas, ibi sapientia. " Item firmi per sensus rectitudinem. *Ephes.*, IV, 14: " Ut non sitis parvuli sensibus. " Item fecundi, ut percepta sapientiae verba in eis fructificent. *Luc.*, VIII, 15: " Quod autem cecidit in terram bonam hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia. " Humilitas ergo in eis requiritur quantum ad disciplinam quae est per auditum. *Eccli.*, VI, 34: " Si inclinaveris aurem tuam excipies doctrinam, et si dilexeris audire, sapiens eris. " Rectitudo autem sensus, quantum ad iudicium auditorum. *Iob.*, XII, 11: " Nonne auris verba diiudicat? " Sed fecunditas quantum ad inventionem, per quam ex paucis auditis multa bonus auditor annuntiet. *Prov.*, IX, 9: " Da occasionem sapienti, et addetur ei sapientia. "

« [Quarto] Ordo autem generationis tangitur hic quantum ad tria; scilicet quantum ad communicandi ordinem, et quantum ad quantitatem et qualitatem doni accepti: quia non totum quod in divina sapientia continetur mentes doctorum capere possunt. Unde non dicit: superiora montibus influens, sed: " de superioribus rigans. " *Iob.*, XXVI, 14: " Ecce haec ex parte dicta sunt viarum eius: et cum vix parvam stillam sermonis audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? " Similiter etiam nec totum quod doctores capiunt, auditoribus effundunt. II, *Cor.*, XII, 4: " Audivit arcana verba quae non licet homini loqui. ". Unde non dicit: fructum montium terrae tradens, sed: " de fructu terram satians " et hoc est quod dicit Gregorius in XVII *Moralium* exponens illud *Iob*, XXVI, 8: " Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum. " Praedicare non debet rudibus doctor quanta cognoscit, quia et ipse de divinis mysteriis cognoscere non valet quanta sunt. Secundo tangitur ordo quantum ad modum habendi: quia sapientiam Deus habet per naturam. Unde " superiora sua " esse dicuntur illi, scilicet naturalia. *Iob*, XII, 13: " Apud ipsum scientia et fortitudo: ipse habet consilium et intelligentiam. " Sed doctores scientiam participant ad copiam. Unde de superioribus rigari dicuntur. *Eccli.*, XXIV 42: " Rigabo hortum plantationum, et inebriabo prati mei fructum. " Sed auditores eam participant ad sufficientiam, et hoc significat terrae satietas. *Psal.*, XVI, 15: " Satiabor cum apparuerit gloria tua. " Tertio, quantum ad virtutem communicandi, quia Deus propria virtute sapientiam communicat. Unde per se ipsum montes rigare dicitur. Sed doctores sapientiam non communicant; nisi per ministerium. Unde fructus montium non ipsis, sed divinis operibus tribuitur: " de fructu " inquit, " operum tuorum. " I *Cor.*, III, 4, 5: " Quid igitur est Paulus? " et infra: " Ministri eius cui credidistis. " Sed " ad haec quis tam

quod etiamnum observatur ».[1] Adverte demum Fratrem Thomam, qui a Pontifice laudatur tanquam « morum honestate conspicuus ac thesaurum litteralis scientiae consecutus », vix eo tempore egisse trigesimum aetatis annum. Quod sedulo notandum est, quum exinde pateat Thomam nonnisi ex aliqua dispensatione, eademque pontificia, promoveri ad magisterium tunc potuisse, siquidem legatus apostolicus, Robertus de Courçon, anno 1215, in statutis Universitatis Parisiensis ita decreverat: « Nullus legat Parisiis de Artibus citra vigesimum primum annum aetatis suae... Circa statum Theologorum statuimus quod nullus Parisiis legat citra trigesimum quintum aetatis suae annum, et nisi studuerit per octo annos ad minus, et libros fideliter in scholis audiverit, et quinque annis audiat Theologiam, antequam privatas lectiones legat publice... ».[2]

Qua rursus liquet quanta aestimatione Thomam prosequeretur Pontifex, concedens, immo imponens quinque annorum dispensationem.

Hic a te notatum volo primam Thomae tributam laudem de doctrina eximia, quod nempe ipse sit « thesaurum litteralis scientiae consecutus », scilicet adeptus sit litterarum scientiam. Hanc approbationem per saecula prosecuti sunt et auxerunt Pontifices, unde asseruit Benedictus XIII non immerito « constanti Summorum Pontificum testimonio orthodoxis commendatam populis ».[3] Quod patebit ex documentis mox infra referendis. Haud secus iidem Pontifices passim reprobarunt impugnationes contra doctrinam eiusdem Doctoris tentatas.[4]

idoneus? " II *Cor.*, II 16. Requirit enim Deus ministros innocentes. *Psal.*, C, 6: " Ambulans in via immaculata, hic mihi ministravit; " intelligentes: *Prov.*, XIV, 35: " acceptus est regi minister intelligens; " ferventes: *Psal.*, CIII, 4: " qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem; " item obedientes: *Psal.*, CII, 21: " Ministri eius qui faciunt voluntatem eius. " Sed quamvis aliquis per se ex se ipso non sit sufficiens ad tantum ministerium, sufficientiam tamen potest a Deo sperare. II *Cor.*, III 5: " Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. " Debet autem petere a Deo. *Iac.*, I, 5: " Si quis indiget sapientia postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat: et dabitur ei. " Oremus ut nobis Christus id concedat. Amen ».

[1] ECHARD, *Scriptores O. P.*, to. I, p. 279.

[2] Vide DENIFLE, *Chartularium Univ. Paris.*, vol. I, p. 78. Quae statuta caeterum temperavit Alexander per Bullam *Quasi lignum vitae*, datam die 14 aprilis, ann. 1255. Vide *Bullar. O. P.*, to. I, p. 276 sq. Cf. ibidem, p. 289, Const. *Licet nos* datam die 7 decembr., an. 1255, et p. 324, aliam Const. *Licet nos*, die 7 ian. 1257 emanatam.

[3] Bulla *Pretiosus*, n. 41, data die 26 maii 1727. Cf. Bullam *Aeterni Patris*, Leonis XIII, datam die 4 augusti 1879.

[4] Cf. PICCINARDI, *De approbatione doctrinae divi Thomae*, to. I, lib. 4, q. 3, a. 1, sq.

13. Necdum tamen rerum finis. Plures enim et magistri et scholares pontificiis edictis obstiterunt, non obstante licentia Fratri Thomae facta, unde Alexander in litteris datis die 17 iunii, an. 1256, ad Episcopum Parisiensem vehementer est conquestus: « Magistri et scholares [infensi nempe Fratribus] concordiam stimulis discordiae circumseptam observare non curarunt, illis qui volunt Fratrum ipsorum lectiones et disputationes ac praedicationes audire, nec non et illis qui dilecto filio Fratri Thomae voluerunt interesse Principio, se nequiter opponendo. Licet igitur ex parte dictorum Fratrum qui pacem cum omnibus habere cupiunt, et persecutores etiam pro divina reverentia diligere delectantur, nobis fuerit humiliter supplicatum ut sententias occasione ipsorum in eosdem magistros et scholares prolatas relaxare dignaremur,... quia tamen.... ».[1]

14. Quia vero Parisienses ex multis promissis pauca tenebant, rebellium duces mandavit Pontifex coram se sistere, iussitque Anagniam petere. Praecipienti paruerunt Oddo Duacensis et Christianus canonicus, dum e contra Guillelmus a Sancto Amore, infirmitatibus, immo potius rancoribus detentus, penitus abfuit. Illi igitur requisiti sunt ut iuramento addito istud promitterent, quod nempe « Fratres Praedicatores et Minores, Parisiis degentes, magistros et auditores eorum, et specialiter ac nominatim Fratres Thomam de Aquino de Ordine Praedicatorum, et Bonaventuram de Ordine Minorum, doctores Theologiae, ex tunc, quantum in eis esset, in societatem scholasticam et ad Universitatem Parisiensem reciperent, et expresse Doctores ipsos reciperent ut magistros, et quod cum Parisiis fuerint, faciant publice illud idem, ipsosque iuxta ordinationem praedictam, ab Universitate, seu magistris et scholaribus Parisiis commorantibus, procurent recipi bona fide, et contra praedicta nunquam praestent consilium aut assensum ».[2] Iurata praestitit Christianus Belvacensis, iuxta relationem a Reginaldo, Episcopo Parisiensi, ad Summum Pontificem missam. Ita quippe Christianus: « Fratres Praedicatores et Minores Parisiis degentes, magistros et auditores eorum, ac specialiter et nominatim Fratres Thomam de Ordine Praedicatorum et Bonaventuram de Ordine Minorum, doctores Theologiae ex nunc, quantum in me est, societatem scholasticam et ad Universitatem Parisiensem recipio, et expresse praedictos Doctores recipio ut magistros; ipsosque, iuxta ordinationem praedictam, ab Universitate, seu magistris et scholaribus

[1] *Bullar. O. P.*, to. I, p. 366, Const. *Cunctis processibus*. Cf. DENIFLE, *Chartularium Univ. Paris.*, vol. I, p. 321.

[2] P. DENIFLE, *Chartularium Univ. Paris.*, vol. I, p. 339. Quae omnia sancita fuere die 23 octobris 1256.

Parisiis commorantibus procurabo recipi bona fide, et contra praedicta nunquam praestabo consilium vel consensum ».[1]

15. Interea vero Pontifex litteras effusiores, blandimentis refertas, scripserat Parisiensibus, unde omnium corda sibi devinciret, poenas tamen minitans in contumaces, si qui remanerent. E quibus unam referendam esse videtur, ut inde liqueat quanti momenti esset in bonum Universitatis; immo et totius Ecclesiae quaestio in discrimen vocata.

Ita igitur Pontifex, die 15 novembris, anno 1256:

« Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis magistris et scholaribus parisiensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

« Parisius, peritiae summae sinus, de suae scientiae plenitudine replens orbem, et tanquam fulgidus sol doctrinae per totum orbem clarae intelligentiae lumen fundens, depellit ignorantiae tenebras, ruditatis abstergit caliginem, aufert imperitiae nubilum, promit illuminationis auroram, cognitionis pandit serenum, et lucidum scientiae monstrat diem. Rigat documentorum suorum fluentis Paradisi omnem terram, et bonorum influentia dogmatum instruit et imbuit Universum, velut de parientis sinu partus scientiarum plurimi prodeunt; de ipso rectae et perfectae disciplinae soboles gignuntur. Hinc procedit inclita doctorum prosapia, hinc alta progenies provenit peritorum, quibus christianus illustratur populus, et fides catholica roboratur. Hunc profecto amoenitatis et commoditatis locum universae artes totius orbis ambitu sibi habitaculum communiter elegerunt, et consideratis caeteris saeculi mansionibus, quasi deliberatione concordi suam ibi fixerunt immobilem stationem. Haec est egregia litterarum civitas, artium urbs formosa, eruditionis schola praecipua, summa

[1] Vide DENIFLE, *Chartularium Univ. Paris.*, vol. I, p. 366. Quae omnia hic notata acta sunt anno 1257, diebus 12 et 27 augusti. Hic addendum censeo de Christiano Belvacensi quod narrat Cantimpratanus, siquidem exinde tota, vel saltem praecipua contentionum praedictarum causa perspicue apparet. Positus siquidem in mortis discrimine Christianus, « amarissimo corde contritus », recognovit nil se et complices suos contra dictos Ordines habuisse, nisi quod illis aequari in scientia non valerent, et ob hoc eos parvipenderent auditores, et addidit: « Quoniam nihil habeo quod vobis pro iniuria gravi illata refundam, in signum tamen quod ex corde poeniteo, corpus meum apud vos Praedicatores tradendum sepulturae relinquo ». *De Apibus*, lib. II, cap. x, n. 27. Idem refert BULAEUS, *Hist. Univ. Paris.*, to. III, p. 342, addens Christianum Praedicatoribus praeter corpus reliquisse et libros suos.

Haud secus Alexander perpetuo in litteris suis de hac contentione asserit istam ex invidia ortam esse. Inter caetera vide Const. *Dilecti filii Fratres*, emissam diebus 30 martii 1256, et Const. *Si filialis*, datam die 4 aprilis eodem anno. *Bullar. O. P.*, to. I, p. 301.

sapientiae officina, et potissimum gymnasium studiorum. Hic conversantur et degunt scientiae, hic firma et laeta societate convivunt, hic suas habent et possident cathedras, hic sua profunda et arcana veritatis magisterii insinuatione revelant, et cuiusque ipsarum propria virtus suo ibi proprio innotescit effectu: inter quas sacra et venerabilis Theologia locum obtinet altiorem. Praeest enim reliquis sicut superior, et tanquam inferiores caeterae sibi subsunt. Imperat aliis ut domina, et illae sibi ut famulae obsequuntur; gubernat alias ut praelata, et ipsae sibi tanquam subditae reverenter intendunt. Ad hanc singulae in viis suis levant et habent intuitum, ut iuxta permissum eius se metientes inoffense incedant, et gressum ad aliquid inconveniens non impingant.

« De Parisiis itaque fons limpidus scientiarum emanat, de quo potant cunctarum populi nationum. Ibi erumpit altus puteus Scripturarum, de quo profundae intelligentiae pocula mundus haurit. Cum igitur civitas ipsa Parisius, tanquam arbor fructifera in campo fidei ubertate praepollens, tanquam spiritualium proventuum copiam Ecclesiae afferat generali, cum honorabilis Universitas magistrorum et scolarium civitatis eiusdem quasi vitae vitis in vinea Ecclesiae vivo liquore affluens, vitalis potus abundantiam catholicae plebi propinet, convenit quidem et expedit ut ad eas multipliciter internae charitatis extendentes et ostendentes affectum ad perpetuam ipsius Universitatis praeservationem, ut firma semper stabilitate vigeat et pleno vigore assidue convalescat, totius diligentiae studium impendamus, quatenus apostolica sollicitudine continuo sibi procurato munimine, contra noxia quaelibet et adversa, solida permaneat et secura, ut sua non quatiatur firmitas, integritas non frangatur, nec corrumpatur sinceritas, nec unitas dividatur.

« Sane ad id in civitate ipsa Generalis Studii fundamenta divino nutu olim locata et stabilita esse noscuntur, quod ex omnibus gentibus illuc pro acquirendis magnis scientiae opibus, confluat continue multitudo, et virtute ibi ac eruditione proficiens, ex suo exercitio thesaurum tam pretiosum, in cuius utique conversatione furum nullatenus timentur insidiae, assequatur, et ex labore sapidum sapientiae fructum reportet, qui summe pascendo reficit, nec unquam afficit fastidio comedentem, imo quanto plus editur, tanto ad sui esum accendit edentis fortius appetitum. Nec usu quidem consumitur, sed servatur potius et augetur. Ob hoc enim longa tempora sub vigiliis et laboribus in eadem civitate decurritis, bona ibi propria expendendo. Ideo parentes et propinqui vestri sedula vobis ibidem subsidia de suis facultatibus subministrant, subtrahentes interdum sibi, ut plenius vestris possint necessitatibus subvenire, quod inibi, tanquam in odoramentorum delectabili paradiso, cum aviditate legentes reficiamini iugiter suavibus et electis epulis litterarum, proficientes bonitatis

augmento, et crescentes in viros morum honestate compositos et scientiarum cognitione perfectos, ut tandem labor vester et studium ad laudem Dei, vestrumque honorem et commodum, et propinquorum gaudium elucescat.

« Sed sunt quidam qui vos in his, frivolis occasionibus adinventis, impedire conantur, vestrumque laudabilem in studii exercitatione processum, immissione dissidii et scandali concitatione, turbare, sicut his diebus aliqui spiritus malignitatis impulsu fecerunt, qui statum vestrum integrum et tranquillum, novis procuratis dissensionibus, immutarunt, adducentes in vos commotionis turbinem, et inferentes discordiae tempestatem, crebras faciendo convocationes, prava conventicula ordinando, et vos ad hoc iniquis et callidis suggestionibus pertrahendo, ita quod, cum debeatis in silentio et quiete imminere libris et lectioni vacare, oporteat vos propter ista, intermisso studio, et strepitibus interesse, ac pro vanis et incongruis tractatibus inutiliter evagari. Si ergo viros tam pestilentes corripimus... ne libere feriant, et praeconceptas inferant laesiones, de hoc vehementer gaudere debetis,... quia resistendo taliter his perversis, etsi bonum generale agimus, vestrum tamen profectum specialiter procuramus.

« Porro cum dilecti filii Fratres Praedicatores et Minores Parisiis Sacrae Scripturae studio sedulo inhaerendo, sibi et aliis multum proficiant, insignia lucis opera de sua instanti vigilantia et instantia vigili proferentes, propter quod ex ipsis Parisiense Studium grande augmentum recipit, et eximium vestra Universitas ornamentum, turbamur quamplurimum et vobis etiam debet non modicum displicere, cum aliqui sui aemuli statum ipsorum humilem et quietum subvertere moliuntur, et vos adversus eorum innocentiam commovere, quorum profecto multi fuerunt ex vobis et de vestro consortio [qui] ad regulare collegium transiverunt... Nos attendentes quod dicti Fratres Sacris Scripturis et verbi Dei studio... instanter et incessanter intendant, nec torpent otio, sed opere optimo se ipsos exercitant... contra omnes qui adversus praedictos Fratres stulto in his et improvide sunt locuti, efficaciter procedi mandamus... Ideoque Universitatem vestram, quam affectione paterna prosequimur, requirimus et hortamur... ».[1].

16. Illa autem invidia, quum contra Fratres omnes saeviret, imprimis tamen contra Fratrem Thomam, qui, etsi inter omnes iunior, omnes tamen ingenio superabat et fama. Hinc est quod bedellus quidam, se plurium adversantium interpretem et vadem exhibens, magistrorum nonnullorum ad exemplar compositus, Thomae praedicanti iniuriam gravem

[1] *Bullar. O. P.*, to. I, p. 322, Const. *Parisius periliae.*

publice irrogavit. Pontifex Alexander, re cognita, poenam debitam procaci homini inflixit ita, die 26 iunii anni 1259, Episcopo Parisiensi rescribens: « Praeterea Guillotum bedellum, scholarium nationis Picardorum, pro eo quod, suae salutis immemor, in dominica de Ramis palmarum proxime praeterita, praedicante dilecto filio Thoma de Aquino eiusdem Ordinis Praedicatorum, quendam libellum, quem utpote contra eosdem Fratres editum, publice reprobaveras, contempta excommunicationis sententia, quam in omnes auctores, detentores et publicatores ipsius libelli auctoritate ordinaria promulgasse diceris in conspectu cleri et populi tunc ibidem exsistentium, in tui et ipsorum Fratrum iniuriam publicare praesumpsit, excommunicatum, praesentibus magistris et scholaribus supradictis studeas nuntiare, privando ipsum nihilominus perpetuo bedellionatus officio, ita quod illud nec per se neque per alium de caetero exercere praesumat, nec etiam salarium aliquod sibi, quem de civitate Parisiensi, sublato appellationis obstaculo, perpetuo procures expellere, petere vel recipere liceat ratione officii supradicti, auxilio charissimi in Christo filii nostri Regis Franciae illustris ad praemissa, si opus fuerit, invocato, non obstantibus quibuscumque appellationibus a dictis magistris, rectoribus et scholaribus interiectis.

« Ad haec volumus ut omnes illi qui deinceps huiusmodi libellos, vel consimiles, edere vel detinere, seu publicare, aut praefatum bedellum Parisios reducere praesumpserint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a qua nonnisi iuxta modum absolvi valeant praenotatum.

« Praesentes autem litteras, omni mora et difficultate postposita, coram Universitate praedictorum magistrorum et scholarium studeas publicare.

« Datum Anagniae, VI kal. iulii, pontificatus nostri anno quinto ».[1]

17. Gravitas poenae in calumniatorem et calumniam significat amorem Pontificis in calumniatum et in calumniatam doctrinam.

Quae omnia fusius, licet partim, retulimus, unde clarius perspiciatur qua ratione doctrina divi Thomae insederit atque invaluerit, quum a primo ortu suo Pontifici Romano agnita, probata, protecta atque diffusa fuerit, et quidem in se ipsa et immediate seu directe.

18. Nec minoris momenti atque significatus fuerunt approbationes indirectae et mediatae, quas scilicet Pontifex ille frequentioribus effatis approbando Ordinis Praedicatorum doctrinam et laudando, insimul et An-

[1] Die scilicet 26 iunii, an. 1259. Vide *Bullar. O. P.*, to. I, pag. 376, Const. *Ex alto fuisse.*

gelici doctrinam commendat et effert. Incredibili enim favore accepta est doctrina illa ab omnibus passim, imprimisque ab Ordine illo Praedicatorum, et hoc quidem a principio ipso suae propagationis. Non modo enim Alexander papa Thomam attigisse scientiae thesaurum est professus, sed et ipse Ordo illam sequitur et amplectitur, ita ut coaevi ex eodem Ordine professores, quales fuerunt Frater Aldobrandinus, Petrus de Tarantasia, eandem compendio suis discipulis tradant et explanent. Hinc auctor *Vitae Fratrum* vocat Thomam, inter vivos adhuc agentem, « magistrum in Theologia, et excellentis scientiae, et Ordinis magnam columnam ».[1] Hinc Provincia Romana O. P., in Capitulo Anagniae celebrato anno 1265, haec statuit: « Fratri Thomae de Aquino iniungimus... quod teneat Studium Romae, et volumus quod Fratribus qui stant secum ad studendum provideatur de necessariis vestimentis a conventibus de quorum praedicatione traxerunt originem.

« Si autem illi studentes inventi fuerint negligentes in studio, damus potestatem Fratri Thomae quod ad conventus suos possit remittere ».[2]

Imo et ab anno 1259, totus Ordo, in Capitulo apud Valencenas celebrato, ipsi, una cum Fratribus Bonhomine, Alberto Magno et Petro de Tarantasia, commisit ut Statuta de Studiis conficeret.[3]

Haud secus, extra Ordinem, ab anno 1270, die 10 decembris, Sigerus de Brabantia scripsit « contra praecipuos viros in philosophia, Albertum et Thomam ».[4]

Idem caeterum pluries constabit ex documentis infra referendis.[5]

19. Hinc igitur ea encomia quae Ordini propter doctrinam tribuuntur a Pontificibus Romanis, aliisve, in laudem doctrinae Divi Thomae redundare dicenda merito sunt. Quamplurimas porro huiusmodi commendationes de doctrina tribuit Ordini Alexander, ita ut per pontificatum suum, spatio sex annorum quasi protractum, quadraginta circiter diplomata, ut ea quae obiter dixit omittamus, edidit, quibus extollit Ordinis scientiam et doctrinam. E quibus unum aut alterum partim retulisse sit satis.[6]

[1] GERARDUS DE FRACHETO, *Vitae Fratrum*, p. IV, cap. XVII, § 3.

[2] P. MASETTI, *Monumenta*, vol. II, p. 136. Aliaque ibidem, si lubeat, require documenta.

[3] Quae statuta infra referenda a nobis sunt, inter *Testimonia Capitulorum Generalium O. P.*

[4] Vide DENIFLE, *Chartularium Univ. Paris.*, vol. I, p. 487, nota.

[5] Consulendus erit noster *Index chronologicus testimoniorum.*

[6] Si quis huiusmodi commendationes perlegere intendat, adeat *Bullarium O. P.*, to. I, ubi plusquam triginta octo Constitutiones, editas a die 14 aprilis anni 1255 ad diem 28 martii 1260, prae manibus habebit.

Ita ergo Pontifex rescindens, die 17 iunii 1256, pacem male initam Praedicatores inter et magistros parisienses: « Praeterea in divinam et nostram offensam non modicam ipsi sacrae religionis aemuli ac turbatores quietis ac laudabilium operum quibus dicti Fratres ferventer invigilant, nefarii detractores claram et celebrem illorum famam offensare falsis eloquiis molientes, litteras per quas ipsos virtutum odore perfusos, ac pium et sanctum Ordinem eorum quasi quoddam sidus in Ecclesia Dei refulgentem, quia longis retro temporibus per Sedem Apostolicam solemniter approbatus, fructus desiderabiles et felices in eadem Ecclesia continua fecunditate producit, odibiles redderent et despectos praelatis diversarum partium, et nobis ac Fratribus nostris dirigere praesumpserunt, illa ducti credulitate nequissima, quod doctrina catholica et salubris ac praedicatio Fratrum ipsorum Deo gratissima et delectabilis eum timentibus contemnatur, ac invalescat haereticorum perfidia, pro qua impugnanda viriliter et omnimode confutanda, dicti Fratres, veluti strenui pugiles ortodoxae fidei, sunt ita vigiles et intenti, quod ducunt pro deliciis si hac de causa aliquando bibant calicem passionis ».[1]

20. Cum autem perduelliones prosequerentur spargere per vulgus « Praedicatores gentem esse inquietam quae in tantum discrimen Universitatem induxerit Parisiensem, pacem turbaverit, totque excitarit tumultus, necessarium duxit Pontifex testimonium perhibere veritati, atque horum omnibus praedicare innocentiam; quod et fecit datis his litteris [mox referendis] ad ecclesiarum praelatos, in quibus miras, sed dignas congerit laudes Praedicatorum. Id ut faceret rei status exigebat: tum etenim amara et exsecranda, ut scribit Cantipratanus, contra Fratres Praedicatores primo, et postea contra Fratres Minores, simul, per universalem Ecclesiam discordia suscitata est: quia cordibus non tantum clericorum saecularium, et laicorum, verum etiam omnibus quorumcumque religiosorum tam dirum scandalum est impressum, ut nullis rationibus, nullis auctoritatibus sanctorum flecti possent, donec per dominum Papam et totam Curiam Romanam iudiciaria sententia flecterentur ».[2]

21. Pontificis vero sententia ista fuit, data die 23 maii 1257:

« Alexander episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus Fratribus universis Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis et aliis ecclesiarum Praelatis, ad quos litterae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

[1] *Bullar. O. P.*, to. I, p. 306, Const. *Cunctis processibus.*

[2] WADDING, *Annal. Min.*, to. II, an. 1257, n. 3.

« Coelestis ille Agricola, summus auctor fidei, praecipuusque protector, sacrum Fratrum Praedicatorum Ordinem quasi lignum fertile inseruit in Ecclesiae Paradiso, ut delectaret amoenitate, ubertate satiaret et fructuum suavitate mulceret. Hoc itaque speciosum, fecundum et dulce lignum, imbre superno rigatum, pulchra plurima et dulcia poma profert, quorum odore ac sapore confortantur et convalescunt debiles, variisque detenti languoribus liberantur. In hoc utique vitae ligno mortales carnis infirmitatibus praegravati pabulum salutis inveniunt, et internam recipiunt sospitatem. Huius, inquam, ligni percepta fragrantia, concurrerunt undique ad libamen ipsius innumeri professores fidei, et concurrunt, qui perfruentes assidue illo, et salutaribus eius convescentes fructibus, de ipsorum praegustata dulcedine ministrant et ipsi aliis suavia libamenta salutis.

« Hi sunt viri probati, et plene in lege Domini eruditi, Fratres videlicet dicti Ordinis, efficaces quidem in opere ac in praedicatione potentes, quorum labia gratia coelestis edocuit, ad propinandam salubrem doctrinam aliis, et exponendum commodum animarum, unde ubique per mundum ipsorum ora intonant velut tubae, ac in omnem terram exit sonus praedicationis eorum, et usque ad fines orbis sua salutifera verba sonant.

« Hi sunt viri praeclari, conspicua religione fulgentes, qui tanquam lucentia sidera in Ecclesiae firmamento suis splendidis documentis insinuant mortalibus viam vitae.

« Hi sunt phialae aureae, plenae odoramentis, qui sua sacra conversatione suaviter redolentes, hortantur per hoc alios et inducunt, excussa prorsus inertia, surgere ac properare ad opera bonitatis.

« Pro his ergo ab universis ecclesiarum Praelatis cunctisque christifidelibus diligendi sunt praecipua charitate, ac tanquam venerabiles Dei ministri, et populo suo necessarii, honorandi condigne, et favoribus specialibus muniendi.

« Sane quia linguae maliloquae detractorum consueverunt falsa confingere, ac illa pudicis etiam auribus instillare, ne per oblocutionem aliquorum ex livore latrantium quod per Fratrum ipsorum culpam discordia inter eos et magistros et scholares parisienses emerserit, bonae ac nitidae Fratrum eorundem famae valeat derogari, scire vos volumus quod cum super huiusmodi discordia coram nobis et Fratribus nostris diligens habita fuerit discussio, ipsos nequaquam culpabiles invenimus in hac parte, sed potius innocentes. Ideoque Universitatem vestram rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus dictos Fratres Praedicatores habentes de hoc penitus excusatos et eorum in his innocentiam vestris subditis exponentes, ipsos ob reverentiam Apostolicae Sedis et nostram, tanquam speciales et amabiles Ecclesiae Romanae filios, ac salutis animarum fervidos zelatores, cum omni charitate ac benignitate tractetis, et opportunis consiliis et subsidiis foveatis, ita quod affectum, quem ad nos et eandem habetis Ecclesiam, ex hoc plenius agnoscentes, reddamur exinde ad vestra et ecclesiarum vestrarum commoda promptiores.

« Datum Viterbii, X kal. iunii, pontificatus nostri anno tertio ».[1]

Adeo tenax in sua sententia de doctrinae ac scientiae necessitate remansit Alexander, quod ubi Albertum, Thomae magistrum, elegit in Ratisponensem Episcopum, hanc adduxit promotionis rationem, die 5 ianuarii 1260: « Cum de divinae legis fonte adeo salutifera fluenta doctrinae potaris, quod eiusdem in tuo pectore vigeat plenitudo, tibique praesto sit in iis quae Dei sunt iudicium rationis, indubitatam spem gerimus quod ecclesiae praedictae, quae in spiritualibus et temporalibus asseritur multipliciter deformata, cicatrix obduci et ruina per tuae diligentiae studium poterit restaurari ».[2]

22. Verbis facta addidit Pontifex, dum Ordini ius confirmavit docendi Theologiam in omnibus suis conventibus sine ulla alia licentia, ut patet sequenti diplomate, emanato die 28 martii, an. 1257.

« Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Magistro et Prioribus ac Fratribus Ordinis Praedicatorum salutem et apostolicam benedictionem.

« Exsultante spiritu frequenter advertimus quod status Ecclesiae generalis per vestrae praedicationis ac doctrinae salutaris instantiam, divina gratia suffragante, multipliciter illustratur. Ex hac siquidem pia consideratione procedit quod nos ad illa omnia esse prompti delectamur et facile per quae vos, praecones divini nominis, in declaranda fidei scientia et roboranda operum disciplina, vestri desiderii sanctitatem perficere valeatis. Hinc est quod nos devotioni vestrae, praesentium auctoritate, concedimus ut singuli Fratres de Ordine vestro, quos secundum Constitutiones ipsius Ordinis, conventibus vestris deputandos duxeritis in lectores, sine cuiusquam alterius licentia, libere in domibus praedicti Ordinis legere ac docere valeant in Theologica facultate, illis locis exceptis in quibus viget Studium Generale, ac etiam quilibet in Facultate ipsa docturus solemniter incipere consuevit.

« Nulli ergo ...

« Datum Laterani, V kal. aprilis, pontificatus nostri anno tertio ».[3]

[1] *Bullar. O. P.*, to. I, p. 338, Const. *Coelestis ille.* Alia encomia Ordini tributa require in *Bullario O. P.* to. VIII, pp. 10 sq., nn. LXII-XCV.

[2] Ibidem, to. I, p. 387, duae Const. *Susceptae servitutis.*

[3] Ibidem, to. I, p. 333, Const. *Exsultante spiritu.* Quod privilegium frequentius ab Alexandri successoribus innovatum invenies ibidem, to. VIII, p. 274.

Quum autem postmodum, die scilicet 28 martii anni 1261, idem privilegium confirmavit, ita exorsus est: « Nos volentes... Ordinem ipsum, a Sede Apostolica approbatum, honestate floridum, praeclarum scientia et virtute fecundum, privilegio apostolicae gratiae attollere singulari, indulgemus... ».[1]

23. Quo in exitu felici, etsi plures magni meriti homines cooperati sint, Thomam tamen partes praecipuas habuisse tum vitae summa sanctitate tum doctrinae profunda rectitudine, in comperto omnibus est. Hinc initium accepit fortuna ipsius doctrinae, tum in Ordine Praedicatorum, tum in ipsamet Dei Ecclesia. Illa autem paterna strenuaque Alexandri in Fratrem Thomam benevolentia non modo ipsius doctrinam supponit, sed extollit et commendat. Quapropter Pontifex ille tanquam Scholae Thomisticae unus ex institutoribus et fundatoribus habendus omnino est, ut qui eandem firmiorem propria auctoritate fecerit, eam propugnaverit, extenderit atque in tuto posuerit.

II.

URBANUS IV.

1261-1264.

24. Commendationem doctrinae sancti Thomae verbis authenticis expressam nullam ab Urbano IV habemus: habemus autem, eandemque splendidam, ex factis authenticis, quae quinque numero referenda sunt.

Primum est quod, Pontifice iubente et postmodum gratulante, Frater Thomas scripsit opusculum *Contra errores Graecorum*. De quo ita ipsemet Angelicus in Prooemio: « Libellum ab Excellentia Vestra mihi exhibitum, sanctissime Pater Urbane Papa, diligenter perlegi, in quo inveni quamplurima ad nostrae fidei assertionem utilia et expressa. Consideravi autem quod eius fructus posset apud plurimos impediri propter quaedam... ».

Atque in fine opusculi, cap. LI, ita concludit: « Haec sunt, Pater sanctissime, quae ex auctoritatibus doctorum graecorum, secundum vestram iussionem excepi et exponenda et ad confirmationem verae fidei inducenda ».

[1] Vide *Bullar. O. P.*, to. I, p. 405, Const. *Virtute conspicuos*. Qua Bulla Pontifex privilegia Ordinis novis coagmentavit privilegiis, unde et ipsa *Mare magnum* dicta est.

Cuius operis eruditionem et gravitatem adeo miratus est Pontifex, ut illud dono dederit Graecorum Imperatori, qui redeundi ad Ecclesiam Romanam velleitatem nonnullam manifestaverat.

Ex epistolis autem mutuis et Pontificis et Imperatoris apparet quanti Aquinatis scientiam et pietatem facerent.

Quo opere postmodum, nec non et *Declaratione fidei ad Cantorem Antiochenum* usi sunt quotquot cum Graecis egregie disputarunt, imprimisque theologi O. P. Andreas Rhodensis, Ioannes de Turrecremata, Ioannes de Montenigro, Bartholomaeus de Florentia, etc.

25. Alterum est quod Urbanus iussit Fratrem Thomam compilare *Catenam auream* in Evangelia. De quo opere ita auctor ipse in dedicatione ad papam Urbanum: « Sub vestro regimine beatus censeri potest populus christianus, ubi tanta diligentia excellentissimae illi sapientiae curam impenditis quam Dei Sapientia carnalibus membris induta et verbis docuit et operibus demonstravit. Et huius quidem diligentiae studio Vestrae Sanctitati complacuit mihi committere Matthaei Evangelium exponendum; quod iuxta propriam facultatem exsecutus, sollicite ex diversis doctorum libris praedicti Evangelii expositionem continuam compilavi... Suscipiat itaque Vestra Sanctitas praesens opus vestro discutiendum corrigendumque iudicio, vestrae sollicitudinis et obedientiae meae fructum: ut dum a vobis emanavit praeceptum, et vobis reservatur finale iudicium. " Ad locum unde exeunt flumina revertantur. " *Eccle.*, I, 7 ».[1]

Grati animi pignus dignitates ecclesiasticas Thomae obtulit Urbanus. Thomas autem, hisce omnino recusatis, mortuoque caeterum ipso Urbano, in tria Evangelia Marci, Lucae et Ioannis pari devotione et eruditione prosecutus est. Quod ipsemet enarrat, dum exquisitioribus hisce verbis completum opus Fratri Hannibaldo de Molaria, O. P., Cardinali Tituli XII Apostolorum, suoque ex intimis amico, dicat: « Reverendo in Christo Patri Domino Hannibaldo Frater Thomas de Aquino, Ordinis Fratrum Praedicatorum se totum.

« Sapientiae bonum per quod ad ipsum fontem bonitatis accedimus, omnibus humanis bonis secundum rectae rationis iudicium praefertur. Haec est enim quae fastidium nescit, ita ut qui eam edit adhuc esuriat, et qui eam bibit sitire non cesset. Haec est quae in tantum peccato repugnat, ut qui secundum ipsam operantur, non peccent. Haec est quae indeficientem fructum suis ministris largitur, ut qui eam elucidant vitam

[1] *Catena aurea*, edit. P. Ioann. Nicolai, 1660, in dedicatione praevia, quae hisce incipit: « Sanctissimo ac reverendissimo Patri Domino Urbano, divina Providentia papae Quarto, Fr. Thomas de Aquino, Ordinis Fratrum Praedicatorum, cum devota reverentia pedum oscula beatorum ».

possideant sempiternam. Praecellit itaque voluptates dulcedine, securitate sedes et regna, utilitate divitias universas.

« Huiusmodi igitur delectatus muneribus, Evangelicae sapientiae, a saeculis in mysterio absconditae, quam in lucem produxit Sapientia incarnata, ministerium expositionis adhibui, sacrorum doctorum sententias compilando, ad quod me induxit primitus fel. rec. Urbani papae IV mandatum. Verum quia eodem Summo Pontifice ex hac vita subtracto, tria Evangelia exponenda restabant, ne opus quod obedientia incoeperat negligentia imperfectum relinqueret, cum multo labore diligens adhibui studium ut quatuor Evangeliorum expositionem complerem, eadem in omnibus forma servata... Verum quia congruit ut de laborum fructibus oblationes sacerdotibus offerantur, *Expositionis Evangelicae* opus, laboris mei fructum Apostolorum Presbytero censui offerendum, in quo sic vestra suscipiat auctoritas debitum ut et scientis industria iudicii censuram exerceat, et antiqua dilectio amoris affectum in offerentis munere comprehendat ».[1]

26. Tertium factum est quod Frater Thomas scripsit etiam « Officium de Corpore Christi ex mandato Urbani: hoc autem fecit complete, et quantum ad lectiones, et quantum ad totum Officium tam diurnum quam nocturnum, quantum etiam ad Missam, et quidquid in illo die cantatur ».[2] Quo Officio « devotius in Ecclesia Dei nec dicitur nec cantatur ».[3] Quid de eodem sentiret Urbanus rescitur ex hoc, quod iusserit Officium mirabile in Liturgiam solemniter induci.

27. Quartum argumentum est, cum praecedenti aliunde connexum, quod cum Thomas composuisset Officium Corporis Christi, ad Urbanum misit, a quo in praemium retulit columbam argenteam.[4] Qua columba argentea significari voluit Pontifex profundam sancti Thomae doctrinam, tum in Officio praedicto, tum in aliis operibus hucusque editis, esse a Spiritu Sancto quasi dictatam. Vix opus est ut moneam quale symbolum, qualis gratiae et admirationis significatio in dono illo sint advertenda.

28. Quintum demum argumentum est quod Pontifex ille Thomam quasi comitem individuum apud se retinere voluit, ipsius consiliis uti,

[1] *Catena aurea*, edit. P. Ioann. Nicolai, princ.

[2] Ptol. Lucensis, *Hist. eccl.*, cap. XXIV.

[3] Ioann. Columna, *De Viris illustribus*, apud Echard, *Scriptores O. P.*, to. I, p. 340.

[4] Vide Natal. Alexandre, *Hist. eccl.*, saec. XIII, Diss. VI, art. 1; Touron, *Vie de saint Thomas*, liv. II, ch. XXIII, et liv. VI, ch. V, ubi vindicatur contra nonnullos assertum praedictum de Officii authentia, vix aliunde ab hodiernis negatam.

amicitia frui, eique pro bono Ecclesiae varia indicere opera. Quod istis verbis testatur Lucensis: « Tunc Fratrem Thomam rediisse de Parisiis ex certis causis; ad petitionem Urbani multa fecisse et scripsisse, ac etiam tempore eiusdem Pontificis librum *Contra Gentiles* ».[1]

29. Haud secus summae benevolentiae erga Ordinem sese ostendit Urbanus, tum propter doctrinam, tum propter pietatem.

Vix enim pontificatum adeptus sic Ordinem alloquitur, die 12 septembris 1261: « Vestri Ordinis praeclara religio piis operibus ita fulgere conspicitur, ut pro quodam Dei candelabro per orbis latitudinem habeatur; consurgente in nobis propter hoc illo benignitatis affectu quod singula loca ipsius Ordinis, sed vestram praecipue delectamur ecclesiam [Viterbiensem nempe Sanctae Mariae ad Gradus] dono prosequi gratiae specialis ».[2] Per Aquinatem vero Ordo imprimis habitus est « pro quodam Dei candelabro per orbis latitudinem ».

30. Mox vero, die scilicet 13 aprilis 1262, sese piissime commendans Fratrum precibus, ita prosequitur: « In praeclarae dignitatis honore, qua nos praetulit Exaltator humilium, quasi onus importabile nostris est humeris alligatum, cuius dum magnitudinem stupendam attendimus, ad instar apostolorum Principis, quem pelagi fluctus exterruit, non immerito formidamus. Sed ubi quodammodo ex humili fragilitatis nostrae consideratione mergimur, ex consideratione divinae clementiae relevamur, sperantes quod prospere huius procellosi maris possimus transire angustias, si nobis impetretis auxilium, qui coelesti Sponso in conscientiae sanctae deliciis lectum floridum praeparastis. Quid enim vobis a Dei pietate negabitur, merentibus semper illam habere propitiam odore bonorum et candore vir-

[1] *Hist. eccl.*, cap. XXIV. Nonnulli volunt Fratrem Thomam tempore Pontificis illius scripsisse non solum librum *Contra Gentes*, sed et, urgente eodem Urbano, confutasse averroisticas doctrinas, tum passim inter ipsos catholicos renascentes et serpentes.

Plura Thomas scripsit opera, iubentibus aut suadentibus Pontificibus, inter quae liber *Contra errores Graecorum*, *Summa contra gentiles*, *Contra impugnantes religionem*, *Officium de Corpore Christi*, *Catena aurea* etc.

Haud secus ea aetate Albertus Magnus, dum Lectorem Sacri Palatii ageret, commentaria, ipse ait, in Iohannem exaravit « ad instantiam Alexandri IV pro extirpandis haeresibus tunc vigentibus Romae lecta. » In Prol.

Et iterum in *Summa Theologica*, postquam contra Averroistas de intellectu separato disputavit, prosequitur: « Haec omnia collegi aliquando in Curia exsistens, ad praeceptum Alexandri Papae, et factus fuit inde libellus quem multi habent et intitulatur *Contra errores Averrois* ». *Summ. Theol.*, p. II, tr. XIII, q. 77.

[2] *Bullar. O. P.* to. I, p. 416, Const. *Vestri Ordinis praeclara*.

tutum? Quid enim apud Reginam praefulgidam, intemeratam Matrem Domini, Virginem Matrem gloriosam, angelica vestra conversatio non obtinebit, quorum meritis splendet Ecclesia, quorum exemplis viget et pronficit Religio Christiana? Quid enim sanctorum acies vestris non impetrabit affectibus, quae vobis benigna redditur pro laudis divinae praeconiis et vitae meritis innocentis? Ecce Regis aeterni coelestisque Curiae vos habere favorem claris argumentis praesumitur, et signis perspicuis declaratur.[1] Digne itaque universitatem vestram per Dei misericordiam obsecramus, de pia devotione pensantes quantum nobis ex eo possit imminere stuporis, quod qui cineris et pulveris essentiam gerimus, Regnantis in saecula Vicarii facti sumus, piis orationum subsidiis nobis gratiae divinae praesidium acquiratis, supplici humilitate petentes ut is, cuius admiranda potentia dat per gratiam esse fortia iis quae sunt fragilia, per vestram orationem debilitatem nostram et robore fulciat et virtute perfundat, detque nobis sic prosequi quod ipse impotentiae nostrae credidit, ut inde gratiae suae sequatur augmentum, populus christianus pace ac tranquillitate proficiat, et tandem nobis ac illi claritatis aeternae radius illucescat.

« Caeterum, cum dignum sit ut qui filialis devotionis in vobis fructum requirimus, sinceritati vestrae quae sunt paternae dilectionis offeramus, cordibus vestris de nobis volumus inesse fiduciam quod vobis et Ordini vestro, in iis quae sunt favoris et gratiae secundum Deum, nos benignos semper habebitis, et benevolos sentietis ».[2]

Hinc rationem habes curnam humillimus et piissimus Pontifex apud se Thomam qua amicum et comitem habere voluit. Benevolentiam caeterum factis comprobavit, ubi die 9 februarii 1263, confirmavit « grato assensu omnes libertates et immunitates a Romanis Pontificibus, sive per privilegia seu alias indulgentias... Ordini... concessas ».[3]

[1] Alludit sane Pontifex ad felicem exitum contentionis a Guillelmo de Sancto Amore et sequacibus provocatae.

[2] *Bullar. O. P.*, to. I, p. 419, Const. *In praeclarae.*

[3] Ibidem, to. I, p. 435, Const. *Cum a nobis.*

III.

CLEMENS IV.

1265-1268.

31. Regnante Urbano IV, siluit quidem Sanctamoreus, quem Alexander IV tam egregie carminatum dimiserat; at vero Sedem Sanctam Clemente IV vix adepto, novum edidit librum, antiquis erroribus et calumniis refertum, cui titulus: *Collectio catholicae et canonicae Scripturae ad defensionem Ecclesiasticae Hierarchiae, contra Pseudo-Praedicatores*, scriptumque Clementi misit. Is scriptori epistolam misericordia et sale conditam, die 18 octobris 1266, rescripsit hic referendam:

32. « Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio[1] magistro Guillelmo de Sancto Amore, salutem et apostolicam benedictionem.

« Si circa veritatis indaginem elaboras, si cautelas Ecclesiae colligis ex Scripturis, dum tamen sobrius inquisitor exsistas, et activum evites scandalum, non te credimus arguendum. Sed cavendum est tibi ne vel praeteritorum tuorum tuo haereat animo nimis tenax memoria, et, sub doctrinae specie, detractionis colores insidias, vel illam obiurgationem merearis audire qua Paulum tetigit Festus, dicens: " Te multae litterae faciunt insanire. "

« Sane libellum novum evolvere coepimus quem misisti, qui, licet interdum alias auras circinet, veterem tamen multum sapit, et cum excussus et discussus, licet colorationem in aliquo videatur habere, totam primi[2] substantiam comprobatur retinere.

« Verum, dum totum non legimus, nihil tibi possumus respondere, nisi quod provida diligentia cor tuum munias, ne sub boni specie, ille te seducat qui se, ut lateat, in lucis angelum transfigurat.

« Nos autem, cum legerimus hoc opusculum, et aliis amatoribus veritatis et eandem intelligentibus communicaverimus, tunc quod nobis vide-

[1] Exinde habes Sanctamoreum nonnullam resipiscentiam, veram aut fictam manifestasse, quum secus Clemens ipsi ut « dilecto filio salutem et benedictionem apostolicam » nullam concessisset. Ita quippe Alexander pp. IV, die 9 aug. 1257, illum excommunicans, epistolam inchoat: « Alexander episcopus, servus servorum Dei, Guillelmo de Sancto Amore in bonum dirigere gressus suos » *Bullar. O. P.*, to. I, p. 346, Const. *Cum propter.*

De iis quae hic historice a doctis disputantur, vide P. MANDONNET, *Siger de Brabant*, p. 91, Louvain, 1911.

[2] Nempe libri cui titulus: *Brevis tractatus de periculis novissimorum temporum* etc.

[bi]tur tibi dabimus intimare. Sed quia res forsan abibit in longum, propter negotiorum instantiam, quae de mundi diversis partibus nos solito acrius inquietant, dilectum filium magistrum Thomam, supradicti praesentatorem operis, ultra noluimus detinere.

« Datum Viterbii, XV kal. novembris, pontificatus nostri anno secundo ».[1]

33. Cuius dilationis causa ista etiam fuit ut Fratri Thomae tempus suppeteret perlegendi librum novum Guillelmi, examinandi et dignam confutationem opponendi. Cum enim libellus esset contra Praedicatores nominatim, Pontifex eundem Ioanni Vercellensi, magistro Ordinis, commisit, qui traderet Fratri Thomae. Hunc enim primo loco connumerabat Pontifex inter illos « amatores veritatis et eandem intelligentes », siquidem Thomas, iamdiu, anno scilicet 1256, contra Sanctamoreum ediderat librum celebrem *Contra impugnantes Dei cultum et religionem*,[2] atque in orbe famosus evaserat amore et intelligentia veritatis. Is ergo librum accepit, legit, reprobavit atque demum confutavit egregiis opusculis nempe *De perfectione vitae spiritualis*, et *Contra retrahentes a religione*, etsi opusculus ille scriptus sit immediate contra Gerardum de Abbatis Villa, anno 1269, iste autem contra Nicolaum Lixoviensem, anno 1270.[3]

Hinc apparet quamnam fiduciam in Doctore nostro reponeret Pontifex.[4]

34. Ex laudibus autem insolitis quibus Clemens Ordinem propter doctrinam cumulavit, potiorem partem Fratri Thomae competere ex hoc colligitur, quod ipse « adhuc vivens tantam sibi auctoritatem in Ordine comparaverat, ut qui post ipsum *Sententias* Parisiis, Oxonii, Cantabrigiae, Bononiae, Romae, Neapoli, Coloniae Agrippinae legerunt, eius commentario fere uterentur, ea stylo suo suaque scribendi ratione solum immutantes ».[5] Immo et extra Ordinem ita excellere agnita est eius doctrina,

[1] *Bullar. O. P.*, to. I, p. 477, Const. *Si circa.*

[2] Cf. Echard, *Scriptores O. P.*, I, 338; Mandonnet, *Siger de Brabant*, p. 92, edit. cit. 1911.

[3] « Frater Thomas de Aquino opusculo subtilissimo errorem Guillelmi refutavit ». Ita Henricus Gandavensis, coaevus, *Scrip. eccl.*, Append.

[4] Idem Pontifex, die 9 iunii, an. 1257, epistolam misit Thomae Bononiae degenti, vicesque absentis Patris Provincialis agenti, iubens ut duo Fratres ex Ordine mitterentur ad Fratrem Gualterum, Gabulensem Episcopum, quorum consortio iste recreari cupiebat Omittimus, siquidem ad rem nostram nihil facit, nisi velis Pontificem philosophari cum philosopho, rescriptum suum ita inchoans: « Cum sit bonum penitus et iucundum habitare fratres in unum, et omne animal sibi simile diligat... » *Bullar. O. P.*, to. I, p. 485, Const. *Cum sit bonum.*

[5] Echard, *Scriptores O. P.*, to. I, p. 435.

ut et ipsi Parisienses Magistri eum qua arbitrum in sua de accidentibus eucharisticis disputatione elegerint, et in hanc sententiam omnes convenirent, « ut quidquid super hoc praedictus doctor Frater Thomas diceret et sententialiter definiret, hoc ab omnibus teneretur ut verum, et consonum fidei et persuasibile ratione ».[1] Ubi adverte illud quod implicite confitentur magistri illi, videlicet sanctum Thomam a principio agnitum esse ut qui conciliaret egregie rationem cum fide.

35. Ista autem encomia Ordini a Clemente tributa prorsus egregia sunt, e quibus plurimis et fusioribus duo adducenda seligimus et quidem breviora.

Ita primo ab initiis sui pontificatus, die scilicet 23 aprilis 1265, sese enixe orationibus Fratrum commendans, haec habet: « Splendor paternae gloriae, de luce lucem proferens et saluti humani generis clementer intendens, lucernam pedibus hominum et eorum semitis lumen dedit, dum ipse lux vera, quae omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, Ordinem vestrum, lucernam quippe igne charitatis ardentem, et lumen doctrinae fulgore praelucidum, in templo Ecclesiae universalis accendens, ut omnibus longe lateque reluceat, super candelabrum eminentis religionis erexit. Huius incliti professores, illum re profitentes et nomine, circa pedes hominum non indigne lucernae describuntur officio, et circa ipsorum semitas non immerito luminis intitulatione censentur ».[2]

36. Aliud testimonium hic recitandum istud est, quod tribuit die 24 februarii 1266: « Innuit sacrae lectionis eloquium quod Ordo vester verisimiliter urbem fortitudinis repraesentat, quam iusta gens apertis portis ingreditur, custodiens veritatem ».[3] Integrum lege diploma, si libuerit.

Multa alia eiusdem significatus et verba et facta adduci possent, nisi adducta satis superque essent ad manifestandam Pontificis mentem tum erga Ordinem Praedicatorum, tum imprimis erga Angelicum Doctorem.

Hic notatum semel et pro semper volo, doctrinam illam quam tantis laudibus passim extollunt Pontifices esse imprimis doctrinam sacram seu Theologiam, una cum scientiis affinibus praesertim philosophicis, tum ex praesupposito, tum ex consequenti, eandemque tum evidentia auctoritatis, tum evidentiae auctoritate pro posse demonstratam. Ordo enim Praedicatorum ad hanc scientiam destinatus a principio est.

[1] Fr. Guillelmus de Tocco, apud *Bolland.*, to. I, martii, p. 657.

[2] *Bullar. O. P.*, to. I, p. 450, Const. *Splendor paternae gloriae.*

[3] Ibidem, to. I, 471, Const. *Innuit sacrae lectionis.* Legenda ibidem sunt quae egregie de studiis statuit. Qui plura cupiverit, adeat ibidem, to. VIII, p. 15 sqq. nn. XCVIII-CVII.

IV.

GREGORIUS X.

1271-1276.

37. Isto sedente Pontifice, celebratum est Lugduni, anno 1274, Concilium Oecumenicum, de quo plura referemus inter *Testimonia Conciliorum*. Hic pauca pro re nostra adnotasse sufficiat.

Thomas igitur « propter eminentem scientiam vocatus [est] a Gregorio papa X ad Generale Concilium Lugdunense, veniens de Neapoli, ubi famose legebat ut doctor »[1] et quidem « iussus secum deferre libellum quem de mandato Urbani papae fecerat *Contra Graecos*, ad convincendum eosdem Graecos in eodem Concilio ».[2]

38. Pontifex caeterum, die 1 aprilis 1272, praeter episcopos in Concilium convocavit « alios prudentes viros, Deum timentes, et habentes prae oculis omnia quae correctionis et reformationis limam exposcunt, inquirentes subtiliter et conscribentes fideliter eadem ad ipsius Concilii notitiam » deferenda. « Et nos », subiunxerat Pontifex, « nihilominus variis modis et viis solers studium et efficacem operam dare proponimus, ut omnia taliter in examen eiusdem deducta Concilii correctionem et directionem recipiant opportunam. Nullus ergo inobedientiae notam et canonicae ultionis acrimoniam vitare desiderans, fallacium excusationum velamento se muniat, vel ex impedimentis itinerum, quae Domino prava in directa et aspera in vias planas sua omnipotentia convertente, cessaverunt, frivolae allegationis munimenta confingat, ut a tam sancti prosecutione operis se subducat, sed occurrant singuli voluntarii ad id quod et divinae congruit voluntati, et salutem animarum ac utilitatem respicit singulorum ».[3]

39. Haec scribebat Gregorius ad Fratrem Thomam Agni de Lentino, Patriarcham Hierosolymitanum, qui Fratris Thomae de Aquino sodalis et amicus fuit, eumque forsan vestibus Ordinis induerat.

Exemplum primo dedit ipsemet Pontifex, qui ex Italia versus Lugdunum discedens, Romae, die 20 augusti 1273, sui Vicarium reliquit Fratrem Aldobrandinum O. P., « virum magnae et examinatae virtutis ».[1]

Praecipienti Pontifici iter ad Lugdunensem civitatem esse arripiendum, paruerunt ex Ordine Praedicatorum plus quam triginta tres cardinales, episcopi vel infulati, ingensque theologorum numerus, praeter egregios viros Lugduni ad Capitulum Generale ibidem celebrandum congregatos.[2] Adfuerunt Concilio inter alios ex Dominicanis Hugo de Sancto Charo, Petrus de Tarantasia, Albertus Magnus iam senex factus, Humbertus de Romanis vir omni laude dignus, cum aureo suo libro *De tractandis in Concilio Lugdunensi;* interesse debuerat et Frater Thomas cum suo *Contra errores Graecorum* aliisque suis libris suaque scientia: qui tamen itinere vix arrepto animam Deo reddidit meritis cumulatissimam in monasterio Fossae Novae, apud Cistercienses, die 7 martii, 1274.

40. In Concilio iura Pontificis Romani vindicavit Petrus de Tarantasia; errores Graecorum impugnavit Albertus Magnus: Thomam autem in Concilio « Lugdunensi... deliberationibus et decretis Patrum interfuisse et pene praefuisse dixeris, adversus errores Graecorum... ineluctabili vi et faustissimo exitu decertantem ».[3]

Quaestiones enim variae, imprimis de processione Spiritus Sancti, non nisi iuxta doctrinam ab Angelico in eius libro *Contra errores Graecorum* contentam determinatae a Concilio fuerunt,[4] ita ut morte licet intercedente, id praestiterit in Concilio quod intenderat Pontifex eum accersendo, nempe, ait « cum illius sanctitatis et doctrinae gloria late in Dei Ecclesia effloresceret, ut illius opera in sacro coetu uteretur ».[5]

41. Fiduciae et aestimationis indicia in Ordinem multa multimode exhibuit, mox praecipiendo ut Fratres ipsa Concilii decreta ordinarent, mox ut Legatus regis Tartarorum a Petro de Tarantasia baptizaretur, etc.

[1] Bernard. Guidonis, *Vita sancti Thomae.*
[2] Guill. de Tocco, *Vita sancti Thomae*, cap. 10. Apud *Bolland.*, to. I, martii.
[3] *Bullar. O. P.*, to. I, p. 506, Const. *Salvator noster.*

[1] *Bullar. O. P.*, to. I, p. 517, Const. *Appropinquat terminus.*
[2] Neque casu, neque inaniter celebratum est Capitulum Generale O. P. Lugduni durante Concilio ibidem celebrato. Quod probe postmodum recordatus est Paulus pp. III iubens formaliter celebrandum esse Capitulum in ea civitate ubi celebraretur et ipsum Concilium. « Animo », inquit, « revolventes quantum ipsius Ordinis Professores in rebus ad fidem catholicam pertinentibus et statum universalis Ecclesiae concernentibus, soliditate doctrinae proficere consueverint... in civitate vel loco ubi nos erimus celebrari debere decernimus... ». *Bullar. O. P.*, to. IV, p. 563, Const. *Inter caetera.* Hanc praescriptionem emanavit Pontifex ille die 24 sept. 1537: in qua dubio procul ad Concilium et Capitulum Lugdunense praeprimis alludebat.
[3] Leo XIII, Const. *Aeterni Patris*, 4 aug. 1879, edita.
[4] Cf. Caietanum, Banez, Seraphinum a Porrecta, in 1ª, q. 36.
[5] Ita Odericus Raynaldus, *Continuat. in Baronium*, an. 1274, n. 9.

V.

INNOCENTIUS V.

1276.

42. Is, ex Ordine Praedicatorum assumptus, non nisi quinque menses sedit, paucaque proinde ex iis quae in consiliis habebat perfecit.

Quum ipse, Petrus de Tarantasia primo dictus, una cum Fratre Thoma Theologiam edocuisset, non tam ipsi collega quam discipulus exstitit. Thomae etenim in *Sententias* commentaria quasi compendio redegit, quod oculis conferenti patet. Ita Leander Albertus: « Strictim Thomae Aquinatis doctrinam complexus est: maximus enim fuerat propugnator sectatorque ipsius doctrinae, qua mirum in modum delectabatur. Eius etiam consuetudine, dum in humanis esset, plurimum usus est ».[1]

43. In Concilio Lugdunensi, cuius pars magna fuit, eandem doctrinam strenue adhibuit, dum, ut ipsemet testatur, esset Gregorio X « quasi cooperator » et negotii « promotor ».[2] Ibidem vero nonnisi Thomae doctrinam adduxit, eo imprimis quod Gregorius iusserat afferri librum Thomae *Contra errores Graecorum* ut in Concilio adhiberetur eiusdem doctrina ad convincendos schismaticos.

Certum autem est Innocentium, Pontificem factum, non retractasse ea quae in cardinalatu professus fuerat.

44. Quam fideliter vero in Summa Sede positus ea quae prius in Ordine suo didicerat, retinuit, discendum est ex sequenti epistola, qua Fratres, die 10 maii 1276, alloquebatur, suaque eis consilia manifestabat: « In loco sollicitudinis et specula supereminentiae pastoralis coelesti dispositione sedentes, pensantes onus inaequabile humeris nostris incumbens, quo universis reddimur ex officio debitores, de rationis calculo in conspectu Iudicis omnia videntis, ne in furore nos arguat, vel in ira corripiat, formidamus.

[1] *De Viris illustribus*, lib. III.
[2] Die 23 maii 1276, Const. *Quanto gaudio. Regest. Vatic.*, 29. A, Epist. 376. Cf. POTTHAST, n. 21138. Cuius epistolae textus infra afferendus est ubi de Concilio Lugdunensi nobis agendum fuerit.

« Convertimur nunc itaque ad homines quos in mundo velut oves Pastor Bonus segregat, et pia miseratione deducit, qui nos intra gregem vestrum a tenera aetate vocare dignatus, nos ibi sanctae paupertatis deliciis enutrivit, qui in diebus voluntatis suae nos exinde sustulit, et ex ovibus quae cibo quietis dulciori pascuntur, adduxit in montem sollicitudinis et laboris; convertimur, inquam, et petimus a vobis orationis auxilium, ut Deus omnipotens, de habitaculo suo sancto, iugiter respiciat vias nostras, visitet in miserationibus suis ministerium nostrum, det nobis in diebus villicationis nostrae, ut possimus virtute irrumpere iniquitates, qui tremendae potestatis eius imperio sumus in throno iudicis constituti, dare pacem populis, erroribus legem, moribus disciplinam, Ecclesiae suae unitatem, et decorem viriliter custodire, atque in omnibus iis laudi eius offerre magnificentiam et honorem, ut tandem cum grege nobis credito recipiamus centuplum retributionis coelestium praemiorum.

« Quamvis autem absentes corpore Congregationi vestrae, spiritu tamen et consideratione praesentes, et unanimi desiderio sociati, universitatem vestram rogamus et hortamur in Christo, qui fiat in medio vestrum, iuxta promissionem ineffabilem oris sui, quatenus ad sanctae Religionis constantiam altissimam in qua fundati et stabiliti estis, ad paupertatis amorem, ad fervidae charitatis compagem, ad complementum ministerii vestri praedicationis sanctae verbi Dei, cui vos, et acceptione nominis, et firmitate professionis nexibus alligastis, ad animarum salutem, in venandi labore atque solertia capiendi, ad fructus qui non pereunt in area Domini congregandos, ad vineae Domini electae custodiam, et captionem vulpecularum illam demolientium, et caetera quae Dei sunt et Christi eius, tota vestrorum cordium anhelet intentio et suspiret... Nos quidem, etsi meditationum sedulitas et laborum multitudo circumfluat, de nobis tamen et Ordinis vestri profectibus inter caetera sollicitam mentem gerimus et orationis affectum, ut apponat vos Dominus dilatare in odorem vitae in vitam, et magis ac magis in salutem populorum expandere lumen vestrum, ipso quoque praestante, nostram adhibere curam, ut nostri secundum beneplacitum voluntatis suae adiuti praesidiis, crescatis in domo Domini, et, temporalibus non destituti auxiliis, proficiatis in ipso spiritualibus incrementis ».[1]

In quo documento maxime attendenda sunt haec verba: « Ut apponat vos Dominus... magis ac magis in salutem populorum expandere lumen vestrum »: quod imprimis de doctrina profecto intelligendum est, nempe de doctrina Ordinis, hoc est de ipsamet sancti Thomae doctrina.

[1] *Bullar. O. P.*, to. I, p. 543. Const. *In loco sollicitudinis.*

VI.

ADRIANUS V.

1276.

45. Hic quadraginta dies vix sedit, nihilque quod sciatur de argumento nostro scripsit.

VII.

IOANNES XXI.

1276-1277.

46. Nonnisi pauca ab ipso habentur, siquidem menses octo tantum regnavit.

Ipse tamen de Fratribus cum laude et benignitate pronunciavit die 11 aprilis 1277, ut « quos », ait, « non immerito favore prosequimur et quorum quietem plenis desideriis affectamus ».[1]

Archiepiscopum Corinthium fecit, iuxta plures, Fratrem Guillelmum de Moerboeka, qui, requirente Fratre Thoma, opera Aristotelis vel de novo in latinum transtulit idioma, vel antiquas translationes in melius edidit.

VIII.

NICOLAUS III.

1277-1280.

47. Qui cum esset de Ursinorum familia, Ordini Praedicatorum semper addictissima, non fefellit spem in eo a nostris positam. Ita enim Fratres allocutus est in epistola data die 17 maii 1278: « Ordo vester, institutus divinitus, claret in conspectu Altissimi Patris per beatam sobolem, quam produxit ad haereditatis aeternae gloriam assumendam. Claret in terris tanquam luminare praefulgidum, effundens in gentibus radios claritatis: digne quidem in ipso chorus exsultat angelicus; et nos, qui Or-

[1] *Bullar. O. P.*, to. I, p. 551, Const. *Honoris temporalis*.

dinem ipsum praerogativa conceptae ab eodem specialis dilectionis amplectimur, in eius claritate delectamur, ac in sua religione, veluti stabili soliditate quiescimus, dum vos circa virtutum exercitium iugiter insudantes, per devotarum orationum instantiam et expositionem verbi dominici, quasi Dei mediatores et hominum, salutem quaeritis animarum, et prosperi status universalis Ecclesiae fervidi zelatores eidem indefessis laboribus et argumentosis operibus deservitis. Quare Dominum Deum nostrum anima vestra laetificat, et in ipso laetanter exsultat, quod in humilitatis spiritu confirmati, promptitudine devotionis et operis illius studetis imitari vestigia cuius vias summopere custoditis, qui descendens a Patre luminum et formam servi accipiens, se in laudis sacrificium, placabilem hostiam offerens, immolavit.

48. « Verum ut debitum exsequentes officii nostri, vos ad quaelibet salubria propriis monitis et exhortationibus invitemus, sic, quaesumus, dicti compagem Ordinis in charitatis observantia et unitatis solitae gratia conservetis, sicque ministerium vestrum exsequamini claris operibus, et, verbis dominicis profusis rore benedictionis, utiliter diffundatis, ac exhibeatis vos salutis fidelium inclytos zelatores, et in eorum dilectione et directione affabiles populis christianis, quod vestrum exercitium directos foveat et errantes dirigat ad salutem, semperque dictus Ordo suscipiat, divina favente clementia, felicitatis augmentum, ut digne laudum praemiis attollatur, accrescat assidue prompta devotio fidelium apud Deum, vosque coelestis gratiae plenitudinem promerentes, possitis apprehendere vobis tanquam benedictionis filii, virtute perseverantiae, gaudium repromissionum, et vobis qui in spiritualium administratione proficitis, et ob nomen Domini corporaliter laboratis, et propter utrumque ordinatae charitatis praemium rependatur: universis et singulis de Ordine vestro qui ad instans Capitulum Generale convenerint, et aliis christifidelibus, qui congregatis in eodem Capitulo Fratribus, ipso durante, pietatis suae manus adiutrices, dummodo vere poenitentes exstiterint, et confessi, Fratribus, scilicet diebus singulis quibus ipsum Capitulum durare contigerit, et aliis quoties congregatis ibidem pias eleemosynas erogaverint, de Omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, quadraginta dies de iniuncta sibi poenitentia misericorditer relaxamus.

49. « Caeterum, cum in homine non sit auxilium, sed infirmitas et defectus, ac propter hoc humeros nostros oporteat divinae gratiae sustentari praesidiis, pias affectiones vestras excitet circa debitum charitatis, ut ad imposita nobis portanda salubriter onera servitutis, vestris apud Deum intercessionibus adiuvemur.

« Nos autem a vobis, et specialiter a vestris confratribus Provinciarum vobis circumstantium grata recepisse cognoscentes obsequia, ac eos cum plenitudine benedictionis et gratiae commendantes, vos, et dictum Ordinem in claustro nostrae memoriae retinemus, et portamus in visceribus charitatis, proponentes, quantum cum Domino poterimus, salutiferae vestrae quieti consulere, ac vestra et Ordinis vestri commoda, pro quibus ad nos recurrere cum plena securitate poteritis, promptitudine benedictionis et gratiae promovere ».[1]

50. Frater autem Thomas fuit per quem tunc temporis Ordo « clarebat in terris tanquam luminare praefulgidum, effundens in gentibus radios claritatis »: unde in hoc egregio diplomate de ipso imprimis agitur et praeconium celebratur.

Plura autem beneficia Ordini concessit Nicolaus apud historicos perlegenda.

IX.

MARTINUS IV.

1281-1285.

51. Haec scripsit Generali Magistro Ordinis et Provincialibus, die 10 ianuarii 1282:

« Ad fructus uberes, quos in agro Dominico, praedicando verbo pariter et exemplo, confessiones audiendo, et per alia virtutum exercitia, sacer Ordo vester, et humiles ipsius Ordinis professores produxerunt hactenus, et in futurum sperantur, Deo auspice, producturi, attentae considerationis aciem convertentes, ut Fratres eiusdem Ordinis praedicationis et audiendi confessiones officia eo liberius et efficacius exsequi valeant quo certius de ipsorum circa eadem auctoritate constabit, tibi, fili Magister, per te, vobis vero Provincialibus Prioribus cum Definitoribus in provincialibus vestris Capitulis congregatis, committendi auctoritate apostolica Fratribus eiusdem Ordinis in sacra Pagina eruditis, examinatis et approbatis a vobis, praedicationis officium, audiendi vero confessiones, absolvendi confitentes et iniungendi eisdem poenitentias salutares, etiam Fratribus alias idoneis: concedendi eisdem quoque saepefati Ordinis Fratribus, quibus dicta officia per vos taliter commissa sive concessa fuerint,

[1] *Bullar. O. P.*, to. I, p. 556, Const. *Ordo vester.*

quod eadem libere valeant exercere, plenam damus et concedimus, auctoritate praesentium facultatem... ».[1]

Illa autem « eruditio in sacra Pagina » propter quam Pontifex huiusmodi privilegium praedicandi et confessiones audiendi, aliaque huiusmodi Ordini concedit, a Fratre Thoma praesertim in Ordine habita est, ut cuique intuenti patet.

X.

HONORIUS IV.

1285-1287.

52. Haec de Fratribus Praedicatoribus scripsit Episcopo Tiburtino die 19 iulii, anno 1285:

« Considerantes attentius fructus uberes qui ex Ordine Fratrum Praedicatorum proveniunt fidelium animabus, Ordinem ipsum et professores illius favore prosequimur speciali, ad plantandum eundem Ordinem in locis congruis, opem et operam benignius impendentes... ».[2]

Alias vero: « In Ordine Fratrum Praedicatorum quasi solis radius habitantibus in lacrymarum valle lux eruditionis illucet, dum ipsius Ordinis professorum fructuosa studia mentes fidem orthodoxam confitentium fragiles in tenebras erroris inimici hominis suggestione illapsas lumine veritatis illustrant, et spinas punctionis lethiferae in horto succrescentes Domini novacula labiorum succidunt, in quibus aeternae Sapientiae gratia est diffusa. Quare dictus Ordo, qui nempe in medio Ecclesiae in germina ineffabilis utilitatis succrescens ut spiritualium fructuum ubertatem multifariam multiplicet, non lassatur labore, votivis confovendus est gratiis et gratiosis beneficiis attollendus ».[3]

53. Et ipsos Fratres alias allocutus, die scilicet 19 ianuarii 1286: « Religionis favor, sub qua virtutum Domino deservitis, et fructus uberes, qui ex vestris laboribus in Ecclesia universali, divina gratia cooperante, proveniunt, nos inducunt ut illa vobis favorabiliter concedamus per quae

[1] *Bullar. O. P.*, to. II, p. 1, Const. *Ad fructus uberes.*

[2] Ibidem, to. II, p. 6. Const. *Considerantes attentius.*

[3] *Regest. Honorii IV*, an. I, Epist. 77. Idem repetit elogium in Epistolis 78, 79, 80.

ab impedimentorum obstaculis liberati, fructificare liberius in eadem Ecclesia valeatis... ».[1]

Et ita demum postea, die 13 februarii, eodem anno: « Eo libentius operarias manus apponimus et apostolici favoris suffragium impertimur, quo sinceriori affectione prosequimur, et uberiores producere noscitur in Ecclesia Dei fructus... ».[2]

Qui fructus ab ipsa doctrina a Fratre Thoma enucleata enasci oppido dicendi sunt: per ipsum quippe « in Ordine Fratrum Praedicatorum quasi solis radius lux eruditionis » illuxit; ab ipso imprimis fuere illa « fructuosa studia » quae « mentes fidelium lumine veritatis illustrant ». Hinc est quod Pontifex ille innovavit, die 20 novembris 1285, privilegium ab Alexandro IV concessum, lauream nempe theologicam et ius docendi in ipso Ordine, iisdem prorsus usurpatis verbis.[3]

XI.

NICOLAUS IV.

1288-1292.

54. Haec ad Ordinem scribit die 28 iulii 1288: « Dum infra mentis arcana revolvimus quod Ordo vester, in agro Dominico superna dispositione plantatus,[4] uberes in horreum Domini fructus infert, quodque salutis commoda grandia ex vestrae sollicitudinis studio, quod laudabiliter continuare satagitis, fidelium proveniunt animabus, dignum et rationi conveniens arbitramur ut vos dictumque Ordinem opportuni favoris prosequamur auxilio, et specialis gratiae privilegio muniamus ».[5] Hincque decernit Or-

[1] *Bullar. O. P.*, to. II, p. 9, Const. *Religionis favor.*

[2] Ibidem, to. II, p. 10, Const. *Ad sacrum fratrum.*

[3] Ibidem, to. II, p. 9, Const. *Virtute conspicuos.* Textum supra retulimus. Adeas, si libuerit, *Mare magnum* BONIFACII VIII, ibidem, to. II, p. 48, Const. *Virtute conspicuos*, data die 19 iunii 1296.

[4] Adverte hic Ordinem Praedicatorum dici « divina dispositione plantatum », quod rursus asseretur in Constitutione *Dum sollicite*, data die 28 iulii, anno 1291 (cf. ibidem, to. VII, p. 49), sicut prius a Nicolao III dictus est, die 17 maii 1278, Const. *Ordo vester:* « institutus divinitus ». Ibidem, to. I, p. 556. Ita et alii plures. Inde collige quantae utilitatis esse passim agnitus fuerit, imprimis quoad scientiam sacram.

[5] Ibidem, to. II, p. 20, Const. *Dum sollicitae.* Eadem iteravit verba die 28 iulii, anno 1291, ut videre est ibidem, to. VII, p. 49. Const. *Dum sollicitae.*

dinem solius Romani Pontificis iuris et potestatis esse, subque eius ditione poni penitus.

Hic adverte, Nicolaum Ordini laudes tribuere quod « laudabiliter continuare satagat » sicut hucusque fecerat eadem proinde doctrina, iisdem privilegiis.

XII.

COELESTINUS V.

1294.

55. Qui nonnisi per tres menses sedit: sed tamen sese Ordini devotissimum ostendit: unde ista de eodem pronuntiavit, die 1 septembris, an. 1294.

« Clara Ordinis Fratrum Praedicatorum religio, virtutum fecunditate referta, et tota per bonorum operum studia Domino stabilita, ex suae institutionis exordio, ad robur et munimentum [1] erecta fidei orthodoxae, per insignium gratiam meritorum et sacrae praedicationis doctrinam, uberes hactenus in universali Ecclesia honestatis fructus, protulit ac salutis, et proferre non desinit incessanter. Quare religionem tam perinsignem, tam sanctam et professores ipsius sincera diligentes in Domino charitate, in his quae ipsius religionis favorem et profectum respiciunt, efficacis sollicitudinis studium libenti animo adhibemus ».[2] Hinc inter caetera confirmavit privilegia Ordini anterius concessa *Mare magnum* vulgo nuncupata, praesertim circa studia theologica. Hic adverte Ordinem per Fratrem Thomam imprimis aptum factum esse « ad robur et munimentum fidei orthodoxae ».

[1] Textus habet: « monumentum », ex lectione errata, nisi fallor.

[2] *Bullar. O. P.*, to. VII, p. 49.

XIII.

BONIFACIUS VIII.

1294-1303.

56. Quamplurimis egregiisque encomiis Ordinem Praedicatorum eiusque doctrinam prosecutus est Bonifacius, beneficiisque cumulavit.

Ex omnibus unum aut alterum referimus. Ita scilicet die 10 maii 1296: « Inter caeteros Ordines quos coelestis Agricolae summa benignitas in horto plantavit Ecclesiae, sacrum vestrum Ordinem, iam per orbis provincias, superna gratia propagante, diffusum, dum minori fungeremur officio, sincera charitate deleximus, ad statum eius feliciter promovendum sollicitis studiis intendentes. Nec minuit utique, sed auxit potius circa ipsum praehabitae dilectionis affectum personae nostrae subsecuta promotio ad apicem apostolicae dignitatis, cum tanto propensius ad ipsius Ordinis intendamus augmentum, quanto nobis facultas praestantior... noscitur coelitus attributa ».[1]

Et iterum die 12 aprilis anno 1300: « Inter religiones quas ad Curiae Coelestis obsequia et salutem fidelium populorum statuit in terris Providentia divina in consilium, Ordo vester Praedicatorum praecellentium operum claritate praefulgens, Deo se placitum exhibet, et apud singulos gratiam gloriosae opinionis effundit. Circa cuius statum eo perspicacius aciem mentis extendimus, eiusque perspicacem gloriam eo desiderabilius affectamus quo per eum tam Apostolicae Sedis quam universalis Ecclesiae ampliores fructus commodi et honoris accrescunt ».[2]

57. Hinc *Mare magnum* suum edidit, die 19 iunii 1296: quod privilegia privilegiis auxit, cumulavit, cuiusque initium est: « Virtute conspicuos sacri vestri Ordinis professores qui contemplationi coelestium ferventer invigilant, et piae vitae studio sine intermissione desudant, decet per apostolicae circumspectionis... ».[3]

[1] *Bullar. O. P.*, to. II, p. 47, Const. *Inter caeteros.*

[2] Ibidem, to. II, p. 60, Const. *Inter religiones.* Cf. ibidem, p. 51, Const. *Petitionibus vestris*, et p. 60, Const. *Coelestis Agricolae*, etc.

[3] Ibidem, to. II, pag. 48, Const. *Virtute conspicuos.* Id notandum est, Pontificem nempe in condenda Bulla celeberrima *Unam Sanctam*, usum esse imprimis opera Egidii Romani, ut ferunt, qui sancto Thomae discipulus devotissimus remanserat.

Illa autem « contemplatio coelestium » nihil aliud est in Ordine Praedicatorum quam sublimis Theologia a Fratre Thoma inducta et propagata atque etiam aucta. Hinc est quod in praedicto diplomate omnia confirmantur privilegia de studiis sacris in Ordine habendis.

XIV.

BENEDICTUS XI.

1303-1304.

58. Qui ab Ordine Praedicatorum assumptus est, nec nisi sex menses regnavit.

Mentem suam de doctrina qua imbutus fuerat quamque et ipse edocuerat, manifestavit duobus imprimis diplomatibus.

Ita primo die 13 februarii, anno 1304: « In Ordine Fratrum Praedicatorum quasi solis radius habitantibus in hac lacrymarum valle, lux eruditionis illucet, dum ipsius Ordinis professorum fructuosa studia mentes fidem orthodoxam confitentium suggestione illapsas lumine veritatis illustrant, et spinas punctionis lethiferae, in horto succrescentes Dominico, novacula labiorum succidunt, in quibus aeternae Sapientiae gratia est diffusa ».[1]

59. Et alias die nempe 10 martii, anno 1304, eosdem laudat Fratres « velut splendentia sidera in Ecclesiae firmamento, et tanquam lucernas ardentes in Domo Dei illuminantes cunctos evangelicis documentis et spiritualibus radiis ostendentes mortalibus viam vitae ».[2]

Illa doctrina soli comparata nulla alia est nisi doctrina Thomae a discipulis continuata, immo ab ipsomet Pontifice prius, dum Frater Nicolaus Boccasini audiret, in lectionibus tradita.[3] Hinc omnia Ordinis privilegia, imprimis de studiis, confirmavit, novaque superaddidit.[4]

[1] *Bullar. O. P.*, to. II, p. 86, Const. *In Ordine Fratrum.*

[2] Ibidem, to. II, p. 93, Const. *Ex horto delicioso.* Vide ibidem, p. 95, ad diem 12 martii eiusdem anni, Const. *Inter caeteros.*

[3] De quo cf. FIETTA, *Niccolò Boccasino*, vol. I, cap. II.

[4] Superaddidit quaedam communia tum Praedicatoribus tum Minoribus, die 17 februarii, 1304. *Bullar. O. P.*, to. III, p. 88, Const. *Inter cunctas.* Specialia vero Ordini concessa immutata voluit remanere; immo quandoque Conservatores instituit qui huiusmodi privilegia tuerentur. Die 10 martii 1304; ibidem, to. II, pp. 92-93, Const. *Super egenum.*

XV.

CLEMENS V.

1305-1314.

60. De doctrina Fratris Thomae nihil egit in epistolis ille Pontifex, quam tamen per Concilium Viennense, a se edictum, professus est tenere, immo in quibusdam Ecclesiae imposuit; siquidem plura in illo Concilio decreta et definita sunt ex Thomae doctrina, imprimis de unitate formae substantialis in homine: quod infra fusius ostensuri sumus ubi de *Testimoniis Conciliorum*, seu rectius de testimonio Concilii Viennensis.

Voluit caeterum in Ordine Praedicatorum conventus novos institui, v. gr. in ipsa praedicta civitate Viennensi, die 8 septembris 1311, « iuxta mores, Regulam, Constitutiones et Privilegia Ordinis Praedicatorum »;[1] quae privilegia sarta tectaque omnino servari voluit, proindeque et de studio cum Fratris Thomae doctrinis.

XVI.

IOANNES XXII.

1316-1334.

61. Pontifex ille fuit qui, disponente Domino, Fratrem Thomam inter Sanctos connumeravit, unde optime de sancto Doctore et discipulis meritus est: quod ex documentis, praesertim circa doctrinam, aliquatenus evolvendum occurrit.

Dum scilicet vigebat ubique et florebat in doctrinam ipsius admiratio, non sopiebat tamen in virtutes eius devotio. Hinc est quod anno 1318, quadragesimo nempe quarto post Angelici obitum felicem, varii ab Italia principes, immo et reges ad Papam Avenione degentem legatos nobiles miserunt qui canonizationem sancti Doctoris, iam miraculis non minus quam scientia celeberrimi efflagitarent.

Quibus ita respondit Pontifex: « Nos credimus quod Fratrer Thomas

[1] *Bullar. O. P.*, to. II, p. 120, Const. *Per devotorum*. De hisce omnibus lege P. Touron, *Vie de saint Thomas*, liv. III, cap. XVIII-XIX.

est gloriosus in coelo quia vita sua fuit sancta, et doctrina eius non potuit esse sine miraculo ».[1]

Inde in proxime sequenti Consistorio, postquam legati petitionem suam exhibuissent, addidit Papa, Cardinales allocutus: « Fratres, nos reputamus nobis ad magnam gloriam et nostrae Ecclesiae, si istum sanctum possumus Catalogo Sanctorum adscribere, dummodo aliqua miracula possint de eo inveniri: quia ipse plus illuminavit Ecclesiam quam omnes alii Doctores; in cuius libris plus proficit homo uno anno, quam in aliorum doctrina toto tempore vitae suae ».[2]

In plausum eruperunt omnes Cardinales, ex quibus Pontifex, absque mora, tres selegit qui de Angelici virtutibus et miraculis referrent,[3] satagentibus ex Ordine viris egregiis, imprimisque cardinalibus Nicolao de Prato, Guillelmo de Godivo, et Nicolao de Francavilla, una cum Fratre Guillelmo de Tocco, promotorem agente.

Iussit igitur Summus Pontifex, die 13 septembris, anno 1318, ut inquireretur in Curia de Fratre Thoma, qui fuit « sacrae Theologiae doctor, dum viveret nitore sanctitatis emicuit, conversatione resplenduit ».[4] Alteram inquisitionem variis in locis postmodum, anno scilicet 1321, die 1 iunii,[5] quae die 26 novembris eodem anno completa est, fieri iussit.[6]

62. Canonismus Angelici Doctoris, die 18 iulii, anno 1323, quinquagesimo scilicet ab eius morte sanctissima, celebratus solemnissime fuit.

Hic transcribenda nobis ex Bulla sunt ea quae doctrinae laudem respiciunt:

« Ioannes episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus Fratribus universis, Patriarchis, Decanis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis electis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Archipresbyteris aliisque ecclesiarum Praelatis, ad quos litterae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

« Redemptionem misit Dominus populo suo, cum Verbum Dei in virginalis uteri thalamo, Sancti Spiritus cooperatione conceptum, caro factum est, et habitavit in nobis, verbo suo nos instruens, exemplo docens, coelestia reserans, occulta miraculis roborans, ac sacri eloquii testimoniis futura eadem esse confirmans, tandem se Deo Patri in ara crucis

[1] *Acta Ss.*, vol. I martii, p. 681, n. 81 sq.
[2] Ibidem, p. 682.
[3] Qui fuerunt Guillelmus Arnaldus de Auxio, gallus; Guillelmus Testa, pariter gallus, et Guillelmus Longus, italus.
[4] *Bullar. O. P.*, to. II, p. 145, Const. *De occultis*.
[5] Ibidem, to. II, p. 151, Const. *Cum super*.
[6] Cf. Echard, *Scriptores, O. P.*, to. I, p. 552.

hostiam acceptabilem offerens, peccata nostra pio cruore detersit, descendensque ad inferos, ac die tertia resurgens ex mortuis, per quadraginta dies apparens discipulis et loquens de regno Dei, ipsis cernentibus, est elevatus in coelum, et captivam ducens captivitatem, dedit dona hominibus, quibus patescere coelum innotuit, reserata dudum clausa in se credentibus ianua Paradisi. Patet ergo coelum credentibus, patet humilibus, patet etiam iis qui castitatis, paupertatis et obedientiae votis se Deo, a quo stulti per inobedientiam discesserant, voluntaria sponsione devovent. Regnum coelorum vim patitur et violenti rapiunt illud, dum propriis subactis affectibus, violentia quadam ad superiora conscendunt.

63. « Haec igitur beatus Thomas de Aquino, Ordinis Fratrum Praedicatorum, sacrae Theologiae doctor, nobilis quidem genere, sed nobilior conversatione, fama clarus, vita clarissimus,[1] sedula meditatione revolvens et attenta deliberatione discernens, dum adhuc infra pubertatis annos exsisteret, ipsius Ordinis Praedicatorum habitum suscepit, in eo, invito etiam patre, qui eius felicibus actibus invidebat, cônstantius mansit, ac in ipso tandem regularem professionem emisit, ubi in brevi adeo scientia, vita et moribus profecit, ut aetate adhuc iuvenis ad sacerdotium promoveretur, et ad eiusdem Theologiae magisterium Parisiis, loco utique celeberrimo, assumptus, magno inibi sui suique Ordinis ac Parisiensis Studii favore, per multorum annorum curricula cathedram regeret magistralem. Quippe cum illi vita exsistentiam, conversatio famam, doctrina pareret opinionem, opera divulgationem, eademque tam brevi confecta tempore, admirationem merito exhiberent, ut illud *Psalmi*: " Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra "[2] in eo verissime impleretur.[3] Quod utique thema idem Sanctus, dum esset in sacra Pagina incoepturus assumpsit, quodque, ut fertur, revelatione sibi post

[1] Quod hisce distichis expressit atque interpretatus est Fr. PETR. MONTEYRO, inter sua *Epigrammata in laudem divi Thomae*, n. XIX:

« En fama clarus, vita clarissimus exstat
Mortales inter moribus Angelicus!
« Sic sol in coeno dum sese saepe volutat,
Non tam inde luem contrahit atque lutum.
« Non hunc nigra tegunt, non lucida nubila condunt:
Coelestem solem nulla decet macula ».

[2] *Ps.* CIII, 13. Vide supra, p. 10 sqq. in notis.

[3] Miraculum quoddam est quod Thomas, brevissimo vitae spatio, viginti nempe annorum circiter, scripserit 891 lectiones in Aristotelis libros, 463 capita in *Summa contra Gentes*, 2931 articulorum in *Sententias*, 2652 articolorum in *Summa Theologica*, una cum solutione 10,000 difficultatum et amplius, 510 articulos in *Quaestionibus disputatis*, 260 articulos in *Quodlibetis*, 1200 capita vel

suam orationem facta didicerat, dum propter iuventutem suam se inhabilem ad magisterium reputans, quid proponeretur in instanti Principio[1] haesitaret. Nam et in primitivis scientiis et diversis Philosophiae partibus, ut non esset otiosus... scripta plurimaque alia Dei opera[2] in Dei laudem fideique dilatationem eruditionemque studentium, clara, cum sciens esset, famosa cum cognitus, non absque speciali Dei infusione perfecit.[3] Doctrina quippe prudentium facilis et omnino scientis signum est posse docere. Profecit itaque vir peritus, a terrenorum ambitione semotus, et ad coelestium assecutionem intentus, perfecto vacans studio, intendebat Deo, praetermittebat terrena, ut assequeretur aeterna; praemittebat divina, ut roboraretur in schola, cum singulis diebus, antequam lecturus ascenderet cathedram, vel distraheretur ad alia, missam unam celebraret, aliam audiret...[4]

« Qui propterea vir Dei, cibis religiosorum vestimentisque communibus contentus, conversatione mitis, benignitate suavis, pietate misericors, humilitate subiectus, caeteraque virtutum varietate redimitus, ho-

articulos circiter in opusculis variis, 221 sermones circiter, 850 capita in *Catena aurea*, 803 lectiones in Scripturas Sacras: nempe summatim 10,781 doctrinarum capita.

[1] Quid Principium esset supra diximus, pag. 9 sq.

[2] Notabile prorsus cuique apparebit quod Pontifex hic scripta etiam divi Thomae vocet « Dei opera ». Quod ita interpretatus est Fr. PETR. MONTEYRO, *Epigrammata*, n. XX:

« Moysen de libro vitae non dextera delet.
Emendat libros nulla litura Dei.
« Nulla tuos, o Doctor, inumbrat linea libros,
Scriptaque mortali non abolenda manu.
« Sunt tua velne Dei haec opera, inclyte Thoma?
Non tua, sed potius crediderim esse Dei ».

Nonnulla tamen immutavit Thomas in propria doctrina ad maiorem probabilitatem, quae hic notamus imprimis:

In 1ª q. 36, a. 4, 7m, in ordine ad I *Sent.*, dist. 11, a. 4.
In 1ª q. 45, a. 5, in ordine ad IV *Sent.*, dist. 5, q. 1, a. 3.
In 2ª-2ae q. 8, a. 6, in ordine ad III *Sent.*, dist. 34, q. 1, a. 2, et 1-2ae q. 68, a. 4.
In 3ª q. 9, a. 4, in ordine ad III *Sent.*, dist. 14, a. 3.
In 3ª q. 70, a. 4, in ordine ad IV *Sent.*, dist. 14, a. 3.

[3] Id hisce verbis enarrat Fr. PETR. MONTEYRO, *Epigrammata*, n. XXI:

« Mirabantur Thomae verissima scripta legentes
Omnia praesenti sunt operata Deo.
« Non ego mirabor, siquidem perfecta leguntur
Praecipuo Magni Numinis auxilio.
« Sed quid habet monstri, vel quae res mira videtur,
Tam bene si scripsit, quem Deus erudiit? »

[4] Vel si quandoque non celebraret, duas missas audiebat.

norum supercilium mulierumque cautius consortia spernebat; non elatus, non praeeminens, nec etiam disputans, quod et interdum disputantium solet esse commercium, iactator effectus, ut ampullosis, etiamsi sibi eadem iniicerentur ab aliis, in illo palaestricae syllogizationis exercitio uteretur.[1]

64. « Totus igitur Dei famulus divinis operibus intentus, aut eruditioni qua praecellebat, aut praedicationi qua immotus erat, aut orationi qua devotus, aut Scripturae Sacrae qua profundus, sedulus vacabat, adeo ut, praeter naturalis necessitatis aut quietis horas, nullum sibi, aut vix temporis spatium relinqueret otiosum.

« Appropinquante autem die qua de hoc saeculo migraturus esset ad Dominum, quaque, devicto triumphatoque mundo, in perpetuas aeternitates recipiendus erat in patria, nam bonorum laborum gloriosus est fructus, cum a fel. rec. Gregorio papa X, praedecessore nostro, ad Lugdunense Concilium diceretur esse vocatus, de Neapoli veniens, ubi tunc temporis more solito famose legebat ut doctor... cum ad monasterium Fossae Novae... pervenisset, intrans monasterium, plenus Dei Spiritu, haec verba protulisse refertur: " Haec requies mea in saeculum saeculi. "[2] Quod verum esse eventus edocuit... Coepit enim illic in infirmitate corporis gravari eadem, viribus paulatim destitui, infirmitatem tamen ipsam, etsi dierum plurium, non impatienter tolerans, sed aequanimiter... patientia supportans, qua sibimet leniret infirmitatem, Deo obedientia placeret, ministris de se... aggeneraret reverentiam... Haec in sancto viro religionis exempla contemplantes... singuli ligna de sylva, singuli quoque illi opportuna voluntarie propriis humeris deferebant, non existimantes fore conveniens ut brutorum animalium humeri in portandis eidem rebus accommodis praestarent obsequia, qui tantarum virtutum praerogativa pollebat. Cumque, in eadem infirmitate de qua obiit, sanctissimum Dei et Domini nostri Iesu Christi corpus... ut viaticum deferretur, totus profusus in lacrymis... inter caetera multa et decora quae protulit, haec vel similia fidei et devotionis verba, toto illius monasterii conventu, multisque dictorum Praedicatorum et Minorum Ordinum assistentibus Fratribus, eructasse fertur: " Ego de illo sanctissimo Corpore Domini Nostri Iesu Christi et aliis Sacramentis multa docui, multa scripsi in fide Iesu Christi et sanctae Romanae Ecclesiae, cuius correctioni cuncta subiicio, cuncta suppono. " Recepto ab ipso eodem vivifico Sacramento cunctisque aliis Sacramentis Ecclesiae debita veneratione... susceptis, tertio die obdormivit in Domino cui credidit, quem amavit, et tota mentis affectione dilexit. Fidelis servus et prudens, non pertinax, non proprio sensui aut prudentiae innitens, et nulla de scientiae suae opinione superbus... Verum quia dignum erat... ut quem Deus viventem in hoc saeculo tantis suis donis gratiisque perfecerat, assumptum in coelis sanctificatum fore hominibus declararet, multis... post ipsius transitum... magnisque fecit clarere miraculis ».

[1] Alludit Pontifex ad illud quod narrat Bartholomaeus de Capua, in Processu Canonizationis sancti Thomae, scilicet « se audivisse a pluribus Fratribus Praedicatoribus fide dignis quod quando idem Frater Thomas una vice disputabat Parisiis, ubi erat Frater Ioannes de Peckam, Ordinis Fratrum Minorum, qui fuit postea Archiepiscopus Cantuariensis, quantumcumque Frater Ioannes exasperaret eundem Fratrem Thomam verbis ampullosis et tumidis, nunquam tamen ipse Frater Thomas restrinxit verbum humilitatis, sed semper cum dulcedine et humilitate respondit ». Vide *Acta Ss.*, to. I martii, p. 712. Qui cupiverit ampullositatem Fratris Peckam aliquatenus notam habere, adeat Denifle, *Chartularium Univ. Paris.*, to. I, p. 624-627.

[2] *Ps.*, CXXX, 14.

65. Nonnulla ex trecentis prodigiis enarrat Pontifex, indeque colligit: « Haec sunt testimonia tua, Deus, quae de hoc viro iusto nobis credibilia facta sunt nimis: nam si testimonium hominis accipimus, testimonium Dei maius est quo animam eius coelum possidere iam credimus, intercessorem ipsum exspectamus, ac inter Sanctorum agmina quasi stellam matutinam eum fidimus esse locatum. Unde fidem tuam in nobis, bone Iesu, nutris, spem erigis, dilectionem charitatis accendis.

66. « Laetetur itaque Mater Ecclesia, exsultet Italia, parens Campania iucundetur; Praedicatorum sacer Ordo iam iubilet, Religiosorum devotio concrepet, Doctorum turba complaudat, animentur ad studia iuvenes, provecti non torpeant, senes delectentur in illis, omnes in humilitate proficiant, provecti contemplationem non deserant, mandata Dei seduli exsequantur. Nam dedit illi Deus cor ad praecepta et legem vitae et disciplinae, et sapientia humiliati exaltabit caput illius. In medio Ecclesiae aperuit os eius, et implevit eum Dominus spiritu sapientiae et intellectus, stolam gloriae induit illum. Nam Veritas, quae est Christus, ipsa veris, non fictis Doctoribus pollicetur: " Qui elucidant me vitam aeternam habebunt " ».[1]

Quae conclusio sane significatum specialissimum exhibet videlicet celebritatis in honorem sancti Thomae enuntiatae, quod nempe agnitus sit ut Doctor inter omnes eximius.

67. Id rursum patebit ex aliis orationibus tunc a diversis pronuntiatis oratoribus: in singulis enim affulget intentum illud, scilicet cele-

[1] Die 18 iulii an. 1323, *Bullar. O. P.*, to. II, p. 159, Const. *Redemptionem misit*, ubi et legendae sunt adnotationes eruditione refertae P. Bremondii, viri doctissimi simul et piissimi.

brandum esse sanctum Thomam de Aquino qua Doctorem venerabilem Ordinis Praedicatorum. En quae enarrat fusius P. Percin:

« Feria enim quinta ante festum sancti Alexii, quae fuit secundo idus iulii, [1] facti sunt sermones in palatio domini Papae super canonizatione eius, et ipse Dominus Papa primo praedicavit, praemittens ante thema: " Haec dies boni nuntii, et si tacuerimus, et celaverimus usque mane, sceleris arguemur " ». [2]

« Et post haec praedicavit de hoc themate: " Scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum. " [3] Et mirabiles commendationes proposuit tam de Praedicatorum Ordine quam de Sancto. Inter caetera dixit quod iste Sanctus in Ordine Praedicatorum gessit vitam apostolicam: quia Ordo nihil in proprio habet in speciali, licet habeat in communi, addens: " Et hanc vitam apostolicam reputamus. "

« Addidit quod nullus haberet pro malo quod iste gloriosus Doctor post Apostolos et Doctores primos plus illuminavit Ecclesiam Dei.

« Item, quod virginitatem usque ad mortem servavit.

« Item, quod in vita sua peccatum mortale non commisit.

« Item, quod inventa fuerunt de eo miracula non minus trecentis, et quod tot fecerat miracula quot scripserat articulos. [4]

« Post dominum Papam praedicavit Fr. Petrus Canterii, de Ordine Praedicatorum, tanquam qui negotium ducebat, quia magister Ioannes de Neapoli, Procurator negotii, iacebát infirmus, et praedicavit de hoc themate inter omnes eleganter: " Ad praeceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum. " [5]

« Post hunc praedicavit dominus Robertus, Rex Siciliae et Ierusalem, frater sancti Ludovici Episcopi Tolosani, de hoc: " Ille erat lucerna ardens et lucens. " [6]

[1] Die scilicet 14 iulii.

[2] IV *Reg.*, VII, 9.

[3] *Is.* IV, 4.

[4] Quod dictum merito celeberrimum hisce versibus interpretatus est Fr. PETRUS MONTEYRO, *Epigrammata*, n. XVIII:

« Grandia sunt, fateor, numerosa volumina, libri
Multi, quae scripsit: plus placet una manus:
« Scripserat articulos quot tot miracula fecit
Vox Summi vetus est veraque Pontificis.
« Oh! immortalem dextram, nusquam perituram,
Cuius sunt omnes prodigia articuli! »

[5] *Iob*, XXXIX, 27.

[6] *Ioan.*, V, 35. Robertus Andegavensis, Rex Siciliae et Ierusalem (1309-1343), cognomine *Sapiens* vel *Bonus*, eximie laudatur a PETRARCA poeta coaevo. Ita et IOANNES VILLANI: « Questo re Ruberto fu il più savio re tra' cristiani già sono

« Postea quidam patriarcha de Ordine Praedicatorum [1] de hoc: " Similem illum fecit in gloria sanctorum. " [2]

« Postea Archiepiscopus Capuanus [3] de hoc excellenter: " Lucerna splendens super candelabrum. " [4]

« Postea quidam episcopus de hoc: " Ite, renuntiate Ioanni quae audistis et vidistis, " [5] et quasi dirigens verba ad eos qui fuerant missi ex parte domini Ioannis Papae ad inquirendum de vita et miraculis huius Sancti.

« Post haec Archiepiscopus Arelatensis [6] de hoc: " Henoch translatus est in Paradisum. " » [7]

« Postea Episcopus Ludovensis, Frater Minor, de hoc: " Doctor gentium in fide et veritate. " [8] Nec fuerunt tunc auditae tot commendationes de sancto Thoma sicut ab illo.

« Haec facta sunt feria quinta, quae fuit secundo idus iulii.

« Sequenti vero feria secunda, quae fuit crastinum sancti Alexii, XV scilicet calendas augusti, [9] in ecclesia Beatissimae Virginis in Avinione,

cinquecento anni, e di senno naturale e di scienzia, come grandissimo maestro in Teologia e sommo filosofo ». *Cron.*, XII, 10. DANTES vero poëta ipsum odio habuit, eo quod iura Pontificis tueretur contra imperatorem Germaniae Henricum VII: unde ipsum vocat « re da sermone ». *Parad.*, VIII, 147. Quod ita interpretatur cod. Cassin.: « Rex Robertus delectatus est in sermocinando et studendo, et sic magis religiosus fructificasset quam in regno tenendo ». Adverte Robertum fuisse Thomae parentela affinem.

[1] Plures tunc temporis in Ordine floruerunt patriarchae. Cum tamen ille qui praedicavit verosimilius gallice praedicaverit proindeque et linguam gallicam callere debuit, colligendum exinde esset oratorem illum fuisse Fr. Raymundum Bequin, Tolosatem, doctorem parisiensem, ex magistro Sacri Palatii, Patriarcham Hierosolymitanum. Obest vero quod Patriarcha renuntiatus fuerit nonnisi die 19 martii an. 1324. Cui exceptioni id reponi potest, scilicet vel quod Patriarcha ille fuerit nominatus aliquot menses ante ipsam praeconizationem, vel quod probabilius scriptor veteris documenti post aliquod tempus a canonizatione relationem suam compilaverit, unde dixerit patriarcham fuisse illum qui nonnisi post canonismum patriarcha evasit: et hoc eo rationabilius asseri potest quo plenius ipsum nomen Patriarchae in oblivionem miserit. Plures tamen volunt illum fuisse Odonem Sala, Pisanum, promotum in Patriarcham Alexandrinum, die 6 iunii, 1323. De quo cf. EUBEL, *Hierarchia Catholica*, to. I, p. 81.

[2] *Eccli.*, XLV, 2.

[3] Archiepiscopus Capuanus fuit Ingherammus (Stella).

[4] *Eccli.*, XXVI, 22.

[5] *Matth.*, XI, 4.

[6] Cuius nomen fuit « Gaillard II de Saumate » qui paulo post obiit, die 31 iulii 1323, vel, quod volunt alii, 1324.

[7] *Eccli.*, XLIV, 16.

[8] I *Tim.* II, 7. Iste fuit Fr. Ioannes de la Tixeranderie, electus Episcopus Ludovensis, vulgo « de Lodève », anno 1322.

[9] Die nempre 18 iulii.

praesentibus Rege praedicto et Regina, omnibus Cardinalibus,[1] et omnibus Praelatis Curiae, dominus Papa celebravit missam de sancto Thoma, et praedicavit de hoc: " Magnus es tu et faciens mirabilia. "[2]

« Et dominus Rex fecit praeconizari per totam civitatem quod omnes festivarent sicut in die Natalis, quod et factum est.[3]

68. « Postea vero facta sunt iugiter solemnia festa in conventu Praedicatorum, Avenione, per Regem et Reginam, et per diversos Praelatos, ad quae venerunt cum mirabili laetitia domini Cardinales.

« Per idem tempus, cum venirent Fratres Praedicatores ad regratiandum praedicto domino Regi, qui fideliter laboraverat in facto sancti Thomae, respondit Rex: " Nos ita efficaciter laboravimus et laborasse volumus, quia quando volumus aliquid pro persona nostra, a sanctissimo Patre nostro significamus ei per cedulam: sed pro isto Sancto libenter, quando oportuit, accessimus personaliter ad Beatitudinem suam. "

« Dominus autem Papa sic scripsit dominae Clementiae, Reginae Franciae,[4] die 30 iulii 1323:

" Ioannes Episcopus, servus servorum Dei, dilectae in Christo filiae Clementiae, Reginae Franciae illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

" Ad gaudium Regali providentiae nunciamus quod XV kalendas augusti proxime praeteritas, virum recolendae memoriae, Fratrem Thomam de Aquino, Ordinis Praedicatorum, ad Dei laudem et gloriam, exaltationem quoque Ecclesiae triumphantis, et consolationem plurimam militantis, de Fratrum nostrorum consilio, et ad supplicationem multorum Praelatorum ibi assistentium, duximus Sanctorum Catalogo aggregandum.

" Gratia Domini nostri Christi sit tecum.

" Datum Avenione, III kalendas augusti, pontificatus nostri anno septimo " ».[5]

[1] Qui circa septemdecim adfuerunt.

[2] *Is.* LXXXV, 10. Dolendum sane est, dum multi Pontificis Sermones servantur, quod sermones hic habiti hucusque desiderentur.

[3] Ita ut nempe non modo omnes ab operibus servilibus abstinerent, sed festum maxima solemnitate celebrarent.

[4] Quae fuerat Caroli I, Hungariae Regis, filia, nupsitque Ludovico X, Regi Franciae.

[5] *Bullar. O. P.*, to. II, p. 164, Const. *Ad gaudium.* Omnia de canonismo divi Thomae hic relata nobis ex veteri documento exhibuit P. PERCIN in suo *Monum. Conv. Tolos.*, p. 229, sqq. In quo tamen nonnulla desiderantur, v. gr. inter festivitates praedicasse etiam Episcopos Londinensem, scilicet Stephanum de Gravesand, et Wintoniensem, nempe Ioannem de Stratfort.

69. Ex quibus omnibus, praesertimque orationum panegyricarum thematibus, perspicue patet sanctum Thomam qua eximium scientia Doctorem inter coelites connumeratum solemnissimo ritu fuisse. Istud egregie inter omnes significavit Episcopus ille Ludovensis, ex Ordine Minorum, qui orationi suae id thema praefixit: « Doctor gentium in fide et veritate », quod de se ipso professus est Paulus.

Post tanta tamque illustria in doctrinam divi Thomae encomia prolata, et quidem directe, vix opus est ut alia referam, quae, etsi Ordini concessa, in laudem Doctoris Angelici demum cedunt. Hoc unum tamen vel alterum, pro demonstrationis nostrae plenitudine exscribendum ducimus. Ita die 30 maii 1318 ait Pontifex: « Lucis Creator optimus, saluti humani generis clementer intendens, sacrum vestrum Ordinem lucernam pedibus hominum et eorum semitis lumen dedit, ut videlicet tanquam lucerna igne charitatis ardens, et velut lumen doctrinae fulgore perlucidum et super candelabrum eminentis religionis erectum, omnibus in Domo Domini reluceret ». [1]

Haud secus alias, die nempre 10 iulii, 1318: « [Ordo Praedicatorum] inspirante Deo, velut coelum micat sideribus, sic personarum numero et virtute coruscat »; [2] vel demum, die 26 aprilis 1325: « Ordo [Praedicatorum] inter alios coelesti splendore coruscans, universam Gregis Dominici aulam illuminat, et currentibus in stadio rectum iter insinuat ». [3] Quae illuminatio a Thoma imprimis fuit.

XVII.

BENEDICTUS XII.

1335-1342.

70. Qui consecrari in aedibus sacris Praedicatorum Avenione voluit, et quamplurima benevolentiae testimonia exhibuit in factis et in verbis. Die 9 ianuarii anno 1335, haec scripsit, Ordinem de sua electione cer-

[1] *Bullar. O. P.*, to. II, p. 141, Const. *Lucis Creator.*

[2] Ibidem, to. II, p. 143, Const. *Inexplicabili desiderantes affectu.*

[3] Ibidem, p. 167, Const. *In Ecclesiae firmamento.* Qui plura cupiverit adeat idem *Bullarium*, to. VIII, p. 21, sq. nn. CXXVII-CXXXV. Narratur exinde Ioannem XXII, completa sancti Thomae canonizatione, Ordini Praedicatorum ut « devisam » quandam dedisse hoc dictum: « Lucere et ardere ». Vide P. IOANNEM A SANCTO THOMA, q. XII, in I partem, disp. 14, a. 2.

tum faciens: « Nos Ordinem vestrum, devotae charitatis zelantes affectu; ipsius salutis et prosperitatis cupimus incrementum, cui libenti animo, quatenus secundum Deum poterimus, prout expedire viderimus, annuemus ». [1]

Hinc non modo privilegia Ordinis intacta reliquit, sed etiam contra inimicos tutatus est. Ubi enim Ludovicus Bavarus Italiam infestabat, Fratres Praedicatores fortiter restiterunt, aliis in obsequium invasoris irruentibus, atque provocarunt strenue damnationem libri Dantis divini poetae *De Monarchia,* eo quod Bavarus in fines suos libro abuteretur. Inde Bavari irae in Praedicatores ferocissimae. Pontifex causam eorundem suscipiens, haec barbaro invasori rescripsit die 23 ianuarii anno 1339: « Ulterius praelatos, religiosos et alias personas ecclesiasticas... ad violandum interdictum ecclesiasticum... crudeliter et immaniter... non erubescis compellere... quamplurimos etiam religiosos, et praesertim Ordinis Praedicatorum, qui Dei timorem et amorem ac reverentiam Sedis praedictae suarumque animarum salutem iniustis et iniquis mandatis et praesumptionibus sacrilegis et damnandis huiusmodi praeferentes, profanare in locis praedictis recusarunt divina, fugando, affligendo, et sic crudeliter persequendo, quod multi conventus eorum propter hoc sint, proh dolor! dissipati ». [2] Quae rectitudo in agendis sane ex rectitudine doctrinarum thomisticarum, etiam de politicis, tanquam ex fonte proprio scaturiit.

XVIII.

CLEMENS VI.

1342-1352.

71. Qui et ante pontificatum et in pontificatu addictissimus fuit doctrinae divi Thomae, unde diploma egregium de eadem emanavit die 6 februarii, anno 1344:

« Clemens Episcopus, servus servorum Dei, universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

« In Ordine Fratrum Praedicatorum quasi solis radius habitantibus in hac lacrymarum valle lux eruditionis relucet, dum ipsius Ordinis professorum fructuosa studia mentes fidem orthodoxam profitentium fragiles lumine veritatis illustrant, et spinas punctionis lethiferae in horto succrescentes Dominico novacula labiorum succidunt, in quibus aeternae Sapientiae gratia est diffusa. Attendentes igitur quod Ordo praedictus in horto plantatus Ecclesiae, ac in germine ineffabilis spiritualis utilitatis succrescens, illum praelucidum ac fructuosum palmitem, beatum videlicet Thomam de Aquino, confessorem ac doctorem egregium, ex cuius sapientiae et doctrinae scriptis et traditis universalis Ecclesia multiplicem spiritualis ubertatis fructum recolligens, ipsius fructus odore reficitur incessanter,[1] produxit, et quod idem Ordo ut spiritualium fructuum ubertatem multifariam multiplicet multifario non lassatur labore: et propterea dignum, quin immo debitum reputantes ut Ordo praedictus, in eadem Ecclesia longe lateque diffusus, ob honorem et reverentiam praedicti Doctoris almifici, ac praefati Ordinis praeclara merita, per Sedem Apostolicam spiritualibus foveatur praesidiis, et a cunctis ubique, qui christiana professione censentur, devotione congrua multipliciter honoretur, Universitatem vestram rogamus et hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes quatenus ad loca Fratrum dicti Ordinis, imploraturi a Domino in locorum ipsorum ecclesiis vestrorum veniam delictorum, in humilitate spiritus accedatis. Nos enim, ut eadem loca eo libentius et devotius a fidelibus frequententur, quo per hoc fideles ipsi potiori dono coelestis gratiae censuerint se refectos, de Omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui dictas ecclesias ipsorum locorum ubique exsistentium in festo eiusdem beati Thomae et per octo dies festum ipsum immediate sequentes, annis singulis, visitaverint, singulis videlicet eiusdem festi et aliis praedictis diebus quibus visitaverint, ut praefertur, unum annum et quadraginta dies de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Et nihilominus illas eisdem indulgentias elargimur quae locorum praedictorum ecclesias in festivitatibus beati Dominici Confessoris et Petri Martyris, et per octavas festivitatum ipsorum visitantibus vere poenitentibus et confessis, per praedecessores nostros Romanos Pontifices, sunt hactenus concessae.

« Datum Avenione, VIII idus februarii, pontificatus nostri anno secundo ». [2]

Neque hic stetit Pontifex, sed prohibuit Praedicatoribus ne discederent a sententiis sui Doctoris. Ita quippe Capitulum Generale Brivae, anno 1346, celebratum: « Cum... Sanctissimus Pater et Dominus noster

[1] *Bullar. O. P.*, to. II, p. 218, Const. *Altitudo coelestis.*
[2] Ibidem, p. 219, Const. *Litteras magnificentiae tuae.*

[1] Adverte dictum Pontificis de doctrinarum sancti Thomae diffusione.
[2] *Bullar. O. P.*, to. II, p. 226, Const. *In Ordine Fratrum.*

Summus Pontifex nos super hoc monuerit, ne contrarium a quibuscumque valeat attentari, imponimus districte Fratribus universis quod nullus Frater legendo, determinando seu respondendo, audeat assertive tenere contrarium eius quod in communi doctrina continetur, et quod contra opinionem Doctoris venerabilis sancti Thomae communiter creditur exstitisse ».[1]

72. Praeter apostolicum istud diploma, Clemens VI tres pronuntiavit orationes panegyricas, ex quibus tertiam hic partim referimus, quae egregie commendat doctrinam Angelici, propriamque Pontificis propalat sententiam, utpote quam duobus mensibus ante pontificatum pronuntiavit.[2]

« " Docebat eos de regno Dei, " et in fine Evangelii hodierni, secundum Quadragesimam.[3]

« Beatus Augustinus in libro qui dicitur... *Manuale*, cap. III quod intitulatur *De vita aeterna*, loquens de regno Dei, dicit sic: " Iam itaque adveniat... regnum tuum... Dum in isto maneo corpore, in his semper

[1] Vide infra *Testimonia Capitulorum Generalium*, *O. P.*, ad annum 1346.

[2] Petrus Rogerius ex Ordine illustri Benedictinorum, tres pronuntiavit panegyricas orationes de beato Thoma: duas quidem dum professorem in Universitate Parisiensi ageret, tertiam vero iam Pontifex factus. Quae asservantur in codice 240, eodemque saeculi XIV, in Bibliotheca Sanctae Genovefae Parisiensi.

Tertiam panegyrim opinor a Rogerio esse paulo ante pontificatum prolatam hisce ductus rationibus: 1° quod non alludat amplius ad aliquod Decanatus sui officium in Universitate secus ac fecit in duabus prioribus; 2° quod ista oratio in volumine quo continentur *DV Sermones*, extra seriem quasi reponatur, dum duae priores fol. 168 sqq. et 177 sqq. sese immediate excipientes leguntur, tertia nonnisi fol. 374 sqq. remittatur, unde postmodum addita dicenda est; 3° quia in titulo solemnius hoc habetur: « Sermo factus per Dominum Clementem in die sancti Thomae de Aquino », dum aliae notantur singulatim: « Sermo in die beati Thomae de Aquino »: unde collectioni posterius addita apparet. Vide aliam rationem, eandemque firmiorem, in nota proxime sequenti.

Nihil hic disputamus de quaestione iamdiu inter varios agitata circa harum vel tenorem vel auctorem, siquidem codex ipse fidem facit has orationes esse Petri Rogerii, postmodum Clementis VI. Orationes Panegyricae sancti Thomae hisce antiquiores nullibi asservari videntur, etsi pronuntiatae nonnullae fuerint, praesertim in beati Doctoris canonizatione, ut dictum est.

[3] Ex *Matth.*, IV, 23 id habetur: « Circuibat Iesus... docens... et praedicans evangelium regni ». Evangelium vero « secundum Quadragesimam » seu « de tempore », in cuius fine agitur de regno Dei, est feriae quintae post tertiam Dominicam Quadragesimae acceptum ex *Luca*, IV, 43-44. Patet thema sermonis praedicti ex sensu, non autem strictim ex littera fuisse desumptum. Hic adverte sedulo festivitatem sancti Thomae, quae celebratur die 7 martii, coincidisse reipsa cum eadem illa feria. Cf. MAS LATRIE, *Trésor de Chronologie*, p. 330. Unde colliges Clementem VI praedictam orationem pronuntiasse verosimilius anno isto, die nempe 7 martii, dum die 7 maii proxime sequentis electus in Pontificem fuit.

meditationibus mentem meam, bonorum insinuator, exerce. Munda cordis intuitum, ut te solum cogitem, te solum amem, in corde habeam et in ore, qui es futurus nobis sine fine praemium, et ut pondus mortaliter meum levius feram, da lumen in corde, da verbum in ore, aperi sanctarum secreta Scripturarum... "

« Ex quo manifeste colligitur quod doctrina de regno Dei est alta et nobilis, est grata et delectabilis, est fecunda et utilis.

« Et ratio est quia doctrina vel scientia est nobilior quandoque ex obiecto, ut puta quia de nobiliori obiecto; quandoque ex procedendi modo, ut quia procedit modo certiori quam alia, sicut patet de istis duobus I *De anima;* quandoque ex fine vel termino, ut puta quia ordinata ad nobiliorem finem, ut patet II *Metaphysicae.*

73. « Modo doctrina de regno Dei habet ex obiecto nobilitatis celsitudinem ex modo veritatis certitudinem, ex termino utilitatis plenitudinem. Unde ad istam doctrinam, secundum auctoritatem Augustini praemissam, et intenditur cordialiter, et curritur viriliter, et pervenitur feliciter...

« Modo videtur mihi quod de illo regno Dei docet aliquis tripliciter: exemplo, verbo et scripto.

« Modo, charissimi Domini, beatus Thomas, Doctor noster eximius,[1] fuit sanctorum factorum et morum sanctitudine exemplaris, castorum eloquiorum et verborum pulchritudine doctrinalis vel regularis, verborum et scriptorum multitudine singularis...

« Dico primo quod beatus Thomas fuit sanctorum factorum et morum sanctitudine exemplaris, quia fuit conversator et operator virtuosus. Sciebat enim iste gloriosissimus Doctor quod efficacius movent exempla quam verba. Factum ex verbo, secundum logicos, concludi non potest: non enim per locum a simili, quia dictum est simile dicto...; nec per locum a minori, quia locus ille tenet destructive et non constructive: sequitur enim negative: non potest quod minus est: ergo non quod maius est. Factum ergo ex dicto non concluditur efficaciter; sed factum ex facto optime concluditur per locum a simili... Unde, sicut patet eius vitam intuenti,[2] quasi omnia membra sua erant quaedam exempla virtutis. Unde legebatur in eius visu simplicitas, in eius vultu benignitas, in eius auditu humilitas, in eius gustu sobrietas, in eius lingua veritas, in eius odoratu suavitas, in eius tactu integritas, in eius manu largitas, in eius visceribus pietas, in eius incessu gravitas, in eius gestu honestas, in eius intel-

[1] Thomas ab oratore dicitur « Doctor noster », quasi doctor omnium.

[2] Indigitat Pontifex *Vitam sancti Thomae* a Fr. GUILLELMO DE TOCCO concinnatam, atque tibi, si libuerit, legendam apud BOLLANDIANOS, *Acta SS.*, to. I martii.

lectu claritas, in eius affectu bonitas, in eius mente sanctitas, in eius corde charitas; sed in eo species corporis simulacrum fuit mentis, figuraque probitatis...

« Dico secundo quod iste Doctor eximius fuit castorum eloquiorum et verborum pulchritudine doctrinalis et regularis. Fuit enim praedicator gratiosus... De eo potest dici quod dictum est de Paulo, *Act.*, XIX, 8: " Loquebatur cum fiducia et suadens de regno Dei. " Et bene comparatur Paulo, quia videtur mihi quod sicut Paulo datum est singulariter illuminare Ecclesiam tempore Apostolorum, et Augustino tempore haereticorum, sic beato Thomae tempore modernorum.

« Dico tertio quod Doctor excellentissimus fuit verorum scriptorum multitudine et altitudine singularis. Fuit enim compilator copiosus, conscriptor fructuosus. Scripsit enim ad litteram [1] tot et tanta, tam profunda et alta, quod mirabile est quod ad hoc potuit sufficere tempus vitae suae. Unde videtur impossibile, nisi fuerit a Spiritu sancto, et de eo dicamus quod scribitur *Eccle.*, XII, 10: " Docuit populum quae sunt verba utilia; conscripsit sermones rectissimos, veritate plenos. "

74. « Et videtur mihi quod doctrina istius sancti ostenditur vera esse super omnes doctrinas doctorum modernorum ex duobus.

« Primo quia de veritate dicitur III *Esdr.*, IV, 38: " Manet et invalescit in aeternum, et vivit et obtinet in saecula saeculorum. " Et *Prov.*, XII, 112, dicitur quod " labium veritatis firmum erit in perpetuum. " Modo doctrina istius Sancti fuit frequenter percussa fortibus ictibus fortium argumentorum; fuit frequenter impulsa subtilitatibus magnorum doctorum:[2]

[1] Quae dictio hic et alias apud Papam oratorem eadem est quae apud Gallos usitatur: « à la lettre », hoc est; exactissime, plenissime. Vide supra, p. 48 sq.

[2] Ita Bartholomaeus Capuanus in Processu canonizationis divi Thomae: « Scripta Fratris Thomae, licet post eius mortem a multis et magnis impugnata fuerint et reprehensionum morsibus attentata, tamen nunquam decrevit eius auctoritas: sed semper invaluit et fuit diffusa ubique terrarum cum cultu et reverentia, et sicut idem testis audivit a multis et multis etiam ad barbaras nationes ». *Acta SS.*, to. I martii, *Vita sancti Thomae*, n. 83.

Contra Thomam steterunt imprimis ea aetate Robertus Kilwardby, O. P., Stephanus Tempier, Guillelmus de la Mare, O. M., Guillelmus Peckam, O. M., Durandus a Sancto Porciano, O. P., Scotus O. M., Henricus Gandavensis, Robertus Herefordiensis. Sed pro Thoma stetit imprimis totus Ordo Praedicatorum, atque isti theologi singulares, scilicet Aegidius de Lessines, Ricardus Clapwel, Guillelmus de Makelefield, Hugo de Billomo, Iohannes Parisiensis, Robertus Bononiensis, Bernardus Claromontensis, Herveus Brito, Thomas Iorzius, Durandellus, Capreolus, etc.

Vide quae de hisce disputat egregie, pro more suo, P. MANDONNET, *Revue des Sciences philosophiques*, 20 janvier 1913, p. 46, sqq.

sed tamen, sicut aurum quanto magis per ignem probatur, tanto purius efficitur; sic ista doctrina quanto magis impugnatur, firmatur, vivit et obtinet in saecula saeculorum.

« Secundo apparet ex alio. *Dan.*, XII, 3, [dicitur] quod " qui erudiunt plurimos quasi stellae, in perpetuas aeternitates. " Unde apparet quod Doctores comparantur stellis. Sunt stellae lucentes quaedam in coelo, et illarum claritas semper manet; sunt aliae apparentes, quae non sunt nisi quaedam impressiones factae in aëre, et istarum claritas non durat, quia statim cadunt. Et ad litteram, sic est de doctrina multorum Doctorum subtilium. In ortu suo videntur valde lucentes, sed post modicum tempus cadunt ex toto. Unde de istis dicitur *Apoc.*, VI, 13: " Stellae ceciderunt de coelo; " et *Ezech.*, XXXII, 7: " Nigrescere faciam stellas eius." Sed doctrina huius Sancti et a principio et semper continue magis lucet. Unde [est] stella candida et matutina, de qua dicitur *Apoc.*, XXII, 16 « stella splendida et matutina " et *Eccli.*, L, 6: " Quasi stella matutina in medio nebulae, et quasi luna plena in diebus suis lucet; et quasi sol refulgens: sic ille refulsit in templo Dei. "

« Bene ergo scripsit rectissimos sermones et veritate plenos. Licet enim sint aliqua pauca quae communiter non tenentur, tamen ex hoc non est doctrina eius abiicienda, sicut nec doctrina Augustini nec aliorum [Doctorum]. Hoc enim privilegium Deus solam Divinam Scripturam habere voluit, ut in ea sola nullum fermentum aut contagium falsitatis [sit]: " Solis enim Scripturarum libris qui Canonici appellantur, hunc honorem deferre didici ut nullum auctorem eorum errasse veraciter credam: caeteros ita lego, etc. " [1]

« Patet ergo quomodo iste docuit verorum scriptorum multitudine et altitudine singulari, ut de eo dicamus illud *Sap.*, X, 10: " Iustum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam Sanctorum; honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius. "

« Ergo merito de eo concludimus verba thematis praesumpta: " Docebat eos de regno Dei. "

75. « Vel possumus aliter introducere breviter thema illud. Videtur enim mihi quod in sacro Canone " regnum Dei " quadrupliciter accipitur. Dicitur enim " regnum Dei " Scriptura divinitus inspirata. *Matth.*, XXI, 43: " Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructum eius. " " Regnum Dei: " *Glossa:* " id est sacra Scriptura, " ut accipitur a Chrysostomo.

[1] Haec verba, absque scriptoris nomine relata, sunt sancti Augustini, *Epist.* XIX, ad Hier. n. 1.

« Dicitur etiam " regnum Dei " fides formata interna. *Luc.*, XVII, 21: " regnum Dei intra vos est. " *Glossa*, et est Bedae: " id est fides per dilectionem operans. "

« Dicitur etiam " regnum Dei " praesens Ecclesia. *Matth.*, XIII, 41: " Mittet angelos eius ut colligant de regno eius omnia scandala. " *Glossa*: " De regno Dei " id est de praesenti Ecclesia. "

« Et ita accipitur ab Augustino, XX, *De Civitate Dei*.

« Dicitur quarto " regnum Dei " vita beata. *Luc.* VI: " Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei. "

« Modo mihi videtur quod iste gloriosus Doctor Scripturae Sacrae mysteria pertractando subtiliter, enucleavit perfectius fidei et charitatis et caeterarum virtutum insignia; disputando subtiliter, dilucidavit verius praesentis Ecclesiae studia; evangelizando fortiter, perambulavit securius; vitae beatae gaudia amando iugiter, praenuntiavit uberius.

« Ergo quomodocumque accipias regnum Dei, optime de eo concluditur thema praeassumptum: " Docebat eos de regno Dei. "

76. « In quibus verbis tria tanguntur: unum ex parte doctoris, secundum ex parte auditoris, tertium ex parte doctrinae. Doctor enim habet influere copiose, auditor habet perficere studiose, doctrina habet perficere virtuose.

« Doctor enim non [debet] abscondere, sed manifestare; auditor non debet negligere, sed fructificare; doctrina non debet, etc.[1]

« Tangitur ergo primo ipsius doctoris supererogatio et instructio liberalis: " docebat; " secundo ipsius fructificatio et repletio generalis: " eos; " tertio doctrinae perfectio et consummatio salutaris: " de regno Dei ".

« Unde iste Doctor talentum sibi creditum liberaliter communicavit: " docebat; " lucrum quaesitum non modicum reportavit: " eos; " ad bravium cunctis propositum destinavit: " de regno Dei. "

« Propter primum est doctor nesciens aemulationis et falsitatis, seu vacuitatis vitium: " docebat; " propter secundum est doctor nesciens defectionis et sterilitatis opprobrium: " eos; " propter tertium est doctor nesciens obligationis et vanitatis devium: " de regno Dei. "

77. « Unde iste est Doctor oraculorum, et secretorum naturalium et supernaturalium enucleator conspicuus: " docebat; " humanorum cordium futurorum et praesentium inflammator et illuminator proficuus: " eos; " praemiorum coelestium amator et praedicator praecipuus: " de regno Dei. "

[1] Quod auctor dictum suum dimiserit incompletum significat orationem antequam pronuntiaretur verosimilius scriptam fuisse. Eiusdem asserti et alia indicia habemus. Unde tanquam schema aliquod habenda est.

« Unde istius doctrina nec fuit reprehensibilis et vitiosa, inutilis et infructuosa, quia " docebat eos de regno Dei... "

« Ad cuius evidentiam sciendum est quod, sicut deduxit Bernardus, *Serm.* XVIII, *Super Cantica*, bonus doctor debet esse sicut concha, non sicut canalis. Canalis enim pene simul recipit et effundit: sed concha exspectat donec impleatur, et postquam superabundat, communicat. Ista enim duo sunt necessaria bono doctori: primo ut ipse prius impleatur scientia, postmodum effluat in doctrina. Unde valde cavendum est ne erogare velimus quod non accepimus, aut quod ad erogandum accepimus retinere.

« Et tamen multi in utroque peccant...

« Sed iste gloriosus Doctor et habuit scientiae repletionem, contra primos; et postmodum doctrinae effusionem, contra secundos... Unde propter ista duo inspiratum est sibi divinitus thema quod assumpsit in Principio suo: " Rigans montes de superioribus suis; de fructu operum tuorum satiabitur terra. " *Ps.* CIII, 13. Unde de eo merito statim[1] lectum est, *Sap.*, VII, 7: " Optavi et datus est mihi sensus, et invocavi et datus est mihi spiritus sapientiae. " Et sequitur v. 13: " Quam sine fictione didici, sine invidia communico, et honestatem illius non abscondo... " Hic erat edoctus viam Domini, et fervens spiritu loquebatur, et docebat ea quae scivit diligenter ».[2]

78. Haud secus idem Pontifex doctissimus simul ac piissimus indirecte Thomam propter doctrinam laudavit, laudans Ordinis doctrinam. Ex cuius dictis hoc unum addimus: « Ex munere coelestis gratiae illud Ordini vestro et personis eiusdem donum inesse credimus, quod ubique locorum in quibus degitis, fideles populos doctrina verbi pariter et exemplo ad salutis gratiam evocatis ».[3]

Confirmavit inde omnia privilegia eidem Ordini a Bonifacio VIII, Ioanne XXII, aliisque Pontificibus concessa, dicens Ordinem esse « scientia praeclarum et virtute fecundum ».[4]

[1] In ipsamet Epistola Missae sancti Thomae praedicta die celebratae. Quae vox « statim » seu mox ante, significat sermonem pronuntiatum fuisse intra Missam, nempe post Evangelium et ante *Credo*.

[2] Alia plura in eadem oratione panegyrica de sancto Thoma eiusque operibus legenda sunt, quae hic brevitatis causa omittimus. Integram tamen orationem legere tibi praesto erit in periodico cui titulus *Revue Thomiste*, an. 1913, ubi textum publici iuris absque amputatione ulla fecimus.

[3] Die 17 decembris, an. 1345, *Bullar. O. P.*, to. II, p. 229, Const. *Ex munere*. Alia eademque egregia legere praestat ibidem to. VIII, p. 22 sq. nn. CXXXVI-CXXXIX.

[4] Die 24 septembr. an. 1346. ibidem, to. II, p. 231, Const. *Virtute conspicuos*. Unde manifestius pateat et Pontificis in Ordinem devotio et periculum quo, sae-

XIX.

INNOCENTIUS VI.

1352-1362.

79. Hic Congregationem Fratrum Unitorum in Armenia, quos Praedicatores ab errore avellerant, subiicit, die 31 ianuarii, an. 1356, Ordinis Praedicatorum Magistro Generali, imponitque Praedicatorum eidem Constitutiones, cum iisdem studiorum ratione et regula.[1] Privilegia omnia de studendi et docendi norma retinet.

Cuncta caeterum in statu relinquit, doctrinamque sancti Thomae in suo triumpho inturbatam, una cum obligatione eandem in Ordine retinendi.

XX.

URBANUS V.

1362-1370.

80. Id muneris Urbano V praescripsit divina Providentia ut corpus et reliquias omnes sancti Thomae ab Italia in Gallias, seu Tolosanam civitatem transferret, in ecclesia Praedicatorum reponendas. A cuius facinoris historia enarranda abstinemus, quum ad argumentum nostrum non spectet.[2]

vientibus peste illa famosa anni 1348 et aliis flagellis, Ordo ipse in discrimen adducebatur, libet referre ea quae scribit ipse, die 24 maii, anno praedicto: « Licet speremus indubie quod vos, charitatis igne succensi, paternum quem erga vos gerimus filiali devotione recompensantes affectum, vestrarum nos orationum continua opitulatione iuvetis, anxie tamen et non sine gravi amaritudine animi attendentes qualiter, peccatis exigentibus, in universis fere orbis terrae partibus, guerrarum calamitatibus atteritur, et intestinis odiis laniatur, proh dolor! populus christianus, ac superinducta mortalitatis peste, senes, iuvenes, magni et parvi, subito et improvise tela vitae succisa, quasi communiter de medio subtrahuntur, huiusmodi orationum vestrarum patrocinia instantius imploramus... ». Ibidem p. 232, Const. *Licet speremus.*

[1] *Bullar. O. P.*, to. II, p. 246, Const. *Apostolicae Sedis.*

[2] De quo vide P. PERCIN, *Monumenta Conv. Tolos.*, p. 211, sqq., ubi multa et singularia invenies de re ipsa; BOLLAND., *Acta SS.*, to. I, martii, p. 725 sqq.; DOUAIS, *Les reliques de saint Thomas*, p. 159, sq.

Quia tamen in rescriptis plura de doctrina divi Thomae continentur encomia, ista nobis exscribenda pro re nostra sunt.

In Bulla imprimis qua Pontifex iubet, die 16 iunii, an. 1368, corpus et caput deferri Tolosam, haec de doctrina habet: « Decens reputantes et congruum ut dictum corpus gloriosi sancti [Thomae], qui dum vixit Ordinis Fratrum Praedicatorum professor exsistens, tanquam Doctor egregius per sua profunda et salutifera documenta universalem illustravit Ecclesiam, eam decorando virtutibus et moribus informando, cum iisdem Fratribus collocetur.... tenore praesentium statuimus et etiam ordinamus quod corpus praedictum ad domum Fratrum Praedicatorum Tolosam transferatur, et ibidem collocetur et honorabiliter perpetuo veneretur. Volumus autem quod si Magistro et Capitulo Generali dicti Ordinis proxime celebrando placuerit, eiusdem corporis dextrum brachium Priori et Fratribus dicti Ordinis Parisiorum, ad decus et honorem totius Studii Parisiensis, in quo idem gloriosus Sanctus sua facundia, fecunda coelestis irrigui gratia influente, Scripturarum aenigmata reseravit, solvit nodos, obscura dilucidavit, dubiaque declaravit, ad augendam devotionem fidelium, transmittatur, et in ipsa domo honorifice perpetuis temporibus veneretur »[1].

81. Alias autem, dum iubet corpus et caput sancti Thomae primo ad se deferri, die 1 iulii 1358, haec habet: « Cum ex certis rationabilibus causis ad id animum nostrum inducentibus, duxerimus ordinandum quod caput et corpus beati Thomae de Aquino, qui, dum vixit, Ordinis Fratrum Praedicatorum professor exsistens, tanquam Doctor egregius, per sua salutifera et perlucida documenta universalem illustravit Ecclesiam, eam decorando virtutibus et moribus informando, ad nos perferantur, etc... ».[2]

82. At vero in sua Bulla qua, die 31 augusti, anno 1368, Archiepiscopo, Magistris omnibusque Tolosatibus praecipit ut sancto Doctori debitos honores effundant, haec eadem doctrinae encomia, et quidem eloquentia solemniori, iterat:

« Urbanus Episcopus, servus servorum Dei, venerabili Archiepiscopo Tolosano, universisque Magistris, Doctoribus, caeterisque clericis et laicis, in civitate et provincia Tolosana commorantibus, salutem et apostolicam benedictionem.

[1] *Bullar. O. P.*, to. II, p. 258, Const. *Copiosus.* Reliquia illa insignis reipsa Carolo V Regi Francorum concessa fuit. Hodie vero Romae, apud Moniales SS. Dominici et Sixti asservatur. De cuius fortuna varia vide P. CHAPOTIN, *Le dernier Prieur du dernier Couvent* (Saint-Jacques de Paris) ch. XX.

[2] *Bullar.* O. P., to. II, p. 259, Const. *Cum ex certis.*

« Laudabilis Deus in Sanctis suis, et in sui maiestate mirabilis, cuius ineffabilis altitudo providentiae, nullis inclusa limitibus, nullis terminis comprehensa, recti censura iudicii coelestia pariter et terrena disponit, etsi cunctos eius ministros magnificet, altis decoret honoribus et coelestis efficiat beatitudinis possessores, alios tamen ut dignis digna rependat, potioribus attollit insigniis dignitatum et praemiorum, uberiori retributione prosequitur, quos digniores cognoscit et commendat interior excellentia meritorum: sic alma mater Ecclesia, eius sacra vestigia insequens et exemplo inducta laudabili, licet universos in regnis coelestibus constitutos studiis honorare sollicitis, non desistat: egregios tamen Doctores, per quorum perlucida et salutaria documenta eadem Ecclesia illustratur, virtutibusque et moribus informatur, libenter et solerter exsequitur, quae sunt Dei praemissa meditatione perlustrans, ad divini nominis honorem et gloriam, et ad exaltationem catholicae Fidei salutemque fidelium, rite censuit meritoque providit eosdem in universali Ecclesia honorificentiae potioris munere et impendiis attollendos.

83. « Sane cum sacrum et venerabile corpus beati Thomae de Aquino, Ordinis Fratrum Praedicatorum, sit de mandato nostro ad ecclesiam Fratrum Praedicatorum Tholosanam proxime transferendum, nos attendentes quanta a Deo scientia dotatus Ordinem Fratrum Praedicatorum et universalem Ecclesiam illustraverit, ac beati Augustini vestigia insequens, Ecclesiam eandem doctrinis et scientiis quamplurimis adornaverit, volentesque propterea idem corpus speciali honorificentia attolli, universitatem vestram requirimus et hortamur in Domino Iesu Christo, vobis nihilominus per apostolica scripta mandantes quatenus dictum corpus, cum ad partes easdem transferetur, benigne et honorifice suscipientes, idemque devote ac venerabiliter pertractantes, faciatis ab aliis, quantum in vobis est, cum debita honorificentia et devotione suscipi et tractari.

« Volumus insuper, et tenore praesentium vobis iniungimus, ut dicti beati Thomae doctrinam tanquam veridicam et catholicam sectemini, eamque studeatis totis viribus ampliare [1].

[1] Quod praeceptum sic transtulit in disticho Fr. PETR. MONTEYRO, inter *Epigrammata*, n. XXIX:

« Turba senum iuvenumque simul permista sequatur;
Sit post haec Thomam deseruisse nefas.
« Sic iubet Urbanus felici nomine Quintus
Doctrinam veram catholicamque vocans.
« O tu qui Thomae doctrinam spernere suades,
Temnere Pontificis iura verenda cave! ».

« Datum apud Montem Flasconem, secundo kalendas septembris, pontificatus nostri anno sexto ».[1]

De illa ultima Pontificis commendatione, circa divi Thomae doctrinam sectandam et ampliandam, duo adnotare praestat. Primum est doctrinam hanc esse « veridicam »,[2] quod nempe contineat veritatem: unde commendationis motivum est universale; secundum esse « catholicam », quod videlicet non modo nihil contra fidem contineat, sed sit iuxta ipsummet sensum catholicum, et quid unum cum isto constituat.

Praescripsit igitur Urbanus omnibus id quod prius Clemens VI Praedicatoribus praescripserat, scilicet doctrinae sancti Thomae prorsus standum esse.

84. Ex historia caeterum nonnulla addenda occurrunt, quibus plenius manifestatur Pontificis intentum.

Addidit quippe Urbanus: « Ibi [Tholosae scilicet] est Universitas nova in Theologia, quam volo fundari in doctrina solida et firma illius Sancti, ubi Universitas clericorum, quae singulis septimanis consuevit convenire in ecclesia vestra Praedicatorum, ipsam sequatur de praesenti meo mandato »[3].

85. Quod demum innuit idem Pontifex, dum concedens Magistro Generali Ordinis caput sancti Thomae, dixit: « Ecce, tibi tuoque Ordini reddidi corpus, et rursus ipsius caput, coelestis utique sapientiae gazophylacium, apostolica auctoritate concedo. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen ».

Atque subiunxit eundem Magistrum allocutus: « Videas et bene attendas quod praedictum sacrum corpus simul cum capite, cum pannis decentibus in eadem arca ponas, et extra arcam depingi facias arma nostra, et super arcam affigi facies cum clavis Bullam nostram, quam specialiter volumus super hoc ordinare, et tibi tradere consequenter ».[4]

[1] *Bullar. O. P.*, to. II, p. 259, Const. *Laudabilis Deus*.

[2] Male in praeallato diplomate nonnulli legerunt « benedictam », loco τοῦ « veridicam ».

[3] P. PICCINARDI, *De approbatione doctrinae sancti Thomae*, lib. III, q. III, art. I.

[4] Quam Bullam, datam die 31 augusti, an. 1368, legere potes in *Bullar. O. P.*, to. II, p. 260, cuius initium est *Alma Mater Ecclesia*. De hisce omnibus, vide *Acta SS.*, vol. I, martii, p. 784 sq.

Hic addere libet ea quae narrat PIZZAMANUS de brachio sancti Thomae concesso Regi Francorum, unde clarius appareat quanta fuerit in sanctum Doctorem devotio omnium: « Ubi vero Francorum Rex [Carolus V], lacertum corporis accepturus fuit, iste omnes ab opera manuum vacare iussit, ordinataque est solemnissima pompa et ornatus sacerdotum, adstante turba in viis et fenestris domo-

86. Quae omnia sane ordinavit Pontifex, ad perennandum sui intentum de doctrina divi Thomae propalanda et diffundenda.

Post autem tam inaudita encomia divo Thomae directe tributa, vix opus erat ut indirecte nonnihil adiungeret, nisi hoc unum addatur, iudice ac declarante Urbano, quod nempe Thomas tanta « scientiae doctrina Ordinem Fratrum Praedicatorum adornavit».[1]

Istud addendum quod idem Pontifex, anno 1366, nonnullos Fratres una cum quibusdam aliis Fratribus Mendicantibus Pragam misit, instante Carolo Imperatore, ad instituendum ibidem Studium Generale, seu Universitatem.[2]

XXI.

GREGORIUS XI.

1370-1378.

87. Pontifex ille, etsi Ordini Praedicatorum addictissimus, summaque in sanctam Catharinam Senensem devotione affectus, nihil, quod, remaneat, scripsit directe in laudem doctrinae divi Thomae, quae iam totam Ecclesiam pacifice imbuebat. Sed tamen indirecte encomiis extulit tum verbis tum factis. Verbis quidem dum laudat Ordinem propter doctrinam a sancto Thoma habitam.

rum. Sicque Regem Magister Ordinis [Fr. Elias Tolosanus] allocutus est: "Francorum Rex, accipe Thomae sancti brachium, quod tibi nostrae Religionis Fratres servandum credunt, sicque Urbanus V pontifex sentire visus est." Rex autem, flexis genibus, sacrum pignus omnimoda veneratione recepit, atque Belvacensi Cardinali [Ioanni de Dormans] tradidit in templum Dominicanorum deferendum.

« Ipse autem Rex et Dux Burgundiae [Philippus *le Hardi*] nobilesque plurimi, quos fortuna sive clericali dignitate, sive imperii nobilitate ornarat, tresque Reginae: qui omnes turbaque simul ab urbis ipsius porta ad proprias aedes usque sacrum brachium comitantur, ubi multa magnaque munera ad Dei et sancti Thomae honorem oblata fuere. Decrevitque Rex ut sacellum, quod ad divinum cultum frequentabat, Thomae nomine esset nuncupatum. Recte quidem haec a Deo facta videmus, cum vir sanctus cunctis bonarum artium disciplinis, moribus vitaeque sanctitate humano generi sit potissimum exemplar. Conveniens ideo fuit diversis in locis ut corporis eius partes viderentur, et sicuti multis voluit proficere, multis quoque videri aequum esse iudicatur ». PIZZAMANUS, *Vita sancti Thomae*. Cf. *Acta SS.*, vol. I, martii, p. 737 sq. edit. nova.

[1] Die 31 augusti, an. 1368, *Bullar. O. P.*, to. II, p. 259, Const. *Laudabilis Deus*.

[2] Die 11 novembris, an. 1366. Ibidem, p. 257, Const. *Etsi sacrae*. Cf. AEN. SYLVIUS, *Commentarius in dicta et facta Alphonsi Regis*, p. 49.

Ita imprimis Praedicatores allocutus, die 27 augusti, an. 1373: « Ad sacrae vestrae Religionis beatitudinem, in praecelsae sublimitatis specula praelucentem, cui benedixit Dominus, paternae dirigimus considerationis intuitum, et attente prospicimus quod inter caeteros ecclesiasticos ordines in Domo Domini militantes, illud vobis, qui contemplationi coelestium ferventer vigilatis, et Ordini vestro ad laudes speciales adscribitur, ac rerum efficax experientia magistra testatur, quod ubique locorum in quibus degitis fideles populos ad salutis gratiam evocatis, proficientes vobis per vitae meritum, et aliis nihilominus per exemplum, dignum, immo potius debitum reputamus et congruum, ut illa vobis gratiose concedamus, quae prospero statui vestro fore conspicimus opportuna ».[1]

88. Et alias explicatius, die nempe 12 martii 1376, quoad doctrinam: « Ordinis Praedicatorum, qui vitae meritis et dono scientiarum quasi sidus praerutilans in militanti Ecclesia noscitur coruscare, devotis orationibus specialiter sperante in Domino ».[2]

Haud secus in factis, tum innovans omnia Ordinis privilegia,[3] tum protegens contra Episcopos molestiam eidem inferentes.[4]

Quamplurima officia Praedicatoribus commisit mox de vera doctrina tutanda, mox de falsis doctrinis insequendis et damnandis, imprimisque de doctrinis stolidis Fr. Raymundi Lulli de Tarraga O. M.,[5] et Episcopi Alberstadensis fatum inducentis, etc.[6] Qui errores damnati sunt ex doctrina divi Thomae, sicut ex eadem propugnata fuit veritas.

[1] *Bullar. O. P.*, to. II, p. 277, Const. *Dum profundis*.

[2] Ibidem, p. 290, Const. *De Fratre*.

[3] Die 6 martii, an. 1374. Ibidem p. 278, Const. *Virtute conspicuos*.

[4] Die 1 aprilis, an. 1371. Ibidem, p. 268, ubi animadvertit in Archiepiscopos Tolosanum et Burdigalensem, et Episcopum Lemovicensem.

[5] Quoad errores Fr. Raimundi Lulli, librosque damnatos et combustos, vide ibidem, ad diem 15 februarii, an. 1371, p. 268, Const. *Cum vos Fratrem*; ad diem 23 augusti, eiusdem anni, p. 270, Const. *Prae cunctis*; ad diem 5 iunii 1372, p. 273, Const. *Nuper Dilecte*; ad diem 1 ianuarii 1374, p. 276, Const. *Dudum ad*; ad diem 25 ianuarii, 1376, p. 289, Const. *Conservationis*. Adeas NATALEM ALEXANDRE, *Hist. Eccl.*, saec. XIII, cap. III, art. 20.

[6] De Episcopo Alberstadensi, vide *Bullar. O. P.*, to. II, p. 272, ad diem 15 martii, an. 1372.

XXII.

URBANUS VI.

1378-1389.

89. Iste Pontifex de doctrina sancti Thomae nihil directe pronuntiavit, eo quod ea aetate nullimode in dubium vel in discrimen illa vocabatur: sed plurimum indirecte, ubi Raymundi Capuani et Catharinae Senensis zelum in instauranda disciplina veteri Ordinis, proindeque et in instaurandis studiis, non modo toleravit, sed laudavit ac fovi tomni prorsus benevolentia.

Pontifex caeterum, immensis curis alias distractus, propter schisma occidentale, paucos post menses ab ipsius electione ortum, unde et in ipso Ordine divisio dolenda sicut in Ecclesia initium habuit, pauca scripsit, ita ut ab ipsius pontificatu qui quasi undecim annos perduravit, nonnisi undecim diplomata in *Bullario O. P.*, habeantur, quibus caeterum privilegia et favores Ordini plerumque concedit, servatis aliunde omnibus antea de studio et doctrina concessis privilegiis atque encomiis.

XXIII.

BONIFACIUS IX.

1389-1404.

90. Pontifex ille Ordini se benevolentissimum exhibuit,[1] multaque praestitit indirecte in doctrinam sancti Thomae commendandam.

Ita imprimis Ordinem ipsum laudavit allocutus Fratres die 28 martii, anno 1401: « Dum ad Ordinis vestri sacram Religionem, quam Pater luminum in Domo sua siderea claritate constituit, apostolicae considerationis intuitum extendimus, in ipsius famae odore praecipuo non immerito consolamur, ferventibus desideriis affectantes statum eius prosperum,

[1] Plusquam tercentum diplomata vel ad Ordinem, vel ad personas Ordinis direxit in suo pontificatu.

laudabiliter hactenus prudentum proborumque regimine, Deo propitio, gubernatum, cum illius suffragio, qui eandem in agro Dominico plantavit, coluit et rigavit, felicia et continuata suscipere incrementa ».[1]

Et rursus: « Etsi pro cunctorum christifidelium, super quibus curam officii Summi Pontificatus, divina disponente clementia, gerere obligamur, statu salubriter dirigendo, libenter adhibeamus sollicitudinis nostrae partes, illos tamen affectuosiori studio prosequimur, quorum alii a mundanis abstracti illecebris, gravibus poenitentiis dediti, coelestibus inhiant, et ad illa per contemplationis pennas suavius et altius elevantur ut aquilae, et cum Maria parte optima perfruuntur; alii vero sanctae Marthae sollicitudinem sectantes, celebrationi divinorum vacant solertius; alii discunt et docent Dei scientiam, et plebem instruunt in eadem, alii quoque ferventioris spiritus ardore succensi, non timentes, sed amantes, ad conversionem infidelium anhelant intrepidi, ut valeant ad Dominicam aream multos afferre manipulos, et de talentis eis creditis bonam Domino reddere rationem. Hi profecto sunt Fratres Ordinis Praedicatorum, in Ecclesia Dei multiplicibus splendoribus radiantes, quorum sonus praedicationis per diversa mundi climata noscitur exivisse... ».[2]

Illa autem « siderea claritas », studium illud « discendi et docendi », a divo Thoma imprimis defluxerunt.

Ipse Raymundi Capuani navatam operam in Ordinis instaurationem, quasi peste depopulati, eximie commendavit et fovit,[3] omnia Ordinis privilegia, imprimisque de studiis sacris, innovavit et auxit,[4] perpetuo in Fratribus plurimis ad dignitates promotis scientiam et litteras sacras requisivit et inesse laudavit;[5] nonnunquam indulgentias in honorem sancti Thomae concessit.[6]

[1] *Bullar. O. P.*, to. II, p. 415, Const. *Dum ad Ordinis.* Vide ea quae habentur, ibidem, p. 357, ad diem 25 febr. 1396, Const. *Affluentis.*

[2] Die 27 aprilis, 1402, to. II. Ibidem, p. 443, Const. *Etsi pro cunctorum.*

[3] Vide ibidem, ad dies 9 ianuarii, an. 1391, p. 315, Const. *His quae;* 1 decembris 1393, p. 338, Const. *Apostolicae sedis;* 9 aprilis 1397, p. 362, Const. *His quae*, etc.

[4] Adeas ibidem, ad diem 27 aprilis, an. 1402, p. 436, Const. *Personam tuam;* p. 439, Const. *Sacrae religionis;* p. 442, Const. *Dilectos filios;* p. 446, Const. *Sacrae religionis;* p. 448, Const. *Ex Apostolicae* et *Virtute conspicuos.*

[5] Cuiusmodi testimonia de variis episcopis, inquisitoribus, poenitentiariis, in plus quam quadraginta et septem diplomatibus repetita invenies, ibidem, pp. 308-458.

[6] Die 1 febr. 1400. Ibidem, p. 391, Const. *Licet is.*

XXIV.

INNOCENTIUS VII.

1404-1406.

91. Pauca, sex nempe, huius Pontificis diplomata in *Bullario* referuntur, quibus benevolentiam in Ordinem significat, praesertim in laudando et commendando Tertio Praedicatorum Ordine.

De doctrina autem omnia in statu suo reliquit, etsi tamen indirectam addiderit commendationem, dum asserit Magistro Sacri Palatii, suo nempe ex Ordine Praedicatorum Theologo, ius competere conferendi lauream theologicam: quod ius et privilegium sane, ut diximus, ad asserendam sancti Thomae doctrinam concessum fuerat.

Ita igitur Pontifex, die 6 iulii 1406:

« Innocentius Episcopus, servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

« Decens reputamus et congruum ut his quae de licentia et commissione nostris provide facta sunt, ut illibata persistant, adiiciamus apostolici muniminis firmitatem. Cum itaque nuper ex certis rationabilibus causis, animum nostrum moventibus, dilecto filio Hugolino de Camerino, Ordinis Fratrum Praedicatorum professori, et in sacra Theologia et Palatii nostri Apostolici Magistro, vivae vocis oraculo, commiserimus et mandaverimus ut dilectum filium Melchiorem Iunctae de Sancto Geminiano, Ulteran. dioecesis, Ordinis Eremitarum sancti Augustini professorem, in quocumque honesto loco per ipsum Hugolinum eligendo, magisterii honorem in dicta Theologia, et docendi in ea licentiam, prout suae discretioni videretur, quodque intra dictum Ordinem et extra quibuscumque gratiis, privilegiis, libertatibus et indulgentiis, tam a Sede Apostolica quam a praedicto Ordine, Fratribus eiusdem Ordinis in eadem Theologia Parisiis magistratis concessis perinde uti et gaudere valeret ac si Parisiis huiusmodi magisterium recepisset, auctoritate apostolica concedere, non obstantibus quibuscumque privilegiis ac statutis et consuetudinibus studiorum et Ordinis praedictorum contrariis iuramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, etiamsi de illis et totis eorum tenoribus specialis et expressa ac de verbo ad verbum esset mentio facienda, quae alias volumus in suo robore permanere, plenam et liberam concessimus facultatem, etc. ».[1]

[1] *Bullar. O. P.*, to. II, p. 478, Const. *Decens reputamus.*

XXV.

GREGORIUS XII.

1406-1415.

92. Dum Ecclesia deflendo schismate occidentali dilacerata esset, Pontifex ille pauca scripsit,[1] de fine calamitati imponendo semper cogitans. Sed Ordini addictissimus tamen fuit, in quo caeterum iuris sui fautorem ac vindicem strenuum, Fratrem Ioannem nempe Dominici invenerat.

Quam benevolentiam et dictis et factis testatus est. Ita quippe pro Coenobio Fesulano diploma quoddam exorsus est, dato die 14 iunii 1408: « Charitatis fervidae sinceritas qua dilectos filios Priorem Provincialem et Fratres Ordinis Praedicatorum Provinciae Tusciae secundum morem dicti Ordinis, propter clarae devotionis et fidei merita quibus vigent, Domino faciente, benevoli more patris amplectimur, animum nostrum pulsat instanter ut ea quae pro dicti Ordinis propagatione, nec non divini cultus augmento circa ipsos emanarunt, ut illibata persistant, nostrae confirmationis munimine roboremus, etc. ».[2]

Paternum illum amorem comprobavit factis, innovans et confirmans omnia privilegia a Praedecessoribus concessa, inter quae connumeranda sunt illa quae Scholae Ordinis atque Doctoris Communis collata fuerant.[3]

XXVI.

ALEXANDER V.

1409-1410.

93. Qui vix decem menses sedit: nec tamen omisit benevolentiae testimonia consueta exhibere Ordini Praedicatorum de re doctrinae.

Imprimis de studiis et praedicatione illum laudavit die 10 augusti, anno 1409, excribens encomia a Bonifacio IX tributa superiusque a nobis relata: « ... Alii discunt et docent Dei scientiam, et plebem instruunt in eadem... Hi profecto sunt Fratres Ordinis Praedicatorum, in Dei Ecclesia multiplicibus splendoribus radiantes... ».[4]

[1] Sex tantummodo servantur diplomata, *Bullar. O. P.*, to. II, pp. 424-448.
[2] Ibidem, p. 483, Const. *Caritatis fervidae.*
[3] Die 9 novembr., an. 1412. Ibidem, p. 484, Const. *Provisionis nostrae.*
[4] Ibidem p. 494, Const. *Etsi pro cunctorum.*

Atque paulo post, eodem die et anno: « Eximiae devotionis sinceritas et plenitudo bonorum operum, et merita sinceritatis quibus Ordo Fratrum Praedicatorum in nostro et Apostolicae Sedis conspectu reflorere dignoscitur, nos inducunt ut Ordinem ipsum illa praerogativa specialis honoris et gratiae prosequamur, quae ad salutem et commodum cedere valeat animarum... ».[1]

Facta vero addidit, dum Ordinem amplissimis privilegiis donavit et ornavit.[2]

Quae laudes et privilegia propter doctrinam, a divo Thoma Ordini haereditario iure transmissam, concessa fuisse palam est. De laurea theologica caeterum promiscue non conferenda varia quam sapientissime statuit.[3]

XXVII.

IOANNES XXIII.

1410-1415.

94. Hisce encomiis Ordinem Praedicatorum extulit die 27 martii, anno 1414: « Sacer Ordo Praedicatorum... in agro plantatus Dominico, fructus uberes produxit ac producit assidue, ac Ecclesiam sanctam Dei splendore sui luminis fecunda prole laetificat ac exaltat uberrime ».[4]

Ille vero « splendor luminis » est ab Angelico Doctore praesertim, eiusque doctrinam complectitur.

Privilegia Ordinis innovat, iusque laureandi in sacra Theologia extendit et extollit.[5]

[1] *Bullar. O. P.*, to. II, p. 501, Const. *Exinde.*

[2] Per quatuor imprimis diplomata, data simul die 10 augusti, an. 1409, videlicet Const. *Dum religionis*, ibidem p. 495; Const. *Personam tuam*, p. 496; Const. *Dilectos filios*, p. 499; Const. *Sicut debetur*, p. 500.

[3] Die 10 augusti, 1409, Const. *Dilectos filios*. Ibidem, pag. 409.

[4] Ibidem, p. 518, Const. *Sacer Ordo*.

[5] Vide ibidem ad diem 7 augusti, an. 1410, p. 505, Const. *Ea quae;* ad diem 26 martii, an. 1411, p. 509, Const. *Sincerae devotionis;* ad diem 2 octobr., an. eodem, p. 510; Const. *Iustis et honestis;* ad diem 23 februarii, an. 1415, p. 526, Const. *Viri sacrae*, etc.

XXVIII.

MARTINUS V.

1417-1431.

95. Eximiis laudibus atque beneficiis Ordinem Praedicatorum propter doctrinam prosecutus est: quae in sancti Thomae encomium redundant, siquidem in Ordine praedicto ex doctrina ab omnibus accepta procedunt merita, si quae sint, tum in docendo tum in praedicando.

Porro ab initiis pontificatus sui Martinus, probe conscius eorum quae Praedicatores ad finem schismati imponendum praestiterant, ita habet, ad ipsosmet rescribens die 5 februarii, 1418: « Ordo vester in agro Dominico divina dispositione plantatus, digne meretur extolli, cuius professores, mundanis a se relegatis illecebris, et coelestium contemplationi vacantes, insistunt iugiter profectibus animarum. Ea propter ad dictum Ordinem, quem felicia, dante Domino, incrementa suscipere cupimus, apostolicae considerationis intuitum dirigentes, ad ea libenter intendimus per quae Ordo ipse valeat propagari ».[1]

Atque alias, et quidem de doctrina specialius, die 17 maii, 1423: « Inter caeteros tam Mendicantium quam aliorum divinis laudibus deditorum professorumque Religiones et Ordines, quibus nos praetulit benigna clementia Salvatoris, venerabilem Fratrum Praedicatorum Ordinem favoris praerogativa conspicimus et amoris prosequimur privilegio singulari, circa illum eiusque professores sollicitae considerationis intuitum dirigentes, ut pacifici status et prosperitatis plenitudine gratuletur, divini cultus in illo exercitium floreat, et professorum theologicae disciplinae polleat honestate, ut quemadmodum salutaris doctrinae splendoribus in agro Dominico clarere dignoscitur, sic decore virtutum et sanctitatis gloriosis operibus illorum, qui post longos studiorum suorum labores in eadem Theologia digne gradum magisterii meruerint, in Domo Domini glorietur ».[2]

[1] *Bullar. O. P.*, to. II, p. 534, Const. *Sacer Ordo*. Vide ibidem, p. 551, ad diem 17 augusti, an. 1418, Const. *Sacer Ordo;* p. 585, ad diem 15 iulii, an. 1420, Const. *Ad summi;* p. 686, ad diem 21 aprilis, an 1428, Const. *Super gregem.*

[2] Ibidem, p. 622, Const. *Inter caeteros.*

Inde privilegia Ordini, praeprimis de studio, iamdiu concessa confirmat et auget,[1] vultque magisterii lauream iis qui reipsa digni fuerint conferri, adductis tamen scientiae et doctrinae testimoniis, non fictitiis, sed certis.[2]

XXIX.

EUGENIUS IV.

1431-1447.

96. Iste Pontifex multifariam multisque modis Ordinem propter scientiam et doctrinam commendavit, quae a sancti Thomae scientia et doctrina imprimis habentur.

Mox laudat Praedicatores quod « verbum Domini per diversa mundi climata » praedicent.[3] Mox, sententiam suam de illorum doctrina clarius explanans, haec addit: « Plantatus in agro Ecclesiae Praedicatorum Ordo sic a suis primordiis, gratia operante divina laudabilibus incrementis, praesertim sub regularis vitae studio successive proficit, quod assidue flores perferens copiosius honestatis, et producens uberius fructus vitae, inter alia plantaria Dominica, puritate conversationis, scientiae dono et virtutis merito, tam contra profligandas haereses quam contra pestes mortiferas criminum aliorum extirpandas, doctrinae magisterio et evangelizatione verbi Dei dignoscitur specialiter insignitus. Unde nos in agro ipso cultores, licet immeriti, a Domino deputati, eundem Ordinem grandi prosequi favore proponimus, et exaltationem ipsius, qui robur fidelium et infidelium clarum lumen exsistit, iugis diligentiae studio multipliciter procurare ».[4]

[1] Vide *Bullar. O. P.*, p. 582, ad diem 28 maii, an. 1420, Const. *Regimini*; p. 654, ad diem 6 sept. an. 1425, Const. *Sincerae devotionis*; p. 679, ad diem 21 maii, an. 1427, Const. *Ex Apostolicae*, et alibi pluries.

[2] Cf. ibidem, p. 545, Const. *Viri Sacrae*, datam die 29 maii 1418; p. 557, Const. *Viri Sacrae*, die 11 aprilis 1419; p. 563, Const. *Viri Sacrae*, die 20 octobris 1419; p. 569, Const. *In Apostolicae*, die 20 novembris 1419; p. 573. Const. *Sedis Apostolicae*, die 13 decembris 1419; p. 590, Const. *Viri Sacrae*, die 28 augusti, 1420; p. 593, Const. *Viri Sacrae*, die 6 novembris 1420; p. 622, Const. *Inter caeteros* die 17 maii 1423; p. 661, Const. *Religionis zelus*, die 7 ianuarii 1426 etc.

[3] Die 9 aprilis, an. 1439. Ibidem, to. III, p. 100, Const. *Sacrae religionis*.

[4] Die 12 augusti, an. 1439. Ibidem, Const. *Plantatus olim*, p. 109.

Atque ita alias: « Ordo Fratrum Praedicatorum exemplo vitae et scientiae lumine, praesertim per regularis observantiae nitorem, non solum humilium ac iustorum adaugere pietatem, sed velata gentium corda ad sacri fontem Baptismatis, operante Domino, perducere contendit, ut nostris quoque temporibus tam salutaria opera eo uberius producere valeat, quo ipsum et Fratres eius Apostolicis privilegiis et gratiis abundantius conspexerint esse refectos... ».[1]

Demum ipsos extollit quia « et circa fidelium animarum salutem, necnon haereticorum et aliorum infidelium quorumlibet debitam conversionem praedicationibus et doctrina continuo laborant »,[2] quodque « pro integritate et veritate christianae fidei conservanda et salute animarum, fructus Fratres Praedicatores pariunt in Dei Ecclesia salutares ».[3]

Factis verba cumulavit, siquidem privilegia quibus Ordo fuerat donatus a variis Pontificibus de Theologiae discendae et docendae ratione imprimis confirmavit,[4] varia statuit de mittendis in Parisiensem Universitatem Fratribus, ad discendam Theologiam quae thomistica ibidem perpetuo fuit,[5] decrevit sacrae Theologiae doctores in Armenia a Praedicatoribus creandos,[6] Papiensibus studentibus concedit aliquod monasterium ad eorundem melius commodum,[7] demum iubet Magistrum Generalem Ordinis accedere ad Concilium oecumenicum, Ferrariam transferendum, quod in Pontificis votis erat una cum duodecim magistris in Theologia.

97. Quum vero istud factum egregium in re nostra testimonium adduci debeat, hinc ipsum documentum ducimus referendum:

« Dilecto filio... Generali Magistro Ordinis Praedicatorum Eugenius PP. IV. Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem.

« Cum Basileense Concilium ad civitatem Ferrariensem pro oecumenico Concilio inibi celebrando, tam propter Occidentalis et Orientalis Ecclesiarum unitatem quam reformationem Ecclesiae et pacem christiani populi, et aliis rationabilibus causis, totis viribus, auctore Domino, procurandas, duxerimus transferendum, prout tua devotio videre poterit per copiam Litterarum praesentibus inclusam, eidem devotioni tuae, in virtute sanctae obedientiae iniungimus et mandamus, quatenus cum per Dei gratiam speremus, immo certi reddamur, quod charissimus in Christo

[1] Die 17 augusti, an. 1439, *Bullar. O. P.*, to. III, Const. *Advesperascente*, p. 110

[2] Die 11 aprilis, an. 1440. Ibidem, Const. *Romanus Pontifex*, p. 117.

[3] Die 5 ianuarii, an. 1442. Ibidem, Const. *Cum itaque*, p. 146.

[4] Die 11 aprilis, an. 1440. Ibidem, Const. *Romanus Pontifex*, p. 117.

[5] Die 24 martii, an. 1442. Ibidem, Const. *Ad iugem*, p. 149.

[6] Die 11 martii, an. 1431. Ibidem, Const. *Rationi congruit*, p. 4.

[7] Die 9 iulii, an. 1442. Ibidem, Const. *Debitum pastoralis*, p. 157.

filius noster Ioannes Graecorum Imperator illustris, ac venerabilis frater noster Patriarcha Constantinopolitanus, cum eorum Praelatis et Clericis, pro quibus iamdudum cum galeis et aliis necessariis et conventis, misimus circa kalendas novembris proxime futuras accedent ad Concilium memoratum, quantocius poteris te conferas, atque una tecum duodecim magistros tui Ordinis perducas, de quibus devotioni tuae per alias nostras litteras intimavimus, [1] ut in ipso Concilio, Altissimi cooperante misericordia, per tuam, illorum et aliorum prudentiam et virtutem tractentur et agantur ea quae cedant ad laudem Dei, pacem Christianorum, ac statum et exaltationem Ecclesiae suae sanctae.

« Datum Bononiae, anno Incarnationis Dominicae 1437, IX kal. oct., pontificatus nostri anno septimo ».[2]

XXX.

NICOLAUS V.

1447-1455.

98. Pontifex ille, bonarum artium fautor celeberrimus, Ordini Praedicatorum maxime addictus fuit, atque in Ordine ipso Ioanni pictori Angelico, quod norunt omnes, amicissimus.

Doctoris autem Angelici scientiam non minus quam pictoris Angelici artem pro viribus fovit et laudavit.

Thomae quippe doctrinam tum directe tum indirecte commendavit. Cum enim Coenobium Tolosanum Praedicatorum quasi in ruinas per terraemotus varios, anno imprimis 1427, deductus esset, eidem reficiendo summa liberalitate providit, diplomate dato die 20 iulii anno 1451, hancque inter alias liberalitatis causas adducit: « Nobis nuper exhibita petitio continebat quod licet conventus Tolosanus Ordinis Praedicatorum... in cuius ecclesia sancti Thomae de Aquino, ex cuius doctrina tota universalis illuminatur Ecclesia, corpus solemniter et honorifice reconditum cum decenti admodum veneratione conservatur, in suis huiusmodi ecclesia et officinis necessariis decenter constructa et aedificata exstiterit, nihilominus

[1] Quae Litterae ad nos usque non pervenerunt, quod sciamus.

[2] *Bullar. O. P.*, to. VII, p. 427, Const. *Cum Basileense*. In *Bullario O. P.* referuntur tercentum et septem diplomata ad Ordinem ab eodem Pontifice directa.

tamen occasione terraemotus, qui diversis inibi vicibus retroactis temporibus contigit, etc. ». [1]

99. Thomae rursus doctrinam in ipsa Ordinis doctrina pluries laudibus cumulavit.

Ita enim ab initio pontificatus sui, nempe die 6 aprilis 1447: « Licet ex debito summi Pontificatus officii nobis desuper iniuncti circa quorumlibet fidelium, praesertim mundanis abiectis illecebris sub regulari habitu Altissimo famulantium omnium profectus, utilitates et commoda, nos deceat intentos existere, Ordinem tamen Fratrum Praedicatorum, eiusque pro tempore religiosos, tanto potioribus favoribus et gratiis confovere satagimus quanto illorum scientia, virtutibus et fructuosis operibus, etiam ad Fidei catholicae conservationem et incrementum, ad divini nominis laudem et gloriam id conspicimus in Domino expedire ».[2]

Atque rursus, die 9 martii, 1450: « Ad vitam ac diversarum praesertim Sacrarum Litterarum scientiam admirabilem, nec non virtutes alias plurimas, ac opera fructuosa, quibus religiosi Ordinis Fratrum Praedicatorum etiam ad laudem et gloriam divini Nominis Fideique catholicae conservationem et augmentum ac plurimorum fidelium animarum salutem, continuo pollere noscuntur, nostrae dirigentes considerationis intuitum, illa libenter eis concedimus, atque in eorum favorem statumque salubrem facimus, disponimus et ordinamus, per quae antiquae ipsius Ordinis consuetudines et regularia instituta, nec non Apostolica eidem Ordini concessa privilegia, sublatis contrariis quibuslibet, inviolabiliter observentur, ipsique Religiosi institutis et consuetudinibus supradictis se conformantes, sua in pacis et quietis mansuetudine Altissimo vota reddere ac fructus in Dei Ecclesia proferre valeant ampliores, etc. ». [3]

Demum ita die 9 aprilis, anno 1454: « Dum ad vitam laudabilem ac Sacrarum Litterarum scientiam plurimasque alias virtutes et opera fructuosa quibus in agro Dominico Ordinis Fratrum Praedicatorum religiosi pollent, nostrae dirigimus considerationis intuitum, profecto ea eis libenter impedimus auxilia, ac in eorum favorem et statum salubrem dirigendum, statuimus, disponimus et ordinamus per quae salubria ipsius Ordinis consuetudines et regularia instituta, nec non apostolica illi concessa privilegia, semotis quibuslibet disturbiis, inviolabiliter observentur, ipsique religiosi institutis et consuetudinibus supradictis se conformantes, sua in pacis et

[1] *Bullar. O. P.*, to. III, pag. 299, Const. *Piis fidelium*. Quae Bulla ex integro cuique curioso legenda est.

[2] Ibidem p. 240, Const. *Licet ex debito*. Idem iisdem quasi verbis iterat Pontifex die 4 decembris anni 1448, ibidem, p. 263, Const. rursus *Licet ex debito*.

[3] Ibidem, p. 276, Const. *Ad vitam laudabilem*.

quietis mansuetudine Altissimo vota reddere ac fructus in Dei Ecclesia proferre valeant ampliores ».[1]

Pluries reipsa omnia ab antecessoribus, nempe imprimis a Bonifacio IX, Gregorio XI, Martino V, Eugenio IV et aliis collata privilegia, etiam de studiis, confirmavit et auxit.[2]

XXXI.

CALIXTUS III.

1455-1458.

100. Is Pontifex hisce verbis devotionem suam in Ordinem Praedicatorum protestatus est: « Nos qui divinum cultum nostris praecipue temporibus adaugeri, et Ordinem [Praedicatorum] ipsum propagari intensis desideriis affectamus... ».[3]

Indeque, etsi doctrinam sancti Thomae in sua pacifica dominatione reliquerit, nonnulla tamen praestitit, quae in eiusdem gloriam vergunt. Imprimis in Sanctorum albo inscribere statuit concivem suum illustrem Vincentium Ferrerium, qui priusquam ecclesiastis munus gloriose obiret, per viginti annos doctrinam Angelici qua magister tradiderat, in quemque Pontifex « singularis devotionis affectum » se gerere professus est,[4] ita ut eius imaginem in suo sepulcro sculpi iusserit.

Nec satis. Ipse namque auctoritate apostolica rescidit die 23 martii, an. 1457, nonnulla quae in Universitate Parisiensi, tum temporis doctrinae divi Thomae addicta, nonnulli statuerant contra Fratres Mendicantes, hoc addens, quod scilicet illi Parisiensem « Universitatem, Franciae Regnum ac universalem Ecclesiam suis doctrinis et exemplis decoraverunt atque decorant »; hincque plura decrevit circa gradus scholasticos ab illis iisdem in Universitate suscipiendos.[5] Quae omnia et dicta et decreta sunt imprimis propter doctrinam divi Thomae tunc in Facultate Theologica Parisiensi florentem. Eaque potior fuit ratio cur « Ordinem ipsum propagari intensis desideriis » affectaverit.[1]

[1] *Bullar. O. P.*, to. III, p. 323, Const. *Dum ad vitam*.

[2] Vide ibidem, p. 240, ad diem 6 aprilis an. 1447, Const. *Licet ex debito*; p. 263, ad diem 4 decembris, an. 1448, Const. rursus *Licet ex debito*; p. 267, ad diem 15 martii, an. 1449, Const. *Provisionis nostrae*; p. 301, ad diem 6 augusti, an. 1451, Const. *Licet ea*.

[3] Die 27 aprilis, an. 1456. Ibidem, p. 349, Const. *Piis fidelium*.

[4] Die 30 octobris, an. 1455. Ibidem, p. 345, Const. *Sacrae religionis*.

[5] Ibidem, p. 362, Const. *Inter caetera*, die 23 martii 1457.

101. Significantior vero habenda est illa quam edidit innovatio privilegiorum Magistri Sacri Palatii, quem sciunt omnes perpetuo electum fuisse ex Ordine Praedicatorum, inter doctiores theologos, atque divo Thomae magis addictos. Ita quippe 13 novembris, 1456:

« Calixtus episcopus, servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

« Licet ubilibet ad seminandum verbum Dominicum Apostolica Sedes decreverit operarios fore ex omni religione viros idoneos assumendos, illud tamen in alma Palatii Apostolici Capella, in quo ad Romanum Pontificem undique ex diversis mundi nationibus confluentes viri famosissimi sedulo conveniunt, et in qua, veluti ex cristianae sapientiae et eloquentiae fonte quaevis doctrina imbibitur, eo studiosius et accuratius agi voluit, quo universus orbis ea quae apud Sedem ipsam aguntur, tanquam praeclarissimum quoddam salubris eruditionis intuetur exemplar, et quo periculosius foret, si in Dominica traditione quantumlibet exiguus asseveretur error, quam Sedes ipsa sinceram et puram, sine ruga vel macula fidelibus toto orbe ministrare procurat. Hac igitur consideratione moti, nonnullorum Romanorum Pontificum, praedecessorum nostrorum, qui inter alia statuerunt[2] et iniunxerunt ut nullus in eadem Capella sermonem verbi Dominici habere praesumeret, nisi prius a Magistro dicti Palatii pro tempore exsistente examinatus et correctus, ac pro idoneo iudicatus foret, vestigiis inhaerentes, ac periculis quae propter ignorantiam vel temeritatem quorundam, qui non subacto examine huiusmodi, sermones ipsos in eadem Capella nonnunquam proferre temere praesumpserunt, facile possent emergere, praesentis Constitutionis edicto occurrere cupientes, auctoritate apostolica et ex certa scientia statuimus et ordinamus quod nullus de caetero cuiuscumque praeeminentiae, gradus, Ordinis vel dignitatis exsistat, venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus dumtaxat exceptis, sermonem in eadem Capella praesumat habere, nisi illud sibi a Fratre..., moderno et pro tempore exsistente Magistro Sacri Palatii, fuerit ante commissum, ipseque sermo ab eodem Magistro praevisus, accuratus, examinatus, si opus exstiterit, ante correctus et emendatus, ac sufficiens ut in conspectu Romani Pontificis haberi valeat, reputatus fuerit. Ille vero cui hoc commissum fuerit,

[1] *Bullar. O. P.*, to. III, p. 349, ad diem 27 aprilis, an. 1456, Const. *Piis fidelium*.

[2] Alludit Pontifex praesertim ad Constitutionem Eugenii IV, *Dum ex pluribus*, quam emanavit die 30 octobris, anno 1437. De qua vide ibidem, p. 81. Eugenius aliunde ipse ad vetustiora privilegia appellat.

ut praefertur, neminem possit loco sui, sine ipsius Magistri petita et habita licentia subrogare. Magister autem praefatus, in cuius humeris super hoc cura dicti Pontificis requiescit, in huiusmodi sermonibus ea quae ad integritatem Fidei orthodoxae, salubritatem doctrinae, et omnium revocationem scandalorum pertinent, nec non ad fastidiosae prolixitatis moderamen, diligenter intendat. Si quis vero tantum de se ipso praesumeret, ut correctionem huiusmodi humiliter forte recipere recusaret, ex tunc liceat eidem Magistro sermonem ipsum alteri, nisi illud temporis augustia prohiberet, committere, alioquin sermonem eundem pro ea die, si sibi videatur, prohibere. Quod si forte quispiam ita temerarius fuerit, ut illud in quo correctus ab eodem Magistro exstiterit, in dicta Capella sermocinando malitiose enuntiare praesumpserit, ex tunc ad amplius in dicta Capella perorandum indignus censeatur, ac excommunicationis sententia se subiacere noverit eo ipso, nihilominus ab eodem Magistro publice, etiam nostro in conspectu, acriter arguatur... ».[1]

Ubi id praeprimis notandum videtur, Magistrum Sacri Palatii rectioris doctrinae puritatisque in Fide arbitrum constitui, hac nempe ratione, quod ipsius doctrina rectior et securior censeatur, unde et alii Ordines ipsi in hoc subiiciuntur: quod ipsi competere dicendum est propter eius thomisticam scientiam.

XXXII.

PIUS II.

1458-1464.

102. In encomio quod de sancto Dominico edidit, haec habet:

« Multi ex discipulis eius clarissimi evaserunt: sed praecipua est Magni Alberti fama, qui nullum doctrinae genus ignorasse creditus est; nec minor eo Thomas Aquinas in litteris, etsi maior exstitit in sanctitate ».[2]

Praeter huiusmodi laudes directe Angelico Doctori delatas, aliae sunt indirecte tributae.

Imprimis siquidem publici iuris fecit Bullam de canonismo sancti Vincentii Ferrerii, quem laudavit ut « sacrae Theologiae eximium professorem, aeterni Evangelii in se documenta habentem », quique « sacris Litteris tam efficacem operam dedit, ut magisterio in eadem Theologica Facultate dignus ab omnibus censeretur, et ob hoc ipsius Magisterii in-

[1] *Bullar. O. P.*, to. III, p. 356, Const. *Licet ubilibet.*

[2] FONTANA, *Monum. Dom.*, an. 1280.

signia consecutus est ».[1] Norunt aliunde omnes Vincentium non nisi doctrinam Angelici theologice edocuisse, cui, ut ex oratione panegyrica de eodem infra referenda luculentius patebit, devotissimus et mente et corde exstitit. Unde elogia in doctrinam Vincentii pronuntiata mox cedunt in laudem doctrinae sancti Thomae.[2]

Haud secus et ipsum Ordinem eximie laudibus extulit propter egregiam in praedicationis officio doctrinam. Ita enim die 1 maii, 1462: « Ad Ordinem ipsum, ait, ex quo fructum uberrimum in Dei Ecclesia provenire conspicimus, singularem gerimus affectum ».[3]

Atque alias, die scilicet 12 iunii, anno 1469: « Cum vero in terris infidelium messis quidem sit multa, operarii vero pauci, ne ager Dominicus spinis et vepribus repleretur, nonnulli praedecessores nostri de florido Praedicatorum Ordine ad irrigandum imbre sanctae praedicationis corda Aquilonarium et Orientalium nationum aliquos direxerunt filios et alumnos, qui flante Spiritu, plenos manipulos in horrea sanctae Matris Ecclesiae portaverunt. Sed proh dolor! temporibus nostris venit inimicus homo, et superseminavit zizania in medio tritici, cum, prae Turcarum potentia, christianorum aliquas nationes suo impiissimo dominatui subegerit, etc. »[4]

XXXIII.

PAULUS II.

1464-1471.

103. Quamplurima coenobia et monasteria in Ordine fundanda vel instauranda approbavit; hortationes Fratribus enixas protulit ut apud ipsos « regularis observantia et sacrae Theologiae studium digne vigerent ».[5]

[1] Die 1 octobris, an. 1458, *Bullar. O. P.*, to. III, p. 379, Const. *Rationi congruit.* Hinc Pictor Angelicus in conventu Sancti Marci Florentini ipsum birreto Magistrorum donat.

[2] Nonnihil simile colligendum foret ex doctrina sanctae Catharinae Senensis, quam idem Pontifex eximie in Canonizationis Bulla, cui titulus *Misericordias Domini*, commendavit, die 29 iunii, anni 1461. Hanc legesis, ibidem, p. 409, sqq. Non negatis praeternaturalibus in sancta Virgine charismatibus, neque neganda est ipsa natura. Intuenti enim patet doctrinam eius sublimem consentaneam prorsus esse sancti Thomae documentis, quae Senensis Magistra quotidie a beato Raymundo Capuano aliisque Dominicalibus Fratribus accepit.

[3] Ibidem, p. 418, Const. *A superno.*

[4] Ibidem, p. 431, Const. *Dum levamus.*

[5] Die 7 iunii, an. 1465. Ibidem, p. 449, Const. *Ex debito.*

Atque exinde « ad fructuosa opera quae dilecti filii Ordinis Fratrum Praedicatorum professores sub regulari observantia degentes, per exempla virtutum in agro militantis Ecclesiae continue faciunt, nostrae dirigentes considerationis intuitum, in his per quae regularis inter eos observantia perpetuo vigere, ipsique Deo quietum famulatum reddere valeant, operarias manus libenter apponimus ac eorum vota favorabiliter exaudimus ».[1]

Moxque iterum: « Ut sacer Ordo Fratrum Praedicatorum, in agro Dominico divina dispositione plantatus, in orbe terrarum latius distendatur, tanto propensius volumus quanto uberiores ex illis fructus proveniunt, et ipsi sedulius insistunt pro fructibus animarum ».[2]

Demumque, ait: « Nos de ipsius Ordinis [scilicet Praedicatorum] statu clarissimo, specialis laetitiae multitudinem consequentes ac votis vestris, in his praesertim quae vestrarum personarum statum et quietem respiciunt, gratiosum Apostolici favoris praesidium liberaliter impendere volentes... ».[3]

Ad hanc vero observantiam adeo inhiatam zelus sacri studii pertinebat, tanquam pars integrans et praecipua, eiusdemque quale Ordo retinuit, iuxta nempe Thomae normam: illi vero uberes fructus de quibus Pontifex in Ordine praeprimis a doctrina habiti sunt.

XXXIV.

SIXTUS IV.

1471-1484.

104. Laudavit Thomam ipsiusque doctrinam ubi ad commendationem Officii de Sanctissimo Corpore Christi, narrat officium illud fuisse a divo Thoma compositum: « Urbanus, ait, praedecessor [noster] statuit festum tam gloriosissimi Sacramenti annis singulis et temporibus perpetuis quinta feria post octavas Pentecostes a cunctis fidelibus ubique solemniter celebrari, propriumque eiusdem solemnitatis officium per beatum Thomam de Aquino, tum in ipsa Curia exsistentem, compositum edidit ».[4]

Indirecte vero laudat ubi propter doctrinam Ordinis specialem a divo Thoma procedentem laudes Ordini tribuit.

[1] Die 13 novembris, an. 1464, *Bullar. O. P.*, to. III, p. 443, Const. *Ad fructuosa*.

[2] Die 4 ianuarii, an. 1465. Ibidem, p. 446, Const. *Ut sacer*.

[3] Die 6 septembris, an. 1495. Ibidem, p. 451, Const. *Super gregem*.

[4] Die 23 iulii, an. 1477. Ibidem, pag. 555, Const. *Salvator noster*.

Mox quippe laetatur « quod licet in dicto Ordine, in quo magna eruditissimorum virorum habetur multitudo, benedicente Domino, novi palmites succrescant in dies et Fratrum Praedicatorum numerus ubilibet augeatur »,[1] mox prohibet ne « parochiani sacerdotes de caetero dicant a Mendicantibus haereses processisse, cum in veritate Fides nostra sit illuminata, et Ecclesia exaltata per eosdem, et praesertim per Ordines Praedicatorum et Minorum, ut iura testantur ».[2]

Unde multis beneficiis diversimode collatis vel confirmatis verba complevit, ut patet per illud *Mare Magnum* quo privilegia a Bonifacio VIII, Gregorio XI, Martino V, Eugenio IV concessa innovavit solemniter.[3]

Neque omittendum est eundem Pontificem, rogatu Praedicatorum aliorumque Fratrum Mendicantium instituisse Universitatem Dubliniensem, iuxta consuetudines et statuta universitatis Oxoniensis:[4] ista autem, utpote quoad Theologiam a Praedicatoribus informata, tunc iam aetate Sixti, thomistica prorsus evaserat, etsi tempore Kilwarbii nonnihil haesitasset.

XXXV.

INNOCENTIUS VIII.

1484-1492.

105. Ordinem Praedicatorum elogiis cumulavit propter eiusdem merita atque scientiae sacrae studia.

Ita quippe aliquando: « Professores Ordinis Praedicatorum, in nostra Religione primarios, praecipua charitate complectimur, et desideramus illos in dies salubria capere in Domino incrementa ».[5]

Aliquando autem ita: « Viri litterati quibus idem Ordo omni tempore floruit, magnum lucrum faciunt animarum ».[6] Quod amplioribus verbis sic explanat: « Praedicatorum Ordo, instar unius fluviorum, a coelestium voluptatum et amoenitatum Paradiso egredientium, sacrosanctae univer-

[1] Die 1 iulii, an. 1475, *Bullar. O. P.*, to. III, p. 528, Const. *Considerantes*.

[2] Die 17 iunii, 1478. Ibidem, to. VII, p. 108, Const. *Vices illius*.

[3] Die 31 augusti, an. 1474. Ibidem, to. III, p. 516, Const. *Regimini*. Adverte caeterum Sixtum IV vacasse studiis theologicis in Studio Neapolitano, sub magistris ex Ordine Praedicatorum assumptis, quod narrant historici.

[4] Die 27 aprilis, an. 1475. Ibidem, p. 525, Const. *Copiosus*, et to. VIII, p. 462, Const. altera *Copiosus*.

[5] Die 24 maii, an. 1486. Ibidem, to. IV, p. 10, Const. *Quoniam professores*.

[6] Die 1 februarii, an, 1491. Ibidem, p. 66, Const. *Cum dilectus*.

salis Ecclesiae terram, ne mundanarum cupiditatum et vitiorum calore arescat, praeclarae doctrinae, virtuosorum operum ac multiplicium meritorum imbribus irrigans, magis ac magis in dies illam fructuosam efficit... Hic est una tuba per quam Dominus praecipit populum ad pabulum assiduis praedicationibus advocari, ut in omnem terram eius sonus exiret, et redderet sibi populum acceptabilem, et bonorum operum sectatorem ».[1]

De schola divi Thomae et in factis optime meritus est, ubi egregia quaedam statuit de Studio Vallisoletano.[2]

XXXVI.

ALEXANDER VI.

1492-1503.

106. Ita Pontifex ille extulit Doctorem Angelicum die 29 iulii, anno 1496: « Etsi cunctae orbis ecclesiae sub sanctorum fundatae vocabulis, sunt pia fidelium devotione venerandae, illas tamen quae in honorem sancti Thomae de Aquino dedicatae noscuntur eo celebriori memoria convenit venerari, quo ipse, quasi lucerna praefulgens in universo christianum orbem illustrat... ».[3]

Haud secus in memoriam revocat « uberes fructus quos sacer Ordo Praedicatorum in agro militantis Ecclesiae, velut arbor bona, produxit hactenus »;[4] quin immo, Praedicatores allocutus, haec pronuntiavit: « Reformationi et augmento vestrae sacrae Religionis, prout tenemur, favorabiliter attendentes, quae omnium Conditori gratissima, et piae devotioni fidelium accepta est et fructuosa, libenter ad illa intendimus per quae utiliter et salubriter valeat provideri ».[5] In emolumentum scholae sancti Thomae plura egregie approbavit in Studio Salmanticensi.[6]

[1] Die 26 iulii, an. 1486, *Bullar. O. P.*, to IV, p. 12, Const. *Sacer Praedicatorum.*

[2] Die 9 septembris, an. 1488. Ibidem, p. 38, Const. *Inter curas*, et ad diem 15 decembris, an. 1487. Ibidem, to. VII, p. 430, Const. *In Apostolicae.*

[3] Ibidem, to. IV, p. 122, Const. *Etsi cunctae.* Quibus addi licet favores quibus cumulavit sacellum Sancti Thomae a cardinali Oliverio Caraffa erectum in ecclesia Sanctae Mariae supra Minervam, die 19 maii, anno 1493. Cf. I. Berthier, *L'église de la Minerve*, p. 186.

[4] Die 7 iunii, an. 1496. Ibidem, p. 122, Const. *Etsi cunctae.* Vide ibidem, p. 120, ad diem 30 septembris, an. 1495, Const. *Considerantes* et p. 156, ad diem 23 decembris, an. 1499, Const. *Ad fructus uberes.*

[5] Die 7 novembris, an. 1496. Ibidem, p. 124, Const. *Reformationi.*

[6] Die 5 octobris 1502. Ibidem, p. 180, Const. *Iniunctum.*

XXXVII.

PIVS III.

1503.

107. Qui non sedit nisi 27 dies.

Diploma unum Ordini rescripsit, die 1 octobris, 1503, quo iubet differri Capitulum Generale ad annum sequens, ne interrumpenda foret Ordinis visitatio a Magistro Generali inchoata,[1] ex qua propagari debuit reformatio eiusdem Ordinis, proindeque et Theologiae Thomisticae ac Philosophiae instauratio.

XXXVIII.

IULIUS II.

1503-1513.

108. Ipse Iulius Papa Ordinem Praedicatorum propter doctrinam egregie laudavit.

Enarravit siquidem « fructus uberes quos sacri Ordinis Fratrum Praedicatorum Professores circa propagationem Religionis et Fidei, in agro militantis Ecclesiae, incremento temporum, magnis laboribus, crebris vigiliis, indefesso animo produxerunt... ».[2]

Atque iterum alias: « Nos attendentes quod Ordo praedictus, a primaevo suae institutionis, pro Ecclesia et statu Sedis Apostolicae laboraverit in divini verbi in toto orbe propalatione, ac sacrarum Litterarum et virorum eruditione, fructusque salubres produxerit, et continue producere non cessat, merito inducimur ut ad illum specialem affectionem geramus, et in his quae statum et conservationem illius concernunt benigne succurramus ».[3]

[1] *Bullar. O. P.*, to. IV, p. 215, Const. *Expositum.*

[2] Die 23 iunii, an. 1507. Ibidem, p. 246, Const. *Dum fructum.*

[3] Die 9 octobris, an. 1507. Ibidem, p. 250, Const. *Etsi ab apostolica.* Cf. Const. *Dum fructus*, ibidem, p. 246, datam die 23 iunii, an. 1507.

Inter vero illos viros quos produxit Ordo connumerandus primo loco est sanctus Thomas, qui scientificam formam, si ita loqui fas sit, eidem indidit.

In promotionem doctrinae eiusdem Iulius Pontifex nonnulla statuit circa Studium Vallisoletanum, ex experimentis dictata, et quidem ad « litterarum exercitiis continue insistentium quietem ».[1]

XXXIX.

LEO X.

1513-1521.

109. Etsi Leo X nullum ediderit diploma explicitum de doctrina sancti Thomae, nullus fuit tamen Summus Pontifex qui plus ad huius doctrinae propagationem adlaboraverit, inspirante ac promovente eximio Fratre Thoma de Vio Caietano.

Eandem imprimis laudavit suis encomiis Ordini tributis, et hoc quidem ab initiis pontificatus sui. Ita quippe: « Cum inter caeteros operarios qui ad excolendum vineam Domini Sabaoth vocati sunt, Ordo Praedicatorum magnos et probitatis et doctrinae, et animarum salutis fructus semper olim attulerit, quotidieque afferre cernatur, doceatque ut etiam in hac vita, pro tot suis sanctis studiis honestisque laboribus, ab Apostolica Sede, cuius nostris quoque periculosis temporibus pacem et dignitatem Ordo idem fortiter tutatus est, spiritualia subsidia ornamentaque accipiat, quibus et sancta sua officia facilius atque expeditius exsequatur, et caetera religiosae personae Ordinesque alii exemplo benignitatis [pontificiae] promptiores alacrioresque sua officia persolvenda reddantur, idcirco Praedecessorum nostrorum vestigia consectati, qui plurima eidem Ordini beneficia ac privilegia contulerunt, etc. »[2]

Hinc omnium Ordinum omnia privilegia prorsus Praedicatoribus communicat, sicut et antiquitus collata innovat.[3]

[1] Die 19 iulii, an. 1506. *Bullar. O. P.*, to. VII, p. 435, Const. *Sacrae religionis.*

[2] Die 23 novembris, an. 1513. Ibidem, to. IV, p. 298, Const. *Cum inter caeteros.* Eadem iterat die 21 iunii, an. 1518. Ibidem, to. IV, p. 365, Const. *Cum inter caeteros.* In eodem *Bullario* Leonis require passim, si lubeat, alia huiusmodi encomia et hortamenta.

[3] Die 25 iunii, an. 1518. Ibidem, p. 367, Const. *Exponi nobis.*

At vero Frater Thomas de Vio Caietanus iam antea ad Fratres in Capitulo Generali Genuensi adunatos haec peremptorie scripserat: « Gaudeant alii, Fratres charissimi, suis praerogativis: nos, nisi sacra Doctrina commendet, de nostro Ordine actum est ».[1]

110. Inde Pontifex, instigante sane Caietano, manum admovit ad studium sacrae Doctrinae promovendum.

Imprimis transtulit atque innovavit sub titulo Academiae Sapientiae Studium Sacri Palatii, a sancto Dominico institutum, atque ad illam ornandam undique Romam accersivit viros doctissimos, ita tamen ut eiusdem Praeses esset in perpetuum Magister Sacri Palatii, atque prima Theologiae cathedra Praedicatorum Ordini perpetuis futuris temporibus assignata remaneret, unde sana et sancta Divi Thomae doctrina explanaretur.[2]

111. Sed praeterea varia sanxit erigi apud Praedicatores in Hispaniis, collegia eademque theologica, quae passim, impellente Caietano, Magistro Generali Ordinis, hac ductus ratione, quod videlicet non esset ignarus « quantum expediat reipublicae, et orthodoxae fidei conducat ut Ecclesia Dei viris non solum religiosis, sed etiam sacrarum Litterarum scientia praeditis, quorum opera possit veritatem et lucem ubique protendere, ac illam obumbrare nitentes dissipare valeat, in dies abundet ».[3]

Comprobavit igitur in Ordine erectionem Collegiorum seu Studiorum theologicorum Salmanticensis,[4] Hispalensis,[5] Cordubensis,[6] Ulyssiponensis,[7] eademque diversis privilegiis auxit. Que omnia instituta doctrina sancti Thomae imbuebantur simul atque eandem diffundebant.

Demum quo significantius mentem suam manifestaret Fratrem Thomam de Vio Caietanum in sacrum Collegium cooptavit, inductus « probitate, prudentia, doctrina » eiusdem,[8] quae doctrina utique sancti Thomae est, quod nullus ignorat, cum ille sit omnium interpretum sancti Thomae famosissimus, cuius, iubente altero Leone, scilicet XIII, *Commentaria* in *Summam Theologicam*, una cum hac ipsa eadem *Summa*, solemnius rursus edita sunt.

[1] Die 1 maii, an. 1513. Vide *Acta Capit. Gen.*, ann. 1513.

[2] Vide FONTANA, *Monum. Dom.*, an. 1513.

[3] Die 5 iunii, an. 1515, *Bullar. O. P.*, to. IV, p. 320, Const. *Altitudo divinae.*

[4] Die 5 iunii, an. 1515. Ibidem, p. 320, Const. *Altitudo divinae.*

[5] Die 14 aprilis, an. 1516. Ibidem, p. 328, Const. *Solet nonnunquam.* Vide ibidem, p. 333, ad diem 14 novembris, an. 1516, Const. *Sacrarum Scripturarum;* et p. 350, ad diem 14 decembris, an. 1517, Const. *Ex debito.*

[6] Die 20 martii, an. 1517. Ibidem, p. 342, Const. *Regis pacifici.*

[7] Die 10 iulii, an. 1517. Ibidem, p. 345, Const. *Dum mente.*

[8] Die 1 iulii, an. 1517. Ibidem, p. 345, Const. *Hodie inducti.*

XL.

ADRIANUS VI.

1522-1523.

112. Qui nonnisi annum unum cum dimidio regnavit: unde pauca scripsit de doctrina, etsi Ordini Praedicatorum addictissimus, prout etiam Caietani industria et hortatu electus.

De divo Thoma cum Caietano prorsus sentiebat. Cuius doctrinalis amicitiae aliud signum est, quod statuerat inter sanctos referre beatum Antoninum de Florentia, sancti Thomae et admiratorem et fautorem celeberrimum: quod praestitit Clemens VII ipsius successor.[1]

XLI.

CLEMENS VII.

1523-1534.

113. Ordini Praedicatorum sese benevolentissimum declarat Pontifex: « Ordinem, inquit, propter uberes fructus quos in Ecclesia Dei produxit, in visceribus gerimus charitatis ».[2] Idemque et alias iteravit pluries.[3]

Inter autem benevolentiae rationes et scientiam et doctrinam affert ipse: « Sacro Praedicatorum Ordini, religione vitae, excellentia doctrinae et praedicationis munere inter caeteros conspicuo, salubriter dirigendo... incumbentes, ea libenter providemus per quae idem Ordo a sui initio semper in Vinea Domini fructuosus et celebris, solita virtutum fecunditate exuberet, et in veterem religionis cultum, si qua sui parte deflexerit, paulatim, Domino concedente, revocetur ».[4] Haud secus alias pronuntiat « sacrum Ordinem Praedicatorum religione simulque doctrina insignem ».[5]

[1] Die 26 novembris, an. 1523, *Bullar. O. P.*, to. IV, p. 417, Const. *Rationi congruit.*

[2] Die 26 februarii, an. 1529. Ibidem, p. 470, Const. *Exponi nobis.*

[3] Die imprimis 2 septembris, an. 1531. Ibidem, p. 488, Const. *Officii nostri.*

[4] Die 23 septembris, an. 1531. Ibidem, p. 493, Const. *Sacro Praedicatorum.*

[5] Die 8 octobris, an. 1531. Ibidem, p. 494, Const. *Pro pastorali.*

Unde privilegiis ipsum egregie auxit: « Nos attendentes uberes fructus quos Fratres ipsius [Praedicatorum] Ordinis in militanti Ecclesia hactenus produxerunt, et producturos in posterum spe firma tenemus, ac propterea eos paterno affectu confovere ac privilegia et indulta eis concessa illaesa praeservari, etc. »[1]

Quaenam autem fuerint scientia et doctrina sic commendatae patet, eo quod sint scientia et doctrina in Ordine Praedicatorum iure haereditario transmissae ab Angelico Theologo.

114. His adde Pontificem duobus praesertim Ordinis Praedicatorum Fratribus, Caietano scilicet et Ferrariensi, utrique inter sancti Thomae discipulos celeberrimo, sese bene affectum ostendisse.

Caietanum passim vocabat « lumen Ecclesiae », multaque et praeclara officia ipsi commisit, praeclare quidem a cardinali gesta.[2] Celeberrimus vero ab initiis evaserat Caietanus qua commentator *Summae Theologicae.*

Ferrariensem vero, ipsius praesertim « eruditione » persuasus, quam nempe ut commentator *Summae contra Gentiles* palam fecerat, Vicarium Generalem Ordinis instituit,[3] atque postmodum Magistrum Generalem eiusdem confirmavit. At vero, iudice Leone XIII, per illa *Commentaria*, Caietani nempe in *Summam Theologicam*, et Ferrariensis in *Summam contra Gentes* « tanquam per uberes rivulos tanti viri [divi scilicet Thomae] doctrina decurrit »,[4] unde utraque de novo propriis expensis iterum edi iussit.[5]

115. Ex quibus omnibus patet quanti Clemens doctrinam sancti Thomae fecerit, quantumque commendaverit.

Eodem prorsus intento, declaravit sanctum Antoninum Florentinum, scientia illustrem, ab Adriano praedecessore fuisse Sanctis annumeratum, atque Bullam ab isto paratam publicari voluit.[6] Antoninus vero sancti Thomae in Theologia assecla fidelius exstiterat, quod norunt omnes.

Nec tamen satis. Ipse siquidem ut « religiosae personae quaelibet... profugatis ignorantiae tenebris, scientiam, margaritam et thesaurum im-

[1] Die 9 octobris, an. 1532, *Bullar. O. P.*, to., IV, p. 518, Const. *Exponi nobis.*

[2] Hinc pronuntiavit ipsum « excellentia meritorum praefulgere ». Vide ibidem, p. 525, die 28 iulii, an. 1534, Const. *De benignitate.* De eodem Cardinali nonnulla diximus in opusculo cui titulus *Maître Thomas et saint Ignace*, p. 16 sqq.

[3] Die 29 iulii, an. 1524. Ibidem, p. 433, Const. *Cum nuper.*

[4] Const. *Iampridem*, die 15 octobris, an. 1879.

[5] Const. *Placere nobis*, die 18 ianuarii, an. 1880.

[6] Die 26 novembris, an. 1523, ipsa nempe die suae incoronationis. Ibidem, p. 417, Const. *Rationi congruit.*

marcescibilem sibi acquirere et alios Christifideles... informare possint »,[1] varia Studia Theologica vel fundari vel confirmari statuit, egregiaque plura decrevit de Collegio seu Studio Cordubensi,[2] de Collegio sancti Iacobi de Pallas,[3] et Salmaticensi.[4]

Qui huiusmodi Studiorum erectionem tum Caietano tum etiam Ferrariensi incitantibus tribuerit, nullimode erraverit.

XLII.

PAULUS III.

1534-1549.

116. Hic Pontifex non minori benevolentia Ordinem prosecutus est, utpote qui « ob uberes eius in Vinea Domini fructus paterna charitate diligeret »[5] eum, hoc addens quod Praedicatorum « Ordo semper Fidei Catholicae sanctaeque Ecclesiae defensor »[6] fuerit. Qualem vero esse Ordinem intenderit, liquet ex hortamentis quae Ordini ipsi de eligendo Magistro Generali rescripsit: « Cum in hanc almam Urbem nuper conveneritis ut Magistrum Generalem Ordini vestro eligatis, licet eius ea sit praestantia et amplitudo, is virorum scientia et moribus eminentium numerus, ut difficilius multo vobis futurum credamus decernere ex multis qui posthaberi valeat quam qui praefici, nos tamen, pro temporis malignitate, quo tot haeresibus angimur, proque amore quo Ordini ipsi semper affecti fuimus, curae nostrae pastoralis officio fungentes, et quasi sponte currentibus calcar addentes, vobis in virtute sanctae obedientiae... mandamus ut... Deo tantum ante oculos posito, quem optimum et praestantissimum ex Religione vestra censueritis regimini idoneum, moribus probatum, scientia illustrem, qui haeresum pravitati maxime obsistere possit, religionem in dignitate tueri atque augere... eligatis atque Ordini praeficiatis... ».[7]

[1] Die 8 septembris, an. 1532, *Bullar. O. P.*, to. IV, p. 514, Const. *Superna dispositione.*

[2] Die 14 iunii, an. 1532. Ibidem, p. 508, Const. *Litterarum studia.*

[3] Die 8 septembris, an. 1532. Ibidem, p. 514, Const. *Superna dispositione.*

[4] Die 27 februarii, an. 1534. Ibidem, p. 136, Const. *Ex parte tua.*

[5] Die 10 ianuarii, an. 1540. Ibidem, p. 588, Const. *Cum pro iniuncto.*

[6] Die 30 martii, an. 1543. Ibidem, p. 622, Const. *Cum instigante.*

[7] Die 23 maii, an. 1539. Ibidem, p. 576, Const. *Cum in hanc almam.* Vide ea quae addit de visitatione totius Ordinis a Magistro Generali perficienda, die 27 octobris, an. 1543. Ibidem, p. 622, Const. *Cum pro iniuncto.*

117. Iam vero prius benevolentiae luculentius testimonium, ubi transtulerat Capitulum Generale e Florentino Coenobio Sancti Marci ad coenobium civitatis in qua Concilium Generale celebrandum fuisset.

En integras Pontificis Litteras Magistro Generali directas:

« Paulus pp. III, dilecto Filio, Generali Magistro Ordinis Praedicatorum salutem et apostolicam benedictionem.

« Inter caetera animi nostri desideria illud potissimum cordi nostro inhaeret, ut fructus quos sacer Ordo vester in agro militantis Ecclesiae afferre non desinit, non solum nostrae provisionis ope succrescant, verum etiam christifidelibus ita manifeste appareant, quod ex eis optata valeat utilitas provenire.

« Superiore quidem anno, cum Capitulum Generale dicti Ordinis in civitate Lugdunensi celebraretur,[1] nos ad te etiam tunc Magistrum Generalem Ordinis, et Definitores Capituli ibi exsistentes, per dilectum filium nostrum Ioannem, Sanctorum Cosmae et Damiani Diaconum Cardinalem de Salviatis nuncupatum, ipsius Ordinis Protectorem, scribi curavimus, ut cum Universale Concilium indixissemus, et ex pluribus tunc forsan expressis causis, censeremus expedire ut Capitulum Generale eiusdem Ordinis tunc proxime celebrandum in loco ubi dictum Concilium celebrandum esset celebraretur, Capitulum huiusmodi in huiusmodi loco celebrare statuerent. Cum autem, sicut etiam accepimus, causantibus bellorum turbinibus qui tunc in partibus illis vigebant, litterae ipsius Ioannis Cardinalis et Protectoris tibi et Definitoribus praedictis saltem in tempore redditae non fuerint, tuque et Definitores praedicti voluntatis nostrae huiusmodi ignari, Capitulum sequens huiusmodi in Domo Sancti Marci Florentini, dicti Ordinis, de anno 1539 celebrari statueretis, nos, animo revolventes quantum ipsius Ordinis professores in rebus ad fidem catholicam pertinentibus et statum universalis Ecclesiae concernentibus, soliditate doctrinae proficere consueverint, et propterea indubie sperantes quod in prosecutione Universalis Concilii huiusmodi, ad tollendas haereses, quae nunc undequaque pullulant, plurimum proderit, celebrationem vestri Capituli Generalis huiusmodi dicto anno 1539, ut praefertur, celebrandi, de dicta Domo Sancti Marci ad civitatem vel locum ubi nos Universalis Concilii celebrandi causa, tunc esse contigerit, auctoritate apostolica, tenore praesentium, transferimus, illudque in civitate vel loco ubi nos, ut praefertur, erimus, celebrari debere decernimus, mandantes tibi propterea in virtute sanctae obedientiae, quatenus translationem et decretum nostra huiusmodi, ac praesentes litteras Definitoribus praefatis, ac aliis quorum interest, iuxta morem dicti

[1] Celebratum fuit die 4 iunii, anno 1536.

Ordinis, intimare procures. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.[1]

« Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 24 septembris 1537, pontificatus nostri anno tertio ».[2]

Ex quibus litteris patet quanti ponderis fuit quantaeque auctoritatis doctrina Praedicatorum seu divi Thomae in conciliis Tridentinum antecedentibus, quantaeque in hoc Concilio futuro futura esset, et quare Praedicatoribus in hoc ultimo tantae partes tributae fuerint.

118. Pontifex caeterum, etsi multis gravissimisque curis distractus, multa praestitit in augendum Ordinis ipsius bonum et emolumentum, praesertim in ipso vel approbando nova, vel confirmando vetera Collegia seu Studia Theologica. Quod reapse prosecutus est maximo zelo, dum Studium Derthusense fundari approbavit,[3] vel confirmavit, nec non Neapolitanum Sancti Thomae;[4] dum Universitatem Sancti Dominici (vulgo *San Domingo*) in civitate et insula eiusdem nominis erigi voluit;[5] dum denique et Hispalense Collegium fovit,[6] atque Ulysiponense Conimbriam transferri probavit.[7]

[1] Paulus III Clementis VII praedecessoris consilium cogendi Synodum Oecumenicam prosecutus est, eandemque primo Mantuae celebrandam decrevit. At vero Federico Mantuae duce obicem apponente, Vicentiae celebrandam indixit, illucque legatos misit. Novis tamen obstaculis adductis, prorogata est Synodus usque ad annum 1545, quo inchoata est in Tridentina civitate, Germaniae contermina.

Capitulum autem Generale Praedicatorum quod in Coenobio Sancti Marci primo celebrandum fuerat, Romae coactum fuit anno 1539, die 25 maii.

[2] Die 24 septembris, an. 1537, *Bullar. O. P.*, to. IV, p. 563, Const. *Inter caetera.*

[3] Die 1 martii, an. 1535. Ibidem, p. 541, Const. *Circumspecta*. In pontificio diplomate haec notanda sunt verba: « Necessarium, ait Pontifex, in hac temporali vita bona a rerum omnium Creatore hominibus concessum exsistit ut per litterarum studia, profugatis ignorantiae tenebris, ipsi in via mandatorum et Domo Domini conversari discant ».

[4] Die 14 iulii, an. 1535. Ibidem, p. 547, Const. *Cum sicut.* In litteris pontificiis haec nota: « Cum, inquit Pontifex, sicut dilectus filius Alphonsus de Avalos de Aquino... noster secundum carnem affinis, nobis nuper exponi fecit alias ipse, ob singularem quam ad sanctum Thomam de Aquino gerit devotionis affectum, et ut testamento alias per clarae memoriae Ferdinandum Franciscum etiam de Avalos de Aquino... condito, quo inter alia mandavit unam ecclesiam sub invocatione Beatae Mariae de Fide et eiusdem Sancti Thomae construi debere... ».

[5] Die 28 octobris, an. 1538. Ibidem, p. 571, Const. *In Apostolatus.*

[6] Die 18 iulii, an. 1539. Ibidem, p. 580, Const. *Dum gratos Deo.*

[7] Die 7 novembris, an. 1539. Ibidem, p. 582, Const. *Ex parte.* Adverte hoc ultimum Collegium, sicut et Hispalense, posita fuisse sub vocabulo seu invocatione sancti Thomae, quod ex diplomatibus habetur.

XLIII.

IULIUS III.

1550-1555.

119. Implicite divi Thomae doctrinam laudavit dum encomiis extulit Ordinis scientiam, vel ad hanc scientiam impensius colendam hortamentis impulit.

Porro firmans privilegia Ordini prius concessa, ita habet:

« In sacra Beati Petri Sede, meritis licet imparibus, divina dispositione collocati, ea quae pro felici et prospero statu, ac salubri directione personarum quarumlibet, sub regulari habitu divinis laudibus insistentium, per Romanos Pontifices praedecessores nostros comprobata fuisse comperimus, quo firmius subsistant, cum a nobis petitur, munimine nostro confirmamus, idque tanto libentius quanto personarum earundem doctrinae candor, vitae sanctimonia, regularis disciplina, bonorum denique operum odor universum orbem illustrant. Sane pro parte dilecti filii Francisci Romei de Castiglione, Magistri Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum nobis nuper exhibita petitio continebat... »[1]

Indeque privilegia confirmavit effusiori benevolentia.

Attende hic laudari in Ordine « doctrinae candorem ».

Alias Ordinem laudat « ob uberes eius in Vinea Domini fructus »[2] atque plurima id genus passim.

Capitulo Generali indulgentias largitur eo quod ad illud « multi viri zelo religionis pleni, ac scientia morumque probitate praediti » convenire debent.[3]

Hinc demum Magistrum Generalem privilegiis ornat, qui Ordinem visitare in consilio habet, unde valeat « omnia quae ad pacem, bonorum morum et studiorum promotionem conducunt libere agere ».[4]

Verbis facta addidit dum beneficiis suis cumulavit Collegia Theologica Derthusense,[5] Neapolitanum,[6] Almagrense,[7] Hispalense,[8] Oriolense.[9]

[1] Die 10 iulii, an. 1551, *Bullar. O. P.*, to. V, p. 15, Const. *In sacra Beati.*
[2] Die 15 septembris, an. 1553. Ibidem, p. 27, Const. *Cum pro iniuncto.*
[3] Die 10 novembris, an. 1552. Ibidem, p. 23, Const. *A supremo.*
[4] Die 15 septembris, an. 1553. Ibidem, p. 27, Const. *Cum pro iniuncto.*
[5] Die 22 februarii, an. 1550. Ibidem, p. 1, Const. *Rationi congruit.*
[6] Die 27 martii, an. 1550. Ibidem, p. 7, Const. *Provisionis nostrae.*
[7] Die 23 iulii, an. 1550. Ibidem, p. 9, Const. *Ex parte vestra.*
[8] Die 19 ianuarii, an. 1552. Ibidem, p. 18, Const. *Cum a nobis.*
[9] Die 2 octobris, an. 1552. Ibidem, p. 20, Const. *In eminenti.*

XLIV.

MARCELLUS II.

1555.

120. Qui non nisi dies viginti duos regnavit, neque, quod sciatur, ad Ordinem scripsit.

XLV.

PAULUS IV.

1555-1559.

121. Qui, dum iuvenem ageret, impeditus fuit a suis ne Praedicatorum Ordinem amplecteretur: inde tamen amorem inconcussum ad illum servavit in corde, praecipue vero ad Doctorem Angelicum.[1]

Quam ita enarrat aliquis ex suis Theatinis: « Accedat cum penicillo suo ter maximus ille totius Orbis christiani Antistes et meae Religionis, una cum beato Caietano auctor, Paulus IV, et ultimam adhibeat Angelicae iconi manum. Sic enim ille de divi Thomae doctrina assolebat dicere: " Lumen oculorum meorum, solatium vitae meae, baculus senectutis meae. " Sic ad salem, ad solem, ad montium fulcra pulcherrime alludebat sanctissimus ac doctissimus senex ».[2]

[1] Hic notandum quod narrat Fr. THOMAS NERIUS O. P., Florentinus, in Praefatione ad editionem secundi scripti divo Thomae passim tributi in *Sententias*, ad Annibaldum, Parisiis, an. 1574, datam: unde Pauli et sententiam et sensum habes, quidquid sit de operis ipsius authentia aliter sentiendum. De quo vide P. MANDONNET, *Des écrits authentiques de saint Thomas*, ch. XI, 2me édition, Fribourg (Suisse) 1910:

« Quoniam sanctissimi Domini nostri domini Pauli IV, pont. max., cum esset adhuc in minoribus, pium desiderium fuit cunctis prodesse, hoc divi Thomae aureum opus, quod diu quasi sub terra latuerat, in lucem eius providentia extulit, quod veluti totius sacrae Theologiae summarium quoddam est... Placuit etiam sanctissimo Domino nostro ut in marginibus alia tibi assignarem loca in quibus eadem divus Thomas pertractat, et copiosum insuper principalium magisque notabilium propositionum indicem huic praemitterem operi ».

[2] Ita DOMN. THOMAS DE AQUINO, Theatinus, *Vinea Christi*, lib. II, c. 7. Cf. BENTIUS Theatinus, *Panegyricus sancti Thomae*.

Unde ipse solemniter: « Nos qui uberiores fructus, quos in agro Dominico personae Ordinis Fratrum Praedicatorum huiusmodi iugiter producunt, semper singulari ac paterno sumus affectu prosecuti, tenores litterarum ac privilegiorum, etc. » Omnia inde privilegia Ordini ab antiquo concessa, innovat, confirmat, et quidem calamo fusissimo,[1] inter quae sane illa omnia quae de doctrina fuerunt.

Dum indulgentiam pro Capitulo Generali Romae celebrando concedit, laetatur quod « multi viri, zelo religionis pleni, ac scientia, morumque probitate praediti, et quamplures a quibuscumque mundi partibus praedicti Ordinis professores, Altissimo favente, sint accessuri... ».[2]

Beneficiis auxit Collegia Theologica Neapolitanum sancti Thomae[3] et Vallisoletanum.[4]

XLVI.

PIUS IV.

1559-1565.

122. Nactus occasionem festivitatis sancti Thomae in Universitate Salmanticensi celebrandae, splendidissimum Angelici encomium edidit, die 15 aprilis, 1564, hic imprimis referendum:

« Pius Episcopus, servus servorum Dei, universis christifidelibus praesentes Litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

De quo dicto sic Fr. PETR. MONTEYRO, subtilius, *Epigrammata*, n. XXX:

« Fortunate senex, praestat cui lumina Phoebus,
Cui servit mundi pro baculo columen!
« Paule nimis felix, mihi crede, beatior omni
Principe, non Paulus, sed magis ipse Polus.
« Innixus Thomam supra, qui maior Atlante est,
Paule, Polus vere, si tibi sol oculus ».

Caraffarum gens caeterum, imprimisque ex ea Oliverius Caraffa, Cardinalis, eximiam devotionem erga Doctorem Angelicum coluere. Hinc iste splendidius sacellum in huius honorem extruxit et ornavit in ecclesia Sanctae Mariae supra Minervam. Postmodum vero Paulo IV monumentum ibidem erigi iussit Pius V, non solum qua de illa gente oriundo, sed etiam qua divo Thomae devotissimo. Vide BERTHIER, *L'Eglise de la Minerve*, p. 191 sq.

Hanc eandem Pauli IV pietatem in Angelicum professus est perpetuo Ordo Theatinorum, quod infra patebit.

[1] Die 9 martii, an. 1556, *Bullar. O. P.*, to, V, p. 46, Const. *Ex Apostolicae*.
[2] Die 24 augusti, an. 1557. Ibidem, p. 51 sq., Const. *A superno*.
[3] Die 22 ianuarii, an. 1556. Ibidem, p. 44, Const. *Sedis Apostolicae*.
[4] Die 19 iunii, an. 1556. Ibidem. p. 48, Const. *Iniunctum*.

« Salvatoris et Domini nostri Iesu Christi, Dei Patris Unigeniti, quo ad huius mundi infima, ut humanum genus, peccatorum mole obrutum, aeterno Patri reconciliaret, descendere et carnem nostram ex utero virgineo assumere, ac tandem acerbissimum crucis tormentum subire dignatus est, exempla sequentes, oves gregis sui curae nostrae divinitus commissas, ad vitam lucis aeternae, quantum cum Deo possumus, perducere conamur et iuxta creditum nobis apostolicae servitutis officium, fideles singulos, quorum merita pro demeritis penitus sunt imparia, ad devotionis sinceritatem, et piorum locorum quorumlibet, praesertim monasteriorum, in sanctorum Dei Martyrum honorem institutorum visitationem spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet, et peccatorum remissionibus, libenter invitamus, ut per piorum operum exercitium, macula suorum abolita delictorum, ad sempiternae beatitudinis gaudia feliciter pervenire mereantur.

« Ut igitur insignis Academia Salmantina, quae, sicut accepimus, festivitatem sancti Thomae de Aquino, in ecclesia conventus sancti Stephani Salmantini, Ordinis Fratrum Praedicatorum, quotannis celebrare consuevit, ad tanti Doctoris, ex cuius sacra doctrina quanti fructus Ecclesiae provenerint et quotidie proveniunt nullus est fere qui nesciat, sanctissimos mores imitandos, assequendam doctrinam, et festum maiori cum devotione celebrandum, quod ad Dei gloriam et Ecclesiae catholicae bonum cedere dubium non est, avidius accendantur, etc. ».[1] Hinc variàs indulgentias concedit.

De quo diplomate plura notanda occurrunt pro re nostra.

Primum est ipsum diploma non singularibus personis dirigi, sed « omnibus christifidelibus »;

Alterum est doctrinam sancti Thomae dici « sacram »;

Tertium ex hac doctrina plurimos fructus Ecclesiae hucusque provenisse;

Quartum est etiamnum eosdem fructus Ecclesiae provenire;

Quintum est nullum fere esse qui id nesciat;

Sextum est hanc doctrinam esse assequendam.

Quid nobilius asseri queat de aliqua doctrina humana non apparet.

Dictis facta conformans Pontifex plura eademque egregia statuit de Collegio Theologico Oriolensi.[2]

[1] *Bullar. O. P.*, to. V, p. 97, Const. *Salvatoris*.
[2] Die 21 decembris, an. 1561. Ibidem, p. 80, Const. *Regimini*.

XLVII.

PIUS V.

1566-1572.

123. Pius imprimis devotionem erga Praedicatorum Ordinem quem professus fuerat, hisce verbis enuntiavit: « In eo Ordine, ait, maximam partem vitae nostrae egimus, non sine summa quidem animi nostri tranquillitate ac laetitia, quod nobis saepissime in mentem venit, sicut in cardinalatu; nunquam nec studium erga illum, nec habitum eius deposuimus: ita in hoc loco constituti, in pristina erga eum voluntate manemus, et tantum ad eam addidimus quantum pro suscepto officio addere debuimus ».[1]

124. Doctrinam divi Thomae plurimum commendavit, dum praeprimis ipsum laudibus cumulavit, atque inter magnos Ecclesiae Doctores computavit. Ita igitur die 11 aprilis 1567:

« Pius episcopus, servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

« Mirabilis Deus in sanctis suis,[2] qui se daturum illos in laudem et gloriam et honorem prophetae ore promisit,[3] ut quos, sicut sol in conspectu suo fulgentes, ob merita sanctitatis coronat in coelo admirabiliter, etiam honoraret in saeculo, et in eo quod illis tribui iubet laudis et venerationis officio, debitum quoque maiestati suae honorem et gloriam agnosceret. Quorum non modo vitam, sed mortem, sepulcra, monumenta, reliquias et imagines ad catholicae Fidei confirmationem et ad confusionem haereticae pravitatis, ut felicius etiam quam in praesenti vita doceret vivere mortuos qui in Domino moriuntur, saepissime dignatus est decorare et illustrare miraculis. Ex quo sanctorum laudabili numero qui catholicam veritatem corde, opere et ore roborarunt, Angelici Doctoris, sancti Thomae de Aquino, Ordinis Fratrum Praedicatorum, in coelum assumpti multis ante annis, orbi terrarum et divinis et propriis est comprobata testimoniis: nam et miraculorum signis, quibus servi sui Thomae perpetua verae pie-

[1] Die 26 aprilis, an. 1566, *Bullar. O. P.*, to. V, p. 119, Const. *Gratissimum*. Vide ibidem, p. 127, die 18 iunii eodem anno, Const. *Licet sicut*.
[2] *Ps.*, LXVII, 36.
[3] *Ier.*, XII, 11.

tatis opera nobilitare voluit inexhausta Dei benignitas, et certissima christianae regula doctrinae, qua sanctus Doctor Apostolicam Ecclesiam, infinitis confutatis haeresibus, illustravit, adductus fel. rec. Ioannes XXII, praedecessor noster, illo in Sanctorum numero relato, eius diem festum nonis martii, quo die nunc etiam colitur, anniversario honore celebrari iussit. Sed quoniam omnipotentis Dei providentia factum est ut Angelici Doctoris vi et veritate doctrinae ex eo tempore quo coelitibus civibus adscriptus fuit, multae, quae deinceps exortae sunt haereses confusae et convictae dissiparentur, quod et antea saepe et liquido nuper in sacris Concilii Tridentini decretis apparuit,[1] eiusdem memoriam, cuius meritis orbis terrarum a pestiferis quotidie erroribus liberatur, maiore etiam quam antea grati et pii animi affectu colendam statuimus. Quod officium nostrum, praeter beneficia ex illius salutari disciplina in dies magis profecta in sacrosanctae Ecclesiae filios, ad quorum pastoralem paternamque curam Dei benignitati humilitatem nostram placuit evocare, postulat etiam aliqua ex parte eiusdem Ordinis Praedicatorum communio et societas, unde licet imparibus meritis, nos etiam tanquam ex fonte profluximus. Itaque primum, ut in Civitate et Regno Neapolitano, quod in eam provinciam, quae ad salutarem omnium gentium

[1] De quo ita Fr. PETR. MONTEYRO, *Epigramm.*, XXXIII, alludens simul ad victoriam relatam apud insulas Echinadas de Turcis barbaris, et ad nomen « Michaël » quod fuit Pontificis, versificatur:

« Catholicum Thomas, pulsis erroribus, orbem
Luminibus Phoebo clarior obruerat.
« Sic Pius asseruit, qui detestanda draconum
« Frangit aquis capita et colla superba premit.
« Haereticos contra Dux invictissimus ille
Angelico Thomae qui similis Michaël ».

Ven. Fr. Seraphinus a Porrecta notavit haereses a divo Thoma confixas in suis ad *Summam Theologicam* « Appendicibus » ita ut, in editione romana anni 1773, vol. X, Indice VIII, circa mille et ducenta errorum capita ab ipso confutata connumerentur. Vide etiam egregium prorsus FRANC. SYLVII *Opusculum V*, inter eius Opera.

De quo argumento cf. VAN RANST, *Veritas in medio*, edit. Venet. an. 1735, et *Historia haereticorum*, edit. Venet., 1759. Nonnulla huiusmodi habes apud PICCINARDI, *De Approbatione doctrinae divi Thomae*, vol. II, q. IV, art. 3.

Adeas, si libuerit, editionem *Summae Theologicae* curatam a P. XAVERIO FAUCHER, apud Lethielleux, Parisiis 1887, ubi plura huiusmodi passim habentur, respectu imprimis habito ad Ecclesiae decreta et decisiones. Cf. THEOPH. SIMAR, *Lehrbuch der Dogmatik*, et *Lehrbuch der Moraltheologie*. Quod quo plenius intelligas duo adverte, videlicet primo sanctum Thomam in quaestionibus evolvendis et enucleandis perpetuo attendere ad altiora certioraque principia, unde sponte sua fluunt consectaria in errores confutandos; secundo ipsum innumeras excogitasse, vel excripsisse difficultates contra veritates a se propositas, easdemque solvisse, ut dictum est.

institutionem, ex nobilissima familia Aquinate clarissimum hoc edidit Ecclesiae Dei lumen, tantum inde laudis decorisque divina bonitas redundare voluerit, de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio atque unanimi assensu,[1] ipsa die nonarum martii, qua praestantissimus Doctor migravit in coelum, posthac semper universi utriusque sexus ab omnibus vetitis ac servilibus operibus laboribusque abstinentes, festum divi Thomae solemniter, sub duplici maiori Officio, sicut caeteras eius generis solemnes festivitates quae de ipsius Ecclesiae praecepto servantur; in aliis autem orbis terrae partibus, quemadmodum sanctorum quatuor Doctorum festivitates piae memoriae Bonifacii PP. VIII, etiam praedecessoris nostri, praecepto celebrantur, sic eundem festum diem sancti Thomae in perpetuum posthac omnes item utriusque sexus christifideles celebrent et venerentur, apostolica auctoritate statuimus ac sancimus. Ut vero etiam memoriae sancti Doctoris maiori studio ac pietate cultus et debita veneratio adhibeatur, de omnipotentis Dei ac BB. Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi... ».[2]

125. Haud secus idem postmodum Pontifex, dum Magistro Sacri Palatii praebendam in basilica Sancti Petri confert, quo facilius possit « personis Basilicae et Palatii huiusmodi doctrina et opera sua ac sacrarum Litterarum et doctrinae eiusdem Divi Thomae interpretatione et lectura prodesse », testatur Sancti eiusdem « doctrinam theologicam ab Ecclesia Catholica receptam, aliis magis tutam et securam exsistere... ».[3]

[1] Hic adverte « unanimem assensum » fuisse Cardinalium etsi sexdecim nomina inter subscriptiones desint in Bulla *Mirabilis Deus*. Quum autem triginta quinque nomina apposita fuerint, hinc sequitur, si absentes addideris, unum et quinquaginta fuisse Cardinales consentientes.

[2] *Bullar. O. P.*, to. V, p. 155, Const. *Mirabilis Deus*. De quo cf. PETR. MONTEYRO, *Epigramm.*, n. XXXI:

« Conspicuus quatuor Doctoribus almus Aquinas
Iungitur, ex nostris imperitante Pio.
« Hanc illi laudem Doctoris in Ordine Quinti
Attribuit Quintus dictus et ipse Pius.
« Fluminibus quatuor Paradisi gurgite magno
Virtutum resonantem addidit Oceanum ».

[3] Die 29 iulii, an. 1570. Ibidem, p. 245, Const. *In eminenti*. Quo mentem suam toti Curiae clariorem faceret « anno Domini 1569, die Mercurii, 2 martii, in secreto Concistorio hortatus est Cardinales omnes ut festum proxime futurum sancti Thomae Aquinatis in ecclesiae Sanctae Mariae supra Minervam honorarent, eiusdem sancti Doctoris beneficia maxima Ecclesiae collata commemorans. Accessit igitur Purpuratorum sacrum Collegium ad ecclesiam Sanctae Mariae supra Minervam, et ante sacellum DD. de Caraffis eidem sancto Doctori dicatum, Car-

Ita rursus a theologis Thomistis confici iussit et approbavit celeberrimum *Catechismum Concilii Tridentini*, qui nonnisi doctrinam sancti Thomae redolet, ut alias enarraturi sumus.

Pontifex demum, doctrinae thomisticae apprime gnarus, gaudet quod Fratres Vincentius Iustinianus Cardinalis et Thomas Manrique, Magister Sacri Palatii, novam Operum sancti Thomae editionem curaverint, idest « omnia Opera in sacra Theologia et Philosophia commentaria beati Thomae Aquinatis, dicti Ordinis professoris in unum collecta et maximis diligentia et studio accurate revisa, atque erroribus expurgata et emendata, eorum et dicti Ordinis propria impensa in commune commodum et Christianae Religionis augmentum et utilitatem, nec sine maximo eorundem labore, nuper in alma Urbe imprimi fecerint et curaverint »,[1] idque egregie probat, atque iubet caeteras editiones ad illius exemplar componendas esse.[2] Quod directe asseruit, id indirecte confirmavit idem Pontifex, mox impense laudans Ordinem,[3] mox ipsius privilegia, imprimis de Studiis innovans [4] confirmans Magistro Generali ius conferendi lauream theologicam,[5] variaque Collegia Theologica fovens, inter quae Colle-

dinalitiam Capellam habuere, eiusdem Pontificis assensu, quae usque in hodiernum diem [1696] singulis annis celebratur solemniter, indiciturque ore proprio pontificio coram Cardinalibus ultima vice ante festum sancti Doctoris congregatis, supplici libello a Magistro Ordinis Praedicatorum ad hoc Pontifici Maximo porrecto ». Ita P. FONTANA, *Monumenta Dominicana*, an. 1569. Notabile est quod Pontifex proprio ore convocaret, dum alios non convocaret nisi per suos Cursores. Adde Pontificem in ipsa convocatione solitum fuisse nunnulla encomii addere verba in Doctorem Angelicum. Vide BANCEL, *Moralis sancti Thomae: De approb. doctrinae S. Th.* Qui usus usque ad annum 1870 perduravit. Nota caeterum huiusmodi usum, etsi minus solemnem, fuisse Pio V antiquiorem, ut alias notamus ex SEB. MERKLE, *Concili Tridentini Diariorum*, parte II, p. 503.

[1] Suum *Epigramma*, n. XXXIII, edidit rursus Fr. PETR. MONTEYRO, alludens ad cladem Turcicae inflictam Lunae, foederatis simul, auspice Pontifice, Venetis cum Iohanne Austriaco et Marco Antonio Columna, romano:

« Armavit Venetum Austriaco sub Marte Leonem
Et domuit triplici foedere barbariem.
« Iusserat Herculeam toto aequore stare Columnam,
Et maris hostili sanguine tinxit aquas.
« Strenuus Odriciae frangebat cornua Lunae:
Auget nunc Solem multiplicatque Pius ».

[2] Die 14 novembris, an. 1570, *Bullar. O. P.*, to. V, p. 253, Const. *Cum dilecti.*

[3] Vide ibidem, to. VIII, p. 30 sq., nn. CC-CCVII.

[4] Die 18 ianuarii, an. 1570, ibidem, to. V, p. 236, Const. *Iniunctum nobis*; rursus die 8 iunii, an. 1571, ibidem, p. 276, Const. *Romanus Pontifex*; denum die 23 septembris, eodem anno, ibidem, p. 289, Const. *Ad hoc nos.*

[5] Die 3 martii, an. 1572. Ibidem, p. 194, Const. *Cum sacer.*

gium Sancti Thomae Neapolitanum,[1] Oriolense,[2] Derthusense,[3] Giennense,[4] Parisiense Sancti Iacobi,[5] pluraque egregie statuens de promovendis ad gradus theologicos deque studentibus in provinciis Regni,[6] Aragoniae,[7] Boeticae.[8] Aliaque multa id genus praestitit, imprimisque ex doctrina divi Thomae damnavit Baii propositiones.[9]

XLVIII.

GREGORIUS XIII.

1572-1585.

126. Doctrinam divi Thomae implicite quidem, sed tamen peregregie commendavit mox Ordinis doctrinam, quae a sancto Thoma est, laudibus cumulando, mox instituta quibus propagaretur ampliando et favoribus augendo.

Ita de Ordine: « Quantos Religioni Christianae fructus Ordo Fratrum Praedicatorum attulerit quotidieque afferat et nos laetanter cognovimus, et dum nobiscum memoria repetimus, facere nullo modo possumus quin votis eorum, in his praesertim quae Ordinis praedicti propagationem et animarum salutem concernunt, favorabiliter annuamus ».[10]

Quae et alias innovat.[11]

Hinc omnia privilegia antiquitus Ordini concessa confirmavit et auxit, etiam circa Studia, gradus conferendos et alia.[12]

[1] Die 16 maii, an. 1566, *Bullar. O. P.*, to. V, p. 122, Const. *Sedis Apostolicae.*

[2] Die 19 iulii, an. 1568. Ibidem, p. 193, Const. *Ex debito* et alias pluries.

[3] Die 23 septembris, an. 1568. Ibidem, p. 201, Const. *In Apostolicae.*

[4] Die 18 iunii, an. 1571. Ibidem, p. 263, *Rescriptum.*

[5] Die 9 septembris, an. 1571. Ibidem, p. 286, Const. *Ex debito.*

[6] Die 29 iunii, an. 1569. Ibidem, p. 215, Const. *Accepimus.*

[7] Die 11 iulii, an. 1569. Ibidem, p. 217, Const. *Circumspecta.*

[8] Die 5 iunii, an. 1571. Ibidem, p. 272, Const. *Pastoralis Officii.*

[9] De quibus doctrinis Constitutionem a Pio V exaratam vulgavit Gregorius XIII, die 29 ianuarii, an. 1580. Ibidem, p. 373, Const. *Provisionis nostrae.* Quibus ex thomisticis doctrinis damnati fuerint Baii errores, vide Fr. VAN RANST, *Veritas in medio*, pp. 1-45, edit. Venet. an. 1735.

[10] Die 1 octobris, an. 1573, *Bullar. O. P.*, to. V, p. 324, Const. *Quantos religioni.*

[11] Imprimis die 18 februarii, an. 1583. Ibidem, to. VII, p. 197, Const. *Ad uberes.*

[12] Die 15 iunii, an. 1580. Ibidem, to. V, p. 400, Const. *Cum sicut.*

De scientia theologica haec specialius pronuntiavit ad Fratres: « Cum in hanc almam Urbem [Romam] nuper conveneritis ut Magistrum Generalem Ordini Vestro eligatis, licet eius ea sit praestantia atque amplitudo, is virorum scientia et moribus eminentium numerus, ut difficilius multo vobis futurum credamus decernere ex multis qui posthaberi valent, quam qui praefici... ».[1]

127. Privilegiis atque favoribus auxit Collegium Parisiense Sancti Iacobi,[2] Vallisoletanum Sancti Thomae,[3] Dertusense,[4] Minervitanum in urbe Roma,[5] Universitatem Abulensem,[6] Universitatem Sanctae Fidei.[7] Quae Studia Generalia et Universitates, sub cura Fratrum Praedicatorum reponebantur.

Legenda sunt quae habet idem Pontifex de utraque ultima Universitate, Sanctae Fidei scilicet et Abulensi Sancti Thomae.

De illa quidem: « Romanus Pontifex, ex iniuncto sibi desuper apostolicae servitutis officio, vota fidelium quorumlibet, praesertim sub suavi Religionis iugo Domino famulantium, per quae ipsi in regularis vitae et ecclesiasticae disciplinae norma, adiuvante Domino, salubriter conservari, et tam illi quam alii Litterarum studiis insistere cupientes, laborum suorum honores et praemia consequi valeant, exaudit, et his quae propterea provide facta fuisse comperiuntur, ut firma perpetuo et illibata persistant, Apostolici muniminis adiicit firmitatem... Nos igitur qui honestis petentium votis praesertim litterarum incrementa concernentibus, libenter annuimus... apostolica auctoritate, tenore praesentium... unam Universitatem Studii Generalis, cum Rectore, Lectoribus ac solitis Facultatibus et concessionibus, iuxta morem dicti Ordinis [Praedicatorum] perpetuo... erigimus et instituimus, ac quod in ea omnes et singulae a Iure permissae scientiae et facultates legi et interpretari, scholaresque gradibus... peragere libere et licite valeant ».[8]

[1] Die 25 maii, an. 1583, *Bullar. O. P.*, to. V, p. 418, Const. *Cum in hanc.*

[2] Die 18 augusti, an. 1574. Ibidem, p. 332, Const. *Accepimus.*

[3] Die 1 novembris an. 1580. Ibidem, p. 404, Const. *Iniunctum nobis.*

[4] Die 13 augusti, an. 1583. Ibidem, p. 424, Const. *Ex incumbentis.*

[5] Quod Studium tanta fuit solemnitate inauguratum anno 1580, ut primae in eodem lectioni habitae a P. Bart. de Miranda, primario studiorum Regenti, adfuerint duodeviginti Cardinales, plurimi diversarum Potentiarum legati et alii magnae auctoritatis viri.

[6] Die 4 aprilis, an. 1576. Ibidem, p. 344. Const. *In apostolatus.*

[7] Die 13 iunii, an. 1480, p. 399. Const. *Romanus Pontifex.* Ut autem pateat quanam ratione instituerentur huiusmodi Studia in formam Universitatis, hic excribimus praedictam Bullam qua Universitas illa ultima erecta est.

[8] Die 13 iunii, an. 1580, p. 399, Const. *Romanus Pontifex.*

De altera autem seu Abulensi: « Nos igitur, qui fidelium votis, praesertim illis per quae ad Litterarum studia excitantur, libenter annuimus... erectionem et istitutionem Universitatis Studii Generalis huiusmodi per praelatos Nuntios, ut praemittitur, factas, cum privilegiis et facultatibus in eorum Litteris expressis, ac inde secuta quaecumque, auctoritate apostolica, tenore praesentium, confirmamus et approbamus... et insuper quibusvis Bacalaureis, Licentiatis, Doctoribus et Magistris in ipsa Universitate Sancti Thomae, ad dictos gradus... omnibus et singulis privilegiis... uti... concedimus ».[1] In hisce omnibus et Studiis et Universitatibus, sicut et in omnibus Praedicatorum Conventibus una in rebus tum philosophicis, tum theologicis tradebatur sancti Thomae doctrina, ex ipsis Dominicanorum legibus, et quidem a Sancta Sede in hoc approbatis et enixe commendatis.

Praedictis adde Gregorium XIII promulgasse Bullam Pii V, pontificis divo Thomae utique addictissimi, quam conscripserat contra errores Michaelis Baii, ex principiis Doctoris Angelici.

XLIX.

SIXTUS V.

1585-1590.

128. Ponderanda sunt nobis plusquam numeranda Sixti V testimonia: quippe qui non frequentius, sed tamen gravissimis verbis mentem suam aperuit, ubi imprimis sanctum Bonaventuram, Thomae amicum et aemulum, inter Ecclesiae Doctores connumeravit. Ita enim de utroque Doctore: « Haereticorum invidiae et diabolicae machinationes quibus sacram Theologiam quae Scholastica appellatur, hoc luctuoso saeculo oppugnant vehementissime, nos magnopere [admonent] ut eandem Theologiam, qua nihil Ecclesiae Dei fructuosius, omni studio retineamus, illustremus, propagemus. Divino enim illius munere qui solus dat Spiritum scientiae, sapientiae et intellectus, quique Ecclesiam suam per saeculorum aetates, prout opus est, novis beneficiis auget, novis praesidiis instruit, inventa est a maioribus nostris sapientissimis viris Theologia Scholastica, quam duo potissimum gloriosi Doctores, Angelicus sanctus Thomas et Seraphicus sanctus Bonaventura, clarissimi huius Facultatis professores, et primi inter eos qui in Sanctorum numerum relati sunt, excellenti ingenio, assiduo studio, magnis laboribus et vigiliis excoluerunt atque ornarunt,

[1] Die 4 aprilis, an. 1576, *Bullar. O. P.*, to. V, p. 344, Const. *In Apostolatus.*

eamque optime dispositam multisque modis praeclare explicatam, posteris tradiderunt, et huius quidem tam salutaris scientiae cognitio et exercitatio quae ab uberrimis divinarum Litterarum, Summorum Pontificum, sanctorum Patrum et Conciliorum fontibus dimanat, semper certe maximum Ecclesiae adiumentum afferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere et sane intelligendas et interpretandas, sive ad Patres securius et utilius perlegendos et explicandos, sive ad varios errores et haereses detegendos et refellendos. His vero novissimis diebus, quibus iam advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta, et homines blasphemi, superbi, seductores, proficientes in peius, errantes et alios in errorem mittentes, sane catholicae Fidei dogmatibus confirmandis, et haeresibus confutandis pernecessaria est, profecto rem ita se habere ipsimet veritatis inimici sunt iudices, quibus Theologia Scolastica maxime est formidolosa, qui profecto intelligunt apta illa inter se nexa rerum et causarum cohaerentia, illo ordine et dispositione, tanquam militum in pugnando instructione, illis dilucidis definitionibus et distinctionibus, illa argumentorum firmitate et acutissimis dispositionibus lucem a tenebris, verum a falso distingui, eorumque mendacia, multis praestigiis et fallaciis involuta, tanquam veste detracta, patefieri ac denudari. Quanto igitur magis illi hanc munitissimam scholasticae Theologiae arcem oppugnare et evertere conantur, tanto magis nos decet hoc iniunctum Fidei propugnaculum defendere, et haereditatem patrum nostrorum conservare et tueri, et acerrimos veritatis defensores meritis honoribus, quantum possumus, decorare...

129. « Ab ipso pontificatus nostri initio, Deo, ut pie credimus, inspirante, constanter proposuimus sancti huius Doctoris [Bonaventurae] nomen et merita gloriosa apud omnes pro viribus celebrare... Sane ad id quoque non mediocriter excitati sumus exemplo sanctae memoriae Pii Papae V, praedecessoris nostri, de Christiana Republica optime meriti, et quem ut parentem adhuc reveremur et colimus. Is enim, religiosa pietate et singulari devotione permotus, afficiebatur erga sanctum Thomam de Aquino, Ordinis sui decus et Ecclesiae Catholicae ornamentum,[1] cupiens

[1] De quo Fr. Petr. Monteyro, *Epigrammata*, n. XXXIV, alludens ad patriam Pontificis « Montalto », ut volunt quidam:

« Reddimus ingentes grates, o Xyste, tuorum
Et decus, et propriae religionis honor.
« Eminus natus excedis de montibus altis
Pectore, corde, animo, celsior Empyreo.
« Si Thomas splendor Fidei, decor, ornamentum,
Tu Romanorum gloria Pontificum ».

De illa Sixti erga sanctum Thomam devotione notandum est ipsum eadem fuisse imbutum, sicut et Sixtus IV, in Studio Neapolitano, sub Magistris Dominicanis, iuxta historicos.

eodem modo eundem Sanctum, ob eius praestantissima in Catholicam Ecclesiam merita congruis honoribus exornare, praeter alia hoc iussit atque decrevit ut illius festus dies quotannis duplicis Officii ritu, ad instar Sanctorum quatuor Ecclesiae Doctorum, perpetuo celebraretur; quod et sancto Bonaventurae, doctori eximio, tribui debere aequum profecto existimamus, cum tam multa inter eos virtutis, sanctitatis, doctrinae, meritorum coniunctio et similitudo intercedat. Hi enim sunt duae olivae et duo candelabra in Domo Dei lucentia, qui et charitatis pinguedine et scientiae luce totam Ecclesiam collustrant. Hi singulari Dei providentia eodem tempore, tanquam duae stellae exorientes, ex duabus clarissimis Regularium Ordinum familiis prodierunt, quae sanctae Ecclesiae ad Catholicam Religionem propugnandam maxime utiles, et ad omnes labores et pericula pro orthodoxa Fide subeunda paratae semper exsistunt, ex quibus tanquam ex fertili et bene culto solo quotidie per Dei gratiam fecundae et fructuosae plantae procreantur, hoc est viri doctrina et sanctitate praestantes, qui Petri naviculae tot fluctibus agitatae et Romano Pontifici, eius clavum non sine magna solicitudine tenenti, fortem et fidelem operam navant. Hi duo Sancti, cum essent coaevi, iisdemque studiis dediti, condiscipuli, simul magistri, pari ratione a Gregorio X Summo Pontifice, cum ambo ad Concilium [Lugdunense II] evocarentur, honorati, et in huius vitae peregrinatione, fraterna charitate, spirituali familiaritate, sanctorum laborum societate valde coniuncti fuerunt, et denique pari gressu ad coelestem patriam commigrantes[1] pariter felices et gloriosi illa sempiterna beatitudine perfruuntur, ubi eodem charitatis affectu, ut pie credimus, pro nobis in hac lacrymarum valle laborantibus orant divinamque opem implorant... Quod igitur, etc. ».[2]

Cui Bullae quadraginta novem Cardinales nomina subscripserunt.

130. Sixtus V facta nonnulla dictis addidit, videlicet egregia quaedam de Studio Oriolensi statuit, [3] necnon et de Studentium societate, a « Sancto Thoma » nuncupata, Barcinonae instituta, concedens indulgentias iis qui

[1] Sanctus Thomas ad Concilium pergens obiit die 7 martii, anno 1274; sanctus autem Bonaventura, in ipsomet Concilio, die 14 iulii eiusdem anni.

[2] Die 14 martii, anno 1588, *Bullar. O. P.*, to. V, p. 457, Const. *Triumphantis*. Praedictum Scholasticae et eiusdem Principum encomium, idemque egregie excogitatum et expressum, omnibus sane meditatione perscrutandum foret. Illa vero amicitia Thomam inter et Bonaventuram ad alios rursus sese protendebat, siquidem Fr. Petrus de Tarantasia, O. P., postmodum Pontifex Summus, in praedicto Concilio eximias partes agens, orationem panegyricam sancti Bonaventurae, mox defuncti, pronuntiavit cum hoc themate: « Doleo super te, frater mi Ionatha ». II. *Reg.*, XII, 26.

[3] Die 17 novembris, an. 1585. Ibidem, p. 441, Const. *Cum sicut*.

« conclusionibus aut disputationibus theologalibus dictae Confraternitatis interfuerint »;[1] demumque iussit divi Thomae effigiem depingi in Bibliotheca Vaticana, Ecclesiam sinistra manu gestantis, dextera autem scribente, magnum luminis splendorem in illam effundentis, addita huiusmodi epigraphe: SANCTI THOMAE DE CHRISTO SCRIPTA A CHRISTO CRVCIFIXO PROBANTVR.[2]

L.

URBANUS VII.

1590.

131. Qui nonnisi dies tredecim sedit, neque coronatus fuit. In Vaticana Basilica primo sepultus fuit, postmodum vero translatus in ecclesiam Sanctae Mariae supra Minervam, eo quod testamento omnia bona sua Confraternitati Annuntiatae ibidem a Cardinali Iohanne de Turrecremata O. P. institutae, ad procurandas puellis dotes, legaverat.

Ex quo etiam patet ipsum, sicut ex aliis, Ordini bene affectum fuisse.

LI.

GREGORIUS XIV.

1590-1591.

132. Qui, licet nonnisi decem menses sederit, et pauca exinde scripserit, mentem tamen suam tum in ipsum Ordinem Praedicatorum, tum in Ordinis eiusdem doctrinam aperuit in illo diplomate quo Cracoviensi coenobio Dominicalium nonnulla beneficia ecclesiastica concessit. Ita quippe in diplomate praedicto: « ... Deinde charissimus in Christo filius noster Sigismundus III, Poloniae Rex, donationem et concessionem huiusmodi per patentes Cancellariae Regiae Litteras approbavit, et huic donationi consensit, et successive

[1] Die 1 iunii, an. 1586, *Bullar. O. P.*, to. V, p. 448, Const. *Salvator noster.*
[2] Vide ANGELUM ROCCA, *De Bibliotheca Apostolica Vaticana*, p. 236, edit. Romae, 1591.

venerabilis Frater noster Petrus, Episcopus Cracoviensis, re huiusmodi sibi exhibita, et ea per eum bene examinata, diligenterque et deliberate perpensa, animadvertens donationem et concessionem huiusmodi optimo consilio et animo factam esse, ac proficisci imprimis ex summa pietate erga Deum, quo divinus cultus, qui tunc in dicta ecclesia Sancti Aegidii neglectus et intermissus erat, per Fratres Domus huiusmodi [scilicet Ordinis Praedicatorum] qui devotioni maxime sunt addicti, in integrum restitueretur, deinde vero ex pio affectu erga dictam Domum, in qua cum Fratres plurimi pietateque eruditioneque insignes commorentur, suisque laboribus assiduis et indefesso studio in praedicationibus confessionibusque audiendis, haereticorum conversionibus multum Ecclesiae Dei prosint, Studium Generale, tam in Philosophia quam in Theologia profiteantur, in eisque Fratres plurimos Domus huiusmodi ad laudem et gloriam divini nominis, totiusque regni Poloniae utilitatem exerceant et instruant, attamen proventus, etc. ».[1]

Pontifex inde Decreto suo subvenit.

LII.

INNOCENTIUS IX.

1591.

133. Duos tantum menses sedit.

Unum tamen emisit ad Ordinem Praedicatorum diploma, quo spirituales gratias concedit pro Generali Capituli Venetiis celebrando, in quo diplomate haec de doctrina habet: « Cum Capitulum Generale universi Ordinis Fratrum Praedicatorum sit celebrandum, et illius celebratio in civitate Venetiarum... ad ipsam civitatem et ipsius Capituli Generalis celebrationem multi viri zelo religionis pleni ac scientia et morum probitate sint accessuri, nos... ».[2]

[1] Die 27 iunii, an. 1591, *Bullar. O. P.*, to. V, p. 478, Const. *Pro fidelium.*
[2] Die 3 decembris, an. 1591. Ibidem, p. 483, Const. *Meritis licet.*

LIII.

CLEMENS VIII.

1592-1605.

134. Is Pontifex doctrinam divi Thomae tum explicitis tum implicitis elogiis per totum pontificatum datis occasionibus extulit. Gratulatur imprimis Regni Neapolitani Proregi, Alphonso scilicet Pimentel de Herrera, quod sanctus Thomas de Aquino Neapolitanae Civitatis Patronus declarandus sit. Ita die 22 novembris, anno 1603: « Quantum prodesse possint qui praesunt aliis vitae integritate et pietate licet id ex tua nobilitate coniicere, quippe omnes animi conatus ad Dei gloriam atque publicam utilitatem cum tu dirigas tacita tui aemulatione populos ad eos imitandos atque eorum normam, vitam moresque formandos inflammas.

« Erat quidem antea multo optandum ut civitas ista, pietati imprimis dedita, novum Patronum ad reliquos quos habet addendum curaret Thomam Aquinatem, cuius divino eloquio et coelesti doctrina miraculisque illa quidem illustris merito apud remotissimas nationes summa christiani nominis cum laude atque Ecclesiae utilitate celebratur. Verum id tuae debebatur virtuti ut sanctum consilium, etsi acceptum Deo referre oporteat, a quo quidquid boni agimus ac cogitamus proficiscitur, ex quo nostra omnis sufficientia emanat,[1] tuum tamen in eo etiam studium laudaretur, quo factum est ut multorum sopita pene pietas, te procurante, excitetur, atque in oculis omnium, immo in Dei conspectu appareat altior a terra atque eximior, et nos solemus, ut decet, semper favere supplicationibus, sed huic certe ardentiori quadam voluntate annuimus, quod et nos ipsi Angelico huic Doctori et nostro et totius Christianae Ecclesiae nomine plurimum debemus, et tua in eum exstat pietas singularis.

« Hoc igitur Patrono una cum aliis utatur civitas, etc. ».[2]

135. Ad neapolitanos autem Deputatos ita insimul de eodem argumento rescripsit eadem die 22 novembris 1603: « In quo nos pastoralis officii nostri cura excitati elaboramus tantopere ut hominum cogitationes

[1] Cui doctrinae hic et infra instat enixe Pontifex, utpote qui de doctrinae thomisticae veritate in *Congregationibus de Auxiliis* persuasissimus apparuit. Cf. SERRY, *Historia Congregationum de Auxiliis divinae gratiae*, passim ex indice, edit. Venet. 1740.

[2] *Bullar. O. P.*, to. V, p. 610, Const. *Quantum prodesse*.

omnes ad cultum divinum atque ad Sanctorum venerationem intendantur, in id vos sponte ferri cum videamus, inenarrabili certe laetitia in Domino exsultamus. Gratia Dei facitis quod facitis, et gratia Dei in vobis vacua non est, cum donis coelestibus cumulati gratos vos exhibetis, memoresque beneficiorum, aucta in Deum pietate atque in Sanctos eius reverentia. Quarum quidem cogitationum ut auctorem verum Deum maxime oportet agnoscere, ita etiam affirmandum eas ipsas piis precibus eorum in quorum tutela civitas ista est adscita, Divinae Maiestati acceptas esse magis. Proinde pie prudenterque cogitatis de novo civitati Patrono adsciscendo, cive vestro, divinae voluntatis Angelico interprete,[1] vitae sanctitate et miraculis claro Thoma Aquinate, cuius doctrinae tantum fuit tributum, ut christianae eruditionis suae divinum etiam illud habeat testimonium: " Bene de me, Thoma, scripsisti: " tali vos tantoque deprecatore quia iure arbitramini divinos thesauros facilius vobis posse patere, suppliciterque ac demisse rogatis ut ad reliquos Patronos istius civitatis is quoque adiungatur. Nos, auctoritate nostra apostolica, pium sanctumque illud vestrum consilium probamus, vobisque ut id liceat concedimus; quod si quid et preces nostrae valent, pro vobis etiam humillime supplicamus vobis idem ut praesto sit, vestrasque orationes pio e corde profectas porrigat Divinae Maiestati, curetque ut vobis sint eaedem salutares. Unum id monemus, civitatem istam tanquam novo sponso e coelo

[1] De quo titulo, iamdiu celeberrimo et ab aliis saepissime pronuntiato, ita in suis *Epigrammatibus*, n. XXXVI, Fr. PETRUS MONTEYRO, sumpto argumento a sancto Paulo, *Rom.*, II, 34: « Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? »:

« Cognovit sensum quis, consiliarius aut quis
Numinis excelsi cunctipotentis erat?
« Respondet Clemens Octavus, sydera frontem
Cui cingunt, coeli cui patuere fores:
« Nempe voluntatis divinae interpres Aquinas,
Ipse est scrutator fidus et Angelicus ».

Nota illud

« sydera frontem
cui cingunt, coeli cui patuere fores »

non referri ad divum Thomam, sed ad Clementem VIII, qui stellas in stemmate gentilitio fert, quique « claves Regni coelorum » ut pontifex retinet. Hinc idem Fr. PETRUS, addit, op. cit., n. XXXVII:

SOL MEDIUS PLANETARUM.

« Angelico Thomae Clemens accommodat alas
Laudibus insolitis alta per astra ferens,
« Qua via pandit iter coelo patefacta sereno
Aldobrandinis splendida syderibus.
« Has inter Thomas stellas rutilosque planetas
Ut sol maiori laude coruscus ovat ».

venienti occurrere oportere circumdatam monilibus, sicut sponsam ornatam viro suo, ut ille vestimentorum, hoc est bonorum operum odore suavissimo captus, charitatis vinculo sponsae adhaereat arctiore. Ratum id habeat qui bonis omnibus propitius est Deus, et quam nos ad augendum pietatem vestram vobis nunc benedictionem nostram impartimur, sua idem sanctissima gratia prosequatur cumulatissime ».[1]

De quibus relationem conscripsit Ioannes Baptista Basso, notarius publicus, ad hoc rogatus, cuius hoc est instrumentum:

136. « Decretum Deputatorum Civitatis Neapolitanae.

« Quod virum sanctissimum Thomam Aquinatem novum Patronum urbi adsciscimus, ut ea res invictissimo atque augustissimo Regi nostro Philippo, cunctis Patrum Ordinibus Populoque neapolitano prospera et laeta eveniat, votis omnibus precamur. Igitur, quod omnibus innotescat, hodie 19 mensis ianuarii anni 1605, indictione tertia, constituti in nostra praesentia Fulvius Constantius, marchio Corleti, et Supremi a latere Consilii Regens, Ioannes Simon Moccia, Horatius Ligorius, Marcus Antonius Mormillis, Alphonsus Ligorius, Franciscus Mormillis de Sedili Portae Novae, Felix de Marra, Martius Antonius Caracciolus de Sedili Capuanae, Iohannes Paulus Sanfelicius, Fabius Surgens, Caesar Carmignanus quondam Rinaldi, Carolus Miroballus, Horatius Muscetola de Sedili Montaneae, D. Caesar Pappacoda, Fabritius Tuttavilla, Hieronymus Macedonius de Sedili Portus, Ascanius Carafa, Claudius Milanus, Alonsus Brancatius de Sedili Nidi, Anelus de Martino, Franciscus Imperatus U. I. D., Horatius Campansilis U. I. D., Octavius de Martino U. I. D., Iacobus Pintus, Franciscus Pavellus, Iohannes Hieronymus Romanus, et Antonius de Iacobo, pro fidelissimo Populo, deputati ab hac fidelissima Civitate Neapolitana, praesentes in templo Divi Dominici, ante aram maximam, adstante frequentissima nobilium corona, ac fere innumerabili tum civium, tum exterorum multitudine, praedicti Deputati publice declaravere hanc fidelissimam Civitatem Neapolitanam iamdiu summo studio concupivisse atque exoptasse divum Thomam de Aquino, divinae voluntatis angelicum interpretem, vitae sanctitate, miraculis et eruditione insignem, inter urbis tutelares Patronos referre, ut praeter Ianuarium, Athanasium, Asprenum, Agrippinum, Severum, Eusebium et Anellum, sancti quoque Thomae adiunctis precibus praepotens et misericors Deus mala omnia avertat, bonaque plena manu largiatur. Huius autem optandi patrocinii, praeter causas quae cum aliis possunt esse communes, illae etiam accesserunt, quod ex hac ipsa urbe, a nobilissima Aquinorum familia originem trahat, quod hinc primum disciplinis eruditus, quod bonae vitae partem in hac urbe et sacra aede

[1] *Bullar. O., P.*, to. V, p. 611, Const. *In quo nos.*

traduxerit, quo tempore cives omnes singulari studio complexus est, eosque publice sacras Litteras docuit, quod hic etiam divinum illud oraculum: " Bene scripsisti de me, Thoma, " audire meruerit. Quamobrem, re communicata cum Illustrissimo et Excellentissimo D. D. Iohanne Alphonso Pimentel de Herrera, Beneventanorum Comite, optimo et praestantissimo Prorege, non modo potestatem fecit, sed cohortatus etiam est, operam suam apud Pontificem Maximum pollicitus, ac postea rem omnem singulari pietate promovit. Tandem sanctissimus dominus Clemens VIII Pont. Max., civitatis precibus commotus, collaudato eius studio ac pietate ut id faceret, voti compotem fecit, transmissis ad hanc fidelissimam civitatem, ipsosque Deputatos infrascriptis apostolicis Litteris in forma Brevis:[1]

137. " Dilectis filiis nobilibus viris Civitatis Neapolitanae Deputatis, Clemens PP. VIII.

" Dilecti filii, nobiles viri, salutem et apostolicam benedictionem.

" Sicut Angeli in ministerium missi propter eos qui haereditatem capiunt salutis, ineffabili Dei providentia, non modo singulorum hominum curam gerunt, verum etiam urbibus et provinciis praesident, ita Sancti cum Christo regnantes, qui vitam meruerunt Angelorum, non solum privatos quosque homines suis orationibus adiuvant, sed publicas civitates et regna continua protectione defendunt. Sunt enim communes generis humani custodes et legati apud Deum potentissimi, sunt cunei inexpugnabiles et nostrae salutis praesules, qui secretorum conscii divinorum fami-

[1] Adverte Breve istud non ad Ordinem Praedicatorum, sed ad cives neapolitanos inscribi et mitti.

Licet autem dies scriptionis non notetur, ex aliqua Notarii oscitantia, attamen certo certius die 22 novembris anni 1603 missum esse constat una cum praeallatis diplomatibus, siquidem in Litteris ad Deputatos neapolitanos praedicta die scriptis haec habet: « vobis ut id liceat concedimus ». Quae verba concessionis instrumentum simul missum supponunt.

De ipso diplomate haec notat P. Brémond: « De eadem Constitutione Clementina loquitur Paulus V, in alia quae incipit *Splendidissimi*, data die 17 decembris 1607. Huc etiam spectat lectio VI, quam die octava Sancti Thomae Aquinatis recitandam probavit Sacra Rituum Congregatio, Urbano VIII Summo Pontifice. In ipsa siquidem laudatur et excribitur haec Clementina Constitutio his verbis: " Clemens VIII ad Neapolitanos:.. Hic siquidem honor eius virtutibus cum admirabili doctrina coniunctis iure optimo debetur. Ac doctrinae quidem testis est ingens librorum numerus, quos ille brevissimo tempore, in omni fere disciplinarum genere, singulari ordine, ac mira perspicuitate, sine ullo prorsus errore conscripsit. "

Legitur eadem Constitutio in *Actis Capituli Generalis Romae celebrati* die 9 iunii 1612. Publici iuris Neapoli iam facta fuerat anno 1605, in libro cui titulus: *Breve relatione della solenne processione...* De quo infra.

liarius clementiam Dei pro nostris exorant laboribus, et nequissimi daemonis insidias ac conatus ab omnibus divina virtute depellunt. Verum quo plures numero ac meritis praestantiores sunt qui pro salute hominum in coelestibus regnis apud Deum intercedunt, eo homines ipsi desiderata bona facilius impetrant, et impetratis diutius perfruuntur. Cum igitur in isto nobili Regno plurimi olim sanctitate, miraculis et doctrina insignes viri claruerint, qui universam Ecclesiam Dei suarum virtutum splendore illustrarunt, inter hos autem sancti illi Asprenus, Ianuarius, Agrippinus, Severus, Athanasius aliique complures, tum Episcopi, tum Abbates, praecipue floruerint, quos merito haec vestra civitas certos sibi Patronos adoptavit, cumque superiorum temporum memoria sanctus Thomas Aquinas, Ordinis Praedicatorum, Doctor Angelicus, ex antiqua et nobili Comitum de Aquino familia oriundus, similiter in eodem Regno tum sanctitatis ac miraculorum gratia, tum doctrinae laude clarus exstiterit, laudabili consilio eadem Civitas illum caeteris patronis suis adiungendum statuit. Hic siquidem honor eius virtutibus cum admirabili doctrina coniunctis, iure optimo debetur.

" Ac doctrinae quidem testis est ingens librorum numerus quos ille brevissimo tempore, in omni fere disciplinarum genere, singulari ordine ac mira perspicuitate, sine ullo prorsus errore conscripsit; in quibus conscribendis interdum sanctos apostolos Petrum et Paulum colloquentes, locosque illi quosdam Dei iussu enarrantes habuit, et quos deinde conscriptos expressa Christi Domini voce comprobatos audivit.

" Cum autem illi nunc peculiare eiusdem vestrae Civitatis Patroni nomen accedat, sperandum est fore ut ratione perfectae charitatis, qua Deo propinquior est, et patrocinii ad quod eligitur, vobis magis proficiat precibus, quod eiusdem ante dicta doctrina, eximiae virtutes et fama, praesertim qua semper excelluit humilitas, hunc ipsum honorem postulare videntur. Quapropter, cum ille tam religiose ac demisse semper de se ipso existimaverit, ut inter caetera oblatum a fel. rec. Clemente IV, Romano Pontifice, praedecessore nostro, Civitatis vestrae archiepiscopatum insigni cum modestia recusaverit, merito Deus hoc tempore vobis in animum induxit ut eum, qui, cum in terris esset, vobis ob summam humilitatem praeesse noluit, nunc, cum in coelis est, propter eiusdem sanctitatem in numerum vestrorum Patronorum adsciscatis. Qua quidem in re nos pietatem et consilium vestrum plurimum in Domino commendantes, electionem a vobis factam auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, illique nostrae et apostolicae confirmationis robur adiicimus, et, ut in posterum idem sanctus Thomas inter caeteros civitatis vestrae Patronos connumeretur, utque etiam ab universo Clero saeculari et regulari utriusque sexus, cuiusvis Ordinis eiusdem Civitatis, officium de ipso sancto Thoma tanquam de Patrono publice et privatim recitari debeat perpetuo, statuimus

ac praecipimus et mandamus, sicque ab ipsis et aliis ad quos spectat observari debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus. Quocirca Deum bonorum omnium auctorem et parentem vobis omnibus precamur ut meritis quoque ac precibus huius vestri novi Protectoris omnes humani generis hostis insidias a vobis lunge repellat, Civitatem in pace custodiat, et universum Regnum coelesti benedictione tueatur. " [1]

138. « Quare praefati Deputati, Civitatis nomine, eius voluntatem adimplere volentes, Thomam de Aquino Doctorem Angelicum in Patronum et Protectorem accipiunt, atque inter caeteros urbis tutelares adscribunt, eundemque Sanctum submisse atque enixe obsecrant, ut assiduas pro ea ad Deum preces effundat, urbemque a peste, fame et bello, caeterisque infortuniis vindicet ac tueatur. Et in fidem ac tutelam acceptam cives atque incolas omni bonorum genere cumulet, ac divinum praecipue obsequium nobis impetret. Praeterea Philippum III Regem nostrum, catholicae Fidei Defensorem acerrimum cum prole sua protegat et foveat; sanctam iustamque eius voluntatem fortunet et dirigat, eique longaevam ac felicem aetatem exoret.

« Praedicti denique Deputati eiusdem sancti Thomae augustissimam imaginem, eius brachii dextri partem, quo scribente profligavit haereses, sacras Litteras illustravit, quam fidelissimae huic Civitati Fratres Dominicanae Religionis elargiti sunt, in argentea theca repositum ad sacellum illud templi maximi quod Thesaurum appellamus, quodve caeterorum Patronorum asservandis reliquiis dicatum est, asportari et collocari volunt, huiusque aggregationis diem singulis annis ut diem festum colendum ac celebrandum fore pollicentur, iurantes ad sancta Dei Evangelia, meque Iohannem Baptistam Bassum, notarium publicum rogavere ut haec omnia ad futuram rei memoriam meis tabulis referrem, universo acclamante Populo, ac sancti Thomae nomen saepius iterante, etc. Unde, etc. ».[2]

139. De festivitatis praedictae celebritate, eademque solemnissime die sequenti habita, varia supersunt monumenta.[3] De quibus hoc unum nota-

[1] Const. *Sicut Angeli*, in *Bullar. O. P.*, to. V. p. 612. Pontificium hoc diploma editum sane fuit die 22 novembris an. 1603, ut supra diximus.

[2] Instrumentum Notarii confectum est die 19 ianuarii, anni 1605. Vide ibidem, p. 613.

[3] Inter quae notandus liber cui titulus: « *Breve relatione della solenne processione, e dei ricchi e nobili apparati fatti nella festa del glorioso P. S. Tommaso d'Aquino del Sacro Ordine de' Predicatori, celebrata nella città di Napoli, alli 20 del mese di gennaio, dell'anno 1605, eletto ed acclamato da tutto il popolo*

tum volo, plures in civitate erectos fuisse arcus triumphales cum significantissimis epigraphis, hic referendis. In quorum primo haec legebatur inscriptio:

DOCTRINA · SANCTITATE · SVPERLATIVVS · AQVINAS

In altero autem:

FLOS · PVLCHER · REDOLENS · SPES · FRVCTVS · AC · BREVIS · AEVI
MEL · DAT · API · SERTVM · CAPITI · SINE · SEMINE · NASCI [1]

In tertio rursus:

SAL · TOTIVS · TERRAE · LVX · TOTIVS · MVNDI
ET · CIVITAS · CIVITATVM · QVAE · NON · POTEST · ABSCONDI

In quarto demum:

ALTER · PAVLVS

Inter sanctorum autem Neapolitanae Civitatis Patronorum statuas reposita est effigies sancti Thomae argentea, atque in arcu rursus triumphali alio scriptum id fuit:

A · CLEMENTE · IV · RENVIT
A · CLEMENTE · VIII · RECEPIT

quia nempe a Clemente IV renuit Archiepiscopatum Neapolitanum recipere, dum a Clemente VIII recepit Patronatum in Neapolitanos. Ea sunt quae Clemens VIII in laudem divi Thomae directe et explicite praestitit.

140. Nec minus certo, etsi implicite, commendavit, ubi iussit Patres Societatis Iesu divo Thomae adhaerere, quod ita Societatis ipsi Proceres solemniter declararunt in sua Congregatione anni 1594, decr. 56: « Nostri omnino sanctum Thomam ut proprium Doctorem habeant, eumque in scholastica Theologia sequi teneantur, tum quia *Constitutiones* nobis eum commendant, Part. IV, cap. XIV, § 1, et Summus Pontifex Clemens VIII id se cupere significavit; tum quia cum unius scriptoris doctrinam in Societate eligendam *Constitutiones* moneant, Part. VIII, cap. 1, lett. *k*, nullius hoc tempore doctrina potest occurrere quae sit ea solidior aut securior, ut non immerito sanctus Thomas Theologorum Princeps ab omnibus habeatur ».

di quella per loro Protettore Tutelare e Padrone, scritto dal R. P. Fra PIETRO ROSCO DA MANDUSIA *de' Predicatori. All'Illustrissimo e Reverendissimo Sig. Cardinale d'Ascoli, assonto dall'istesso Ordine dell'Angelico Dottore. In Napoli, per Tarquinio Longo 1605, con Licenza de' Superiori.*

Asculanus hic Cardinalis fuit Bernerius, de quo in operibus nostris quibus tituli: *L'église de Sainte-Sabine* atque *Le Couvent de Sainte-Sabine à Rome.*

[1] Hic alluditur ad malum syriacam quae Neapoli frequentissima viget. Huius proprietates enumerat auctor distichi, quod nempre in ea appareat flos pulcher et redolens, et quidem simul cum fructu, unde Franciscus Salesius accepit Academiae suae epigramma: FLORES FRVCTVSQVE PERENNES; quod det mel api mox moriturae, quod flos evadat corona sponsae virginis et demum Neapoli sponte crescat: hasque proprietates mente applicat doctrinae divi Thomae.

Ast insimul Ordinem Praedicatorum extulit frequentius « ex quo uberrimi in eadem Dei Ecclesia fructus ad ipsius Omnipotentis Dei laudem et Christianae Reipublicae spirituale commodum et utilitatem ab ipsius Ordinis initio semper prodierunt, et in dies prodibunt... ».[1]

In quibus fructibus, in quo spirituali commodo connumeranda sane est ipsamet doctrina ab Aquinate transmissa, quae in re Theologiae quasi Ordinis anima habenda est.

Factis dicta cumulans, beatum Raymundum de Penafort, egregium inter iuristas doctorem, divo Thomae supparem in Sanctorum catalogum canonismo retulit;[2] plura et quidem egregia statuit et decrevit de Collegiis theologicis Oriolensi,[3] Dertusensi,[4] Vallisoletano,[5] Hispalensi;[6] de promovendis ad gradus theologicos in provincia Hispaniae,[7] in provincia Boeticae;[8] iussit Fr. Sotomaior lucubrationes suas theologicas publici iuris facere;[9] laudavit Capitula Generalia Praedicatorum quod convenirent « multi viri zelo religionis pleni ac scientia, morum probitate praediti »;[10] privilegia Ordinis confirmavit atque auxit, et quidem etiam de studiis;[11] promovit Valentinam Academiam Sancti Thomae,[12] et alia id genus multa.

[1] Die 5 octobris, an. 1604, *Bullar. O. P.*, to. V, p. 618, Const. *Iniuncti nobis.* Vide ibidem, p. 512, ad diem 17 aprilis, an. 1594, Const. *Benedictus Pater;* p. 599, ad diem 19 ianuarii, an. 1602, Const. *Ordo Fratrum;* et to. VII, p. 221, ad diem 29 novembris, an. 1595, Const. *Quod supremae;* et p. 239, ad diem 9 augusti, an. 1604, Const. *Cum ad uberes.*

[2] Die 29 aprilis, an. 1601. Ibidem, to. V, p. 580, Const. *Romana catholicae.*

[3] *Bullar. O. P.*, to. V, p. 487, ad diem 22 martii, an. 1582, Const. *Exposcit pastoralis;* p. 500, ad diem 30 octobris, an. 1592, Const. *Decet Romanum;* p. 524, ad diem 13 septembris, an. 1594, Const. *Cum sicut.*

[4] Ibidem, p. 527, ad diem 26 novembris, 1594, Const. *Ex iniuncto;* p. 567, ad diem 11 septembris, an. 1600, Const. *Alias felicis.*

[5] Die 22 ianuarii, an. 1600. Ibidem, p. 560, Const. *Providentia Romani.*

[6] Die 1 decembris, an. 1600. Ibidem, p. 572, Const. *In apostolicae.*

[7] Die 29 februarii, an. 1592. Ibidem, p. 484, Const. *Munus pastoralis.*

[8] Die 25 martii, an. 1592. Ibidem, p. 489, Const. *Munus pastoralis.*

[9] Die 28 martii, an. 1597. Ibidem, p. 543, Const. *Quicumque.*

[10] Ibidem, p. 538, ad diem 12 septembris, an. 1595, Const. *Meritis licet;* p. 568, ad diem 16 septembris, an. 1600, Const. *Meritis licet;* p. 619, ad diem 5 novembris, an. 1604, Const. *Meritis licet.*

[11] Die 5 octobris, an. 1604. Ibidem, p. 618, Const. *Iniuncti nobis.*

[12] Die 13 aprilis, an. 1601. Ibidem, to. VII, p. 227, Const. *De salute.*

LIV.

LEO XI.

1605.

141. Qui nonnisi dies viginti septem sedit. Sed tamen suam erga Ordinem Praedicatorum benevolentiam ex corde intimo manifestavit in diplomate quo licentiam fecit transferendi reliquias S. P. Dominici:

« Dilecti filii,... Vestra eximia pietas ac religio, ac singularis devotionis affectus quem erga beatum Patriarcham Dominicum vestri Ordinis fundatorem geritis, nos inducunt ut piis vestris votis libenter annuamus. Vestro siquidem nomine venerabilis Frater noster Hieronymus [scilicet Bernerius], Episcopus Albanensis, Cardinalis Asculanus nuncupatus, qui vel hoc uno maxime gloriatur quod in familiam ipsius beati Dominici ab ineunte aetate receptus, illius Regulam et Ordinem expresse professus fuit, nuper nobis exposuit vos, pro ea qua sanctissimum virum vestri Ordinis parentem et institutorem, cuius corpus in ecclesia Sancti Dominici, eiusdem Ordinis, Civitatis nostrae Bononiensis, requiescit, assidue colitis veneratione, in eadem ecclesia insignem et egregiam capellam ingenti sumptu ac magnifico opere extrui fecisse, et mirum in modum exornasse, eo videlicet consilio ut ad illam corpus ipsius sancti Dominici ex alia capella ubi nunc est, primo quoque tempore transferatur, et nobiliore et honorificentiore loco asservetur... Nos igitur pietatis vestrae studium summopere in Domino commendantes, ac specialem gratiam facere volentes, etc. ».[1]

Ex quo documento apparet Pontificis devotio in sanctum Dominicum et in eius Ordinem, proindeque et ad illud quod quasi Ordinem in scientia specificat, nempe doctrinam sancti Thomae.

LV.

PAULUS V.

1605-1621.

142. Vix ullus Pontifex eo Pontifice Paulo V doctrinae et gloriae sancti Thomae zelantior unquam apparuit.

Imprimisque laudibus ipsum cumulavit, die 17 septembris, anni 1607, dum iussit festum Translationis brachii sancti Thomae celebrari Neapoli die 19 ianuarii, ita exorsus:

[1] Die 16 aprilis, an. 1605, *Bullar. O. P.*, to. V, p. 630, Const. *Vestra eximia*.

« Paulus PP. V. Ad perpetuam rei memoriam.

« Splendidissimi catholicae Fidei athletae beati Thomae Aquinatis, cuius scriptorum clypeo militans Ecclesia haereticorum tela feliciter eludit, honores et venerationem in dies magis magisque augeri plurimum in Domino gaudemus,[1] et iis quae ad illius honorem devote sancita sunt, ut firma et illibata permaneant, libenter apostolicae firmitatis robur adiicimus. Alias siquidem, postquam dilecti filii Deputati et Electi Civitatis Neapolitanae, praeter sanctos Ianuarium, Athanasium, Asprenum, Agrippinum, Severum, Eusebium et Anellum dictae Civitatis certos Patronos, etiam sanctum Thomam, Ordinis Fratrum Praedicatorum, Doctorem Angelicum, ex nobili Comitum de Aquino familia oriundum, cuius natalibus praedicta civitas originem dedit, quique in nobili Regno Neapolitano cum sanctitatis et miraculorum gratia, tum doctrinae laude clarus exstitit, dictis sanctis Patronis laudabili consilio adiungendum duxissent, fel. rec. Clemens Papa VIII, praedecessor noster, dictorum Deputatorum et Electorum pietatem et consilium plurimum in Domino commendans, etc. ».[2]

Ita et alias die scilicet 20 octobris, an. 1614, laudavit Thomam quod sit « Ecclesiae Catholicae defensor, ac haereticorum expugnator ».[3]

143. Nec minus quam omnes sui a tempore sancti Thomae praedecessores, Ordinem propter doctrinam encomiis extulit.

Mox in genere laudat: « In supremo, inquit, militantis Ecclesiae solio et apostolicae dignitatis plenitudine, summa Redemptoris nostri benignitate, constituti, circa ea per quae domus et alia regularia loca sacri Ordinis Fratrum Praedicatorum, in ipsius Ecclesiae agro excolendo, ac salutaribus sementis instaurando, egregiam et fructuosam operam assidue navantium ubique ad religionis et fidei catholicae conservationem, divinique cultus incrementum, ac publicam utilitatem et salutem propagari valeant, propensis studiis intendimus, ac in his pastoralis officii nostri partes favorabiliter interponimus, etc. ».[4]

[1] Quod encomium ita celebrat Fr. Petr. Montevro, *Epigramm.* n. XXXVIII:

« Gloria Romuleae proles Burghesia gentis
Athletam fidei te vocat atque ducem.
« Scriptorum clypeo volitantia tela retorques
Fortis et haereticos vertere terga facis.
« Ostentans generosam aquilam sculptumque draconem
In clypeo Pauli fulgurat ense latus ».

Hic ultimo alludi ad Burghesiorum stemma norunt omnes.

[2] *Bullar. O. P.*, to. V, p. 657, Const. *Splendidissimi*. Vide ibidem, to. VII, p. 244, ad diem 18 ianuarii, an. 1606, Const. *Quae ad sanctorum*.

[3] Ibidem, to. V, p. 699, Const. *Cum sicut*.

[4] Die 4 maii, an. 1607. Ibidem, p. 649, Const. *In supremo*.

In illis autem « salutaribus sementis » computanda primo doctrina est, ut patet.

Mox caeterum de doctrina explicatius: « Nos, inquit, alias, animadvertentes Ordinem Praedicatorum a primaeva eius institutione, Catholicae Ecclesiae ornamento et adiumento fuisse, ac sanctitate et doctrina multis saeculis floruisse, prout ad praesens floret, etc. ».[1]

Unde quoad praxim ita colligebat: « Cum ad fructus uberes quos Ordinis Praedicatorum professores in agro militantis Ecclesiae produxerunt hactenus et producere non cessant, nostrae dirigimus considerationis intuitum, dignum ducimus ut ad ea per quae domus regulares dicti Ordinis ad divini cultus et sacrae Religionis augmentum, publicamque utilitatem et salutem, propagari valeant... propensis studiis intendamus, etc. ».[2]

144. Quod egregie factis comprobavit et praestitit Pontifex. Plura siquidem vel promulgavit, vel confirmavit, vel correxit quoad rem studiorum de magistris creandis in genere;[1] de iisdem promovendis in provincia Aprutina,[2] Aragonensi,[3] Boëtica,[4] de Collegio Theologico Hispalensi,[5] Ulyssiponensi Hibernorum,[6] Celsonensi,[7] de Universitate Sanctae Fidei (vulgo Santa Fé);[8] de gradibus theologicis conferendis in Indiis Orientalibus;[9] de Confraternitate Sancti Thomae Salmanticensi,[10] Barchinonensi, etc.[11]

Imo sapientissimus Pontifex non omisit laudibus commendare et praemiis honorare studium linguarum hebraicae, graecae, arabicae, latinae, hac ductus ratione ut « praedicatores et doctores Verbi Dei ad opus Dei operandum instructi reddantur in dies magis, et partes suas, quantum cum Domino fieri potest, ad gloriam eius et utilitatem animarum quotidie melius et felicius adimpleant ».[12]

[1] Die 20 novembris, an. 1607, *Bullar. O. P.*, to. V, p. 655, Const. *Inter universa.*

Sub eodem Pontifice finis impositus est famosis disputationibus *De auxiliis*, sub Clemente VIII inchoatis. Quarum exitum non obscure significatum habemus in Decreto quod, die 24 decembris, anno 1613, ad omnes Societatis Iesu Superiores Provinciales misit P. Claudius Aquaviva, Societatis Praepositus Generalis, quodque integrum relaturi infra sumus. Ita interim statuit Aquaviva « ut in tradenda divinae gratiae efficacitate theologi Societatis eam opinionem sequantur, sive in lectionibus, sive in publicis disputationibus quae a plerisque Societatis scriptoribus tradita, atque in controversia de Auxiliis divinae gratiae coram Summis Pontificibus piae memoriae Clemente VIII et S. D. N. Paulo V, tanquam magis consentanea Ss. Augustino et Thomae gravissimorum Patrum iudicio explicata et defensa est. Nostri in posterum omnino doceant inter eam gratiam quae effectum reipsa habet atque efficax dicitur, et eam quam sufficientem nominant, non tantum discrimen esse in actu secundo, quia ex usu liberi arbitrii, etiam cooperantem gratiam habentis, effectum sortiatur, altera non item: sed in ipso actu primo, quod posita scientia conditionalium ex efficaci Dei proposito atque intentione efficiendi certissime in nobis boni, de industria ipse ea media seligit, atque eo modo et tempore confert quo videt effectum infallibiliter habitura, aliis usurus, si haec inefficacia praevidisset. Quare semper moraliter, et in ratione beneficii plus aliquid in efficaci quam in sufficienti gratia est, in actu primo contineri: atque hac ratione efficere Deum ut reipsa faciamus, non tantum quia dat gratiam qua facere possimus. Quod idem dicendum est de perseverantia, quae procul dubio donum Dei est ».

Quibus verbis, etsi ad Congruismum deveniatur, attamen Molinismus dimittitur: quod controversiarum obiectum a principio fuit. Nos autem hanc auctoritatem eo uno fine referimus ut inde colligat lector Molinistas sententiam mutasse ad maiorem obtinendam cum doctrina Thomae consonantiam, et hoc quidem annuentibus, immo instigantibus et iubentibus Urbano VIII et Paulo V.

[2] Die 13 decembris, an. 1616. Ibidem, p. 709, Const. *Cum ad fructus.*

LVI.

GREGORIUS XV.

1621-1623.

145. Doctrinam divi Thomae et ipse commendavit indirecte, ubi extendens cultum beati Alberti Magni, hanc affert decreti rationem, quod fuerit « magister sancti Thomae Doctoris Ecclesiae ».[13]

[1] Die 18 septembris, an. 1607, *Bullar. O. P.*, to. V, p. 654, Const. *Pastoralis officii.*

[2] Die 7 ianuarii, an. 1606. Ibidem, p. 637, Const. *Decet Romanum.* Item, die... an. 1612, ibidem, p. 686, Const. *Ut ea.*

[3] Die 31 ianuarii, an. 1613. Ibidem, p. 692, Const. *Ut ea.*

[4] Die 3 octobris, an. 1615. Ibidem, p. 703, Const. *Ut ea.*

[5] Die... anno... p. 664, Const. *Quoniam*, et die 21 augusti, an. 1610, ibidem, p. 677, Const. *Ex debito:* et die 27 maii, an. 1611, ibidem, p. 682, Const. *Votis illis.*

[6] Die 13 novembris, an. 1615. Ibidem, p. 704, Const. *In apostolicae.*

[7] Die 21 decembris, an. 1614. Ibidem, p. 699, Const. *Ex commisso.*

[8] Die 4 septembris, an. 1612. Ibidem, p. 690, Const. *Cathedram.*

[9] Die 11 martii, an. 1619. Ibidem, p. 716, Const. *Carissimi.*

[10] Die 20 octobris, an. 1614. Ibidem, p. 699, Const. *Cum sicut.*

[11] Die 4 septembris, an. 1617. Ibidem. p. 713, Const. *Pietatis.*

[12] Die 31 iulii, an. 1610. Ibidem, p. 676, Const. *Apostolicae.*

[13] Die 24 septembris, an. 1622. Ibidem, to. VI, p. 14. Hic p. 15, legenda sunt quae refert P. Brémond de doctrina et cultu beati Alberti Magni, in notis adiectis, hoc imprimis scilicet Albertum a Pio II recensitum esse inter Ecclesiae Doctores, una cum divo Thoma Aquinate. Quem titulum et ipse, si quis alius unquam, sibi sane promeritus est.

Rursus, ubi Pampilonensem Universitatem constituit, decrevit ut Praedicatores « duas cathedras seu lectiones, Artium nempe unam et Theologiae alteram, facere tenerentur, » et quidem cum « omnibus et singulis indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, honoribus ac praeeminentiis Salmanticensi et Complutensi, ac quibusvis aliis Hispaniae Universitatibus » concessis.[1]

Nonnulla demum egregie sanxit de Collegio Theologico Caesaraugustano.[2]

LVII.

URBANUS VIII.

1623-1644.

146. Ferventissimus zelator et amator Ordinis Praedicatorum exstitit. Ita enim ab pontificatus exordio, die videlicet 13 maii, 1625: « In plenitudinem potestatis apostolicae, nullis nostris meritis, sed sola Dei benignitate assumpti, varios in militanti Ecclesia regularium personarum Ordines diversimode pro quorumlibet christifidelium devotione institutos, contemplantes ad sacrum beati Dominici Praedicatorum patris et ducis institutum, quasi fax ardens et matutinum sidus irradians, totumque Christianae Reipublicae firmamentum illustrans, mentis nostrae potissimum dirigimus aciem, ac dignum, quinimo aequum et rationi consonum reputamus ut ea quae a compluribus Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris ad favorem tam gloriosi instituti, illiusque domorum regularium, et in eis sub suavi Religionis iugo Altissimo famulantiam personarum, iuste rationabiliterque concessa fuisse dignoscuntur, ne longaevi temporis cursu obveterata sepeliantur, sed iugiter in viridi observantia firma persistant, favoris nostri praesidio confoveantur ».[3]

Indeque omnia privilegia a praedecessoribus hucusque concessa enumerat et singulatim confirmat, etiam de studiis.

Alias autem: « Nos, ut praedicto Ordini, unde tam uberes in Catholica Ecclesia fructus, totque viri doctrina et sanctitate insignes prodiere, et quem paterno affectu prosequimur, quantum cum Domino possumus, consulamus, etiam de voto eorundem S. R. E. Cardinalium et Praelatorum praedictorum, etc. ».[1]

Demum gratulatur « uberes fructus quos Fratres Ordinis Praedicatorum in vinea Domini, inter caeteros illius cultores proferunt ».[2]

147. Hinc ad praxim deveniens, plura decrevit in bonum ipsius doctrinae de promovendis ad gradus theologicos in Provincia Sancti Petri Martyris,[3] in Provincia Boëticae,[4] in Provincia Portugalliae,[5] in Provincia Romana;[6] nonnulla statuit de Collegio Theologico Dertusensi[7] et Oriolensi;[8] cultum beati Alberti Magni ampliavit,[9] et alia huiusmodi praestitit.

LVIII.

INNOCENTIUS X.

1644-1655.

148. Plurima passim pro Ordinis Praedicatorum commodo et bono sancivit, sed praeprimis studiorum curam summam habuit. Hinc tres Universitates sub tutela et patrocinio sancti Thomae positas privilegiis ornavit, cumulavit, videlicet, Universitatem civitatis Sanctae Fidei,[10] Universitatem Sancti Thomae Abulensem,[11] et Universitatem Sancti Thomae Manilanam, cuius creationem approbavit aut promovit.[12]

Haud secus Confraternitatem Sancti Thomae Lovaniensem gratiis et favoribus munivit.[13]

Adeo devotus in Augustinum et Thomam fuit Innocentius, ut ubi ageretur de damnandis quinque famosis Iansenii *Propositionibus*, timens ne qui male

[1] Die 16 septembris, an. 1621, *Bullar. O. P.*, to. VI, p. 4, Const. *Coelestis Patris*.
[2] Die 15 martii, an. 1623. Ibidem, p. 20. Const. *Alias felicis*.
[3] Ibidem, p. 36, Const. *In plenitudinem*. Tantae devotionis in sanctum Dominicum fuit ut eum Civitatis Neapolitanae ut novum Patronum libenter constituerit. Ibidem, p. 109, Const. *Domini nostri*.

[1] Die 8 aprilis, an. 1643, *Bullar. O. P.*, to. VI, p. 125, Const. *Cum inter*.
[2] Die 9 maii, an. 1629. Ibidem, p. 61. Const. *Ad uberes*.
[3] Die 23 decembris, an. 1628, p. 56, Const. *Pastoralis*.
[4] Die 1 iunii, an. 1629. Ibidem, p. 62, Const. *Iniuncti*.
[5] Die 6 iunii, an. 1629. Ibidem, p. 64, Const. *Iniuncti*.
[6] Die 17 maii, an. 1639. Ibidem, p. 107, Const. *In his apostolici*.
[7] Die 6 augusti, an. 1624. Ibidem, p. 31, Const. *Dudum felicis*.
[8] Die 14 februarii, an. 1629. Ibidem, p. 57, Const. *Exponi nobis*.
[9] Die 6 martii, an. 1635. Ibidem, p. 98, Const. *Cum alias*.
[10] Die 20 februarii, an. 1645. Ibidem, p. 147, Const. *In supremo*.
[11] Die 10 martii, an. 1645. Ibidem, p. 152, Const. *Exponi nobis*.
[12] Die 20 novembris, an. 1645. Ibidem, p. 154, Const. *In supereminenti*.
[13] Die 27 martii, an. 1652. Ibidem, p. 165, Const. *Cum sicut*.

LIX.

ALEXANDER VII.

1655-1667.

149. Quo clarius unicuique pateat infra referendi, eiusdemque celeberrimi diplomatis Pontificis Alexandri significatum atque momentum, nonnulla sunt historice praenotanda.

In Capitulo Generali Praedicatorum, Romae anno 1656 celebrato, omnibus et singulis Ordinis professoribus id iussum est ut: « Studeant veterum ac celebrium Thomistarum tutioribus ubique vestigiis insistere: et sicubi inter huius aevi Theologos enascitur publica sentiendi varietas, nostri ad litteram et priscum sensum divi Thomae eiusque fidorum interpretum sese recipiant, nec inde ullo pacto divellantur. Quod ut alacrius ab omnibus praestetur, notificamus universis hoc summe consonare expressae voluntati sanctissimi D. N. Alexandri, divina Providentia Papae VII, qui istud universo Ordini ita praescribi ac significari clementissime imperavit ».[1]

Idem fusius narrat doctissimus et disertissimus P. Vinc. Baron, primus in eodem Capitulo Diffinitor, in epistola ad Rev.um P. Generalem, qua opus P. Mercori commendat: « Hoc praecipue nomine, inquit, commendandum opus censeo, nec dubito vestrae Reverendissimae Paternitati fore acceptissimum, quod auctor quasi praesaga mente videatur vestra vota in Capitulo ultimo Generali nobis aperta in antecessum cumulate implevisse, et occupasse Summi Pontificis praeceptum aut consilium eodem loci evulgatum, et Theologis Thomistis, quotquot sunt in Orbe Christiano a Diffinitoribus deferendum. Memini inter caetera monita Sanctissimi ad bonum et decus Ordinis a V. R. P. nobis credita, datum illud omnium gravissimum ac Religioni Dominicanae et Scholae Thomisticae gloriosissimum:

feriati homines calumniarentur exinde pertingi utriusque Doctoris sententiam, ipse publice et aperte, die 10 martii, an. 1653, in Congregatione coram se habita, declaravit se nolle ut ullum omnino praeiudicium crearetur doctrinae sanctorum Augustini et Thomae, ita preoccupans obiectiunculas omnium adversantium. Ubi autem tibi libuerit discere quomodo e contra illae *Propositiones* ab utroque Doctore praedamnatae fuerint, adeas P. Franc. Van Ranst, doctum Collegii Casanatensis Theologum, in opere cui titulus: *Veritas in medio*, pp. 45-77, edit. Venet. an. 1735.

[1] *Acta*, vol. VII, p. 403.

taedere Beatissimum Patrem tot novarum opinionum hoc saeculo in Moralem Theologiam inductarum, quibus disciplina Evangelica resolvitur, ac conscientiis cum gravi animarum periculo illuditur: et se maxime velle a Theologis nostris in Ecclesiae hoc morbo occulto laborantis remedium, opus parari ex severiori et tuta sanctissimi Praeceptoris doctrina, quo haec morum et opinionum licentia, quae in dies grassatur, quasi cauterio cohiberetur ».[1]

150. Ad tantum elevandum malum tria praestitit Alexander. Primo duplicem seriem magis turpium *Propositionum* damnatione confixit, alteram nempe die 24 septembris anni 1665, viginti et octo *Propositionum*; alteram, die 18 martii, anni 1666, decem et septem *Propositionum* similium. Has autem damnavit ex Theologia sancti Thomae imprimis, prout ipse monet initio Decreti, asserens earundem examen commisisse « pluribus in Sacra Theologia Magistris », sicut ex eadem Theologia iam prius nonnullas damnaverant Universitates Lovaniensis et Parisiensis.[2]

Secundo, iussit conscribi libros quibus doctrina sancti Thomae diffunderetur, ut ex dictis patet: unde reipsa varia prodierunt opera iuxta Pontificis mentem elaborata.[3]

Tertio demum Breve illustre edidit die 7 augusti, anno 1660, quo sanctorum Augustini et Thomae doctrinam strenue commendaret: quod talis tenoris quidem est contra et Iansenium et Laxistas et alios Fidei depravatores:

« Dilectis Filiis Decano et aliis Theologicae Facultatis Magistris Regentibus Lovaniensibus.

« Alexander PP. VII. Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

[1] Quo progressum fuisset malum manifestatur ex *Propositionibus* a Summo Pontifice damnatis atque cordato cuique Theologo omnino legendis. Inter quas hanc unam acu notasse sit satis, quae est 41a inter damnatas ab Alexandro: « Non est obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo "regalo," dum deficiente illa nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur ». Quae Propositio, sicut et aliae plures, non Christo sed Mahumete potius digna ab omnibus erit dicenda.

[2] Cf. P. Franc. Van Ranst, *Veritas in medio*, pp. 78-165, edit. Venet. an. 1735, ubi enucleatur qua ratione ex doctrina sancti Thomae Propositiones illae damnatae fuerint. Vide iterum P. Lud. Bancel, *Moralis divi Thomae*, in locis ubi agitur de materia ad quam unaquaeque illarum spectat.

[3] Fr. Iulius Morcori O. P., primus forsan contra probabilitatis commentum insurrexit cum suo *Basis totius Theologiae moralis*, Mantuae, 1658. Cf. Echard, *Scriptores*, to. II, p. 629. Quem mox subsecuti sunt FF. Réginald, Bancel, etc.

« Litteras vestras die 20 martii datas accepimus, et in eo sane quod quinque Propositiones illas, tam in Constitutione fel. rec. Innocentii X praedecessoris nostri,[1] quam in alia nostra postea damnatas[2] tantopere detestemini, ut neminem admittere ad gradus academicos velitis, nisi prius religiosam observantiam praedictarum Constitutionum promittat et iuret, obedientiam et zelum vestrum unice commendamus: atque adeo speramus vos nedum egregie persancteque impleturos, verum etiam omnibus aliis in hanc Sanctam Sedem observantiae et obedientiae documentis effecturos, ut omni rerum praeteritarum ex hominum animis evulsa et penitùs abolita memoria, pristinum decus existimationi et laudi antiquae vestrae restituatur. Ad hanc igitur salutarem obsequii gloriam vero constanterque promovendam, quamvis, uti credimus eximie currentes, vos, dilecti Filii, etiam atque etiam, quantum possumus, hortamur in Domino.

151. « De reliquo non dubitamus quin vos pro singulari scientiae pietatisque studio, sanam et incorruptam, qualem tot Apostolicae Sedis declarationes, et sanctorum Patrum traditiones requirunt, doctrinam semper amplexuri, et adversus orthodoxae religionis hostes defensuri sitis: nec non praeclarissimorum Ecclesiae Catholicae Doctorum Augustini et Thomae Aquinatis inconcussa tutissimaque dogmata sequi semper, ut asseritis, ac impense venerari velitis: quorum profecto sanctissimorum virorum penes catholicos universos ingentia et omnem laudem supergressa nomina novi praeconii commendatione plane non egent.

« Porro bonorum omnium Largitorem Deum oramus ut vobis, dilecti Filii, cum pacis divina tandem clementia restituta prosperitate, coelestis gratiae munera tueri et augere quotidie pro misericordia sua velit. Ad quod feliciter consequendum apostolicam benedictionem vobis peramanter impertimur.

« Datum Romae, apud Sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 7 augusti, anno 1660, pontificatus nostri anno sexto ».[3]

[1] In Const. *Cum occasione*, data die 31 maii 1653.

[2] Die 16 octobris an. 1656, in Const. *Ad sanctam beati Petri*, quinque *Propositiones* « ex libro Iansenii excerptas ac in sensu ab eodem Iansenio intento » damnatas esse definiverat et declaraverat.

[3] *Bullar. O. P.*, to. VI, p. 196, Const. *Litteras vestras.*

Quae Pontificis oracula sic enarrat Fr. Petrus Monteyro, *Epigrammata*, nn. XXXIX, XL, alludens ad Chisiae gentis stemma e qua ortus erat Alexander:

« Inconcussa manent tutissima dogmata Thomae:
Sic ait Urbis amor, sic ait Orbis honor.
« Reddit splendidius iubar insuperabile solvi,
Firmat doctrinam consolidatque magis.

In quo diplomate laudantur Augustinus et Thomas tum de re dogmatica, ut asserit initio Pontifex, tum de re morali, quia assertum Alexandri universale est, neque distinctio inducitur, immo rem moralem innuere imprimis videntur verba « tutissima dogmata ». Ita caeterum intellexerunt nonnulli auctores doctrinae moralis depravatores, qui exinde se perstringi intellexerunt.[1]

Praedicto testimonio vix addendum quid est, nisi obiter notaveris ab eodem Pontifice extensum fuisse beati Alberti Magni cultum,[2] atque Collegium Theologicum Angelopolitanum ab eodem beneficiis auctum remansisse.[3]

« Accipit a Chisio sol Thomae sidere lumen
Pulchrior in Chisiis montibus ille nitet.
« Vere hic magnanimus qui dignos vindice nodos
Instar Alexandri non piger ense secat.
« Cuius ad arbitrium portae clauduntur Averni,
Cuius ad imperium coelica regna patent.
« Laudat Alexander Thomam? Praeconia cessent:
Omnis Alexandro terra loquente silet ».

Hic alluditur ad Alexandrum Magnum, quo coram siluit terra, ut enarratur I *Mach.* 1, 3 sq. Ita coram Alexandro Pontifice silebunt disputantes theologi.

Quum huiusmodi testimonium nonnullis displiceret, diversimode isti impugnarunt, mox quoad authentiam, mox quoad sensum. Contra primam proterviam P. Franc. Bancel collationem authenticam prae manibus habuit quae huiusmodi est:

« Collationem et concordantiam cum originali attestor infrascriptus notarius publicus per Consilium Brabantiae admissus, Lovanii residens. M. Waterfort, *not. publ.*

« Collationné à l'original par moy Conseiller et Secrétaire du Roy, Maison et Couronne de France, et de ses Finances. D. D. Falentin.

« Breve istud, prout hic refertur cum praedictis collationibus prae manibus habeo ».

Ita P. Lud. Bancel, *Moralis divi Thomae*, Auctoritas doctrinae divi Thomae, proem.

Plura rursum habes apud P. Massoulié, *Divus Thomas sui interpres*, to. II, dissert. IV, q. 3, a. 1.

Contra alteram proterviam, quod nempe Doctorum illorum « dogmata » non sint nisi veritates definitae, indeque habeantur ut « inconcussa et tutissima », tantae simplicitatis est ut responsionem nullam mereri videatur, nisi id notatum velis, nempe veritates definitas esse tutissima et inconcussa dogmata etiam in ignaro homine: unde pontificium encomium nonnisi aliqua naenia habendum foret. Vide caeterum P. Massoulié, op. et loc. cit.

[1] Vide P. Honoratum Fabri, *Apolog. doctrinae moralis*, p. 141; Lupus, *Littera apol. de attritione et contritione*, cap. V, ubi referuntur qui voluerunt illud Breve per « diabolicam machinam » fuisse impetratum.

[2] Die 3 maii, an. 1664, *Bullar. O. P.*, to. VI, p. 207, Const. *Fratres Venetae.*

[3] Die 27 septembris, an. 1663. Ibidem, p. 210, Const. *Ad pastoralis.*

LX.

CLEMENS IX.

1667-1669.

152. Quamquam Ordini Praedicatorum addictissimus atque benefactor insignis: immo Conventus Sanctae Sabinae aliquando hospes et amicus semper,[1] nihil tamen explicatius de doctrina pronuntiavit, eo quod sane « novi praeconii commendatione plane non egeret, » iuxta Alexandri VII dictum.

Implicite tamen laudavit doctrinam dum dixit se affici « paterna erga Ordinem multiplicibus in Ecclesiam Dei meritis conspicuum charitate »,[2] inter quae merita doctrina imprimis computanda sane est. Nec secus Fr. Petrum Passerini, egregium e Schola Thomistica canonistam celeberrimum promovit in Vicarium Ordinis Generalem de ipsius « doctrina... plenam habens in Domino fiduciam ».[3]

Rursus implicite eandem approbavit dum ad Sinarum, Iaponum et Philippinarum regiones qua Vicarium Generalem remisit Fr. Ioannem Polancum, qui Romam advenerat Summum Pontificem de ritibus Sinensibus consulturus.[4] Hos quidem cum tota Schola Thomistica ex principiis suae Theologiae tutissimis damnaverat antequam Pontifices authentice damnarent.[5] Clemens vero, dum Ioannem cum auctoritatis officio in easdem illas regiones remittit, ipsius sententiam comprobare omnino videtur, eoque manifestius quo strictius postmodum eius sententiam confirmavit contrariamque damnavit.[6]

Praedictis adde Pontificem firmasse ea quae pro Studio Generali Congregationis Sanitatis sancita fuerant, imprimis de tenenda sancti Thomae doctrina.[7]

[1] Vide *Bullar. O. P.*, to. VI, p. 248, Const. *Creditae nobis*, una cum addita epigraphe.
[2] Die 13 maii, an. 1669. Ibidem, p. 247, Const. *Religionis zelus.*
[3] Die 13 maii, an. 1669, p. 247. Ibidem, eadam Const.
[4] Die 9 augusti, an. 1669. Ibidem, p. 250, Const. *Religionis zelus.*
[5] Vide ECHARD, *Scriptores O. P.*, to. II, p. 639.
[6] Die 13 septembris, an. 1669, *Bullar. O. P.*, to. VI, p. 254, Const. *In excelsa.*
[7] Die 10 maii, an. 1669. Ibidem, Const. *In excelso.*

LXI.

CLEMENS X.

1670-1676.

153. Iste Pontifex nihil explicatius, multa vero implicite in doctrinae thomisticae commendationem praestitit.

Dum enim beatum Ludovicum Bertrandum, Indiarum occidentalium Apostolum in Catalogum Sanctorum adscripsit, gratulatur quod in « sanctae Crucis vite... plures huiusmodi et strenuos operarios continuata serie, Catholicae Ecclesiae Praedicatorum Ordo ministrare non destitit »;[1] ubi autem beatam Rosam Limanam canonismo donavit, hanc salutans tanquam « Deo, angelis et hominibus et suaveolentem rosam totius evangelicae perfectionis exemplar, et primum ex Orbe Novo in Sanctorum albo reponendum ornamentum », laetatur quod fuerit « coelitus admonita Ordinem Praedicatorum esse in sancta Ecclesia Paradisum voluptatis divinae, in quo ipsa velut Rosa coelestis caeteris liliorum et rosarum vernantibus plantis socianda et inserenda erat... ».[2] Unde alias colligebat Pontifex esse Praedicatorum « praeclarissimum Ordinem ex quo tot christianarum virtutum exemplaria prodiere ».[3]

Quae encomia indolem propriam ex ipsiusmet Ordinis indole induunt. Ubi enim laudatur v. gr. sanctus Ordo Carthusianus non exinde laudatur ipsius scientia, quum Carthusianorum Ordo non ad scientiam, sed ad alias virtutes excolendas vocatus sit: secus autem si laudetur Ordo ad ipsam scientiam sacram ex fine proprio destinatus.

Specialius caeterum quoad scientiam Pontifex nonnulla praestitit, eandemque nempe Thomisticam, dum inter alia Studium Theologicum Neapolitanum Sancti Thomae favoribus et gratiis auxit,[4] privilegia Ordinis etiam de Studiis innovavit;[5] dum laudavit doctrinam Fr. Petri Passerini [6]

[1] Die 12 aprilis, an. 1671, *Bullar. O. P.*, to. VI, p. 274, Const. *Coeli terraeque.*
[2] Die 12 aprilis, an. 1671. Ibidem, p. 281, Const. *Coelestis Paterfamilias.*
[3] Die 1 martii an. 1672. Ibidem, p. 304, Const. *Exhibita.*
[4] Die 19 iunii, an. 1670. Ibidem, p. 261, Const. *Nuper pro parte.*
[5] Die 21 iunii, an. 1670. Ibidem, p. 262, Const. *Superna.*
[6] Die 25 iulii, an. 1670. Ibidem, p. 266, Const. *Sacrarum.*

et Fr. Raymundi Capisucchi,[1] utriusque Thomistae egregii; dum extendit cultum beati Alberti «attentis beati viri in Ecclesiam praeclaris meritis»,[2] et sancti Raymundi a Penafort propter «praeclara merita quibus olim Sanctam Sedem Apostolicam et universalem Ecclesiam affecit», et quidem ad «devotionem erga hunc sanctum adeo eximium ubique terrarum, dilatandam:[3] illius quidem divo Thomae magistri, istius autem condiscipuli; dum denique Pium V inter Beatos retulit,[4] illustrem nempe doctrinae Thomisticae vindicem et fautorem.

LXII.

INNOCENTIUS XI.

1676-1689.

154. Sanctissimus ille nec non et strenuissimus Pontifex, dum perspiceret errores undique extra doctrinam a praedecessoribus maxime approbatam saevire, plenius istam et commendavit et fovit. Non modo asseruit quod Ordinem Fratrum Praedicatorum «ob uberes in vinea Domini fructus paterne diligeret»,[5] sed doctrinam ipsam Ordinis, scilicet sancti Thomae, omnimode commendavit et diffundi voluit.

Ita enim in Quitensi Dominicanorum Coenobio Universitatem instituens habet: «Pastoralis officii, quo Catholicae Ecclesiae per universum terrarum Orbem diffusae regimini, divina dispositione praesidemus, cura animam nostram solicitat ut pia religiosorum virorum propriae alienaeque saluti operam dantium studia, ad christifidelium, praesertim in longinquis regionibus degentium, in doctrina sana institutionem atque eruditionem laudabiliter tendentia, peculiaribus favoribus et gratiis, quantum nobis ex alto conceditur, adiuvemus». Thomae doctrinam dicit «sanam», unde iubet in illa Universitate quatuor cathedras erigi «duas quidem Theologiae Scholasticae, aliam Theologiae Moralis, et quartam sacrae Scripturae», ubi Magistri debeant «sancti Thomae doctrinam, Patrum traditionibus et universalis Ecclesiae decretis conformem docere, erroneasque et noxias, praesertim in materia morali opiniones, quae in illis partibus serpere dicuntur... refellere».[1] Quae omnia doctrinam Angelici egregie commendant.

[1] Die 27 augusti, an. 1670, *Bullar. O. P.*, to. VI, p. 269, Const. *Felicis.*
[2] Die 23 martii, an. 1671. Ibidem, p. 273. Const. *Dum nuper.*
[3] Die 27 aprilis, an. 1672. Ibidem, p. 306, Const. *Unigenitus.*
[4] Die 8 martii, an. 1680. Ibidem, p. 355, Const. *Cum sicut.*
[5] Die 1 februarii, an. 1673. Ibidem, p. 312, Const. *Cum officium.*

Ita rursus, ubi Universitatem Sancti Thomae Manilanam, sub cura Praedicatorum plenius constituit, sibi gratulatur quod in eadem floreant «Sacrarum eisque ancillantium bonarum Litterarum studia, per quae, depulsa ignorantiae caligine, mentes veritatis luce illustrentur, et non minus catholicae Fidei, divinique cultus propagationi et incremento, quam iustitiae administrationi aliisque Reipublicae commodis... consulitur, ubique locorum, ac praesertim in remotissimis ab hac Sancta Sede partibus».[2]

Demum, ubi omnia Universitatis Manilanae privilegia et iura Universitatibus Sanctae Fidei ac Quitensi communicat, laetatur Pontifex institutas fuisse «cathedras Philosophiae, sacrae Theologiae, sacrorum Canonum et Legum, quibus pro instituto est sequi et docere doctrinam sancti Thomae, prout id ibidem fit cum magna utilitate studentium»; damnat invidos qui vellent doctrinam sancti Thomae in illis partibus exstingui, «quae tamen olim a multis Pontificibus... commendata fuit», optatque ut «cum Dei honore et publico beneficio ac Catholicae Fidei propagatione amplietur quoque sancti Thomae doctrina».[3]

[1] Die 23 iulii, an. 1681, *Bullar. O. P.*, to. VI, p. 359, Const. *Pastoralis officii.*
[2] Die 7 augusti, an. 1681. Ibidem, p. 360, Const. *Inscrutabili.*
[3] Die 11 aprilis, an. 1685. Ibidem, p. 369, Const. *Exponi nobis.* Non abs re erit si hic integrum diploma legatur:
«Exponi nobis nuper fecit dilectus Filius Iacobus Riccius, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum, in sacra Theologia Magister, quod licet in Conventu Sanctissimi Rosarii, et Collegio Sancti Thomae Civitatis Sanctae Fidei in Novo Regno Granatensi in Indiis Occidentalibus, dicti Ordinis sit et semper fuerit Universitas studii ab initio fundationis dicti Conventus per Litteras felicis recordationis Gregorii Papae XIII praedecessoris nostri erecta, et subinde a recol. mem. Paulo Papa V, praedecessore pariter nostro, per suas Litteras ad dictum Collegium translata, ipsaque Universitas fuerit in possessione conferendi gradus academicos omnibus professoribus et discipulis Scholae Sancti Thomae Aquinatis, ibidem Litterarum studiis operam navantibus. Ut autem dicta Universitas in maiori auctoritate esset, et eiusdem sancti Thomae doctrina magis ampliaretur, bonae memoriae Christophorus Torres, dum vixit, Archiepiscopus dicti Novi Regni Granatensis, qui in minoribus constitutus professionem regularem in Ordine praefato emiserat, magnificum in dicta civitate Collegium maius, in quo saeculares nobiles et bonae conditionis docerentur, sua impensa fundaverit, in eoque erexerit cathedras Philosophiae, sacrae Theologiae, sacrorum Canonum et Legum, quibus pro instituto est sequi et docere doctrinam sancti Thomae, prout id ibidem fit cum magna utilitate studentium, qui post peracta studia, susceptamque in dicta Universitate lauream ad servitium ecclesiarum, ac ad ministeria parochorum, et praebendatorum admittuntur, nihilominus huiusmodi pacifica possessione gradus in eadem Universitate suscipiendi non obstante, nonnullae personae a modico tem-

155. Ad ampliandam vero hanc sibi tutissimam doctrinam, firmat atque auget privilegia Studiorum Theologicorum Sancti Iacobi Parisien-

pore rumorem sparserunt, et aliis persuadere conati sunt, quod gradus in eadem Universitate recepti non sint sufficientes et validi ad hoc ut graduati possint admitti ad oppositiones et concursus praebendarum, magistralium, doctoralium, poenitentiariarum et theologalium, ac alias dignitates et officia, quae deiure requirunt ut illas et illa obtinentes huiusmodi gradus insigniti sint, unde hoc praetextu Thomistas a praefatis officiis et dignitatibus omnino excludunt, et quatenus eos admittunt, dicunt Capitulares se propter gradus defectum non posse eis locum in nominationibus dare, quod quidem in gravissimum redundat praeiudicium collegialium supradictorum ac in diminutionem existimationis doctrinae tanti Doctoris. Cum enim non ex alia causa excludantur, quam ex eo quod doctrinae eiusdem sancti Thomae sequaces, et in praefati Ordinis Universitate graduati sint, nemo amplius erit qui doctrinae sancti Thomae studiis operam dare velit, et intra modicum tempus Collegium supradictum quod hodie Litterarum seminarium est, destructum remanebit et peribit, Universitas et doctrina sancti Thomae in illis partibus extinguetur, quae tamen olim a multis Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris, commendata fuit, non sine mandato, ut illius ampliationi in Universitatibus opera daretur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, nos per quasdam nostras in simili forma Brevis anno 1681 expeditas Litteras de venerabilium Fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio facultatem conferendi gradus scholasticos in omnibus scientiis, quae in Collegio Beati Ferdinandi Regis Catholici, Sancti nuncupati, dicti Ordinis Civitatis Quitensis, in eisdem Indiis Occidentalibus docentur, sub certis modo et forma tunc expressis concesserimus, carissimus vero in Christo Filius noster Carolus Hispaniarum Rex Catholicus, non solum regium suum beneplacitum super institutione Collegii huiusmodi impertitus fuerit, sed etiam per schedulas suas regias, anno 1683 emanatas, Collegium ipsum, sive illius Universitatem omnibus privilegiis et praerogativis regalis Collegii decoravit, idque intuitu magnae utilitatis quae in illis partibus adeo remotis ex doctrina memorati sancti Thomae, et copia operariorum evangelicorum, qui legem evangelicam, tam christianis quam infidelibus praedicent, illosque doceant, prout proventura speratur, ac proinde dictus Iacobus Procurator Generalis plurimum cupiat a nobis declarari quod supradictae Universitates Conventus Sanctae Fidei et Collegii Beati Ferdinandi Civitatis Quitensis sint certae, verae et reales Universitates, prout sunt Limana et Mexicana, absque ulla differentia, ac cum omnibus gratiis, privilegiis, praerogativis, consuetudinibus et solemnitatibus prout Collegio Sancti Thomae civitatis Manilae in Indiis Philippinis, anno 1681, concessimus, et, quatenus opus sit, dictas Universitates de novo erigi in Universitates publicas ad instar Limanae et Mexicanae, cum omnibus gratiis, et privilegiis, ita ut graduati in praedictis Universitatibus reputentur habiles et idonei tanquam graduati in publicis Universitatibus, ad hoc ut cum Dei honore et publico beneficio ac Catholicae Fidei propagatione amplietur quoque sancti Thomae Aquinatis doctrina, illiusque studiosi et sequaces damna et praeiudicia quae nunc sustinent, amplius non patiantur. Nobis propterea idem Iacobus Procurator Generalis praefati Ordinis nomine humiliter supplicari fecit ut in praemissis oppurtune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ipsum Iacobum Procuratorem Generalem

sis,[1] Parmensis et Mutinensis,[2] Universitates Quitensem,[3] Manilanam,[4] Sanctae Fidei,[5] complet ac perficit, dum privilegium conferendi gradus academicos in Collegiis S. I. Sanctae Fidei et Quitensi ut subreptitium abrogat;[6] Confraternitatem studentium Barcinonensem sub invocatione sancti Thomae institutam comprobat,[7] aliaque plura id genus continuo praestat.

specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ac nostrarum pariter in forma Brevis, ad favorem Collegii et Universitatis Sancti Thomae Civitatis Manilae anno 1681 emanatarum Litterarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto habentes, de venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae praefatae Cardinalium, negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum consilio, omnia privilegia praefato Collegio, et Universitati Sancti Thomae civitatis Manilae dicto anno 1681 a nobis concessa, praedictis Universitatibus Sanctae Fidei, et Beati Ferdinandi Regis Catholici Civitatis Quitensis, auctoritate apostolica, tenore praesentium communicamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum Regularium praepositae. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis ac Constitutionibus, et ordinationibus apostolicis,... etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae, apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 11 aprilis 1685, pontificatus nostri anno nono».

[1] Die 30 martii, an. 1677, *Bullar. O. P.*, to. VI, p. 355, Const. *Cum sicut.*

[2] Die 11 augusti, an. 1679. Ibidem, p. 351, Const. *Exponi nobis.*

[3] Ibidem, p. 359, die 25 iulii, an. 1681, Const. *Pastoralis officii;* p. 369, die 11 aprilis 1685, Const. *Exponi nobis;* p. 376, die 12 iunii, an. 1688, Const. *Nuper.*

[4] Ibidem, p. 360, die 7 augusti, an. 1681, Const. *Inscrutabili;* et p. 362, die 16 ianuarii, an. 1682, Const. *Sua nobis.*

[5] Die 11 aprilis, an. 1685. Ibidem, p. 369, Const. *Exponi nobis.*

[6] Die 10 iunii, an. 1686. Ibidem, Const. *Alias postquam.* Quae ex integro legenda est cum annexo Decreto.

[7] Die 16 iunii, 1681. Ibidem, p. 359, Const. *Dudum felicis.*

Nec satis! Innocentius siquidem Alexandri VII praedecessoris opus prosecutus, damnavit sexaginta quinque laxistarum *Propositiones* de re morali.[1] Quum autem huiusmodi *Propositiones*, ex Probabilismi fonte plerumque scaturirent, hinc ipsummet Probabilismum damnavit solemniter.[2] Sciunt vero omnes Probabilismum a Thomistis plerumque impugnatum maxime fuisse ex haereditaria doctrina sancti Thomae.[3]

Nec absimiliter damnatae sunt sexaginta octo *Propositiones* Michaëlis de Molinos,[4] et quidem ex doctrina Angelici, atque opera adibita imprimis a PP. Ant. Réginald, Ant. Massoulié et Ant. Cloche. Qui omnes errores praedamnati in Schola Thomistica simul fuerant.[5]

Sed praeprimis duas *Propositiones* damnari fecit[6] per Decretum S. Inquisitionis, sequentes, scilicet: 1ª « Deus donat nobis omnipotentiam suam ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam vel librum »; 2ª « Deus subiicit nobis omnipotentiam suam ».

Quae damnatio in eximium Scholae Thomisticae emolumentum cedit, ut cuique intelligenti ultro patebit.[7]

Ea sunt quae in commendationem doctrinae sancti Thomae praestitit Innocentius.

[1] Die 2 martii, an. 1679. Cf. DENZINGER, *Enchiridion*, nn. 1018-1082. Atque huiusmodi damnatio causa inter caeteras fuit cur idem Pontifex a nonnullis fuerit iansenismi insimulatus, ubi de ipsius beatificatione agendum postea fuit. De quo singularissima documenta exstant Romae in Archivio Odescalchiorum.

[2] Die scilicet 26 iunii, an. 1680. Cuius Decreti authentiam atque integritatem egregie vindicavit P. MANDONNET in opere cui titulus: *Le Décret d'Innocent XI contre le probabilisme*, Paris, 1903.

[3] Vide Fr. FRANC. VAN RANST, *Veritas in medio*, pp. 78-165, edit. Venet. 1735: ubi singula *Propositio* damnata excutitur ex principiis sancti Thomae. Adeas iterum, si libuerit, Fr. LUD. BANCEL, *Moralis divi Thomae*, ubi variae tractantur materiae.

[4] Die 20 novembris an. 1687, Const. *Coelestis Pastor*. Cf. DENZINGER, *Enchiridion*, nn. 1088-1155.

[5] Vide Fr. FRANC. VAN RANST, *Veritas in medio*, pp. 206-211, edit. cit. De P. ANT. MASSOULIÉ, viro doctissimo, id specialius notandum, quod cum edidisset opus peregregium cui titulus: *Divus Thomas sui interpres de divina motione et libertate creata*, magna apud omnes existimatione Romae vixit et habitus est, ita ut Pontifices iusserint ipsum ferre votum in illis Congregationibus in quibus de quaestionibus gravissimis ad fidem spectantibus, imprimis de Quietistarum haeresi, de peccato philosopico, de praecepto amoris Dei, de cultu Sinensium superstitioso, actum est.

[6] Die 23 novembris an. 1679. Vide DENZINGER, *Enchiridion*, nn. 1084-1085.

[7] Cf. Fr. FRANC. VAN RANST, *Veritas in medio*, pp. 166-170, edit. cit.

LXIII.

ALEXANDER VIII.

1689-1691.

156. In suo brevissimo vix quatuor mensium pontificatu, doctrinam sancti Thomae bifariam promovit.

Eam imprimis promovit confirmando Litteras quibus Innocentius PP. XI beneficiis cumulaverat Universitates Sanctae Fidei et Quitensem, in gratiam doctrinae divi Thomae, de quibus supra diximus. Ita enim Alexander:

« Ex iniuncto nobis coelitus apostolicae servitutis munere, illa quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, pro sacrarum eisque ancillantium bonarum Litterarum studiis, ubique locorum, et praesertim in remotissimis ab ac Sancta Sede partibus, opportune promovendis pie provideque emanasse noscuntur, ut solidiori robore perennent, et optati exinde fructus ad Dei gloriam, Catholicae Fidei, divinique cultus propagationem et christiani Populi aedificationem, benedicente Domino consequantur, apostolici muniminis nostri praesidio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus. Alias siquidem emanarunt a fel. rec. Innocentio Papa XI, praedecessore nostro, ternae in simili forma Brevis Litterae, tenoris qui sequitur, videlicet, etc. »[1]

Ista autem tria Brevia nonnisi illa sunt de quibus supra diximus, quibusque Innocentius iussit doctrinam sancti Thomae in Universitatibus praedictis perpetuo tradi, atque contra adversarios pro ipsa eadem stetit.

Indirecte vero doctrinam divi Thomae commendavit, ubi *Propositiones* de peccato philosophico,[2] errores iansenianos,[3] articulos Cleri Gallicani,[4] damnavit, qui iam prius a sancto Thoma eiusque Schola perspicue praedamnati fuerant.[5]

Hinc quandoque proclamavit publice Ordinem sancti Dominici esse « brachium dexterum Ecclesiae ». De quo exsultans merito, P. Cloche,

[1] Die 7 novembris, an. 1690, *Bullar. O. P.*, to. VI, p. 393, Const. *Ex iniuncto*.

[2] Die 24 augusti, an. 1690. Damnavit per Decretum S. Inquisitionis.

[3] Die 7 decembris, an. 1690. Damnavit per Decretum S. Inquisitionis.

[4] Die 4 augusti, an. 1690, Const. *Inter multiplices*.

[5] Vide Fr. FRANC. VAN RANST, *Veritas in medio*, pp. 170-205.

Magister Generalis, specialem scripsit Ordini mentionem, die 22 octobris, anno 1689.

Dum enim Ordini suo nuntiat novi Pontificis electionem, haec habet: « Quae nobis, Fratres in Christo dilectissimi, inter haec publici gaudii argumenta singularis gratulandi ratio non suppetat, cum semper olim Ordinem singulari affectu prosecutus, nunc etiam ad tam excelsum culmen evectus, maiori se benevolentia complecti testatus fuerit? Quis nos sensus habuit, cum ad eius provoluti pedes pro universo Ordine benedictionem petituri, non dedignatus est humiles humanissime excipere, et quo erga Ordinem animo affectuque significare, cum inter alia plurimaque elogia sacrum Praedicatorum Ordinem "dextrum brachium Ecclesiae" nuncupavit... Celebramus grato animo quod olim a summis Pontificibus de sacro Ordine nostro dictum est, Praedicatoriae Familiae alumnos esse "pugiles Fidei, vera mundi lumina, robur fidelium, divini Nominis praecones, etc." At erit inter nobiles titulos clarissimum nomen... Praedicatorum Ordinem "dextrum esse Ecclesiae brachium" ».[1] Quod dixit Pontifex imprimis propter rectam sancti Thomae et sequacium doctrinam inter saevientes tunc temporis disputationes theologicas.

LXIV.

INNOCENTIUS XII.

1691-1700.

157. In epistola directa ad Decanum et alios Theologiae regentes Magistros in Universitate Lovaniensi, postquam praedecessorum suorum sententiam confirmaverit, de non innovandis circa auxilia gratiae disputationibus anteactis, ita prosequitur:

« Apostolica vos primum auctoritate monemus ut, sublatis contentionibus, sapientiae quae desursum est atque pacifica est, vacetis, profitentes, sicut asseritis, doctrinam praeclarissimorum Doctorum Augustini et Thomae: quorum ille tantae scientiae fuit, ut inter magistros optimos etiam a nostris praedecessoribus haberetur, et cuius doctrinam, secundum eorundem praedecessorum statuta, Romana sequitur et servat Ecclesia; alter vero mira eruditione eandem Dei Ecclesiam clarificat et sancta operatione fecundat. Hos dum Universitas vestra doctrinae duces secuta fuerit,

[1] Ex Archiv. O. P., *Epistolae encyclicae R.mi P. Cloche*, to. II, p. 199.

secure pugnabit contra hostes orthodoxae Fidei in Ecclesiae gloriam et aedificationem, excitabitque in dies hanc Apostolicam Sedem ut cumulatius ei praestet paternae charitatis officia ».[1]

Haud secus in Capitulo Generali Fratrum Praedicatorum Romae celebrato, an. 1694, admonentur Fratres « religiosos Beatae Mariae de Monte Carmelo Antiquioris Instituti uti de Ordine nostro et Schola Thomistica benemeritos, venerentur omnique benevolentiae officio prosequantur. Quod etsi omni retro tempore praestandum fuerit, id potissimum praestandum occurrit ex qua die ardentissimo Reverendi Patris Ioannis Feyscoo de Villabos, eiusdem Ordinis Praepositi Generalis, zelo ad suscipiandam docendamque divi Thomae doctrinam, adducti sunt, eamque suam in Thomisticam Scholam venerationem et observantiam speciali sanctissimi Domini nostri Innocentii XII Constitutione roborari et confirmari voluerint ».[2]

158. In Ordine ipso, quem « ob uberes in vinea Domini fructus paterne »[3] dilexit, diversa statuit in bonum doctrinae et dignitatem, non minus quam ad vitae regularis emolumentum. Statuit scilicet Magistrorum numerum restringi, unde graviores evaderent;[4] gradus academicos concedendos esse Indis illis qui per quinquennium in Collegiis Theologicis Fratrum Praedicatorum studio operam navavissent;[5] illis studentibus qui in Cuscanensi (vulgo: *de Cusco*) Collegio sancti Antonii « ad sequendam doctrinam sancti Thomae Aquinatis iuramento se adstringunt », conferantur gradus scholastici, praevio examine a Fratribus Ordinis Praedicatorum faciendo.[6]

In laudem demum doctrinae sancti Thomae cessit quod propositiones erroneae operis cui titulus *Les Maximes des Saints* non solum a sancto Thoma praedamnatae fuissent,[7] sed quod postmodum sive ab adversante

[1] Die 6 februarii, an. 1694, *Bullar. O. P.*, to. VII, p. 498, Const. *Tradidit mensibus.*

[2] *Acta*, vol. VIII, p. 276.

[3] Die 28 maii, an. 1692, *Bullar. O. P.*, to. VI, p. 399, Const. *Cum sicut.*

[4] Die 22 septembris, an. 1695. Ibidem, p. 415, Const. *Ex iniuncto.* Vide ea quae praescripsit, die 19 septembris, an. 1699. Ibidem, p. 433, Const. *Exponi nobis*, et to. VII, p. 363, ad diem 17 iulii, an. 1696, Const. *Stante allegata.*

[5] Die 10 maii, an. 1692. Ibidem, to. VI, p. 397, Const. *Alias felicis.*

[6] Die 1 martii, an. 1692. Ibidem, to. VII, p. 355. Const. *Aeternae Sapientiae.* Varias confraternitates sub invocatione divi Thomae positas, ad augendam in Angelicum devotionem gratiis ac privilegiis ornavit. Cf. ibidem to. VI, p. 398, ad diem 15 maii, an. 1692, Const. *Considerantes*; p. 402, ad diem 13 septembris, an. 1693, Const. *Considerantes*; p. 417, ad diem 24 decembris, an. 1695; Const. *Cum sicut*, et to. VII, p. 360, ad diem 14 ianuarii, an. 1695, Const. *Cum sicut.*

[7] Cf. Fr. FRANC. VAN RANST, *Veritas in medio*, pp. 211-219.

Bossuetio,[1] sive ab ipsis theologis romanis, praesertimque PP. Cloche, Massoulié, Réginald, O. P., ad normam doctrinae illius fuerint examinatae et pensatae, atque proinde reprobatae.[2]

LXV.

CLEMENS XI.

1700-1721.

159. Strenuissimus iste Pontifex defensor fuit et vindex doctrinae sancti Thomae, quod ex dictis et factis eiusdem ipsius multipliciter apparet.

Ita imprimis dum approbat solemniter, die 23 aprilis 1718, Statuta Academiae Sancti Thomae, a doctissimo Cardinali Thoma Ferrari O. P. sub invocatione sancti Thomae constitutae in ipsa urbe Roma:

« Inscrutabili divinae bonitatis atque sapientiae providentia ad Ecclesiae Catholicae per universum terrarum orbem diffusae regimen, meritis licet imparibus, evecti, inter multiplices pastoralis vigilantiae nostrae curas sacrarum Litterarum, ac praesertim Theologicae Facultatis studia, per quae depulsa ignorantiae caligine, mortalium mentes luce veritatis illustrantur, ad supernae Deitatis essentiam veraciter contemplandam iter panditur, sana doctrina asseritur, catholicae Fidei puritas ab haeresibus pravisque dogmatibus gladio spiritus vindicata enitescit, illiusque et divini cultus propagationi ac aliis Christianae Reipublicae commodis consulitur, ubique locorum, ac praecipue in hac alma Urbe nostra, ex qua doctrinae et bonorum operum exempla in reliquas christiani Orbis partes assidue promanant, quantum nobis ex alto conceditur, promovere, excitare et confovere studemus, sicut omnibus maturae considerationis trutina perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam Ecclesiaeque decus et praesidium ac Christifidelium utilitatem cognoscimus in Domino salubriter expedire.

[1] Quod ipse Meldensis Episcopus obiter notavit, ubi in opere cui titulus *Schola in tuto*, q. II, a. 8, Cameracensis Episcopi nonnullam interpretationem refellit: « Non ergo Meldensis, sed sancti Thomae verba Cameracensis imprudens, ad latus licet adnotata, Meldensi crimini vertit, eumque ut Scholae inimicum proscribendum ab Academiis, licet appellato Scholae Principe gloriantem ». De devotione Bossuetii erga doctrinam sancti Thomae alias dicturi sumus.

[2] Die scilicet 12 martii, an. 1699, Const. *Cum alias*.

« Cum igitur alias, nempe ab ipsis pontificatus nostri primordiis, quaedam Academia Theologica nuncupata, in qua plures ea Facultate versati, ac etiam Magistri seu Doctores, aut alias graduati, ad pleniorem et sublimiorem sacrarum divinarumque rerum cognitionem aspirantes sacrae Theologiae, nec non Historiae Ecclesiasticae disciplinis praecipuam sedulamque operam laudabiliter hactenus navarunt, et adhuc indefessis studiis navare non desistunt, sub auspiciis nostris, ac nobis annuentibus, in Urbe praefata erecta seu instituta sit, eique usum loci in aedibus publici Gymnasii Sapientiae nuncupati eiusdem Urbis pro suis conventibus habendis et functionibus peragendis sub certis modo et forma tunc expressis, assignaverimus et concesserimus, et sicut plurimorum virorum praestantium testimonio, immo etiam nonnullorum ex venerabilibus Fratribus nostris, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui litterariis ipsius Academiae exercitationibus et disceptationibus saepius interfuerunt, relatione accepimus, dilecti filii academici eidem Academiae adscripti, notabiles in praefatis disciplinis progressus iam fecerint, et in dies facere pergant, unde non obscura spes affulgeat fore ut dicta Academia, benedicente Domino, non solum maiora in posterum suscipiat incrementa, verum etiam suavissimos uberesque fructus in Ecclesia Dei quandoque proferat; in eumque finem praedicti academici pro recto ac felici Academiae huiusmodi gubernio nonnullas Constitutiones seu Statuta quae per bonae memoriae Thomam Mariam, dum vixit, eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Ferrarium, Sancti Clementis nuncupatum, iussu nostro revisa, et subinde approbata fuerunt, iampridem condiderint, quorumque tenor est, videlicet: "... Academiam Theologicam solum illis patere volumus, qui Theologiae saltem quadriennio sedulam operam navarunt. Horum ingeniis exercendis perfectaque doctrina imbuendis, bis in hebdomada, scilicet feria tertia et sexta, de sacris divinisque rebus disputabitur. Alternis theologica, alternis historica disputatio erit; identidem vero, vel ad nostrae Religionis dogmata pertinentes controversiae, vel ad sacras Litteras disceptabuntur...

" Ex universa Theologia atque Historia Ecclesiastica praecipuae quaestiones a Censoribus selectae [spatio] triennii disputationibus absolventur.

" Eorundem iudicio, quae ad contrarias partes disputari possunt, quaeve in alteram tantum, decernetur.

" Ordo in theologicis ad *Summam* divi Thomae; in historicis, ad seriem temporum accommodabitur... "

« Nos igitur, qui Academiae praedictae prosperum statum et directionem, uberioraque incrementa sinceris acceptamus affectibus... creationem et erectionem Academiae supradictae, nec non Constitutiones et Statuta praeinserta cum omnibus et singulis in eis contentis et expressis,

auctoritate apostolica, tenore praesentium... approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis robur et praesidium adiicimus ».[1]

Textus igitur « solemnis » huius Academiae, iubente Pontifice, fuit ipsamet sancti Thomae *Summa*, atque ordinator fuit eruditissimus piissimusque Cardinalis Ferrari, egregius theologus, sancti Thomae fidelis discipulus.[2]

160. Haud secus *Summam* sancti Thomae, typis Seminarii Patavini excusam, sibique a cardinali Cornelio dono missam grato libentique animo excepisse his verbis testatur, die 3 ianuarii, 1711: « Dilectus Filius Leander de Porcia, monachus Ordinis sancti Benedicti, Congregationis Cassinensis, tuo nomine nobis obtulit *Summam* divi Thomae, typis ipsius Seminarii accurate ac diligenter excusam; quo munere pretium habente ex illustri, quod praefert, Angelici Doctoris nomine, praeter modum oblectati sumus, inspecta imprimis praestanti tua in nos et egregia voluntate nobis quidem iamdudum explorata: sed hac etiam occasione per eundem religiosum virum diserte et per adiectas tuas litteras luculenter ac officiose explicata; deinde vero quia ex huius operis editione, quasi ex quodam specimine, argumentum ducimus dari isthic serio operam sacris studiis ac disciplinis, et Seminarium istud, quod Cardinalis Barbadicus Episcopus, praedecessor tuus, cuius nomen in benedictione est, eritque semper, singulari studio ac diligentia sin minus plantavit, certe magnopere excoluit, te irrigante, Deoque incrementum dante, in dies magis efflorescere. Eximium itaque zelum tuum et caeteras quibus praestas virtutes debitis in Domino laudibus efferentes, profitemur nos libenti animo... ».[3]

161. Tertium doctrinae sancti Thomae eiusque Scholae encomium protulit contra Iansenistas illosque omnes qui sese Bullae *Unigenitus* subiicere renuebant, eo quod, aiebant, in hac Bulla male damnaretur doctrina sancti Thomae: « Praeterea, ut pessimae causae splendidum patrocinium concilient [scilicet: refractarii] praefatae Constitutioni [*Unigenitus* nempe], maiorem undecumque invidiam faciant, se ab ea suscipienda retardari affirmant eo quod suspicentur per illam damnari sententias atque doctrinas quas insignes catholicorum Scholae absque ulla censura hactenus tenuerunt ac tradiderunt. Cum tamen, nisi ab antiquis semitis sanctorumque Patrum vestigiis, immo ab earundem Scholarum instituto, quod verbis

[1] *Bullar. O. P.*, to. VI, p. 511, ad diem 23 aprilis an 1718, Const. *Inscrutabili*. Quod totum diploma legendum tibi erit.

[2] Cf. Fr. J. J. Berthier, *L'église de Sainte-Sabine*, et *Le Couvent de Sainte-Sabine*, ubi nonnulla de egregio Cardinali enarrata sunt.

[3] *Bullar. O. P.*, to. VI, p. 474, Const. *Dilectus Filius*.

profitentur, reipsa recessissent, probe reminisci deberent quod illarum principes quorum nomina pertinaciae suae temere praetendunt, quemadmodum et caeteri illustriores Ecclesiae scriptores, suum semper esse duxerunt, ut ab Apostolica Sede discerent quid credere, quid tenere, quid docere deberent: ut ad illam scripta sua examinanda et emandanda dirigerent, ut inde lumen catholicae Fidei reciperent, ubi non posset Fides ipsa sentire defectum; ut nemo eorum denique sententiam suam adversus Petri auctoritatem defenderet.

« Caeterum in hoc ipso praepostero iudicio consuetum calumniandi morem non derelinquunt: nisi enim excoecaret eos malitia eorum, ac nisi diligerent magis tenebras quam lucem, ignorare non deberent sententias illas ac doctrinas quas ipsi cum erroribus per nos damnatis confundunt, palam et libere in catholicis Scholis, etiam post editam a nobis memoratam Constitutionem, sub oculis nostris doceri atque defendi, illasque propterea minime per eam fuisse proscriptas. Verum supercecidit ignis contentionis et aemulationis, et non viderunt solem lucidissimae veritatis ».[1]

Hic agi de Schola Thomistica et ipsi refractarii asserunt omnesque narrant historici. « Ex tot confixis Quesnelli pronuntiatis, nonnulla quae ad divinam gratiam pertinent, notissimo Iansenii sensu proscripsit, qui Dei gratiam necessitantem, ut Theologi in Scholis vocant, invexit. Integra ac prorsus illaesa permanente doctrina de gratia se ipsa efficaci, et ad Beatorum gloriam praedestinatione gratuita, quam a damnatis nuper erroribus immani tutam discrimine potissimum Schola Thomistica, aliaeque celeberrimae in Orbe Catholico Academiae frequentesque Theologi, ducibus sanctis Augustino et Angelico Doctore, propugnant. Quorum doctrinae erroris notam huiusmodi ab se inustam Constitutione Quesnellianae studentes causae per summam iniuriam calumniatos esse Clemens celeberrimis Litteris ordientibus *Pastoralis Officii* quas ad universos Christifideles kalendis septembris duodevicesimo huius saeculi anno scripsit, merito questus est, falsamque criminationem depulit.

162. « Neque defuerunt qui, tametsi Quesnellianis, ut catholicos decebat homines, essent adversi, et Clementinae sanctioni obsequerentur, licentia nihilominus pari, illustres utriusque sanctissimi Doctoris Scholas criminabantur, suialia de causa interesse rati id calumniae genus vulgo alere. At horum hoc item pontificium diploma tempestive compressit audaciam ».[2]

[1] Const. *Pastoralis Officii*, data die 28 augusti, an. 1718.

[2] Petrus Polydorus, *Vita Clementis XI*, lib. IV, n. 37. Vir utique et gravitate et eruditione eximius.

Quinam isti ultimi fuerint nullus est qui nesciat. Hinc habes veritatem reipsa in medio stetisse, nempe doctrinam sancti Thomae.[1]

163. Implicite rursus doctrinam divi Thomae in tuto posuit idem Pontifex, ubi Augustini doctrinam vindicavit die 28 ianuarii 1704: « Cum sicut nobis innotuit, ait Pontifex, in lucem prodierit libellus quidam cui titulus: *Véritable tradition de l'Eglise sur la prédestination et la grâce*... par M. de Launoy, nuperrime vero venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales in tota Republica Christiana contra haereticam pravitatem Generales Inquisitores a Sede Apostolica specialiter deputati, audita libelli huiusmodi censura, illum ad minus tanquam impium, blasphemum, nec non fulgidissimo Catholicae Ecclesiae lumini, maximoque Doctori sancto Augustino, quin immo ipsimet Ecclesiae atque Apostolicae Sedi iniuriosum, damnandum et prohibendum esse censuerint: hinc est quod nos, pro commissa nobis divinitus gregis Dominici cura, animarum periculis atque detrimentis, quae ex praefati libelli lectione et usu provenire possent, pastorali solicitudine, quantum cum Domino possumus occurrere cupientes, nec non Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, qui eiusdem sancti Doctoris praecelsam doctrinam magno semper in pretio habuerunt, totoque mentis affectu amplexi fuerunt, laudabilibus vestigiis firmiter inhaerere volentes, de memoratorum Cardinalium consilio, libellum praedictum auctoritate apostolica, tenore praesentium, damnamus et reprobamus... ».[2]

Hinc vindicata simul remansit doctrina sancti Thomae, qui, omnibus fatentibus, ipsammet Augustini doctrinam tenuit et explanavit, iuxta vetus effatum:

« Augustinus aliquando obscurus,
Apud Thomam est clarus ».

164. Alia sibi data occasione, videlicet canonizationis sancti Pii V, hoc novum inter omnia protulit Ordinis simul ac eiusdem doctrinae elogium: « [Michaël Ghislerius] statim ac quartum supra decimum aetatis annum attigit, mundo saeculique illecebris valedicens, Fratrum Praedicatorum instituto nomen dedit, praeclara illius decora, ac potissimum eximia in hanc Sanctam Sedem merita, plurimum aucturus. Hic enim ille est laudatissimus sancti Dominici Ordo, in quo, ut primum institutus fuit,

[1] Quomodo autem Quesnelliani errores a divo Thoma eiusque rursus discipulis praedamnati fuerint, explanatum habes apud Fr. FRANC. VAN RANST, *Veritas in medio*, pp. 219-458, edit. Venet. an. 1735.
[2] *Bullar. O. P.*, to. VI, p. 449, Const. *Cum sicut*.

tanquam in opimo ac fertili agro, eodemque bene ac diligenter subacto, et exculto, viri doctrinae praestantia et vitae sanctitate conspicui, nunquam alii aliis succrescere desierunt ».[1]

165. Hanc denique ultimam divi Thomae eiusque Scholae doctrinae tribuit laudem Clemens XI quod, in quaestione de Ritibus Sinicis, adeo utrinque disputata, Praedicatorum sententiam comprobaverit et laudaverit,[2] atque istos his verbis laudavit: « Quae de singulari pietate vestra ac plane praestanti erga nos atque Sanctam hanc Sedem devotione, non semel commemorari audivimus, cum Ordinis quem summopere diligimus, laudibus suffragentur, uberem nobis gaudii materiam attulerunt. Gratum autem imprimis ac praeter modum acceptum nobis fuit quod piae memoriae Cardinali de Tournon, cuius nomen in benedictione est, simulque Vicariis Apostolicis istarum partium debitam obedientiam alacriter omni tempore praestiteritis, eisque sincera incorruptaque fide, ut par erat, semper adhaeseritis. Quin etiam, stantes in magna constantia adversus eos qui vos augustiaverunt, vincula, exsilia, aliaque mala plurima infracto excelsoque prorsus animo sustinueritis. Et propterea, cur tot praeclaris documentis comprobatam virtutem vestram peculiari hoc gratae ac in vos admodum propensae mentis nostrae testimonio prosequamur, simulque partam vobis non levem apud veros Ecclesiae filios, christianae fortitudinis ac zeli laudem, impense gratulemur.

« Caeterum paternae benevolentiae nostrae luculentiora, quotiescumque occasio suppetet, vobis non deerunt argumenta, eiusque interea pignus, nonnulla vobis mittimus sacra munera, quae religiosis animis vestris pergrata fore minime dubitamus... ».[3]

Atque reipsa plurima Ordini contulit beneficia, quod *Bullarium O. P.* legenti abunde patet.

[1] Die 22 maii, an. 1712, *Bullar. O. P.*, to. VI, p. 478, Const. *Inter multiplices*.
[2] Die 20 novembris, an. 1704. Ibidem, p. 450, sqq. Hic decem circiter diplomata, sub Clementis pontificatu edita, de eodem argumento legi possunt.
[3] Die 22 aprilis, an. 1713. Ibidem, p. 494, Const. *Quae de singulari*. Quae encomia, etsi ad Provinciae Philippinarum Fratres immediate tribuerentur, ad totum tamen Ordinem etiam pertinebant, cum omnes Ordinis missionarii, omnesque Praedicatores cum ipsis sentirent.

LXVI.

INNOCENTIUS XIII.

(1721-1724).

166. In gratiam doctrinae sancti Thomae id praestitit Pontifex ille quod iusserit ut in Havanensi Dominicanorum Coenobio constitueretur Universitas, unde Angelici Doctoris principiis erudirentur fideles in illis etiam remotissimis partibus.

Ita ergo exorditur Pontifex in Litteris datis die 12 septembris, 1721: « Aeternae Sapientiae consilio ad Ecclesiae Catholicae per universum terrarum orbem effusae regimen, meritis licet imparibus, evecti, laudabilibus eorum studiis per quae Christifidelium, praesertim in remotissimis ab hac Sancta Sede partibus degentium, in doctrina sana institutioni atque eruditioni consulitur, peculiarem pastoralis muneris nostri sollicitudinem, cum a nobis petitur, libenti animo adhibemus, sicut omnibus mature perpensis conspicimus in Domino salubriter expedire.

« Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti Filii Fratres Provinciae Sanctae Crucis, Ordinis Praedicatorum, in Indiis occidentalibus, quod in eorum conventu Sancti Ioannis Laterani nuncupato, oppidi Civitatis nuncupatae Havanae, Cubanensis Dioecesis, in iisdem Indiis, pluribus abhinc annis, magno cum progressu diversarum scientiarum studia, nimirum Grammaticae, Philosophiae atque sacrae Theologiae, ex quibus per accuratam eorundem religiosorum solicitudinem, experientia teste, uberes fructus hactenus accepti fuerunt, laudabiliter vigeant, et quamvis consimilis copiosa messis in futurum sperari potuisset, exponentes praefati oppositum non sine [non] modico moerore ob frustratam fere spem assequendi in dicto oppido praemium, ex defectu Academiae et Universitatis Studii Generalis, pro collatione graduum,... nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes,... facultatem conferendi gradus... tenore praesentium perpetuo concedimus... ».[1]

Duo sunt notanda in hoc diplomate: primum quod Universitatis Thomisticae institutionem comprobaverit Pontifex, alterum quod doctrina ibidem a Fratribus Praedicatoribus tradenda dicatur « sana » qualem intendit Pontifex.

[1] *Bullar. O. P.*, to. VI, p. 523, Const. *Aeternae Sapientiae.*

Nonnulla edixit de Magistris alicubi instituendis, pro studiorum emolumento.[1]

LXVII.

BENEDICTUS XIII.

(1724-1730).

167. Qui cum a iuventute nomen Ordini dedisset Praedicatorum, hunc perpetuo dilexit et fovit,[2] imprimis quoad doctrinam.

Curnam autem argumento huiusmodi adeo institerit, post tot tantaque hucusque allata testimonia, ista fuit ratio, quod sanctus Thomas eiusque Schola inter duos inter se aliunde litigantes positi tunc fuerunt: Iansenistas nempe, qui sese Thomistas iactitabant, seque ut doctrinae Angelicae fautores praetendebant, et nonnullos ex Iansenistarum adversariis, qui in eandem finxerunt descendere sententiam, ne doctrinam Angelici facerent suam et eidem adhaerere cogerentur, quod iam notaverat Clemens XI. Cum igitur istorum pertinacia Fratres Praedicatores incessanter

[1] *Bullar. O. P.*, to. VII, pag. 382, ad diem 13 iulii, an. 1722, Const. *Exponi nobis*; p. 503, ad diem 12 martii, an. 1722, per Decretum Congregationis; p. 504, ad diem 24 iulii, an. 1722, rursus per Decretum eiusdem.

[2] A referendis laudibus atque amoris significationibus quibus Benedictus Ordinem suum cumulavit consulto abstinemus. Si quis earundem documenta perlegere in votis habuerit, adeat *Bullar. O. P.*, to. VIII, pp. 133-136, nn. CCXXXII-CCXLIII inveniet enumerata atque indicata. Nos hic in iis quae doctrinam respiciunt stabimus.

Id unum hic adnotasse praestat de ipsius doctrina, quod videlicet die 22 februarii, 1733, anno elapso post Pontificis mortem, D. Assemani, Canonicus atque Orator Basilicae Sancti Petri, elogium funebre solemnissime pronuntiavit sanctissimi Pontificis, quem allocutus oratorio modo, ita de transferendo eiusdem corpore in ecclesiam Sanctae Mariae supra Minervam, se suosque consolabatur hisce verbis: « Nunquam sane iacturam hanc solari potuissemus, nisi ut votis tuis... obsecundaremus. Iis enim secundum habitum sociari optaveras, quorum praeclarum Institutum probatissimamque doctrinam olim amplexus... etiam in pontificiae dignitatis fastigio semper retinuisti ». TOURON, *Hommes illustres*, to. VI, p. 482.

lacesserentur, ad Pontificem querimonias detulerunt,[1] unde iste responsum de utraque calumnia dedit in sequenti diplomate, ad querentes misso:

« Dilecti Filii, salutem et apostolicam benedictionem.

« Demissas preces et aequissimas conquestiones vestras, quas dilectus filius Pipia, totius Ordinis Magister Generalis, religiosae vitae exemplis ac doctrina prudentiaque commendatissimus supplici libello ad nos detulit,

[1] En libellum supplicem quem Ordo Praedicatorum, mediante Cardinali Pipia, ad Pontificem obtulit:

LIBELLUS SUPPLEX ORDINIS PRAEDICATORUM
AD BENEDICTUM PAPAM XIII.

« Beatissime Pater, universus Fratrum Praedicatorum Ordo, cuius summa erga Sedem Apostolicam reverentia, et in ea colenda ac tutanda turbulentissimis temporibus semper probata est invicta fortitudo, pedibus Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime supplicat pro defensione antiquae doctrinae de gratia per se efficaci, et de praedestinatione gratuita ad gloriam, quam in celeberrimis Congregationibus de divinis Auxiliis sub SS. Pontificibus Clemente VIII et Paulo V habitis, non minus gloriose quam constanter propugnavit, eamque auxiliante Deo puram et illibatam ad seram usque posteritatem transmissuram se ad nostra usque tempora Schola Thomistica iugiter conservari sperat.

« Hanc autem doctrinam de gratia per se efficaci et de praedestinatione gratuita ad gloriam, quam Sanctitatis Vestrae praedecessores Innocentius I, Zosimus, Bonifacius, Coelestinus, Sixtus, Leo, Felix, Gelasius, Hormisdas, et caeteri quam antiqui tam recentiores SS. Pontifices genuinis doctrinae SS. Patrum, praesertim Augustini et Thomae, principiis apprime consentaneam esse saepissime iudicarunt, nonnulli, proh dolor! infamare nunc praesumunt, et occasione accepta ex Bulla quae incipit *Unigenitus*, quamque die 8 mensis septembris anni 1713 a fel. rec. SS. Pontifice Clemente XI publicatam universus Praedicatorum Ordo, maxima qua par est reverentia, excepit, falsos rumores ubique, sed praesertim in Galliarum Regno spargunt, non privatim tantum et in cubiculis, sed palam in libellis famosis, in scriptis et publicis thesibus atque in pulpitis dictitant, doctrinam de gratia per se efficaci, et de praedestinatione gratuita ad gloriam, in praelaudata Clementis XI Bulla damnatam atque apostolica auctoritate fuisse confixam.

« Ad tam immanem et a saeculis inauditam calumniam cohorruit Clemens XI, et in suis Litteris, quas ad universos Christifideles die 2 mensis septembris anni 1718 direxit, quaeque incipit *Pastoralis Officii* eiusdem calumniae auctores istis verbis generatim perstrinxit: "Caeterum..." [vide supra, p. 139.]

« Verum, Beatissime Pater, cum SS. Pontifex Clemens XI in Litteris *Pastoralis Officii*, inter opiniones quae salva et inculpata fide adhuc in Scholis catholicis ventilari et doceri solent, disertam mentionem non fecit de gratia per se efficaci et de praedestinatione gratuita ad gloriam, ex eo Clementis XI silentio adversarii Scholae nostrae Thomisticae ansam etiamnum arripiunt huic doctrinae de gratia per se efficaci et de praedestinatione gratuita ad gloriam, censurae notam inurendi, eamque cum haeresi Ianseniana, quae iure optimo ab Ecclesia damnata est, perperam confundendi, ut his atrocibus calumniis in Scholam Thomisticam coniectis, omnium Catholicorum odium et invidiam ei conflare possint.

« Has calumnias patienter quidem hactenus tulit Praedicatorum Ordo, et ne

ea benignitate complexi sumus quam et vestra in Catholicam Religionem amplissima merita, et nostra quam dudum professi sumus erga Ordinem Praedicatorum observantia filialis, nostraeque demum humilitati impositum paternae charitatis et solicitudinis officium postulabant.

« Quod igitur aegre admodum, ut par est, molesteque feratis erroribus a fel. rec. Clemente PP. XI, praedecessore nostro per Constitutionem

motus, contentiones, seditiones et scandala in Ecclesia orirentur, paci silentio litavit. At nunc, Beatissime Pater, Praedicatorum Ordo volens nolens cogitur omne abrumpere silentium, quia videt incrudescere malum, ac longe lateque diffundi, succrescere discordias, simultates, lites et huiusmodi alia odiorum semina, quae tandem aliquando a celebrioribus catholicis scholis, concordiam, unanimitatem, pacem et charitatem procul eliminare possent, et haereticis occasionem suppeditare carpendi ac sugillandi catholicarum scholarum doctrinam, ni abiecta omni cunctatione, praesentissimum a Sanctitate vestra adhibeatur remedium.

« Videt etiam Ordo Praedicatorum se a multis saeculis imperturbata possessione frui doctrinae de gratia per se efficaci et de praedestinatione gratuita ad gloriam quam a SS. Doctoribus Augustino et Thoma suscepit, publice docendi, nemine repugnante, Sede Apostolica annuente, et celeberrimis plaudentibus Academiis, ac subinde pati minime potest Praedicatorum Ordo ut huic avitae et pacificae possessioni suae iniuria inferatur, cum iuxta omnia iura melior sit conditio possidentis, quam recentioris praesumentis.

« Ad vindicandam itaque Ss. Patrum Augustini et Thomae doctrinam, qua nihil secundum Deum prius et antiquius Praedicatorum Ordo habet, supplex, Beatissime Pater, in praesentia accedit Sanctitatem vestram obtestans ut non solum his aemulis et Scholae Thomisticae obtrectatoribus pacisque osoribus silentium imponat, sed etiam pro summa illa benevolentia qua Scholam nostram Thomisticam de Ecclesia benemeritam dignatur et protegit, declarare velit:

« Doctrinam de gratia per se efficaci et de praedestinatione gratuita ad gloriam absque ulla per scientiam mediam praevisione ad merita hominum esse doctrinam antiquam, Scripturae sacrae, Decretis SS. Pontificum et principiis doctrinae Ss. Patrum Augustini et Thomae magis consonam, nec ullo pacto a Clemente XI P. M. in sua Bulla quae incipit *Unigenitus* damnatam aut aliqua censura fuisse affectam.

« Postulat Praedicatorum Ordo ut placeat itidem Sanctitati vestrae declarare nullam sancti Thomae Doctoris Angelici opinionem sive in moralibus, sive in theologicis quaestionibus aliqua censura ab eodem S. P. Clemente XI in sua Bulla quae incipit *Unigenitus* esse vel leviter perstrictam vel percussam.

« Sanctitatem vestram etiam atque etiam rogat Praedicatorum Ordo ut iubeat locorum Ordinariis, ut poenis iure praescriptis in eos animadvertant qui doctrinae de gratia per se efficaci et de praedestinatione gratuita ad gloriam audebunt deinceps aliquam irrogare censuram...

« Quod si Sanctitas Vestra in rem Ecclesiae et ad promptius novas emergentes opiniones radicitus evellendas opportunius fore iudicaret pubblicari Bullam, quam SS. Pater Paulus V.... aliquando a se promulgandam iri spem fecerat, profecto rem toti Praedicatorum Ordini longe gratissimam, omnibus veritatis cultoribus iucundissimam, et ad immortale antiquae doctrinae de gratia per se effi-

quae incipit: *Unigenitus Dei Filius,* saluberrimo et sapientissimo iudicio reiectis damnatisque, Augustinianae et Angelicae doctrinae nomen obtendi, indeque audere nonnullos Apostolicae auctoritati ac vestrae existimationi detrahere, quod ipsa vestrarum sententiarum capita eius Constitutionis censuris notisque inusta esse calumnientur. Iustam quidem animorum vestrorum offensionem laudi damus,[1] qua nimirum vos germanos sancti Thomae discipulos maxime probastis. Magisterio enim tanti Doctoris imbutos nihil decet magis quam ut in addictissima huic Sanctae Sedi fide obedientiaque precipuum studiorum suorum fructum et laudem collocent, et absonas refragantesque Apostolicis decretis opiniones non aversentur modo, sed per

caci et de praedestinatione gratuita ad gloriam conciliandum decus et ornamentum aptissimam faceret Sanctitas vestra.

« Haec sunt, Beatissime Pater, quae totus Praedicatorum Ordo a Sanctitate Vestra ardentibus precibus, votis et supplicationibus in praesentiarum efflagitat; quaeque si, ut sperat, impetrare valeat, eam in spem certe erigitur fore ut pax diu desiderata propediem restituatur Ecclesiae variis iactatae procellis, vigeat ubique Sedi Apostolicae debita reverentia; Ss. Augustini et Thomae inconcussae tutissimaeque doctrinae sua constet auctoritas; scholarum postliminio revocata instauretur concordia, et haeretici ad meliorem frugem resipiscentes ad gremium Ecclesiae redeant, aut perenni suffundantur ignominia. Eo totius Ordinis Praedicatorum collimat votorum summa ». Huius supplicis libelli commentationem habes apud P. Dummermuth, *Defensio doctrinae sancti Thomae,* sect. I, p. 13 sq.

Idem paucioribus verbis tradit P. de Graveson, auctor historicus idemque coaevus: « Duplex adversariorum genus hodie experitur Schola Thomistica. Alii quippe sunt qui magnis animis contendunt doctrinam Scholae Thomisticae de gratia per se efficaci, tam in suis quibus nititur principiis, quam in consecutionibus quae ex iisdem principiis naturali fluxu promanant, tantam habere similitudinem et affinitatem cum principiis et consecutionibus doctrinae proscriptae Iansenii et Quesnelli ut ovum non sit ovo similius... cum [tamen] non solum nostrates Thomistae, sed etiam clarissimi Societatis Iesu Theologi, Annatus, Ripalda, Martinonus, Steph. Deschamps et alii, sole evidentius eiusmodi discrimina patefecerint... Sed alios non minus infensos Schola Thomistica his praesertim temporibus nacta est adversarios, Iansenistas nimirum et Quesnellistas, qui ubique clamitant se eandem de gratia per se efficaci tutari doctrinam quam celeberrima Schola Thomistica propugnat ». *Epist.,* class. II, vol. II, pp. 3-4.

De hisce vide J. Berthier, *Néo-molinisme et paléo-thomisme,* in periodico *Revue Thomiste,* anno I. Ne quis miretur postulatores adeo fidenter asserere Bullam a Paulo V edendam fuisse, hic referam unam omni exceptione maiorem auctoritatem, Alvaresii nempe, qui in Controversiis de Auxiliis magnas partes habuit, indeque propter merita evectus mox fuit ad archiepiscopatum Tranensem. Is igitur in praefatione operis *De auxiliis divinae gratiae,* edit. Romana, an. 1610, regnante ipso Paulo V haec habet: « Nullius doctoris sententiam aliqua censura notabo: non enim decet determinationem Sanctae Sedis Apostolicae, quae propediem exspectatur, privato iudicio praevenire ». Cf. Dummermuth, *Defensio,* p. 22.

[1] In *Bullar. O. P.,* to. VI, p. 545.

arma etiam lucis et veritatis dissipent et evertant. Tantum tamen abest ut vicem vestram doleamus, ut vobis potius gratulemur quod hac etiam in parte causa vestra ab huius Sanctae Sedis rationibus seiuncta esse non potuerit, quodque alienae prorsus calumniosaeque interpretationes ad conflandam memoratae Constitutioni invidiam temere excogitatae, ad iniuriam quoque vestri nominis redundarint. Caeterum non adeo vobis erat aut dolendum aut mirandum, quod cum ipsis divinorum Librorum oraculis et apostolicis definitionibus pro impotenti obfirmatoque partium studio passim vis afferatur, haec eadem contentionis pervicaciaeque licentia angelicam doctrinam attentare non dubitaverit. Illud potius iure mirandum quod tam praepostero consilio in hac causa locus esse potuerit, ubi sancti Thomae exploratissimis sententiis damnati errores disertissime confutantur.

168. « Quandoquidem omnipotentis Dei providentia factum est ut Angelici Doctoris vi ac veritate doctrinae, non solum innumerae quae vel ipsius aetate, vel antea grassatae sunt, sed multae etiam quae deinceps exortae sunt haereses, confusae et convictae dissiparentur.[1]

« Magno igitur animo contemnite, dilecti Filii, calumnias intentatas sententiis vestris, de gratia praesertim per se et ab intrinseco efficaci ac de gratuita praedestinatione ad gloriam sine ulla praevisione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuistis, et quas ab ipsis sanctis Doctoribus Augustino et Thoma se hausisse, et verbo Dei summorumque Pontificum et Conciliorum decretis et Patrum dictis consonas esse Schola vestra commendabili studio gloriatur. Cum igitur bonis et rectis corde satis constet, ipsique calumniatores, nisi dolum loqui velint, satis perspiciant sanctorum Augustini et Thomae inconcussa tutissimaque dogmata, nullis prorsus antedictae Constitutionis censuris esse perstricta, ne qui in posterum eo nomine calumnias struere et dissensiones serere audeat, sub canonicis poenis districte inhibemus. Pergite porro Doctoris vestri opera sole clariora, sine ullo prorsus errore conscripta, quibus Ecclesiam Christi mira eruditione clarificavit, inoffenso pede decurrere, ac per certissimam illam cristianae doctrinae regulam sacrosanctae religionis veritatem incorruptaeque disciplinae sanctitatem tueri ac vindicare. Haec sunt enim, dilecti filii, quae praedecessores nostri de sancti Thomae doctrina senserunt et praedicarunt, quaeque nos, non modo ad curarum vestrarum lenimentum, sed ad animi quoque nostri solatium libentissime usurpamus et praeconio apostolicae vocis efferimus. Inclitus enim Ordo iste, cui nomen dedimus, et quem expresse, Domino miserente, professi sumus, eodem Angelicae doctrinae lacte nos

[1] Vide Fr. Franc. Van Ranst, *Historia haereticorum et haeresum* et *Veritas in medio,* quae opera superius relata pluries iam fuere.

aluit, ac licet impari institutionis fructu, ad gerendam ecclesiarum sollicitudinem eduxit: ut privato etiam diuturnoque colendarum artium experimento, ediscere potuerimus, quod ex apostolatus specula per hasce Litteras annunciamus.

« Deum interea, qui pacem et veritatem diligendam praecipit, supplices rogate ut sincero Angelici Doctoris studio omnes in simplicitate cordis nitantur quae ille docuit intellectu conspicere, atque in unitate Spiritus et charitate fraternitatis quae ille egit imitatione complere ».[1]

Aemuli interim omnia tentant in Galliis sicut et in Hispaniis, ait celeberrimus P. Lequien, O. P., « uti de divinae gratiae et praedestinationis efficacitate, de genuina arbitrii nostri libertate... nisi intra claustrorum nostrorum penetralia eloqui nobis minime liceat », et illud Breve « cassum et futile nobis totique Ecclesiae fiat », atque sunt nonnulli auctores ut « supposititium esse dictitent ».[2]

169. Hinc praedicta omnia per Bullam *Pretiosus*, qua privilegia a praedecessoribus concessa innovata et aucta sunt, confirmavit hisce verbis, sub nn. XVII et XVIII:[3] « Quum autem silere nos minime deceat de doctrina Angelici Doctoris sancti Thomae Aquinatis, cui ipsemet Ordo salubriter insistit, ignoramus plane quibus illam laudibus pro magnis suis in Ecclesiam meritis extollamus. Latius ergo ad absolutum illius praeconium putamus commemorare ipsam ex Salvatoris Crucifixi ore, sicut pie testatur historia, fuisse probatam et constanti summorum Pontificum testimonio orthodoxis commendatam populis. Hoc potissimum suis Constitutionibus et Litteris apostolicis praestitere Ioannes vulgo XXII, in Const. XX, cuius initium *Redemptionem misit*, 15 kal. augusti, anno Domini 1323; Clemens VI, Const. *In Ordine*, 8 idus februarii, 1344; Urbanus V, in diplomatibus *Copiosus* et *Laudabilis*, datis 10 kal. iulii, et pridie kal. septembris 1368; sanctus Pius V, Const. XXXVI, *Mirabilis Deus*, 3 idus aprilis 1567; Sixtus V, LXXVI, *Triumphantis*, pridie idus martii, 1588; Clemen. VIII, *In quo nos* et *Quantum prodesse*, 22 novembris, 1603, et *Sicut Angeli* [eodem anno]; Paulus V *Splendidissimi*, 17 decembris 1607

[1] Die 6 novembris an. 1724, *Bullar. O. P.*, to. VI, p. 545, Const. *Demissas preces*. Breve illud conscriptum est a D. MAIELLA, Secretario Epistolarum ad principes, posteaque accuratissime de verbo ad verbum discussum ab eodem una cum P. De Graveson; ipseque Pontifex singula demum pensavit.

[2] *Epist. ad Benedictum XIII*, data die 5 octobris, 1726. Ex Archiv. O. P.: « Polemica ».

[3] Cui Bullae quam diutius meditatus secum fuerat Benedictus Pontifex, multum adlaboravit ille vir egregius, cui nomen Iosephus Accoramboni, postea Cardinalis factus.

et Alexander VII, *Litteras*, 7 augusti 1660. Aequum vero erat ut angelica doctrina tanti Doctoris non vulgaribus efferretur encomiis, quae solis instar mundum universum illustrans, uberrima christianae Ecclesiae bona peperit paritque in dies singulos multiplici fructu, supremo Apostolicae Sedis magisterio adversus quoscumque veteres ac recentes errores, quos revincit, fidissime famulans. Eadem nos quoque diuturnis atque assiduis experimentis probe noscentes,[1] per alias nostras peculiares Litteras incipientes *Demissas preces*, datas 6 novembris 1724, calumnias eiusdem Angelici Doctoris et sancti Augustini doctrinae temere irrogatas retudimus, et, prout rei gravitas exposcebat, auctoritatis nostrae praesidio eliminavimus.

170. « Luculentius vero aestimationis argumentum in ipsam sancti Thomae doctrinam nunc edituri, quo magis magisque Praedicatorum Ordo caeterique orthodoxi ac veri ipsius sectatores, ad illius sinceram et tutam professionem inflammentur, praedictas omnes et singulas decessorum nostrorum Constitutiones, Litteras, seu, ut vocant, Brevia, nec non omnia et singula in eis contenta, suprema qua fungimur auctoritate, motu, scientia et deliberatione praemissis, comprobamus, et rursus, quatenus opus fuerit, cum ipsismet editis nuper a nobis Litteris, innovamus.

171. « Ut autem turbulenti ac pertinaces tranquillitatis Ecclesiae Catholicae perturbatores desinant orthodoxam sancti Thomae doctrinam calumniari,[2] ac ne deinceps praeposteris et a veritate alienis interpretationibus apostolicas ipsas Litteras nostras, non sine aperta, ut accepimus, verbis nostris ac etiam decessorum nostrorum irrogata violentia, tam Praedicatorun Ordinem quam alios veros illius asseclas et sectatores incessere audeant, Constitutioni XCVIII, quae incipit *Pastoralis officii* fel. rec. Clementis XI, omnibusque in ea contentis firmiter inhaerentes, sub divini interminatione iudicii, iterumque sub canonicis poenis, omnibus et singulis Christifidelibus mandamus ne doctrinam memorati sancti Doctoris eiusque insignem in Ecclesia scholam, praesertim ubi in eadem schola de divina gratia per se et ab intrinseco efficaci, ac de gratuita praedestinatione ad gloriam, sine ulla meritorum praevisione agatur, ullatenus dicto vel scripto contumeliose impetant, ac veluti consentientem cum damnatis ab Apostolica Sede, et signanter a Const. LXIV dicti fel. rec. Clementis XI incipienti

[1] Fr. Vincentius Orsini, O. P., postea Pontifex Benedictus XIII, plures annos in studendo doctrinae Divi Thomae, pro more Ordinis Praedicatorum, insumpsit, immo et in eam iunioribus tradendo.

[2] Quomodo nonnulli, etiam graviores theologi, ex adversariis calumniarentur, disce ex P. DUMMERMUTH, *Defensio doctrinae sancti Thomae*, sect. I, per tot.

Unigenitus, Iansenii, Quesnelli et aliorum erroribus traducant, a quibus sanctus Thomas et vera schola Thomistica quam longissime abest et abfuit, universis tam antiquis quam nunc Christi Ecclesiam vexantibus haeresibus et perniciosis assertis adversans.

« Damnamus item folia, theses et libros antehac typis impressos, vel etiam, quod Deus avertat! imprimendos, in quibus ad procreandam seu fovendam doctrinae sancti Thomae, Praedicatorum Ordini, aliisque genuinae Thomisticae doctrinae asseclis invidiam, designatae atque damnatae a nobis calumniae assertive renovantur, vel in aliam a germana praedictarum nostrarum Litterarum sententia, sive decessorum nostrorum mente, honorifica atque faventia doctrinae Thomisticae verba fallacissime detorquentur, Deum veritatis et pacis enixe rogantes ut ad maiora gloriae suae incrementa creditus nobis populus non minus tradita a tanto magistro salutari doctrina, quam ipsius innocentium morum et illustrium virtutum imitatione proficiat ».[1] Nonnulla exinde privilegia Ordini vel concedit vel confirmat, praeprimisque quoad gradus academicos discipulis sancti Thomae etiam saecularibus conferendos, dicta factis comprobans.

[1] Die 26 maii, an. 1727, *Bullar. O. P.*, to. VI, p. 615, Const. *Pretiosus*. Priusquam eandem ederet sanctus Pontifex, peregrinationem instituit ad patriam sancti Thomae, Bullamque Setiae firmare voluit.

Nec infrequenter Pontifices vel damnarunt vel damnari fecerunt libros quibus impugnata est doctrina divi Thomae tanquam doctrinae Ecclesiae contraria. Sic v. gr. a Congregatione Indicis damnati sunt hi libri: *Nitela* DERMICII THADDEI, *Elucidarium* POZZAE, una cum eiusdem *Memoriali et Apologia; Diatriba* PETRI DE VALLE CLAUSA, *Funiculus* PETRI DE ALVA, librique AMADEI GUIMENEI et huiusmodi. Vide PICCINARDI, *De approb. doctr. divi Thomae*, vol. I, lib. II, q. 3[a], a. I.

De aliis calumniosis libris infra ubi de testimonio Benedicti XIV dicemus. Hic ex documentis mox recitatis ista interim colligenda sunt:

Laudatur enixe Praedicatorum Ordo « de felici quam sibi imposuerat necessitate sectandi doctrinam Aquinatis »;

« Doctrinae sancti Thomae Ordo Praedicatorum salubriter insistit »;

Schola Praedicatorum est « sancti Thomae insignis in Ecclesia schola », et « est vera Schola Thomistica »;

Thomistae sunt « germani sancti Thomae discipuli »;

Sunt « magisterio tanti Doctoris imbuti »;

Sunt « veri doctrinae Angelici Doctoris sectatores »;

Sunt « genuinae Thomisticae doctrinae asseclae »;

« Commendabili studio gloriantur se hausisse suas sententias a sancto Thoma »;

« Sententias suas laudabiliter hactenus docuerunt »;

Illorum adversarii sunt « pertinaces tranquillitatis Ecclesiae Catholicae perturbatores »;

Isti « desinant orthodoxam sancti Thomae doctrinam calumniari »;

Eorum « folia, theses et libri » damnantur.

172. Plura caeterum dictis addenda veniunt, omissis minutioribus, in commendandum Doctorem Aquinatem quem dixit aliquando « ob sanctioris doctrinae excellentiam Angelici elogio cognominatum ».[1]

Confirmat Academiam Theologicam sancti Thomae in Archigymnasio Sapientiae erectam,[2] cuius statuta fuerant a Cardinali doctissimo Ferrario O. P. approbata, de quaque supra verbum fecimus.

Gratulatur Placentinae universitati, quod Doctorem Angelicum sanctum Thomam Ducem et Magistrum adsciverint « concordibus suffragiis decernentes plana illa tutaque via exigendum esse Theologiae curriculum et saluberrimo illius pabulo alenda esse studiosorum ingenia ».[3]

Facultatem theologalis laureae viris emeritis in Universitate Mutinensi conferendae ratam habet ac firmat propter « praeclara insignis Collegii studia in Angelicam sancti Thomae doctrinam », hortaturque ut « sanae doctrinae » fructus constet in dies uberior.[4]

Probat Doctoris Angelici doctrinam integre legendam in Seminario Ruremundensi « pro uniformitate sanae doctrinae tuenda ».[5]

Statuit Officium proprium sancti Thomae recitandum esse ab omnibus religiosis Ordinis B. V. M. de Mercede Redemptionis Captivorum: quod totum est in laudem doctrinae sancti Thomae, quatenus simile illi quod recitant et Fratres ipsi Praedicatores.[6]

Iubet ut Fratres Provinciae Castellae Ordinis Sanctae Mariae de Monte Carmelo doctrinam sequantur sancti Thomae « Angelici Doctoris clarissimi Ecclesiae Dei luminis, constanti Summorum Pontificum testimonio laudumque praeconio tantopere commendatam ».[7]

173. Sed non nihil addendum remanet ex iis quae pronuntiavit de inventione corporis sancti Augustini, quaeque indirecte in laudem Aquinatis cedunt.

Sparso igitur rumore de invento sancti Augustini corpore, strictam fieri inquisitionem circa rei veritatem iussit, dicens: « Animi curas et auctoritatis officium libenter impendimus ad eas causas quas ad sanctorum cultum pertinere dignoscimus, atque adeo cum divino honore esse coniunctas. Multo autem alacrius has apostolicae solicitudinis partes suscipere debemus, ubi

[1] Die 7 martii, an. 1726. Ibidem, p. 581, Const. *Custodes*.
[2] Die 6 martii, an. 1726, *Bullar. O. P.*, to. VI, p. 588, Const. *In excelsa*. Quae Constitutio studiorum sacrorum amicis ex integro legenda est.
[3] Die 28 februarii, an. 1728. Ibidem, p. 653, Const. *Consilia vestra*.
[4] Die 23 iunii, an. 1728. Ibidem, p. 660, Const. *Cum primum*.
[5] Die 1 septembris, an. 1729. Ibidem, p. 694, Const. *Exponi nobis*.
[6] Die 12 decembris, an. 1728. Ibidem, p. 684.
[7] Die 14 februarii, an. 1730. Ibidem, p. 701, Const. *Exponi nobis*.

eas ad beatum Augustinum, clarissimum Ecclesiae lumen, eximiumque Doctorem spectare intelligimus, quem nimirum in profitendo Praedicatorum Regula Parentem, in theologico curriculo Ducem, in pastorali ministerio cunctisque vitae rationibus Patronum semper coluimus. His igitur tam impositi muneris stimulis, quam obstrictae pietatis studio adducti, operam conferre decrevimus ut iudicium de invento istic [scilicet Papiae] sancti Doctoris corpore, ulteriori dilatione sublata, secundum Deum et veritatem ad exitum perducatur ».[1]

174. Ubi autem postmodum, facta inquisitione debita, constitisset corpus Hipponensis Doctoris servatum et inventum reipsa fuisse in Confessione aedis Sancti Petri in Coelo Aureo, quasi in triumphum abit sanctissimus Pontifex.

« Ad summi Dei gloriam in sanctis eius amplificandam, mirabile nuper factum est in oculis nostris, dum exuviae sancti Augustini, Hipponensis Episcopi et praestantissimi Ecclesiae Doctoris, quarum venerationem antiquus Dei et Sanctorum hostis aliquandiu perturbare tentaverat, tandem omnium Christifidelium cultui pristinaeque honorificentiae, universa Ecclesia plaudente, restitutae fuerunt...

« Episcopus Ticinensis, acceptis Litteris nostris, et iuridice vocatis vocandis,... visisque tandem omnibus videndis et consideratis considerandis, congregatisque iterum coram se sacrae Theologiae Magistris et Canonum Professoribus, quos ut iam diximus, ad sanctiones Concilii Tridentini antea in consilium vocaverat, quique decem et septem numero pro veritate atque identitate reliquiarum sancti Augustini unanimem sententiam tulisse memorantur, ipse, coram dilectis filiis Priore Generali totius Ordinis Fratrum Eremitarum sancti Augustini, et Praeposito Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis, atque aliorum complurium, qui illic supremum hac de re episcopale iudicium audituri convenerant, post Missae sacrificium de Spiritu Sancto celebratum, solum Deum veritatis prae oculis habens, hoc eodem anno 1728, indictione sexta, feria sexta, die 16 mensis iulii, hora Tertiarum, in episcopio, pro tribunali sedens, hoc Decretum cum plena causae cognitione pronuntiavit:

" Christi nomine repetito, per hanc nostram definitivam sententiam dicimus, pronuntiamus et declaramus satis constare corpus inventum in Confessione templi Sancti Petri in Coelo Aureo huius civitatis [Papiensis], die 1 octobris 1695, et nuper per nos recognitum, ac sigillo nostro munitum, esse corpus sancti Augustini, Ecclesiae Doctoris, ideoque pro tali esse colendum et publicae fidelium venerationi exponendum. "

« Nuntio tam sancti, tam gravis et maturi iudicii episcopalis ad nos perlato, prae gaudio exsiliit cor nostrum, summaque laetitia perfusi gratias Deo egimus quod suam gloriam in sancti Augustini exuviis canonice vindicatis augere voluerit, quem, ob sanctimoniam atque intemeratam doctrinae excellentiam, ut fulgentissimum Ecclesiae lumen, Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Coelestinus, Gelasius, Hormisdas aliique decessores nostri Romani Pontifices magno semper in honore habuerunt, nosque ipsi ut Parentem aeque ac Magistrum veneramur, utpote cuius Regulam et doctrinam in nostro Praedicatorum Ordine a primis adolescentiae annis professi sumus, et, favente Deo, profitemur ».[1]

[1] Die 23 ianuarii, an. 1728, *Bullar. O. P.*, to. VI, p. 652, Const. *Animi curas*, ubi in nota 4ª significat docte P. Brémond curnam Augustinus dicatur « Ecclesiae lumen ».

Ordo, inquam, Praedicatorum, non solum auctore Dominico Regulam Sancti Augustini profitetur, sed etiam, auctore imprimis Doctore Angelico, doctrinam sequitur. Unde pontificia elogia Augustino tributa cedunt in approbationem et laudem doctrinae sancti Thomae.

LXVIII.

CLEMENS XII.

1730-1740.

175. Pluries atque solemniter sancti Thomae eiusque Scholae doctrinam vindicavit et commendavit.

Imprimis enim, dum facultatem firmavit lauream doctoratus conferendi iis etiam extraneis, qui Theologicae Facultati operam dedissent in scholis Fratrum Praedicatorum, ita habet:

« Verbo Dei scripto et tradito innixam scientiam, res divinas et mores christiano nomine dignos, ad rectam Ecclesiae ministrorum istitutionem et salutem animarum solide pertractantem, eiusque Doctores ac Magistros, pietate venerabiles, commendari tunc maxime convenit, quum ingruente falsorum dogmatum illuvie, fides catholica et christiani mores, supremae curae nostri commissi, periclitantur: quo loco decessores nostri Romani Pontifices sanctum Christi confessorem Thomam Aquinatem, Ordinis Praedicatorum et Ecclesiae Doctorem, honoris causa Angelici cognomento ap-

[1] Die 22 septembris, an. 1728, *Bullar. O. P.*, to. VI, p. 668, Const. *Ad summi*.

pellatum, semper habuerunt, eum propterea iustis laudibus in suis diplomatibus prosecuti, et praesertim Alexander IV, qui Thomam adhuc viventem, per Dei gratiam thesaurum litteralis scientiae adeptum pronuntiavit. Inque eius vestigia subincurrentes, alii Romani Pontifices subsecuti, Ioannes XXII, Clemens VI, Urbanus V, Nicolaus V, Pius IV et beatus Pius V, Sixtus V, Clemens VIII, Paulus V, Alexander VII, Innocentius XII et Benedictus XIII, qui omnes uno eum ore approbantes, in sacris Ecclesiae Fastis, iuxta magnos Ecclesiae Doctores, Gregorium, Ambrosium, Augustinum et Hieronymum, Thomam quoque, ut vitae probitate et sanctioris Theologiae scientia venerabilem, miraque eruditione Ecclesiam Dei clarificantem, ac sancta operatione fecundantem, coli voluerunt. Itaque tanti viri doctrinam, in Conciliis etiam oecumenicis celebratam, debitis praeconiis, rei publicae causa, nos quoque ornare cupientes,... pro nostra erga beatum Thomam devotione, totumque Ordinem de Ecclesia praeclare meritum, singulari benevolentia,... ad amplificandum sub tanto Magistro probae incorruptaeque doctrinae studium inter iuvenes, divino famulatui per sacratiores disciplinas addictos, motu proprio, ex certa scientia et mera voluntate nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, in quibuscumque gymnasiis, scholis, studiis et collegiis Ordinis Fratrum Praedicatorum, extra caeteras Studiorum Generalium Universitates erectis vel erigendis, concedi, extendi, et prorogari volumus ac decernimus pro externis quibuscumque saecularibus... ut... laurea Doctoralis seu Magistralis, Praesentatura, Licentia, Baccalaureatus atque alii gradus consueti in sacra Theologia libere et licite conferantur, quos quidem gradus iis pares esse volumus qui in hoc nostro Archigymnasio et Academia Romanae Sapientiae nuncupato, quibuscumque Scholaribus solemni caeremonia conferri solent; idemque hoc privilegium omnino valere statuimus in quibuscumque insignioribus civitatibus et locis... ».[1]

176. Quum tamen nonnulli pertinaciter in murmurationibus et calumniis suis pergerent, hinc paulo post ista addidit Pontifex:

« Apostolicae providentiae officio á praedecessoribus nostris fel. rec. Clemente XI et Benedicto XIII sapienter impenso, ad dissipandas novatorum calumnias et artes, per quas inducta proscriptis erroribus catholicorum dogmatum larva et sanctorum Doctorum illustria nomina obtendentes simplicium animos a debita Constitutioni quae incipit *Unigenitus*, obedientia deterrere moliebantur, nos paterna quoque solicitudine inhaerentes, magnopere dolemus, tenebras a dissensionis filiis offusas nondum

[1] Die 28 augusti, an. 1733, *Bullar. O. P.*, to. VI, p. 736, Const. *Verbo Dei scripto:* quae tibi ad integrum legenda est.

ex quorundam mentibus satis esse discussas, sed plerosque etiam nunc intolerabili pertinacia contendere censuris laudatae Constitutionis doctrinam sanctorum Augustini et Thomae de divinae gratiae efficacia esse perstrictam. Ut igitur nullas charitatis partes ad revocandos errantes nobis reliquas faciamus, universis et singulis Christifidelibus, quacumque dignitate, etiam episcopali et maiori fulgentibus, in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus, et sub canonicis poenis mandamus, ne disputantes aut docentes, sive in scholis, sive in concionibus, sive in scriptis editis, sive aliter, propositiones defendant aut enuncient quae antedictas novatorum calumnias firmare ac promovere possint. Mentem tamen eorundem Praedecessorum compertam habentes; etc. ».[1]

177. Nonnulla alia forent addenda, quod nempe confirmat Statuta ac privilegia cathedrae sancti Thomae Aquinatis, ad commendationem « tutissimae doctrinae sanctorum Patrum Augustini et Thomae » in Universitate Mutinensi;[2] vel quod pontificia autoritate approbet Universitatis Manilensis Statuta, sub denominatione et tutela sancti Thomae positae;[3] quod nonnulla egregie statuit pro Collegio Sancti Thomae Agrigentino,[4] vel de laureandis in Provincia Sancti Petri Martyris.[5]

Quibus aliisque omissis, hic istud probe notandum est, Clementem XII, non secus ac Praedecessores, hanc esse doctrinae divi Thomae commendationem, ut non modo doctrina illa exinde dimittatur qua nihil fidei contrarium continens, sed approbatur qua in se tutissima et fidei cohaerenissima.

LXIX

BENEDICTUS XIV.

1740-1758.

178. Neque doctissimi huius Pontificis suffragium in doctrinam sancti Thomae, post tantam encomiorum seriem, defuit. Cuius pontificiae devotionis plurima prostant testimonia. Cum imprimis curatores Collegii Sancti

[1] Die 2 octobris, an. 1733, *Bullar. O. P.*, to VI, p. 738, Const. *Apostolica Providentiae.*

[2] Die 16 aprilis, an. 1732. Ibidem, p, 275, Const. *Exponi nobis.*

[3] Die 2 septembris, an. 1734. Ibidem, p. 746, Const. *Dudum emanarant.*

[4] Die 5 martii, an. 1726. Ibidem, VII, p. 391, Const. *Exponi nobis.*

[5] Die 17 septembris, an. 1736. Ibidem, p. 400, Const. *Exponi nobis.*

Dionysii extra muros Granatae urbis positi, postularunt innovari et augeri eiusdem Collegii Theologici privilegia, atque sancti Thomae doctrinam in eodem restitui, prohibuit sub poena excommunicationis sibi suisque successoribus reservatae, ne cui deinceps fas esset sententias a thomistica doctrina alienas ibidem profiteri, quam etiam ut et Angelicum eius auctorem maximis extulit laudibus atque pietatis suae egregiis comprobationibus. Approbat ex animo Pontifex statutum quo reducenda erit in Collegium Dionysianum doctrina sancti Thomae in eodem primitus tradita, iuxta fundatoris intentum, atque ita prosequitur: « Doctrinae enim sancti Thomae Aquinatis, divinae voluntatis interpretis, vitae sanctitate et miraculis clari, tantum fuit tributum ut christianae eruditionis suae divinum etiam illud habeat testimonium, sicut pie testatur historia: " Bene de me, Thoma, scripsisti! " Atque eiusdem quidem doctrinae testis est ingens librorum numerus, quos ille, brevissimo tempore, in omni fere disciplinarum genere, singulari ordine ac mira perspicuitate, sine ullo prorsus errore conscripsit... Quandoquidem omnipotentis Dei providentia factum est ut Angelici Doctoris vi ac veritate doctrinae, non solum innumerae quae vel ipsius aetate vel antea grassatae sunt, sed multae etiam quae deinceps exortae sunt, haereses, confusae et convictae dissiparentur. Eapropter, cum tanti Doctoris opera sole clariora, sine ullo prorsus errore conscripta, quibus Ecclesiam Christi mira eruditione clarificavit, inoffenso pede decurri possint, nos qui peculiari pietate ac veneratione eundem Angelicum Doctorem semper prosecuti sumus, quemadmodum Romani Pontifices praedecessores nostri magno etiam in honore ipsius doctrinam habentes, meritis quoque laudibus cumularunt, nostris itidem apostolicis vocibus collaudantes. Statutum eiusmodi approbamus et confirmamus, necnon apostolici praesidii munimine roboramus, ita ut deinceps nemo ex Magistris sive Lectoribus eiusdem Collegii Dionysiani aliam doctrinam, ac praesertim in rebus theologicis, praeter unicam sancti Thomae Aquinatis doctrinam in scholis et cathedris dicti Collegii auditoribus legere, tradere et explicare possit.»[1]

179. Nec multo post quum in coenobio Fratrum Praedicatorum, in oppido Lugo, Dioecesis Imolensis, constituenda esset cathedra Theologiae Moralis in usum sacerdotum saecularium, sic consilium huiusmodi approbavit idem Pontifex Benedictus: « Nos perpendentes uberem fructum qui in animarum salutem redundabit ex Angelici Doctoris et Magistri doctrina, de cuius laudibus tam luculenter atque honorifice prolo-

[1] Quod diploma editum est die 21 augusti, an. 1756; atque impressum una cum *Actis Capituli Generalis O. P.*, Romae, an. 1756 celebrati. Vide *Acta Capitulorum generalium*, vol. IX, pp. 220-226.

cuti sunt Romani Pontifices, praedecessores nostri, Alexander IV, Ioannes XXII, Clemens VI, Urbanus V, Nicolaus V, Pius IV, sanctus Pius V, Sixtus V, Clemens VIII, Benedictus XIII, et Clemens XII, in suis, et nos in nostris respective Litteris alias expeditis... fundationem, erectionemque dictae cathedrae Theologiae Moralis divi Thomae Aquinatis... auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus ».[1]

180. Generalibus Praedicatorum Comitiis Romae celebratis interesse, anno 1756, voluit Pontifex, atque Patres adunatos alloqui.[2] Porro post-

[1] Die 6 aprilis, an. 1754. Istud Breve editum fuit una cum *Actis Capituli Generalis Ord. Praed.*, Romae celebrati an. 1756. Vide *Acta Capitulorum Generalium*, vol. IX, p. 231 sq. Ibidem lege facti denunciationem.

[2] Cf. *Acta Cap. Rom.*, an. 1756, Denunt. 3, Romae apud Salvioni. Cf. *Acta Capitulorum Generalium O. P.*, vol. IX, p. 196.

Quia perhonorificam Ordini Praedicatorum esse censemus hanc quam ipse Pontifex, Pontificum doctissimus, amicitiam enarravit exstitisse inter se ipsum atque Ordinem illum, hinc totam allocutionem ab ipso habitam, die 3 iulii, referimus inter notas:

« Magna res agitur in hoc conventu vestro, dilecti Filii, cui hodierna die praesidemus: nec modo pro Familiae vestrae rationibus gravissima, sed etiam pro totius Ecclesiae statu non leve pondus habitura: cui perficiendae incredibili cum gaudio nos interesse profitemur, ut omnibus manifestum faciamus gratum memoremque animum nostrum erga Ordinem vestrum, quem summo ipsius merito iamdudum amamus et colimus.

« Verum quanta sit agendae rei magnitudo silentio praetermittemus, cum nemo vestrum ignoret cuius momenti sit Magistrum Generalem Ordinis vestri deligere, cui semel delatum regimen, perpetuum, dum vixerit, futurum erit; cumque unusquisque ex eo splendoris loco, quem Dominicana Familia in Ecclesia Christi obtinet, facile intelligat illius Rectoris electionem non ad solam eiusdem Familiae utilitatem et administrationem referri, sed etiam ad universam Christianam Rempublicam ratione aliqua pertinere.

« Itaque sermonem nostrum redigemus ad ea quae nos Ordini vestro debere cognoscimus, quaeque nos ita iampridem affecerunt, ut eundem et amare et colere semper professi sumus et adhuc profitemur; eaque de causa praesentem diem felicissimum nobis existimemus, et inter paucos illos adnumerandum quos sexdecim hisce calamitosi pontificatus nostri annis, cum aliqua animi voluptate transegimus.

« Et sane post absoluta leviorum artium studia, cum sacrae Theologiae operam dederimus, non magnos in ea progressus nos fecisse intelligimus: sed, si quid profecimus, id omne acceptum referre debemus bon. mem. Cardinali Thomae Ferrario, clarissimo Ordinis vestri theologo, qui rectam nobis nobilissimae disciplinae viam aperuit, suaque institutione atque opera ad incoeptum iter prosequendum adiuvit: immo, cum Palatii Apostolici Magisterio fungeretur, theologicae laureae honorem ipse nobis detulit, eaque occasione monumentum scripto exaratum reliquit, quo de propensa nostra erga sanctiores disciplinas vo-

quam multas laudes Ordinis pronuntiavisset, de re nostra sic est prosecutus: « Quod si forte reliqua familiae vestrae ornamenta et in Ecclesiam Catholicam promerita ex animo nostro excidere unquam potuissent, hoc tamen profitemur nullo unquam tempore evenire potuisse ut e memoria nostra dilaberetur Theologorum Princeps, Scholarum Angelus, Ecclesiae Doctor, praeclarum Ordinis vestri sidus, sanctus Thomas Aquinas, cuius doctrinae complures Romani Pontifices, praedecessores nostri perhonorifica dederunt testimonia, quemadmodum nos ipsi in libris quos de variis argumentis conscripsimus, postquam Angelici Doctoris sententiam diligenter scrutando percepimus atque suspeximus, admirabundi semper atque lubentes eidem adhaesimus atque subscripsimus, candide profitentes si quid boni in iisdem libris reperitur, id minime nobis, sed tanto praeceptori totum esse adscribendum ».

luntate honorifice testabatur, maioraque a nobis exspectari posse declarabat, si, quemadmodum animati tunc videbamur, in instituto curriculo persisteremus.

« Amplam hanc aulam [scilicet Casanatensem] in qua nunc considemus, nos ipsi a fundamentis excitari olim vidimus, mox omnigena litteraria supellectile ornari, ita ut inter insigniores universi Orbis Bibliothecas merito accenseatur; eandemque, postquam studiosorum commodo patefieri conspeximus, cum primis adire certavimus, et frequentare nunquam destitimus, donec impositae nobis alterius generis curae nos alio avocarunt. Longiori autem vitae nostrae cursu, quem, paucis detractis annis, in Urbe egimus, nemo ex sodalibus vestris fuit vel dignitate, vel sapientia et doctrina excellens (fuerunt autem excellentes permulti) qui nos omni officiorum genere et praecipua quadam amicitiae necessitudine complexus non fuerit.

« Sed reliqua multa omittentes, hoc unum commemorabimus, sublimem cardinalatus dignitatem, quam immerentes adepti fuimus, eximiae erga nos liberalitati sanctae memoriae Benedicti XIII Pont. Max., et Ordinis vestri olim alumni, unice a nobis deberi.

« Regressi deinde Bononiam, patriam nostram, vigentem in ea invenimus memoriam rerum a sancto Dominico Patriarcha vestro, in ea gestarum: tum scilicet insignium peccatorum, qui assiduis illius concionibus permoti a semita iniquitatis ad viam salutis revocati fuerunt; tum virorum doctrina et sanctitate illustrium, qui in ea urbe Sodalitati vestrae nomen dederunt; tum etiam Generalium Comitiorum quae prima omnium Ordinis vestri ibidem habita fuerunt, in quibus ipsius Ordinis praefectura eidem sancto Dominico Fundatori communibus suffragiis delata fuit; denique cives nostros cum incredibili animi nostri laetitia perpetuo vidimus obsequiis et votis celebrare sepulchrum Patriarchae vestri, qui Bononiae ex hac vita decedens, pretiosum reliquit corporis sui thesaurum, quod quidem augusto mausoleo conditum ibidem summa cum religione asservatur.

« In ipsa vero administratione archiepiscopalis officii, quod ibi pluribus annis gessimus, oculos saepe convertimus ad praeclara gesta Iacobi Boncambii, qui ex Ordine vestro ad Bononiensem Ecclesiam regendam assumptus, tanta in verbi Dei praedicatione famae celebritate floruit, ut finitimarum civitatum po-

Benedicto alloquenti sic reposuit P. Thomas de Boxadors, Magister Generalis Ordinis Praedicatorum: « . . . Ac quod Sanctitas vestra Pontifices Maximos praedecessores suos Sanctaeque Romanae Ecclesiae Cardinales ex Ordine Praedicatorum ad amplissimos illos honorum gradus evectos, ipsumque Ordinem eiusque alumnos, praesertim vero Angelici Magistri nostri Thomae Aquinatis doctrinam, tot tamque insignibus laudibus extulerit, nos quidem omnes non solum incredibili voluptatis fructu, tanta ista benevolentiae significatione complevit, sed traduxit etiam in maximam admirationem sapientiae, doctrinae atque eruditionis Sanctitatis vestrae incredibilis ac plane singularis. Quamobrem quae antea Familiae nostrae ornamenta iucunda semper fuerunt ipsa per se, erunt profecto deinceps propter insigne Sanctitatis vestrae praeconium et laudationem multo iucundiora, horumque adeo Comitiorum, huiusque et diei et loci memoria nulla unquam

puli, quemadmodum historiae nostrae testantur, ad illum audiendum percipiendumque ex illius ore salutis scientiam certatim confluxerint.

« Postquam vero, nihil tale promeriti, ad supremum Pontificatus apicem devenimus, propensa nostra erga Dominicanam Familiam amoris et cultus affectio supra quam dici potest excrevit. Apostolicam enim beati Petri Cathedram trophaeis suis exornant tredecim ex alumnis vestris, qui a Romanis Pontificibus, post accuratissimum omnium examen, in Sanctorum numerum relati fuerunt, inter quos sanctus Pius V, praedecessor noster, pro cuius canonizatione, dum in minoribus essemus constituti, Advocati Consistorialis munere fungeremur, operam laboresque nostros impendisse gloriamur; et sancta Catharina de Ricciis, quam nosmetipsi Sanctarum Virginum Catalogo adscripsimus.

« Praeterea novemdecim e vestris sodalibus eiusdem Apostolicae Sedis Decreto in Beatorum numerum rite cooptatos invenimus: ex his vero decem, vel nobis dum Promotoris Fidei munus sustineremus, studia nostra conferentibus; vel nobis ipsis e Pontificio Throno decernentibus, is honor delatus fuit.

« Hunc ipsum Apostolicum Thronum quatuor ex Ordine vestro Pontifices ante nos tenuerunt, videlicet Innocentius V, quem sanctus Antoninus insigni laudis praeconio commendavit; Benedictus XI, ex Beatorum quos innuimus, et Pius V ex Sanctorum de quibus diximus numero; ac demum Benedictus XIII, cuius virtutum et recte factorum testes nos ipsi fuimus.

« Quod si forte reliqua Familiae vestrae ornamenta et in Ecclesiam promerita ex animo nostro excidere unquam potuissent, hoc tamen profitemur nullo unquam tempore evenire potuisse ut e memoria nostra dilaberetur Theologorum Princeps, Scholarum Angelus, Ecclesiae Doctor, praeclarum Ordinis vestri sidus, sanctus Thomas Aquinas, cuius doctrinae complures Romani Pontifices, praedecessores nostri perhonorifica dederunt testimonia, quemadmodum nos ipsi in libris quos de variis argumentis conscripsimus, postquam Angelici Doctoris sententiam diligenter scrutando percepimus atque suspeximus, admirabundi semper atque lubentes eidem adhaesimus atque subscripsimus, candide profitentes si quid boni in iisdem libris reperitur, id minime nobis, sed tanto Praeceptori totum esse adscribendum.

oblivione delebitur, sed vigebit semper ad praedicationem totius Ordinis sempiternam».[1] Ita P. Boxadors, cum toto suo Ordine.

«Hactenus, dilecti Filii, de hodierni operis cui praefuturi sumus gravitate, ac de paterna prorsus benevolentia et singulari existimatione, qua Ordinem vestrum iustissimas ob causas superius expressas, aliasque facile his adiiciendas prosequimur. Reliquum est ut de re ipsa quam hic peracturi convenistis, id est de electione Magistri Generalis eiusdem Ordinis vestri aliqua attingamus. Verum quid unquam afferre poterimus quod iam probe non teneatis, quodque unusquisque vestrum ab inclito quem proxime laudavimus Praeceptore Thoma Aquinate non didicerit? Si dicemus huiusmodi Magisterium ei deferendum esse qui omnium optimus inter vos habeatur; si dicemus non esse omnium optimum qui sola vitae sanctimonia antecellat, sed qui praeter morum probitatem, quae quidem necessaria est, aliis quoque virtutibus atque animi dotibus ad recte regendam Familiam idoneis instructus comperiatur, nihil porro dicemus quod in operibus Angelici Doctoris egregie constabilitum et a vobis iampridem lectum atque animadversum non fuerit. Si dicemus suffragia vestra, sepositis peculiaribus affectionibus et propriae utilitatis respectu, nihil aliud intueri debere quam eorum virtutes et merita quorum electio vobis animo obversatur, nihil dicemus quod non egregius Praeceptor vester tradiderit. Itaque nil aliud nobis dicendum superest, nisi ut id agatis quod vos Praeceptor ille vester agendum docuit, utque tales vos exhibeatis, quales, dum alias electiones ab aliis celebrari audistis, eos se praestare oportere dicebatis, qui in eis suffragium laturi erant. Quibus maxime rebus Ordo vester indigeat vobis potissimum debet compertum esse. Quis huic sustinendo muneri idoneus, quis supra caeteros ad id aptus, et bene regendi capax videatur, cognoscere vos arbitramur. Ne autem in errorem vos labi forte contingat, supplices iterum ut antea vos saepe fecisse putamus, ad Deum Patrem luminum preces effundite, et patrocinium et opem sancti Dominici Patriarchae vestri aliorumque sodalium vestrorum cum Christo regnantium, quique inter Beatos vel Sanctos ab Ecclesia coluntur, vobis deposcite, dum nos interea qui vestris hisce Comitiis non alio fine intersumus, quam ut vestram in ferendis suffragiis libertatem salvam et incolumem praestemus, novi Magistri Generalis electionem a vobis iamiam perficiendam, apostolica benedictione nostra prosequimur, et in antecessum amantissime complectimur». *Acta Capitulorum generalium O. P.*, vol. IX, pp. 196-200.

[1] Capitulum Generale Ordinis celebratum est in aula magna eademque magnificentissima Bibliothecae Casanatensis, ibidemque Benedictus orationem suam habuit. Cuius facti exstat memoria marmori insculpta iuxta scalam maiorem qua ad aulam perducitur:

BENEDICTO XIIII | PONT. MAX. QVOD | COMITIIS ORDINIS NVTV AVSPICIOQVE SVO | V NON. IVLIAS A. MDCCLVI | IN BIBLIOTHECA CASANATENSI GESTIS | PRAEFVERIT | SVFFRAGIORVM LIBERTATEM PRAESENTIA SVA | CONFIRMAVERIT | DE INSTITVTO PRAEDICATORVM | DEQVE SANCTI THOMAE DOCTRINA | INCREDIBILI NITORE COPIA GRAVITATE ORATIONIS | HONORIFICENTISSIME DIXERIT | PATRIBVSQVE REM BENE ET CONCORDITER ACTAM | GRATVLATVS | MAGISTRVM ORDINIS CVNCTIS SVFFRAGIIS CREATVM | BENIGNE COMITERQVE COMPLEXVS FVERIT | MAGISTER IPSE | FR. IOHANNES THOMAS DE BOXADORS | ORDOQVE VNIVERSVS | PIO FELICI OPTIMO | PRINCIPI | D. N. M. Q. E.

181. Haud secus et alias pluries idem Pontifex: «Angelicus Scholarum Princeps Ecclesiaeque Doctor, sanctus Thomas Aquinas, dum tot conscripsit nunquam satis laudata volumina, varias necessario offendit Philosophorum Theologorumque opiniones, quas, veritate impellente, refellere debuit: caeteras vero sancti Doctoris laudes id mirabiliter cumulat, quod adversariorum neminem parvipendere, vellicare aut traducere visus sit: sed omnes officiose ac perhumaniter demereri. Nam si quid durius, ambiguum, obscurumque eorum dictis subesset, id leniter benigneque interpretando emolliebat; si autem religionis ac fidei causa postulabat, ut eorum sententiam exploderet ac refutaret, tanta id praestabat modestia, ut non minorem ab iis dissentiendo quam catholicam veritatem asserendo laudem mereretur».[1]

Ordinem exinde beneficiis cumulavit variis, quibus relucent idem amor, eadem benevolentia.[2]

[1] *Bullar. Benedicti XIV*, Const. *Sollicita*, to. IV, § 24.

[2] Hic addenda videntur nonnulla quae ad rem nostram, non historice modo, sed etiam iuridice faciunt. Laus caeterum et approbatio doctrinae thomisticae est quod damnantur eiusdem impugnatores.

Non obstantibus pontificiis decretis, Iansenistae aliique calumnias suas in doctrinam sanctorum Augustini et Thomae indeficienter propalabant. Ita imprimis PHILIPOPOT, in libro *Histoire du Baïanisme;* COLONIA, in sua *Bibliothèque Janséniste;* PATOUILLET in suo *Dictionnaire des livres jansénistes;* P. X. in sua *Lettre d'un Docteur de la Sorbonne,* centumque alii, libris, libellis, thesibus, conventiculis, etc., sicque ut quasi haeretici traducebantur non Praedicatorum theologi modo, sed viri eximii extra Ordinem, quales fuere Noris, Bona, Ginetti, Berti, etc.

Quod enarrat P. Ricchini, Secretarius Indicis, in epistola data die 14 martii, 1750. Agens de P. X., larvato sorbonico doctore, ait: «Quanto cum stomacho quantaque cum indignatione scriptum legerint cum ineptum et insulsum, tum temeritatis audaciaeque plenum, dici vix potest...». De *Bibliotheca Iansenistica* autem P. COLONIAE, ita: «Cum primum edita fuit [Bibliotheca], nemo Coloniae diligentiam in libris notandis qui pravitate iansenisticae doctrinae essent infecti non laudavit; nemo non vituperavit licentiam et temeritatem qua usus est in reponendis eodem numero plerisque virorum catholicorum libris, ob quasdam opiniones quae non modo damnatae non essent, sed libere a scholis catholicis, et quod maius est, Romae sub oculis Romanorum Pontificum publice defenderentur. Id enim agere, praeterquam quod iniuriosum erat catholicis viris, putabant non licere Coloniae per leges Romanorum Pontificum Innocentii XII, Clementis XI, itemque XII, qui cum viderent esse qui temere invidiosa Iansenismi accusatione abuterentur, et saniores Augustinianae Thomisticaeque Scholae opiniones, quo suas melius tuerentur, Iansenii Quesnellique erroribus affines esse praedicarent, indignum esse iudicarunt praeclarissimas Scholas obnoxias esse calumniae, et malitiosam coërceri debere accusationem. Quare prohibuerunt, gravissima proposita poena, ne quisquam disputando aut scribendo auderet earum Scholarum opiniones ulla eiusmodi afficere censura...

Addendum hic foret celeberrimum doctrina Pontificem scriptis divi Thomae perpetuo fuisse in propriis operibus usum, sive doctrinam, sive

« Non enim hodie parum abest quin accusetur, vel in suspicionem vocetur, sed accusatur reipsa, et in suspicionem Iansenismi vocatur quicumque, repudiato ut licet et decet, Molina, doctrinam tuetur sanioris Scholae Augustinianae, vel eas quas supra indicavi Lovaniensis Academiae vestrae opiniones defendit. Incredibilis est enim omnium imperitorum accusandi libido, qui iam pene in Symbolo Apostolorum videntur sibi Iansenismum videre...

« Unum restat ut qualem fructum ex hac larvati Sorbonici epistola percipiat haeresis Ianseniana diligenter attendas. Equidem coepta est haec haeresis, cum primum damnata fuit, primum a catholicis iuvari. Nam quae odio, ut par erat, habita ab omnibus fuisset, planeque concidisset, si in iis in quibus erat oppugnata fuisset, improborum opera in viros catholicos et egregios scriptores, malitiose translata exui quodammodo deformitate coepit, et minus quam reipsa perniciosa iudicari... »

Doctissima haec eleganter fusiusque extensa epistola primo prodiit sub nomine ROMANI PHILALETHIS *ad Theologum Lovaniensem*; postmodum vero iterum prodiit in *Supplemento Historiae Ecclesiasticae* NATALIS ALEXANDRE, to. II, pp. 220-224, edit. Bassan, an. 1778. Haec prorsus digna est quae attente legatur, tum ad cognitionem factorum, tum ad intellectionem principiorum ibidem enuntiatorum.

Haud secus in Galliis res cedebat, quod ad P. Concinam epistola privata scripsit P. Dufour, Tolosanus professor Theologiae: « Les *Paradoxes* qui sont en vogue par delà les monts, n'étant par moins à la mode de ce royaume, la France a vu avec plaisir, mon très révérend Père, la réfutation que vous en avez faite. Ici, autant que chez vous, quelque soumis que nous soïons au décret du Saint Siège, on nous décrie comme jansénistes. Nos évêques qui ont condamné les erreurs du P. Pichon sont taxés tout haut de rigorisme. Depuis la proscription de la *Bibliothèque* du P. COLONIA, certaines gens ne cessent de répandre dans Paris que le Pape, le Général des Dominicains et le P. Ricchini sont des jansénistes décidés. Dans ces circonstances, les *Paradoxes* étaient nécessaires... »

Cf. P. D. FASSINI, *De Danielis Concinae vita*. Append. Epist. clar. vir. ad P. Concinam, p. 57, edit. Brix, 1767.

De hisce omnibus vide ipsum CONCINAM, *Storia del Probabilismo*, vol. I, pp. 11, 136, 153, 283, 493.

Ut sese offert occasio, hic notetur Concinam fuisse doctissimo Benedicto Papae XIV amicissimum, ab eodemque in omnibus suis operibus et animatum et protectum. Id satis sit adduxisse quod Concina ad Pontificem in dedicatione suae *Theologiae Christianae* habet: « Opus istud ut Sanctitati tuae inscriberem atque consecrarem, prae multis, impulerunt caussae duae, quarum haec princeps est, quod tu ingentes ad illud aggrediendum perficiendumque animos mihi feceris, etc. »

Praedicta attendens oculatissimus Pontifex triplicem imprimis tulit condemnationem in calumniatores.

Primo in calumniatores sapientissimi Cardinalis Norisii, die scilicet 31 iulii, 1748, ex quo documento excribimus quod ad rem nostram expresse facit: « Tu scis in celeberrimis quaestionibus de praedestinatione et gratia et de modo

etiam verba eius adhibens et asserens, ita ut in uno Compendio operis *De Beatificatione* Sanctorum, a P. Em. de Azevedo conscripto plusquam

conciliandi humanam libertatem cum omnipotentia Dei, multiplices esse in Scholis opiniones.

« Thomistae traducuntur uti destructores humanae libertatis, et uti sectatores nedum Iansenii, sed etiam Calvini: sed quum ipsi obiectis apprime satisfaciant, nec eorum sententia fuerit unquam a Sede Apostolica reprobata, in ea Thomistae impune versantur, nec fas est ulli superiori ecclesiastico in praesenti rerum statu eos a sua sententia removere. Augustiniani traducuntur tanquam sectatores Baii et Iansenii; reponunt ipsi se humanae libertatis fautores esse, et oppositiones pro viribus eliminant... Sectatores Molinae et Suaresii a suis adversariis proscribuntur perinde ac si essent Semipelagiani: Romani Pontifices de hoc moliniano systemate usque adhuc iudicium non tulerunt, et idcirco in eius tuitione prosequuntur et prosequi possunt ».

Epist. apolog. pro Card. Norisio, data die 31 iulii, 1748.

Adverte Thomistas, iudice Pontifice, non esse damnandos siquidem « obiectis apprime satisfaciunt »; Molinistas vero, quia « Pontifices de moliniano systemate usque adhuc iudicium non tulerunt ».

Alludit Pontifex ad sententiam post *Congregationes de Auxiliis* ferendam, quam nonnulli proterve negant, asserentibus tamen coaevis summae fidei viris.

Haud secus contra Augustinum. Nihil enim petulantius in sancti Augustini auctoritatem fingi potest illis viginti duabus *Propositionibus* quas proscripsit Tribunal Inquisitionis in Hispaniis, e quibus tres adducimus:

De praedestinatione illa sola vera est sententia quam « omnes veteres tenuerent, excepto Augustino et eius discipulis.

« Augustini quaedam dogmata ab Apostolica Sede sunt damnata.

« Ecclesia a tutela et paedagogia sancti Augustini est vindicanda ».

Vide NATAL. ALEX., *Hist. Eccl.*, edit. Mansi, Bassani, 1778. Suppl. to. II, p. 272 sq. ubi varia auctorum nomina tibi prostant.

Damnari deinde Benedictus iussit libros contra Thomistas iniquos: siquidem, non obstante condemnatione lata anno 1734 in librum PHILIPOTOT, cui titulus *Histoire du Baïanisme*, aemuli idem argumentum eadem mente prosecuti sunt. Hinc damnata sunt ista opera, nempe anno 1749, *Bibliothèque Janséniste* auctore P. de COLONIA; eodem anno, *Dictionnaire des livres jansénistes*, auctore P. PATOUILLET; anno 1750, *Lettre d'un docteur de la Sorbonne*, auctore P. X.

En decretum in P. De Colonia: valde attendendum propter censurarum indolem.

« Decretum Sacrae Congregationis Eminentissimorum et Reverendissimorum DD. S. R. E. Cardinalium a sanctiss. Domino nostro Benedicto XIV, Sanctaque Sede Apostolica ad Indicem Librorum eorundemque prohibitionem, expurgationem et permissionem in universa Republica Christiana specialiter deputatorum, ubique promulgandum:

« Sacrae Indicis Congregationis Decreto damnatus et prohibitus fuit ubicumque et quocumque idiomate impressus imprimendusve liber cui titulus: *Bibliothèque Janséniste ou Catalogue Alphabétique des Livres Jansénistes, Quesnellistes, Baïanistes, ou suspects de ces erreurs, etc.* A Bruxelles, 1744, et alibi, tanquam plura continens respective falsa, temeraria, scholis et scriptoribus catholicis etiam

centum et triginta vicibus illius auctoritatem explicite adducat: quod caeterum et in aliis libris praestitit. Id caeterum ipse Pontifex supra, in Oratione sua ad Capitulum professus est.

ecclesiastica dignitate eminentibus iniuriosa, et Apostolicae Sedis decretis adversantia.

« Nemo itaque, cuiuscumque gradus et conditionis praefatum librum imprimat, vel legat, vel retineat.

« Si quis interim habuerit, Inquisitoribus seu locorum Ordinariis a praesentis Decreti notitia tradere teneatur sub poenis in Indice librorum prohibitorum contentis.

« Quibus per me infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papae XIV relatis, Sanctitas Sua Decretum Sacrae Congregationis approbavit et publicari iussit.

« In quorum fidem, etc. Romae in palatio Apostolico Quirinali, die 20 septembris 1749.

« Fr. I. A. Cardinalis GUADAGNI.
« Fr. Th. AUGUSTINUS RICHINIUS Ordinis Praedicatorum S. C. *Secretarius* ».

Haud secus demum et alias Pontifex doctissimus.

Quum enim anno 1752, propugnata fuisset in urbe Montepessulana a nonnullis in Collegio Societatis Iesu propositio quaedam antithomistica, Facultas Theologica Tolosana eandem proscripsit sequenti decreto:

« Iudicium doctrinale Facultatis Theologicae Academiae Tolosanae contra thesim non ita pridem in urbe Montepessulana propugnatam:

« Rogata Facultate Theologica Academiae Tolosanae ut suam de thesi sequenti dicat sententiam:

" Praedeterminatio physica est inutilis, tum ex parte Dei tum ex parte creaturae. Non potest conciliari cum libertate hominis. Et est Deo iniuriosa, quem facit authorem peccati."

« Ad huius lectionem obstupuit Sacra Facultas, nec sine dolore audivit vulgatam adeo apud Doctores Catholicos doctrinam, qualis est praedeterminationis physicae sententia, his deturpari notis, quibus acerbiores vix ullae contra Manichaeos et Calvinistas adhiberi possent. Quapropter censuit sacra Facultas hanc thesim temere prorsum appositam fuisse, florentissimae in Ecclesia Scholae iniuriam inferre iniquissimam, pontificiisque ac regiis sanctionibus de pace in Scholis Catholicis servanda, fugiendisque censuris ac conviciis quibus offendi utrinque possent, plurimum adversari.

« Actum Tolosae, die octava augusti labentis anni 1752, in Conventu et Scholis Sancti Patris Augustini, ubi Comitia sacrae Facultatis celebrari solent.

« IOSEPHUS JULIEN DE BOMBIGNAC, *Sacrae Facultatis Decanus* ».

Omnes summo plausu sententiam exceperunt, uno tamen reclamante. Hinc censura Facultatis ad Benedictum delata est, qui eandem Brevi approbavit:

« Dilectis filiis Iosepho Iulien de Bombignac Facultatis Theologicae Tolosanae Decano, caeterisque eiusdem Facultatis professoribus, Tolosam.

Istud hinc notatum volo, omnes nempe Pontifices Romanos pro doctrina sancti Thomae stetisse, doctiores tamen ex ipsis maiori eloquentia, fusioribus solemnioribusque laudum contestationibus et abundantiori ar-

« Dilecti Filii, salutem et apostolicam benedictionem.

« A fel. rec. Clem. XII, nostro immediato praedecessore, in suis Litteris Apostolicis expeditis 2 octobris 1733, quarum initium est *Apostolicae providentiae*, occasione disputationum in catholicis Scholis vigentium in explicanda divinae gratiae efficacia, ita sancitum est; nec primum id ab eo sancitum est, cum illud ipsum ab aliis suis et nostris praedecessoribus iam sancitum fuisset:

" Quemadmodum fel. rec. Pauli V et aliorum praedecessorum nostrorum, ad extinguendum dissentionum fomitem, vestigia prosequentes, et saluberrima mandata renovantes, auctoritate quoque nostra omnibus et singulis superius expressis [singulis scilicet Christifidelibus] interdicimus et prohibemus, sub iisdem poenis [videlicet canonicis], ne vel scribendo, vel docendo, vel disputando, vel alia qualibet occasione, notam aut censuram ullam theologicam, iisdem Scholis diversa sentientibus inurere, aut earum sententias conviciis et contumeliis incessere audeant, donec de iisdem controversiis haec Sancta Sedes aliquid definiendum ac pronunciandum censuerit.

« Porro ex hoc nemo est qui non videat sacrae vestrae Theologicae Facultatis sapientiam, sanam doctrinam, atque iustitiam, dum die 8 augusti 1752, proscribendam censuit thesim sequentibus verbis conceptam: " Praedeterminatio physica est inutilis, tum ex parte Dei, tum ex parte creaturae. Non potest conciliari cum libertate hominis. Et est Deo iniuriosa quem facit authorem peccati. "

« Haec sunt quae exponenda censuimus, dum vestris, dilecti Filii, litteris scriptis idibus martii currentis anni 1753, respondemus. Et tibi aliisque professoribus Theologicae Facultatis Tolosanae, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

« Datum Romae, apud Sanctam Mariam Maiorem, die 16 maii 1753, pontificatus nostri anno decimo tertio. »

Gratias eximias reddidit Facultas atque una cum epistola sua, ne ulli artibus suis adversarii tergiversare permitterentur, ad Pontificem transmisit exemplar decreti sui, a Rectore revisum, omnibusque munitum quibus auctoritatem conciliare posset. Hinc epistolam sequentem rescribi praedicto Decano iussit Pontifex:

« Monsieur, Hier au soir, 26 septembre, Monseigneur le Cardinal Secrétaire d'État me dépêcha un exprès, pour me dire qu'il avait à me parler de la part du Pape. Ce matin j'ai envoyé chercher une voiture, qui m'a conduit au palais de Monte Cavallo. Il s'est trouvé, comme vous pouvés croire, chez un Cardinal Secrétaire d'État, et en même temps Camerlingue, bien du monde à l'audience. Le cardinal Spinelli y a été plus d'une heure. Si tôt qu'il a été sorti, le Seigneur Secrétaire d'État m'a fait entrer dans son cabinet. Après m'avoir fait donner un fauteil près de lui, il m'a rapporté comme Sa Sainteté l'avait chargé de me dire de vous écrire, Monsieur, qu'elle est bien aize d'avoir l'Acte en forme, dont vous vous êtes précautionné; qu'elle n'est pas moins contente du zèle que vous avés fait paroître dans vos Assemblées, pour défendre et soutenir la doctrine de saint Thomas; que vous n'avez rien à craindre auprès d'elle, de la part de ceux qui vous sont opposés de sentiment; qu'en un mot c'est chose

gumentorum copia: quod patet ex hucusque dictis, praesertim de Benedicto XIV, quodque infra rursus manifestum remanebit de sequentibus Pontificibus, imprimisque de Leone XIII.

LXX.

CLEMENS XIII.

1758-1769.

182. Ille praeprimis Pontifex solemniter commendavit *Cathechismum Tridentinum*, seu *Romanum*, per egregiam Bullam, in qua haec inter alia habet: « Postquam Tridentina Synodus eas quae tunc temporis Ecclesiae lucem obfuscare tentaverant, haereses condemnavit, et catholicam veritatem, quasi discussa errorum nebula, in clariorem lucem eduxit; cum iidem praedecessores nostri intelligerent sacrum illum universalis Ecclesiae conventum tam prudenti consilio, tantaque usum esse temperantia, ut ab opinionibus reprobandis abstineret, quae Doctorum ecclesiasticorum auctoritatibus fulcirentur, ex eiusdem sacri Concilii mente aliud opus confici voluerunt, quod omnem doctrinam complecteretur, qua fideles informari oporteret, et quae ab omni errore quam longissime abesset. Quem librum *Catechismi Romani* nomine typis impressum evulgarunt;[1] dupliciter in ea

finie: *causa finità*. Il m'a ajouté, en me remettant la Lettre que vous m'avez écrite en dernier lieu, qu'il croïoit à propos qu'elle demeurât entre les mains du Saint Père, par rapport au détail qu'elle contient. J'ai répondu que je le pensois de même, et que ç'avoit été mon intention en la joignant au Paquet adressé par vous à Sa Sainteté. Ainsi il la reprit, pour la rendre au Pape, qui la gardera avec le reste.

« Je compte que vous serés content de la commission dont vous avés honoré, Monsieur, votre très-humble...

« A Rome, le 27 septembre 1753 ».

[1] Prima splendidiorque editio *Catechismi Romani* prodiit Romae in Aedibus Populi Romani, apud Paulum Manutium, cum privilegio Pii V Pont. Max. Ex documentis comprobatur *Catechismi* scriptionem inchoatam fuisse in ipsomet Concilio Tridentino, circa annum 1562. De hisce omnibus vide egregia Fr. ANTONINI REGINALDI opera, quibus tituli sunt *De Catechismi Romani auctoritate*, Neapoli an. 1765, et *De mente Concilii Tridentini*, parte 2ª, lib. 1-6, Antuerpiae, an. 1706. Cf. STEPH. SKIBNIEWSKI, *Geschichte des römischen Katechismus*. Opus egregium *De Catechismi Romani auctoritate* legere rursus potes, una cum praemissa *Dissertatione* ANDREAE SERRAE, in *Supplemento* ad *Historiam ecclesiasticam* NATALIS ALEXANDRE, Bassani 1778, pp. 132-175.

re laudandi. Nam et illuc eam doctrinam contulerunt quae communis est in Ecclesia, et procul abest ab omni periculo erroris: et hanc palam populo tradendam disertissimis verbis proposuerunt, ita Christi Domini praecepto obtemperantes, qui Apostolos dicere in lumine iussit, quod et in tenebris ipse dixisset, et quod in aure audierant, super tecta praedicare... Noverant enim fuisse antea et deinceps futuros qui pascentes invitarent, et sapientiae scientiaeque uberiora promitterent pascua, ad quos multi confluerent, quia aquae furtivae dulciores sunt et suavior panis absconditus. Ne igitur seducta vagaretur Ecclesia post greges sodalium, qui et ipsi sint vagi, nulla stabiles certitudine veritatis, semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, idcirco quae ad salutem tantummodo essent necessaria et maxime utilia, clare in *Romano Catechismo* et dilucide explanata christiano populo tradenda disposuerunt.

« Verum hunc librum non mediocri et labore compositum, omnium consentione probatum et summis laudibus exceptum, his temporibus e Pastorum manibus propemodum novitatis amor excussit, etc. ».[1]

183. Atqui *Catechismus* ille confectus est « ex decreto Concilii Tridentini », ut fert ipsemet titulus. Ipsa caeterum Synodus idem testata est;[2] et Pius V, qui *Catechismus* perfici iussit, haec habet: « Pastorali officio cupientes, quam diligentissime possumus, divina adiuvante gratia fungi, et ea quae Sacro Tridentino statuta et decreta fuerunt, exsequi, curavimus ut a delectis aliquot theologis in hac alma Urbe componeretur *Catechismus* quo Christifideles de eis rebus quas eos nosse, profiteri et servare oporteret, parochorum suorum diligentia edocerentur ».[3] Unde doctrina *Catechismi* gravissimae auctoritatis est, quia ex Decreto Concilii et iussu Pontificis compositus fuit, et a Pontificibus approbatus. At vero illa doctrina egregie et Thomistica dicenda est, tum quia Concilium Tridentinum a doctrina sancti Thomae nunquam recessit, immo perpetuo eadem usus est eamque confirmavit, quod alias ostensuri sumus; tum quia Pontifex Pius V, qui Decretum Tridentinum exsecutioni mandavit, strenuus fuit sancti Thomae discipulus et vindex; tum quia tres illi theologi quibus conscriptio *Catechismi* demandata praeprimis fuit, nempe Leonardus Marinus Archiepiscopus Lancianensis, Aegidius Fuscararius Episcopus Mutinensis, et Franciscus Forerius Theologus Lusitanus, viri utique doctissimi, fuerunt sancti Thomae in Ordine Praedicatorum asseclae egregii. Ab intrinseco iterum

[1] Ex Bulla *In Dominico agro*, data die 14 iunii 1761, quae passim legitur in recentioribus *Catechismi* editionibus, tanquam praefatio aliqua.

[2] *Acta*, sess. 24, cap. 7, et sess. ult.

[3] *Catech. Rom.*, Privilegium, edit. Manutiana, an. 1566.

probatur, ex conformitate integra scilicet doctrinam Thomae inter et ipsiusmet Catechismi identitate.[1] Quae conformitas exsistere prorsus debuit, siquidem auctores *Catechismi*, aiente Clemente XIII, « illuc eam doctrinam contulerunt quae communis est in Ecclesia », sanctus autem Thomas « Doctor communis » passim antiquitus dictus est, eo quod ipse hoc tantum in suis scriptis intendit ut sententiam ipsius Ecclesiae unice inquireret eamque ex ratione explanaret.

Conformitatem praedictam confitentur et confirmant vel ipsi Antithomistae, dum Catechismum impugnant ex doctrinis propriis ut thomisticae doctrinae sapientem.

LXXI.

CLEMENS XIV.

1769-1774.

184. Non frequentia quidem protulit, neque explicita Pontifex ille, sed implicita efficacissimaque. Dum enim ageretur de reponendo sub iurisdictione Magistri Generalis Studio celeberrimo Parisiensi, haec habuit: « Nos inter egregios Vineae Domini operarios, ex quorum assiduis laboribus maximum semper Christi Ecclesiae decus accessit, ornamentum et praesidium, eos iure ac merito recensemus qui sancti Dominici vestigia sectantes et regulas, inclitum deque Christiana Republica optime meritum constituunt regularem Ordinem Fratrum Praedicatorum nuncupatum. Hinc muneris nostri ratio et vehementer optat et modis omnibus expostulat, ut quibusvis eius commodis, quantum in Domino possumus, sedulo prospiciamus, caveamusque diligentissime ne quid in ullam eius partem irrepat ex quo splendor ille locupletissimus pietatis et doctrinae quo praeclarus hic Ordo hactenus ubique emicuit aliquod vel minimum patiatur detrimentum. Relatum porro nobis fuit Collegium Sancti Iacobi eorundem Fratrum Praedicatorum Parisiis situm eoque saluberrimo institutum consilio ut ad illud, tanquam ad celeberrimam pietatis et litterarum arcem

[1] Nonnullae dantur *Catechismi* editiones in quibus ex textu ipsius remittitur lector ad loca divi Thomae aliorumque theologorum parallela, etsi prorsus incomplete. Cuiusmodi est editio Patavina, anni 1757, quae iterum prodiit Romae, anno 1858, typis sacrae Congregationis de Propaganda Fide. Adeas iterum Theoph. Simar, *Lehrbuch der Dogmatik* et *Lehrbuch der Moraltheologie*, passim, ubi de doctrinae capitibus auctoritatem *Catechismi* et sancti Thomae simul refert.

alumni eiusdem Ordinis ex universis Galliarum provinciis accedentes, in assiduae et regularis disciplinae et sanioris doctrinae exercitatione ita versentur ut amplissimo inde decori afferendo universo Ordini et Christianae Reipublicae utilitati cumulandae apti fiant et idonei, a pristina non parum dignitate ac celebritate nominis esse prolapsum, tum ob, etc. ».[1]

LXXII.

PIUS VI.

1775-1799.

185. Dum Comitiis Generalibus Ordinis Praedicatorum Romae celebrandis die 17 maii, anno 1777, praesideret, in quibus de eligendo Magistro Generali ageretur, ita Patres, numero octoginta octo adunatos, allocutus fuit: « Gravissima hodie, dilecti Filii, deliberatio est vobis demandata, quum ex praelecta a dilecto Filio nostro Ioanne Thoma de Boxadors, Magistri Ordinis vestri dimissione, eligendus sit qui locum ipsius impleat, ut Dominicanae Familiae praesideat. Rei magnitudo postulat ut nonnulla, ex Praedecessorum instituto, proferamus. Sed prius tantisper ab argumento digrediemur ad eam exprimendam iucunditatem qua vehementer afficimur, verba facientes in loco[2] ad quem vix Romam adolescentes advenimus, gressus nostros direximus, et quem plurium annorum spatio frequentavimus, prout a nobis incoeptum vitae curriculum exposcebat. Recreat nos sane huius aulae conspectus, hi plutei, codices, volumina, quae provectionum nostrarum exordia nobis compararunt: sed grati animi sensus minime patitur a nobis praeteriri non parum nos, siquid tum profecimus, debere humanitati dilecti Filii Pii Thomae Schiara, meritissimi Congregationis Indicis Secretarii, qui tum in Praefectura insignis huius Bibliothecae omni officiorum genere studia nostra fovit et comprobavit.

« At ad propositum redeuntes, non minus laetamur nos coram alloqui selectiores scholae Dominicanae alumnos, quos ex sacris Litteris et ex Sanctorum sui Ordinis doctrinis hausisse certum habemus, quidquid in hoc praecipuo negotio agere oportet... Scimus quidem vos zelo et doctrina praestare, ac... ignota vobis non esse praecepta quibus gravissimum hoc negotium pertractetur et compleatur. Tamen scientibus etiam loqui, et secundis ventis navigantes impellere opportunum et fructuosum esse semper fuit existimatum... Interest praeterea quam maxime ut industriam

[1] Die 15 februarii, an. 1773, *Bullar. Roman.*, Contin. IV.
[2] Scilicet in Aula Magna Bibliothecae Casanatensis.

omnem conferatis in perscrutando,[1] minimeque dubii sitis ut quem caeteris praeferre iudicabitis velit in Scholis custodiri germanam doctrinam Angelici vestri Magistri, neque, seu ingenii elatione, aut nimio contentionis amore, vel ambitione triumphi, propensus sit ad alienas sententias et opiniones, quae placeant partibus, ad quarum studium etiam leviter praesumpsit adhuc inclinare. Hic omnino esset gravi malo culpandus ut protinus repudietur.[2]

186. « Inter multiplices Scholas, Thomas Aquinas sol doctrinae et theologorum antesignanus iure fuit appellatus, cum nihil nisi e sacrarum Litterarum Patrumque consensu asserat, ac quidquid scripsit meruerit, ut pie fertur, divina voce confirmari: proindeque praedecessores nostri eximiis praeconiis commendarunt tanquam Christianae Religionis clypeum firmumque Ecclesiae praesidium, ac novissime Benedictus XIV, cuius sapientiae intimi admiratores fuimus, Thomisticam doctrinam restitui iussit in Collegio Sancti Dionysii Areopagitae Montis Illipulitani extra civitatem Granatensem,[3] proposita Sacrorum interdictionis poena cuicumque qui ab ea abscessisset.

« Incumbite igitur ac suffragia vestra dirigite in eum de quo haud incertum sit an a maiorum vestrorum studiis non abscesserit, an in hodierna doctrinae depravatione, in tanta ecclesiasticae disciplinae perturbatione ac pene interitu, neque indulturus neque ullo modo passurus sit ut divinum Thomae eloquium quasi novella doctrina discutiatur, et otiosa disputatione impugnetur.[4]

Brevius haec eadem tradidit et extraneis, dum rescribens Cardinali Rupefucaldio, haec habet: « Duo prima Catholicae Ecclesiae lumina, sanctus Augustinus et sanctus Thomas ».[5]

Pius IX, praedecessoris sententiam et devotionem referens, id, die 15 iunii 1857, rescribit: « Accedit... nec ab iis [libris] in catholicas Scholas dicteriis abstineri quae recolendae memoriae Pius VI, decessor noster, solemniter damnavit ». Alludit sane Pius IX ad propositiones damnatas in Bulla *Auctorem fidei*, datam die 28 augusti 1794, quae ita se habet, n. 81: « In eo quod subiungit sanctos Thomam et Bonaventuram sic in tuendis adversus summos homines Mendicantium institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor aestus, accuratio maior desideranda fuisset: scandalosa, in sanctissimos Doctores iniuriosa, impiis damnatorum auctorum contumeliis favens ».

[1] Scilicet in ferendis scrutinii votis de eligendo Magistro Generali Ordinis.
[2] Ne scilicet in Magistrum Generalem eligeretur.
[3] Vide supra, p. 155, n. 178.
[4] Inter *Acta Capituli Generalis Ordinis Praedicatorum Romae celebrati*, anno 1777, die 17 maii, edita Romae, apud Puccinelli, eod. an.
[5] Epist. ad Cardinalem De la Rochefoucauld, die 21 martii 1791.

LXXIII.

PIUS VII.

1800-1823.

187. Dum auctoritate apostolica ratas habuit et confirmavit, die 24 augusti 1802, « conventiones inter Civitatem Maceratensem ex una et clericos regulares Barnabitas ex altera partibus, initas, super erectione Universitatis Studii Generalis in eadem civitate facienda », omnia innovata approbavit, « firmis caeteroquin remanentibus eiusdem universitatis statutis et privilegiis, firmaque remanente consueta prima hora Sacrae Theologiae in via Divi Thomae nuncupata, pro uno ex Ordine Praedicatorum lectore instituta ».[1]

[1] Const. *In summa Apostolatus*. Ita ex *Bullarii Romani* continuatione.

Indirecte etiam Pontifex commendavit doctrinam Thomisticam, dum iussit auferri Molinismum. Quod ita narrat P. Gaetanus Angiolini, Procurator Generalis Societatis Iesu: « Loquente non semel mecum Pontifice de scholis nostris, tum inferioribus, tum superioribus, cognovi nonnulla esse quae illi non arrident. Non approbat quod linguam latinam doceamus latina utentes grammatica: quod in causa est pueros longius in ea addiscenda tempus terere debeant, quam si vernacula lingua edocerentur.

« Superiores scholas quod attinet, summopere reprobat velle nos tot quaestionibus immorari mere speculativis, maxime quoad scientiam mediam: quae quaestiones ad nihil aliud inserviunt, quam ad aliorum theologorum invidiam ac rabiem contra nos concitandam. Hem! dixit, quot inimicos ex omni genere vobis ipsis comparastis, vestram mediam scientiam tam mordicus tuentes et extollentes. Eliminentur a Scholis huiusmodi systemata. Si quid de his historice tradere libuerit, bene erit: nunquam de his publice disputandum, neque de his theses exponendae. " Ma questi vostri vecchi, " sunt ipsius Pontificis verba, " hanno la testa più dura di questo legno. " Atque haec dicens ter percussit fortiter mensam.

« Porro ego, non adulationis causa, a qua summe abhorreo, sed uno veritatis amore ductus respondi me quoque semper in tali fuisse sententia; sperare, si non senes, iuniores saltem, qui modo Theologiae dant et subinde daturi sunt operam fore ut consilium hoc amplectantur, ipsique senes ut hoc idem sentiant, quantum in me erit, curaturum, promisi.

« Romae, 24 decembris, 1814. CAIETANUS ANGIOLINI ».

Quae epistola inscripta fuit et missa ad R[um] Patrem Generalem Soc. Iesu, Petroburgi commorantem. Publici iuris fecit eandem D. CHAILLOT, in libro *Pie VII et les Jésuites*, p. 358 sq., ex documentis a P. Rezzi, quondam S. I., relictis in Bibliotheca Corsiniana. Eandem rursus edidit P. SANGUINETTI in praedicti libri confutatione, p. 464.

LXXIV.

LEO XII.

1823-1829.

188. Vix cessatis turbationibus politicis, de instaurando Sanctae Sabinae de Urbe coenobio cogitat ille Pontifex, indeque emanat Breve cuius initium est: « Ad perpetuam memoriam. Lectissimam sancti Dominici Familiam, quae tot nobilitata viris, omnium virtutum laude praestantissimis, et praecipue sancto Thoma de Aquinate, ex eius doctrinae multitudine, varietate et facilitate Doctoris Angelici nomen adepto...».[1]

Ille iterum iussit Thomam Aquinatem haberi ut studiorum Protectorem in Pontificiis Statibus. Sic enim habetur ex ephemeride *Gazzetta di Bologna,* die 12 martii, 1825: « Nell'Oratorio di questa Pontificia Università fu celebrata con devota pompa la festa dell'Angelico Dottore san Tommaso d'Aquino, protettore degli Studi, come viene prescritto dalla Costituzione di nostro signore Leone XII ».

Alluditur sane ad Const. *Quod divina,* datam die 28 augusti 1824, in qua « ordinatur methodus studiorum cum pietate coniuncta in Ditione Pontificia ». In Ditione autem Pontificia duae Universitates primariae florebant, videlicet Romana et Bononiensis, et quinque Universitates secundariae, Ferrariensis nempe, Perusina, Camerinensis, Maceratensis et Firmana. Omnes utique, quoad Philosophiam et Theologiam, doctrinae divi Thomae addictissimae tum ex traditione antiqua, tum ex recentiori Pontificis praescripto.

LXXV.

PIUS VIII.

1829-1830.

189. Qui cum non nisi viginti menses regnaverit, paucissima de doctrina scripsit. Benevolentiam tamen erga Ordinem manifestavit, plurimas in eodem vel provocando, vel approbando beatificationes. Ipse iterum comprobavit Leonis XII praedecessoris praescripta, de quibus mox antea dictum est, omniaque Ordinis privilegia innovavit etiam de studiis, donec e ruinis undequaque sparsis resurgeret Ordo floridior.

[1] Die 20 iulii, an. 1827. Ex archiv. O. P. et ex *Bullario Romano.*

LXXVI.

GREGORIUS XVI.

1831-1846.

190. Id praeprimis advertatur oportet Pontificem damnasse contrarios errores, inter quos media stat veritas.

Damnavit imprimis errorem Georgii Hermesii qui « audacter e regio quem universa traditio et sancti Patres in exponendis ac vindicandis Fidei veritatibus tramite stravere deflectens, quin et superbe contemnens et damnans, tenebrosam ad errorem omnigenum viam moliatur in dubio positivo tanquam basi omnis theologicae inquisitionis et in principio quod statuit, rationem principem normam ac unicum medium esse, quo homo assequi possit supernaturalium veritatum cognitionem ».[1]

Bautainium vero traditionalistam et fideistam, e contra, iussit hisce, inter alias, subscribere Propositionibus:

« Ratiocinatio Dei exsistentiam cum certitudine probare valet. Fides, donum coeleste, posterior est revelatione; proindeque ad probandam Dei exsistentiam contra atheum allegari convenienter nequit...

« Rationis usus fidem praecedit et ad eam hominem ope revelationis et gratiae conducit ».[2]

Quae Propositiones, etsi ad Theologiam catholicam pertineant, attamen a Traditionalistis exprobrabantur imprimis sanctis Thomae et Bonaventurae, qui, ipsis iudicibus, in rationalismum inde impingebant, ut patebit infra ex propositione subscripta ab alio Traditionalistarum coryphaeo, nempe D. Bonetty. Hinc Scholasticorum, imprimisque eorundem Principis doctrinam tuetur et confirmat Pontifex.

[1] Die 26 septembris, an. 1835. Vide DENZINGER, *Enchiridion,* n. 1487.
[2] Die 8 septembris, an. 1840. Vide ibidem, nn. 1488, 1492.

LXXVII.

PIUS IX.

1846-1878.

191. Vix Ordini Praedicatorum praepositus qua Vicarius Generalis fuit Reverendissimus P. Jandel,[1] quum cogitavit de studiorum instauratione, non sola sui auctoritate, sed Pii IX iussu, qui sequentem, cum sancti Thomae encomio, *Rationem Studiorum* per Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium approbavit et promulgari praecepit:[2] unde ordinatio illa vim et indolem praescripti pontificii induit.

« Nos, ait P. Fr. V. Jandel, statim ac ad Ordinis regimen assumpti fuimus... studiorum instaurationem omni zelo promovere firmiter proposuimus... Iam operi manum, et in eo citius perficiendo sollicite versabamur, cum SS. D. N. Pius Papa IX... Commissionem ex nostro sinu depromptam instituere dignatus est, quae studiorum normam praesentium temporum necessitatibus adaptatam exararet. Nobis autem pro tanti momenti opera eos Sua Sanctitas adiunxit coadiutores, quos experientia, doctrina, scientifici labores, praecellentiaque et quidem summa cum laude exercita officia ita decorant, ut ad omnimodam operi nostro fiduciam conciliandam ipsorum nomina referre sufficiat, R^mum^ nempe P. Fr. Gaude, Procuratorem Generalem Ordinis; R^mum^ P. Fr. Antoninum Degola, Theologum Casanatensem, et R^mum^ P. Fr. Angelum Vincentium Modena, sacrae Indicis Congregationis a Secretis.

« Quorum quidem, antequam resolutiones promulgemus, quae mens, quis omnium nostrum scopus fuerit, quae praecipua meditationum et collationum obiecta, quae tandem ad nostras ordinationes momenta paucis explicare operae pretium est.

« Quoniam per saeculorum decursum a variis hostibus, variisque et formis et armis semper Catholica Fides impugnata fuit et impugnatur, necesse est ut ad eam vindicandam nascentes in diem errores detegere, idoneisque armis debellare indesinenter conemur, attento praesenti scientiarum, ingeniorum ipsorumque errorum statu...

[1] Die scilicet 1 octobris 1850.

[2] Die 9 iunii an. 1852. Missa ad Ordinem fuit die 14 iulii eiusdem anni, die nempe, ut advertit P. Jandel, sancto Bonaventurae sacra.

« Deus quidem, ut " ostenderet in saeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae in bonitate super nos, " nobis ab initio, et Ecclesiae Catholicae per nos, Doctorem Angelicum, lumen Ecclesiae, divum Thomam dedit, cuius vestigiis insistere, scriptis illuminari, doctrinam et assequi et illibatam servare aliisque fideliter tradere felix est necessitas, quam nobis ultro imposuimus, immo magis summus honor, praecipuaque Ordinis praerogativa.[1]

« Verumtamen ille sibi nimis illuderet qui sancti Thomae libros, licet divina sapientia refertos, et orthodoxae Fidei palladium, ad acquirendam theologicam scientiam sufficere arbitraretur. Omnium enim scientiarum naturalium progressum, nec non innumeri exorti errores, plurimas et magni momenti sive obiectiones, sive obiectionum solutiones ultimis hisce temporibus polemicae religiosae subministrarant, quas quidem pro sui saeculi scientia, divus Thomas antevertere non poterat, nos autem e contrario hodiedum ignorare sine periculo et dedecore non possumus.

« Et quamvis ad hodierna Philosophiae systemata, nec non ad fallaces cuiusvis aetatis doctrinas confutandum inconcusse permanantia divus Thomas posuerit, quae veritatis propugnatoribus contra quoslibet errores arma perpetuo suppeditabunt, huiusmodi tamen principia speciali pro variis erroribus applicatione indigent, et haec ipsamet applicatio non mediocris scientia est. Unde, etc. ».[2]

192. Cum tamen interea nonnulli contra veterum doctrinam perviciaciter insurgerent, eandem tutandam suscepit Pontifex. Ita quippe ad Archiepiscopum Monacensem et Frisingensem, die 21 decembris 1863:

« Neque ignorabamus in Germania etiam falsam invaluisse opinionem adversus veterem Scholam et adversus doctrinam summorum illorum Doctorum, quos propter admirabilem eorum sapientiam et vitae sanctitatem universalis veneratur Ecclesia. Qua falsa opinione ipsius Ecclesiae auctoritas in discrimen vocatur, quandoquidem ipsa Ecclesia non solum per tot continentia saecula permisit ut ex eorundem Doctorum methodo, et ex principiis communi omnium catholicarum Scholarum consensu sancitis Theologica excoleretur scientia, verum etiam saepissime summis laudibus Theologicam eorum doctrinam extulit, illamque veluti fortissimum Fidei propugnaculum et formidanda contra suos inimicos arma vehementer commendavit ».[3]

[1] Ex praeallatis documentis patet hanc necessitatem a summis Pontificibus nonnunquam impositam, semper autem confirmatam fuisse.

[2] Vide FONTANA-CICERO, *Constitutiones, Declarationes*, etc. tit. « De studiis », n. 15.

[3] Die 21 decembris, an. 1863.

Hinc post unum vix annum idem Pontifex in suo *Syllabo errorum*, hanc sequentem Propositionem damnavit:

« Methodus et principia quibus antiqui Doctores Scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt ».[1]

193. Sicut autem Scholastica scientia impugnabatur ab illis qui rationi omnia tribuunt, haud secus ab illis qui rationi omnia negant, nempe a Fideistis et Traditionalistis. Unde D. Bonetty iussus fuerat ab anno 1855, huic propositioni, inter alias, subscribere:

« Methodus qua usi sunt divus Thomas, divus Bonaventura, et alii post ipsos Scholastici, non ad rationalismum ducit, neque causa fuit cur apud scholas hodiernas Philosophia in naturalismum et pantheismum impingeret. Proinde non licet in crimen Doctoribus et Magistris illis vertere quod methodum hanc, praesertim approbante, vel saltem tacente Ecclesia, usurpaverint ».[2]

194. Explicatius sententiam suam tradidit Pius IX in *Epistola* qua Ecclesiae Minervitanae Ordinis Praedicatorum insignem reliquiam sancti Thomae assignat, die 3 martii, 1867:

« Si tristissimis hisce temporibus Ecclesiae reservavit nos Deus, gloriae etiam eius non semel nos testes esse voluit, ne scilicet aerumnis deiecti, remissius pro causa ipsius dimicaremus. Hos inter laetos eventus, sicuti iam anno millesimo octingentesimo sexagesimo septimo celebravimus decimi octavi saecularis anni, quo Princeps Apostolorum proprii sanguinis testimonio traditam confirmavit Evangelii doctrinam, sic celebraturi nunc sumus sextum saecularem annum depositionis Angelici Doctoris, sancti Thomae Aquinatis, a Divina Providentia largiti ad eandem doctrinam miro modo illustrandam, et adversus errores omnes invicte muniendam. Siquidem is ad sublimia natus, complexusque ingenio humanum excedente modum, quidquid veteres disputaverant Philosophi, quidquid docuerant Ecclesiae Patres, supernoque lumine irradiatus ad intelligendas Scripturas, extraxit digessitque scientiae universalis corpus, ubi Theologia ad scientificam exacta methodum, luculentius latiusque explicata, ac novis aucta commendationibus principaretur; Philosophia vero suis purgata mendis, una cum caeteris scientiis ipsi spontaneo concordique famularetur

[1] Die 8 decembris, anno 1864. Propositio illa notatur sub n° 13, et remittitur lector ad praedictam epistolam, quam partim habes apud DENZINGER, *Enchiridion*, nn. 1531-1537.

[2] Die 15 iunii, an. 1855, in decreto Indicis a Pontifice approbato. Vide ibidem, n. 1508.

obsequio, unde fieret ut fulgidissima veri ad unum revocati lux non modo singula eorum perfunderet et promoveret, sed etiam quotquot fuerunt aut futuri erant errorum tenebras discuteret, et efficacissima ad eos conterendos arma suppeditaret. Verum, si huiusmodi ingenii doctrinaeque prodigio, pari sanctitatis gloria splendente, tota decoratur Ecclesia, eo certe potissimum exornatur Praedicatorum Familia, quae adolescentulum veluti mater excepit, eumque pietate, litteris, disciplinis sedulo excultum ad insignem provexit sanctimoniam ac scientiam ».[1]

195. Demum, die 9 iunii, an. 1870, laudans librum ad se missum de Pontificis Romani auctoritate:

« Libentius videmus te e rei cortice ad ipsam medullam progressum ex eodem Angelico Doctore iugique discipulorum eius serie deprompsisse argumenta spectantia, constitutionis Ecclesiae indolem Romanique Pontificis praerogativas, illaque scite studioseque conquisita ea disposuisse et ordinasse industria quae in hoc themate absolutum veluti doctrinae corpus et adeo compactum oculis subiiciat, ut dum quae Vir Sanctissimus docuit clarius et fusius explicata cernuntur, a discipulorum commentariis novum vicissim robur istis additum conspiciatur a tanti Praeceptoris auctoritate. Quam sane eo maioris facimus quod eximia et prorsus angelica sanctissimi huius Viri doctrina ab ipso Christo Domino commendata feratur; et facta testantur Ecclesiam in oecumenicis conciliis post illius obitum habitis tantum detulisse scriptis eiusdem, ut sententiis inde ductis et saepe etiam verbis usa fuerit, sive ad elucidanda catholica dogmata, sive ad erumpentes errores conterendos, etc. ».[2]

LXXVIII.

LEO XIII.

1878-1903.

196. Nullus inter omnes Pontifices fuit qui adeo impense, enixe doctrinam divi Thomae non modo in se laudaverit, sed et ipsam pro posse omnibus accipiendam et suaserit et praescripserit, quantum doctis-

[1] Ex Archiv. O. P.

[2] Breve ad R. P. RAYMUNDUM BIANCHI, O. P., qui Pontifici obtulerat opus *De Constitutione monarchica Ecclesiae iuxta divum Thomam Aquinatem*, Romae, 1870.

simus ille Pontifex, ita ut ipsi possimus documentis ab ipso acceptis quasi « Bullarium Thomisticum Leonis XIII » compilare.[1]

Quum igitur non tantum in se commendet doctrinam sancti Thomae, sed et rationes gravissimas commendationum passim afferat, hinc nos omnia Pontificis testimonia simul congerere statuimus, ex collectione cui titulus *Acta Leonis PP. XIII*, edit. Vaticana, exscripta, et quidem ordine chronologico, unde mentem integram Pontificis assequatur lector studiosus.

197. An. 1878, die 21 aprilis, Leo XIII, vix ad pontificatum assumptus, ita in Bulla *Inscrutabili:* « Quo validius contendunt Religionis hostes imperitis hominibus ac iuvenibus praesertim ea discenda proponere quae mentes obnubilent, moresque corrumpant, eo alacrius adnitendum est ut non solum apta ac solida institutionis methodus, sed maxime institutio ipsa catholicae Fidei omnino conformis in Litteris et disciplinis scientiarum ratio magna ex parte dependet; quaeque non ad evertendam divinam revelationem spectat, sed ad ipsam potius sternere viam gaudet, ipsamque ab impugnatoribus defendere, quemadmodum nos exemplo scriptisque suis magnus Augustinus et Angelicus Doctor, caeterique christianae sapientiae magistri docuerunt ».[2]

198. Eodem anno, die 7 decembris, sanctissimus Pontifex ita sacerdoti Petro Antonio Uccelli, propter editionem codicis autographi *Summae contra Gentes*, ut putabatur, scribit Pontifex: « Gratulamur tibi plurimum, dilecte Fili, quod curas laboresque tuos in hoc tam insigne opus contuleris, in quo sanctus Doctor, divite vena, thesauros penitioris philosophiae effundit, et arma praebet ad refellendos nostri temporis errores peropportuna ».[3]

199. Anno 1879, die 4 augusti, solennissimam, doctissimam, percelebrem, meritoque ab omnibus laudandam, immo et laudatam, Constitutionem edidit cui initium *Aeterni Patris*, quasi ex integro mentem suam manifestans simul et comprobans. Cuius Bullae tenor iste est:

« Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis universis Catholici Orbis gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentibus, Leo PP. XIII.

[1] Hic notandum videtur Leonem plurima de doctrinis thomisticis didicisse a piissimo et docto P. Carbò O. P., qui Perusiis doctrinam sancti Thomae summo zelo tradiderat per plures annos: unde et nos aliquando audivimus Pontificem publice hisce verbis in audientia quadam interpellantem: « Che, vi ricordate, Padre Carbò, del giorno in cui ci siamo accorti che non sapevamo nulla di Teologia? », innuens se ipsum hanc ab ipso Patre Carbò plenius didicisse.

[2] *Acta Leonis XIII*, vol. I, pp. 53-54.

[3] Ibidem, pp. 158-159.

« Venerabiles Fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

« Aeterni Patris Unigenitus Filius, qui in terris apparuit, ut humano generi salutem et divinae sapientiae lucem afferret, magnum plane ac mirabile mundo contulit beneficium cum coelos iterum ascensurus, Apostolis praecepit, ut " euntes docerent omnes gentes; "[1] Ecclesiamque a se conditam communem et supremam populorum magistram reliquit. Homines enim, quos veritas liberaverat, veritate erant conservandi: neque diu permansissent coelestium doctrinarum fructus, per quos est homini parta salus, nisi Christus Dominus erudiendis ad Fidem mentibus perenne magisterium constituisset. Ecclesia vero divini Auctoris sui cum erecta promissis, tum imitata caritatem, sic iussa perfecit, ut hoc semper spectarit, hoc maxime voluerit, de religione praecipere et cum erroribus perpetuo dimicare. Huc sane pertinent singulorum Episcoporum vigilati labores; huc Conciliorum perlatae leges ac decreta, et maxime Romanorum Pontificum sollicitudo quotidiana, penes quos, beati Petri Apostolorum Principis in primatu successores, et ius et officium est docendi et confirmandi fratres in fide. Quoniam vero, Apostolo monente, " per philosophiam et inanem fallaciam "[2] Christifidelium mentes decipi solent, et Fidei sinceritas in hominibus corrumpi, idcirco supremi Ecclesiae Pastores muneris sui perpetuo esse duxerunt etiam veri nominis scientiam totis viribus provehere, simulque singulari vigilantia providere ut ad Fidei Catholicae normam ubique traderentur humanae disciplinae omnes, praesertim vero Philosophia, a qua nimirum magna ex parte pendet caeterarum scientiarum recta ratio. Id ipsum et Nos inter caetera breviter monuimus, venerabiles Fratres, cum primum vos omnes per Litteras Encyclicas allocuti sumus; sed modo rei gravitate, et temporum conditione compellimur rursus vobiscum agere de ineunda philosophicorum studiorum ratione, quae et bono Fidei apte respondeat, et ipsi humanarum scientiarum dignitati sit consentanea.[3]

200. « Si quis in acerbitatem nostrorum temporum animum intendat, earumque rerum rationem, quae publice et privatim geruntur, cogitatione complectatur, is profecto comperiet fecundam malorum causam, cum eorum quae premunt tum eorum quae pertimescimus, in eo consistere, quod prava de divinis humanisque rebus scita, e scholis philosophorum iampridem profecta, in omnes civitatis ordines irrepserint, communi plurimorum suf-

[1] *Matth.*, XXVIII, 19.

[2] *Coloss.*, II, 8.

[3] Vide supra, p. 178, n. 197.

fragio recepta. Cum enim insitum homini natura sit ut in agendo rationem ducem sequatur, si quid intelligentia peccat, in id et voluntas facile labitur; atque ita contingit ut pravitas opinionum, quarum est in intelligentia sedes, in humanas actiones influat easque pervertat. Ex adverso, si sana mens hominum fuerit, et solidis verisque principiis firmiter insistat, tum vero in publicum privatumque commodum plurima beneficia progignet. Equidem non tantam humanae Philosophiae vim et auctoritatem tribuimus, ut cunctis omnino erroribus propulsandis, vel evellendis parem esse iudicemus: sicut enim, cum primum et religio christiana constituta, per admirabile Fidei lumen, " non persuasibilibus humanae sapientiae verbis, " diffusum, " sed in ostensione spiritus et virtutis " [1] orbi terrarum contigit ut primaevae dignitati restitueretur: ita etiam in praesens ab omnipotenti potissimum virtute et auxilio Dei exspectandum est ut mortalium mentes, sublatis errorum tenebris, resipiscant. Sed neque spernenda, neu posthabenda sunt naturalia adiumenta, quae divinae sapientiae beneficio, fortiter suaviterque omnia disponentis, hominum generi suppetunt; quibus in adiumentis rectum Philosophiae usum constat esse praecipuum. Non enim frustra rationis lumen humanae menti Deus inseruit; et tantum abest ut superaddita Fidei lux intelligentiae virtutem extinguat aut imminuat, ut potius perficiat, auctisque viribus habilem ad maiora reddat. Igitur postulat ipsius divinae Providentiae ratio ut in revocandis ad Fidem et ad salutem populis etiam ab humana scientia praesidium quaeratur: quam industriam, probabilem ac sapientem, in more positam fuisse praeclarissimorum Ecclesiae Patrum, antiquitatis monumenta testantur. Illi scilicet neque paucas, neque tenues rationi partes dare consueverunt, quas omnes perbreviter complexus est magnus Augustinus, " huic scientiae tribuens... illud quo Fides saluberrima... gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. " [2]

201. « Ac primo quidem Philosophia, si rite a sapientibus usurpetur, iter ad veram Fidem quodammodo sternere et munire valet, suorumque alumnorum animos ad revelationem suscipiendam convenienter praeparare: quamobrem a veteribus modo " praevia ad christianam Fidem institutio, " [3] modo " christianismi praeludium et auxilium, " [4] modo " ad Evangelium paedagogus " [5] non immerito appellata est.

« Et sane benignissimus Deus, in eo quod pertinet ad res divinas, non eas tantum veritates lumine Fidei patefecit, quibus attingendis impar

[1] *Cor.*, II, 4.
[2] *De Trin.*, lib. XIV, cap. 1.
[3] CLEM. ALEX., *Strom.*, lib. I, cap. 16; lib. VII, cap. 3.
[4] ORIG., *Ad Greg. Taum.*
[5] CLEM. ALEX., *Strom.*, lib. I, cap. 5.

humana intelligentia est, sed nonnullas etiam manifestavit rationi non omnino impervias, ut scilicet, accedente Dei auctoritate, statim et sine aliqua erroris admixtione omnibus innotescerent. Ex quo factum est ut quaedam vera, quae vel divinitus ad credendum proponuntur, vel cum doctrina Fidei arctis quibusdam vinculis colligantur, ipsi ethnicorum sapientes, naturali tantum ratione praelucente, cognoverint, aptisque argumentis demonstraverint ac vindicaverint. " Invisibilia enim ipsius, " ut Apostolus inquit, " a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas; " [1] et " gentes quae legem non habent... " ostendunt nihilominus " opus legis scriptum in cordibus suis. " [2] Haec autem vera, vel ipsis ethnicorum sapientibus explorata, vehementer est opportunum in revelatae doctrinae commodum utilitatemque convertere, ut reipsa ostendatur humanam quoque sapientiam, atque ipsum adversariorum testimonium Fidei christianae suffragari. Quam agendi rationem, non recens introductam, sed veterem esse constat, et sanctis Ecclesiae Patribus saepe usitatam. Quin etiam venerabiles isti religiosarum traditionum testes et custodes formam quandam eius rei et prope figuram agnoscunt in Hebraeorum facto, qui Aegypto excessuri, deferre secum iussi sunt argentea atque aurea Aegyptiorum vasa cum vestibus pretiosis, ut scilicet, mutato repente usu, religioni veri Numinis ea supellex dedicaretur, quae prius ignominiosis ritibus et superstitioni inservierat. Gregorius Neocaesariensis [3] laudat Origenem hoc nomine, quod plura ex ethnicorum placitis ingeniose decerpta, quasi erepta hostibus tela in patrocinium christianae sapientiae et perniciem superstitionis singulari dexteritate retorserit. Et parem disputandi morem cum Gregorius Nazianzenus, [4] tum Gregorius Nyssenus [5] in Basilio Magno et laudant et probant; Hieronymus vero magnopere commendat in Quadrato apostolorum discipulo, in Aristide, in Iustino, in Irenaeo, aliisque permultis. [6] Augustinus autem, " nonne aspicimus, " inquit, " quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus, doctor suavissimus et martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? ut de vivis taceam, quanto innumerabiles Graeci? " [7] Quod si vero naturalis ratio opimam hanc doctrinae segetem prius fudit, quam Christi virtute fecundaretur, multo ube-

[1] *Rom.*, I, 20.
[2] Ibidem, II, 14-15.
[3] *Orat. paneg. ad Origen.*
[4] *Vit. Moys.*
[5] *Carm.* I, Iamb. 3.
[6] *Epist. ad Magn.*
[7] *De doct. christ.*, lib. II, cap. 40.

riorem certe progignet posteaquam Salvatoris gratia nativas humanae mentis facultates instauravit et auxit. Ecquis autem non videat iter planum et facile per huiusmodi philosophandi genus ad Fidem aperiri?

202. « Non his tamen limitibus utilitas circumscribitur, quae ex illo philosophandi instituto dimanat. Et revera divinae sapientiae eloquiis graviter reprehenditur eorum hominum stultitia, qui " de his quae videntur bona, non potuerunt intelligere Eum qui est; neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex." [1] Igitur primo loco magnus hic et praeclarus ex humana ratione fructus capitur, quod illa Deum esse demonstret: " a magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri." Deinde Deum ostendit omnium perfectionum cumulo singulariter excellere, infinita in primis sapientia quam nulla usquam res latere, et summa iustitia quam pravus nunquam vincere possit affectus, ideoque Deum non solum veracem esse, sed ipsam etiam veritatem falli et fallere nesciam. Ex quo consequi perspicuum est ut humana ratio plenissimam verbo Dei fidem atque auctoritatem conciliet. Simili modo ratio declarat evangelicam doctrinam mirabilibus quibusdam signis, tanquam certis certae veritatis argumentis, vel ab ipsa origine emicuisse: atque ideo omnes qui Evangelio fidem adiungunt, non temere adiungere, tanquam doctas fabulas secutos,[2] sed rationabili prorsus obsequio intelligentiam et iudicium suum divinae subiicere auctoritati. Illud autem non minoris pretii esse intelligitur, quod ratio in perspicuo ponat Ecclesiam a Christo institutam, ut statuit Vaticana Synodus, " ob suam admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus locis fecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum esse motivum credibilitatis, et divinae suae legationis testimonium irrefragabile." [3]

203. « Solidissimis ita positis fundamentis, perpetuus et multiplex adhuc requiritur Philosophiae usus, ut sacra Theologia naturam, habitum, ingeniumque verae scientiae suscipiat atque induat. In hac enim nobilissima disciplinarum magnopere necesse est ut multae ac diversae coelestium doctrinarum partes in unum veluti corpus colligantur, ut suis quaeque locis convenienter dispositae, et ex propriis principiis derivatae apto inter se nexu cohaereant; demum ut omnes et singulae suis iisque invictis argumentis confirmentur. Nec silentio praetereunda, aut minimi facienda est

[1] *Sap.* XIII, 5.
[2] II *Petr.*, I, 16.
[3] *Const. dogm. de Fid. Cath.*, cap. 3.

accuratior illa atque uberior rerum quae creduntur cognitio, et ipsorum Fidei mysteriorum, quoad fieri potest, aliquando lucidior intelligentia, quam Augustinus aliique Patres et laudarunt et assequi studuerunt, quamque ipsa Vaticana Synodus [1] fructuosissimam esse decrevit. Eam siquidem cognitionem et intelligentiam plenius et facilius certe illi consequuntur qui cum integritate vitae Fideique studio ingenium coniungunt philosophicis disciplinis expolitum, praesertim cum eadem Synodus Vaticana doceat eiusmodi sacrorum dogmatum intelligentiam " tum ex eorum, quae naturaliter cognoscuntur analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo " peti oportere.[2]

204. « Postremo hoc quoque ad disciplinas philosophicas pertinet, veritates divinitus traditas religiose tueri, et iis qui oppugnare audeant resistere. Quam ad rem magna est Philosophiae laus, quod Fidei propugnaculum ac veluti firmum religionis munimentum habeatur. " Est quidem," sicut Clemens Alexandrinus testatur, " per se perfecta et nullius indiga servatoris doctrina, cum sit Dei virtus et sapientia. Accedens autem graeca Philosophia veritatem non fecit potentiorem; sed cum debiles efficiat sophistarum adversus eam argumentationes, et propulset dolosas adversus veritatem insidias, dicta est vineae apta sepes et vallus." [3] Profecto sicut inimici catholici nominis, adversus religionem pugnaturi, bellicos apparatus plerumque a philosophica ratione mutuantur, ita divinarum scientiarum defensores plura e Philosophiae penu depromunt, quibus revelata dogmata valeant propugnare. Neque mediocriter in eo triumphare Fides christiana censenda est, quod adversariorum arma, humanae rationis artibus ad nocendum comparata, humana ipsa ratio potenter expediteque repellat. Quam speciem religiosi certaminis ab ipso gentium Apostolo usurpatam commemorat sanctus Hieronymus scribens ad Magnum: " Ductor christiani exercitus Paulus et orator invictus, pro Christo causam agens, etiam inscriptionem fortuitam arte torquet in argumentum Fidei: didicerat enim a vero David extorquere de manibus hostium gladium, et Goliath superbissimi caput proprio mucrone truncare." [4] Atque ipsa Ecclesia istud a Philosophia praesidium christianos doctores petere non tantum suadet, sed etiam iubet. Etenim Concilium Lateranense V, posteaquam constituit, " omnem assertionem veritati illuminatae Fidei contrariam omnino falsam esse, eo quod verum vero minime contradicat," [5] Philosophiae doctoribus

[1] *Const.*, cit., cap. 4.
[2] Ibidem.
[3] *Strom.*, lib. I, cap. 20.
[4] *Epist. ad Magn.*
[5] *Epist.* 143, (al. 7) *ad Marcellin.*, n. 7.

praecipit ut in dolosis argumentis dissolvendis studiose versentur: siquidem, ut Augustinus testatur, " si ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit veri similitudine; nam vera esse non potest." [1]

205. « Verum ut pretiosis hisce, quos memoravimus, afferendis fructibus par Philosophia inveniatur, omnino oportet ut ab eo tramite nunquam deflectat, quem et veneranda Patrum antiquitas ingressa est, et Vaticana Synodus solemni auctoritatis suffragio comprobavit. Scilicet cum plane compertum sit plurimas ex ordine supernaturali veritates esse accipiendas, quae cuiuslibet ingenii longe vincunt acumen, ratio humana, propriae infirmitatis conscia, maiora se affectare ne audeat, neque easdem veritates negare, neve propria virtute metiri, neu pro lubitu interpretari: sed eas potius plena atque humili Fide suscipiat, et summi honoris loco habeat quod sibi liceat, in morem ancillae et pedissequae famulari coelestibus doctrinis, easque aliqua ratione, Dei beneficio, attingere. In iis autem doctrinarum capitibus quae percipere humana intelligentia naturaliter potest, aequum plane est sua methodo, suisque principiis et argumentis uti Philosophiam: non ita tamen ut auctoritati divinae sese audacter subtrahere videatur. Immo, cum constet ea quae revelatione innotescunt, certa veritate pollere, et quae Fidei adversantur pariter cum recta ratione pugnare, noverit philosophus catholicus se Fidei simul et rationis iura violaturum, si conclusionem aliquam amplectatur, quam revelatae doctrinae repugnare intellexerit.

206. « Novimus profecto non deesse qui facultates humanae naturae plus nimio extollentes, contendunt hominis intelligentiam, ubi semel divinae auctoritati subiiciatur, e nativa dignitate excidere, et quodam quasi servitutis iugo demissam plurimum retardari atque impediri, quominus ad veritatis excellentiaeque fastigium progrediatur. Sed haec plena erroris et fallaciae sunt; eoque tandem spectant ut homines, summa cum stultitia, nec sine crimine ingrati animi, sublimiores veritates repudient, et divinum beneficium Fidei ex qua omnium bonorum fontes etiam in societatem fluxere, sponte reiiciant. Etenim cum humana mens certis finibus, iisque satis angustis, conclusa teneatur, pluribus erroribus et multarum rerum ignorationi est obnoxia. Contra Fides Christiana, cum Dei auctoritate nitatur, certissima est veritatis magistra; quam qui sequitur neque errorum laqueis irretitur, neque incertarum opinionum fluctibus agitur. Quapropter qui Philosophiae studium cum obsequio Fidei christianae coniungunt, ii optime philoso-

[1] Bulla *Apostolici regiminis.*

phantur: quandoquidem divinarum veritatum splendor, animo exceptus, ipsam iuvat intelligentiam; cui non modo nihil de dignitate detrahit, sed nobilitatis, acuminis, firmitatis plurimum addit.

« Cum vero ingenii aciem intendunt in refellendis sententiis, quae Fidei repugnant, et in probandis, quae cum Fide cohaerent, digne ac perutiliter rationem exercent: in illis enim prioribus causas erroris deprehendunt, et argumentorum, quibus ipsae fulciuntur, vitium dignoscunt; in his autem posterioribus, rationum momentis potiuntur quibus solide demonstrentur et cuilibet prudenti persuadeantur. Hac vero industria et exercitatione augeri mentis opes et explicari facultates qui neget, ille veri falsique discrimen nihil conducere ad profectum ingenii, absurde contendat necesse est. Merito igitur Vaticana Synodus praeclara beneficia, quae per Fidem rationi praestantur, his verbis commemorat: « Fides rationem ab erroribus liberat ac tuetur, eamque multiplici cognitione instruit." [1] Atque idcirco homini, si saperet, non culpanda Fides, veluti rationi et naturalibus veritatibus inimica, sed dignae potius Deo grates essent habendae, vehementerque laetandum quod, inter multas ignorantiae causas et in mediis errorum fluctibus, sibi Fides sanctissima illuxerit, quae, quasi sidus amicum, citra omnem errandi formidinem portum veritatis commonstrat.

207. « Quod si, venerabiles Fratres, ad historiam Philosophiae respiciatis, cuncta, quae paulo ante diximus, re ipsa comprobari intelligetis. Et sane philosophorum veterum, qui Fidei beneficio caruerunt, etiam qui habebantur sapientissimi, in pluribus deterrime errarunt. Nostis enim, inter nonnulla vera, quam saepe falsa et absona, quam multa incerta et dubia tradiderint de vera divinitatis ratione, de prima rerum origine, de mundi gubernatione, de divina futurorum cognitione, de malorum causa et principio, de ultimo fine hominis aeternaque beatitudine, de virtutibus et vitiis, aliisque doctrinis, quarum vera certaque notitia nihil magis est hominum generi necessarium. Contra vero primi Ecclesiae Patres et Doctores, qui satis intellexerant, ex divinae voluntatis consilio, restitutorem humanae etiam scientiae esse Christum, qui Dei virtus est Deique sapientia,[2] et "in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi" [3] veterum sapientum libros investigandos, eorumque sententias cum revelatis doctrinis conferendas suscepere: prudentique delectu quae in illis vere dicta et sapienter cogitata occurrerent, amplexi sunt, caeteris omnibus vel emendatis, vel reiectis. Nam providissimus Deus, sicut ad Ecclesiae defensionem martyres fortissimos,

[1] *Const. dogm. de Fid. Cath.*, cap. 4.
[2] *Cor.*, I, 24.
[3] *Coloss.*, II, 3.

magnae animae prodigos, contra tyrannorum saevitiem excitavit, ita philosophis falsi nominis aut haereticis viros sapientia maximos obiecit, qui revelatarum veritatum thesaurum etiam rationis humanae praesidio tuerentur. Itaque ab ipsis Ecclesiae primordiis, catholica doctrina eos nacta est adversarios multo infensissimos, qui christianorum dogmata et instituta irridentes, ponebant plures esse deos, mundi materiam principio causaque caruisse, rerumque cursum caeca quadam vi et fatali contineri necessitate, non divinae Providentiae consilio administrari. Iamvero cum his insanientis doctrinae magistris mature congressi sunt sapientes viri, quos "Apologetas" nominamus, qui, Fide praeeunte, ab humana quoque sapientia argumenta sumpserunt, quibus constituerent unum Deum, omni perfectionum genere praestantissimum esse colendum; res omnes e nihilo omnipotenti virtute productas, illius sapientia vigere, singulasque ad proprios fines dirigi ac moveri. Principem inter illos sibi locum vindicat sanctus Iustinus martyr, qui posteaquam celeberrimas Graecorum Academias, quasi experiendo, lustrasset, plenoque ore nonnisi ex revelatis doctrinis, ut idem ipse fatetur, veritatem hauriri posse pervidisset, illas toto animi ardore complexus, calumniis purgavit, penes Romanorum imperatores acriter copioseque defendit, et non pauca graecorum philosophorum dicta cum eis composuit. Quod et Quadratus et Aristides, Hermias et Athenagoras, per illud tempus egregie praestiterunt. Neque minorem in eadem causa gloriam adeptus est Irenaeus martyr invictus, Ecclesiae Lugdunensis pontifex: qui cum strenue refutaret perversas Orientalium opiniones, Gnosticorum opera per fines Romani Imperii disseminatas, "origines haereseon singularum, auctore Hieronymo, et ex quibus philosophorum fontibus emanarint..., explicavit."[1] Nemo autem non novit Clementis Alexandrini disputationes, quas idem Hieronymus sic, honoris causa, commemorat: "Quid in illis indoctum? immo quid non de media Philosophia est?"[2] Multa ipse quidem incredibili varietate disseruit ad condendam Philosophiae historiam, ad artem dialecticam rite exercendam, ad concordiam rationis cum Fide conciliandam utilissima. Hunc secutus Origenes, scholae Alexandrinae magisterio insignis, Graecorum et Orientalium doctrinis eruditissimus, perplura eademque laboriosa edidit volumina, divinis Litteris explanandis, sacrisque dogmatibus illustrandis mirabiliter opportuna; quae, licet erroribus, saltem ut nunc exstant, omnino non vacent, magnam tamen complectuntur vim sententiarum, quibus naturales veritates et numero et firmitate augentur. Pugnat cum haereticis Tertullianus auctoritate sacrarum Litterarum; cum philosophis, mutato armorum genere, philosophice; hos autem tam acute

[1] *Epist. ad Magn.*
[2] Loc. cit.

et erudite convincit, ut iisdem palam fidenterque obiiciat: "Neque de scientia, neque de disciplina, ut putatis, aequamur."[1] Arnobius etiam, vulgatis adversus gentiles libris, et Lactantius *Divinis* praesertim *Institutionibus*, pari eloquentia et robore dogmata ac praecepta catholicae sapientiae persuadere hominibus strenue nituntur, non sic Philosophiam evertentes, ut Academici solent,[2] sed partim suis armis, partim vero ex philosophorum inter se concertatione sumptis eos revincentes.[3] Quae autem de anima humana, de divinis attributis, aliisque maximi momenti quaestionibus magnus Athanasius et Chrysostomus, oratorum princeps, scripta reliquerunt, ita, omnium iudicio, excellunt, ut prope nihil ad illorum subtilitatem et copiam addi posse videatur. Et ne singulis recensendis nimii simus, summorum numero virorum quorum est mentio facta, adiungimus Basilium Magnum et utrumque Gregorium, qui cum Athenis, ex domicilio totius humanitatis, exiissent Philosophiae omnis apparatu affatim instructi, quas sibi quisque doctrinae opes inflammato studio pepererat, eas ad haereticos refutandos instituendosque christianos converterunt. Sed omnibus veluti palmam praeripuisse visus est Augustinus, qui ingenio praepotens, et sacris profanisque disciplinis ad plenum imbutus, contra omnes suae aetatis errores acerrime dimicavit Fide summa, doctrina pari. Quem ille Philosophiae locum non attigit: immo vero quem non diligentissime investigavit, sive cum altissima Fidei mysteria et fidelibus aperiret, et contra adversariorum vesanos impetus defenderet; sive cum, Academicorum aut Manichaeorum commentis deletis, humanae scientiae fundamenta et firmitudinem in tuto collocavit, aut malorum quibus premuntur homines rationem et originem et causas est persecutus? Quanta de angelis, de anima, de mente humana, de voluntate et libero arbitrio, de religione et de beata vita, de tempore et aeternitate, de ipsa quoque mutabilium corporum natura subtilissime disputavit? Post id tempus per Orientem Ioannes Damascenus, Basilii et Gregorii Nazianzeni vestigia ingressus, per Occidentem vero Boëtius et Anselmus, Augustini doctrinas professi, patrimonium Philosophiae plurimum locupletarunt.

208. « Exinde mediae aetatis Doctores, quos Scholasticos vocant, magnae molis opus aggressi sunt, nimirum segetes doctrinae fecundas et uberes, amplissimis Sanctorum Patrum voluminibus diffusas, diligenter congerere, congestasque uno velut loco condere, in posterorum usum et commoditatem. Quae autem scholasticae disciplinae sit origo, indoles et ex-

[1] *Apologet.*, § 46.
[2] *Inst.*, VII, cap. 7.
[3] *De opif. Dei*, cap. 21.

cellentia, iuvat hic, venerabiles Fratres, verbis sapientissimi viri, praedecessoris nostri, Sixti V, fusius aperire: "Divino Illius munere, qui solus dat spiritum scientiae et sapientiae et intellectus, quique Ecclesiam suam per saeculorum aetates, prout opus est, novis beneficiis auget, novis praesidiis instruit, inventa est a maioribus nostris sapientissimis viris, Theologia scholastica, quam duo potissimum gloriosi Doctores, angelicus sanctus Thomas et seraphicus sanctus Bonaventura, clarissimi huius facultatis professores... excellenti ingenio, assiduo studio, magnis laboribus et vigiliis excoluerunt atque ornarunt, eamque optime dispositam, multisque modis praeclare explicatam posteris tradiderunt. Et huius quidem tam salutaris scientiae cognitio et exercitatio, quae ab uberrimis divinarum Litterarum, summorum Pontificum, sanctorum Patrum et Conciliorum fontibus dimanat, semper certe maximum Ecclesiae adiumentum afferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere et sane intelligendas et interpretandas, sive ad Patres securius et utilius perlegendos et explicandos, sive ad varios errores et haereses detegendas et refellendas: his vero novissimis diebus, quibus iam advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta, et homines blasphemi, superbi, seductores proficiunt in peius, errantes et alios in errorem mittentes, sane Catholicae Fidei dogmatibus confirmandis et haeresibus confutandis pernecessaria est." [1] Quae verba quamvis Theologiam scholasticam dumtaxat complecti videantur, tamen esse quoque de Philosophia eiusque laudibus accipienda perspicitur. Siquidem praeclarae dotes, quae Theologiam scholasticam hostibus veritatis faciunt tantopere formidolosam, nimirum, ut idem Pontifex addit, "apta illa et inter se nexa rerum et causarum cohaerentia, ille ordo et dispositio tanquam militum in pugnando instructio, illae dilucidae definitiones et distinctiones, illa argumentorum firmitas et acutissimae disputationes, quibus lux a tenebris, verum a falso distinguitur, haereticorum mendacia multis praestigiis et fallaciis involuta, tanquam veste detracta, patefiunt et denudantur," [2] praeclarae, inquimus, et mirabiles istae dotes unice a recto usu repetendae sunt eius Philosophiae, quam Magistri scholastici, data opera et sapienti consilio, in disputationibus etiam theologicis, passim usurpare consueverunt. Praeterea cum illud sit scholasticorum Theologorum proprium ac singulare, ut scientiam humanam ac divinam arctissimo inter se vinculo coniunxerint, profecto Theologia, in qua illi excelluerunt, non erat tantum honoris et commendationis ab opinione hominum adeptura, si mancam atque imperfectam aut levem Philosophiam adhibuissent.

[1] Bulla *Triumphantis*, an. 1588.
[2] Bull. cit.

« Iamvero inter scholasticos Doctores, omnium princeps et magister, longe eminet Thomas Aquinas: qui, uti Caietanus animadvertit, veteres "doctores sacros, quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est." [1] Illorum doctrinas, velut dispersa cuiusdam corporis membra, in unum Thomas collegit et coagmentavit, miro ordine digessit, et magnis incrementis ita adauxit, ut catholicae Ecclesiae singulare praesidium et decus iure meritoque habeatur. Ille quidem ingenio docilis et acer, memoria facilis et tenax, vitae integerrimus, veritatis unice amator, divina humanaque scientia praedives, soli comparatus, orbem terrarum calore virtutum fovit, et doctrinae splendore complevit. Nulla est Philosophiae pars, quam non acute simul et solide pertractarit: de legibus ratiocinandi, de Deo et incorporeis substantiis, de homine aliisque sensibilibus rebus, de humanis actibus eorumque principiis ita disputavit, ut in eo neque copiosa questionum seges, neque apta partium dispositio, neque optima procedendi ratio, neque principiorum firmitas aut argumentorum robur, neque dicendi perspicuitas aut proprietas, neque abstrusa quaeque explicandi facilitas desideretur.

209. « Illud etiam accedit, quod philosophicas conclusiones Angelicus Doctor speculatus est in rerum rationibus et principiis, quae quam latissime patent, et infinitarum fere veritatum semina suo velut gremio concludunt, a posterioribus magistris opportuno tempore et uberrimo cum fructu aperienda. Quam philosophandi rationem cum in erroribus refutandis pariter adhibuerit, illud a se ipse impetravit, ut et superiorum temporum errores omnes unus debellarit, et ad profligandos, qui perpetua vice in posterum exorituri sunt, arma invictissima suppeditarit. Praeterea rationem, ut par est, a Fide apprime distinguens, utramque tamen amice consocians, utriusque tum iura conservavit, tum dignitati consuluit, ita quidem ut ratio ad humanum fastigium Thomae pennis evecta, iam fere nequeat sublimius assurgere; neque Fides a ratione fere possit plura aut validiora adiumenta praestolari, quam quae iam est per Thomam consecuta.

210. « Has ob causas, doctissimi homines, superioribus praesertim aetatibus, Theologiae et Philosophiae laude praestantissimi, conquisitis incredibili studio Thomae voluminibus immortalibus, angelicae sapientiae eius sese non tam excolendos, quam penitus innutriendos tradiderunt. Omnes prope conditores et legiferos Ordinum religiosorum iussisse constat sodales suos doctrinis sancti Thomae studere et religiosius haerere, cauto

[1] In 2^{m}-2^{ae} q. 148, a. 4. in fin.

ne cui eorum impune liceat a vestigiis tanti viri vel minimum discedere. Ut Dominicianam familiam praetereamus, quae summo hoc Magistro iure quodam suo gloriatur, ea lege teneri Benedictinos, Carmelitas, Augustinianos, Societatem Iesu, aliosque sacros Ordines complures, statuta singulorum testantur.

« Atque hoc loco magna cum voluptate provolat animus ad celeberrimas illas, quae olim in Europa floruerunt, Academias et Scholas, Parisiensem nempe, Salmantinam, Complutensem, Duacenam, Tolosanam, Lovaniensem, Patavinam, Bononiensem, Neapolitanam, Conimbricensem, aliasque permultas. Quarum Academiarum nomen aetate quodammodo crevisse, rogatasque sententias, cum graviora agerentur negotia, plurimum in omnes partes valuisse, nemo ignorat. Iamvero compertum est in magnis illis humanae sapientiae domiciliis, tanquam in suo regno, Thomam consedisse principem; atque omnium vel doctorum vel auditorum animos miro consensu in unius Angelici Doctoris magisterio et auctoritate conquievisse.

211. « Sed, quod pluris est, Romani Pontifices praedecessores nostri sapientiam Thomae Aquinatis singularibus laudum praeconiis, et testimoniis amplissimis prosecuti sunt. Nam Clemens VI,[1] Nicolaus V,[2] Benedictus XIII,[3] aliique testantur, admirabili eius doctrina universam Ecclesiam illustrari; sanctus Pius V[4] vero fatetur eadem doctrina haereses confusas et convictas dissipari, orbemque universum a pestiferis quotidie liberari erroribus; alii cum Clemente XII,[5] uberrima bona ab eius scriptis in Ecclesiam universam dimanasse, ipsumque eodem honore colendum esse affirmant, qui summis Ecclesiae doctoribus, Gregorio, Ambrosio, Augustino et Hieronymo defertur; alii tandem sanctum Thomam proponere non dubitarunt Academiis et magnis Lycaeis exemplar et magistrum, quem tuto pede sequerentur. Qua in re memoratu dignissima videntur beati Urbani V verba ad Academiam Tolosanam: " Volumus et tenore praesentium vobis iniungimus ut beati Thomae doctrinam tanquam veridicam et catholicam sectemini, eandemque studeatis totis viribus ampliare.[6] " Urbani autem exemplum Innocentius XII[7] in Lovaniensi studiorum Universitate, et Benedictus XIV[8] in Collegio Dionysiano Granatensium reno-

[1] Bulla *In Ordine*.
[2] Breve ad FF. Ord. Praedic., 1451.
[3] Bulla *Pretiosus*.
[4] Bulla *Mirabilis*.
[5] Bulla *Verbo Dei*.
[6] Const. V, dat. die 3 aug. 1868 ad Cancell. Univ. Tolos.
[7] Litt. in form. Brev., die 6 febr. 1694.
[8] Litt. in form. Brev., die 21 aug. 1752.

varunt. His vero Pontificum maximorum de Thoma Aquinate iudiciis, veluti cumulus, Innocentii VI testimonium accedat: " Huius [Thomae] doctrina prae caeteris, excepta canonica habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut nunquam qui eam tenuerit, inveniatur a veritatis tramite deviasse; et qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus." [1]

212. « Ipsa quoque Concilia oecumenica, in quibus eminet lectus ex toto orbe terrarum flos sapientiae, singularem Thomae Aquinati honorem habere perpetuo studuerunt. In Conciliis Lugdunensi, Viennensi, Florentino, Vaticano, deliberationibus et decretis Patrum interfuisse Thomam et pene praefuisse dixeris, adversus errores Graecorum, haereticorum et rationalistarum, ineluctabili vi et faustissimo exitu decertantem. Sed haec maxima est et Thomae propria, nec cum quopiam ex doctoribus catholicis communicata laus, quod Patres Tridentini, in ipso medio conclavi ordini habendo, una cum divinae Scripturae codicibus et Pontificum Maximorum decretis, *Summam* Thomae Aquinatis super altari patere voluerunt, unde consilium, rationes, oracula peterentur.

« Postremo haec quoque palma viro incomparabili reservata videbatur, ut ab ipsis catholici nominis adversariis obsequia, praeconia, admirationem extorqueret. Nam exploratum est, inter haereticarum factionum duces non defuisse, qui palam profiterentur, sublata semel e medio doctrina Thomae Aquinatis, se facile posse " cum omnibus " catholicis doctoribus " subire certamen et vincere, et Ecclesiam dissipare."[2] Inanis quidem spes, at testimonium non inane!

213. « His rebus et causis, Venerabiles Fratres, quoties respicimus ad bonitatem, vim preclarasque utilitates eius disciplinae philosophicae, quam maiores nostri adamarunt, iudicamus temere esse commissum, ut eidem suus honos non semper, nec ubique permanserit: praesertim cum Philosophiae scholasticae et usum diuturnum et maximorum virorum iudicium, et, quod caput est, Ecclesiae suffragium favisse constaret. Atque in veteris doctrinae locum nova quaedam Philosophiae ratio hac illac successit, unde non ii percepti sunt fructus optabiles ac salutares, quos Ecclesia et ipsa civilis societas maluissent. Adnitentibus enim Novatoribus saeculi XVI, placuit philosophari citra quempiam ad Fidem respectum, pe-

[1] *Serm. de sancto Thoma*. Praedicta verba excepta sunt ex *Sermone* PETRI ROGERII, qui postmodum Pontifex evasit Clemens VI, etsi passim Innocentio VI tribuantur. De quo dicturi sumus ubi de testimoniis Benedictinorum. J. J. B.
[2] Beza, Bucerus.

tita dataque vicissim potestate quaelibet pro lubitu ingenioque excogitandi. Qua ex re pronum fuit genera Philosophiae plus aequo multiplicari, sententiasque diversas atque inter se pugnantes oriri, etiam de iis rebus quae sunt in humanis cognitionibus praecipuae. A multitudine sententiarum ad haesitationes dubitationesque persaepe ventum est: a dubitationibus vero in errorem quam facile mentes hominum delabantur nemo est qui non videat. Hoc autem novitatis studium, cum homines imitatione trahantur, catholicorum quoque philosophorum animos visum est alicubi pervasisse: qui patrimonio antiquae sapientiae posthabito, nova moliri quam vetera novis augere et perficere maluerunt, certe minus sapienti consilio, et non sine scientiarum detrimento. Etenim multiplex haec ratio doctrinae, cum in magistrorum singulorum auctoritate arbitrioque nitatur, mutabile habet fundamentum, eaque de causa non firmam atque stabilem neque robustam, sicut veterem illam, sed nutantem et levem facit Philosophiam. Cui si forte contingat hostium impetui ferendo vix parem aliquando inveniri, eius rei agnoscat in seipsa residere causam et culpam. Quae cum dicimus, non eos profecto improbamus doctos homines atque solertes, qui industriam et eruditionem suam, ac novorum inventorum opes ad excolendam Philosophiam afferunt: id enim probe intelligimus ad incrementa doctrinae pertinere. Sed magnopere cavendum est ne illa industria atque eruditione tota aut praecipua exercitatio versetur. Et simili modo de sacra Theologia iudicetur; quam multiplici eruditionis adiumento iuvari atque illustrari quidem placet, sed omnino necesse est gravi Scholasticorum more tractari, ut revelationis et rationis coniunctis in illa viribus, " invictum fidei propugnaculum "[1] esse perseveret.

« Optimo itaque consilio cultores disciplinarum philosophicarum non pauci, cum ad instaurandam utiliter Philosophiam novissime animum adiecerint, praeclaram Thomae Aquinatis doctrinam restituere, atque in pristinum decus vindicare studuerunt et student. Pari voluntate plures ex ordine vestro, venerabiles Fratres, eandem alacriter viam esse ingressos magna cum animi nostri laetitia cognovimus. Quos cum laudamus vehementer, tum hortamur ut in suscepto consilio permaneant: reliquos vero omnes ex vobis singulatim monemus, nihil nobis esse antiquius et optabilius, quam ut sapientiae rivos purissimos ex Angelico Doctore iugi et praedivite vena dimanantes, studiosae inventuti large copioseque universi praebeatis.

214. « Quae autem faciunt ut magno id studio velimus plura sunt. Principio quidem, cum in hac tempestate nostra, machinationibus et astu

[1] Sixtus V, Bull. cit.

fallacis cuiusdam sapientiae christiana Fides oppugnari soleat, cuncti adolescentes, sed ii nominatim qui in Ecclesiae spem succrescunt, pollenti ac robusto doctrinae pabulo ob eam causam enutriendi sunt, ut viribus validi et copioso armorum apparatu instructi, mature assuescant causam religionis fortiter et sapienter agere, " parati semper," secundum apostolica monita, " ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quae in nobis est, spe "[1] et " exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere. "[2] Deinde plurimi ex iis hominibus qui, abalienato a Fide animo, instituta catholica oderunt, solam sibi esse magistram ac ducem rationem profitentur. Ad hos autem sanandos, et in gratiam cum Fide catholica restituendos, praeter supernaturale Dei auxilium, nihil esse opportunius arbitramur quam solidam Patrum et Scholasticorum doctrinam, qui firmissima Fidei fundamenta, divinam illius originem, certam veritatem, argumenta quibus suadetur, beneficia in humanum genus collata, perfectamque cum ratione concordiam tanta evidentia et vi commonstrant, quanta flectendis mentibus vel maxime invitis et repugnantibus abunde sufficiat.

215. « Domestica vero atque civilis ipsa societas, quae ob perversarum opinionum pestem quanto in discrimine versetur universi perspicimus, profecto pacatior multo et securior consisteret, si in Academiis et Scholis sanior traderetur, et magisterio Ecclesiae conformior doctrina, qualem Thomae Aquinatis volumina complectuntur. Quae enim de germana ratione libertatis, hoc tempore in licentiam abeuntis, de divina cuiuslibet auctoritatis origine, de legibus earumque vi, de paterno et aequo summorum Principum imperio, de obtemperatione sublimioribus potestatibus, de mutua inter omnes caritate: quae scilicet de his rebus et aliis generis eiusdem a Thoma disputantur, maximum atque invictum robur habent ad evertenda ea Iuris novi principia, quae pacato rerum ordini et publicae saluti periculosa esse dignoscuntur. Demum cunctae humanae disciplinae spem incrementi praecipere, plurimumque sibi debent praesidium polliceri ab hac, quae nobis est proposita, disciplinarum philosophicarum instauratione. Etenim a Philosophia tanquam a moderatrice sapientia, sanam rationem rectumque modum bonae artes mutuari, ab eaque, tanquam vitae communi fonte, spiritum haurire consueverunt. Facto et constanti experientia comprobatur artes liberales tunc maxime floruisse, cum incolumis honor et sapiens iudicium Philosophiae stetit; neglectas vero et prope obliteratas iacuisse, inclinata atque erroribus vel ineptiis implicita Philosophia. Quapropter etiam physicae disciplinae quae

[1] I *Pet.*, III, 15.
[2] *Tit.*, I, 9.

nunc tanto sunt in pretio, et tot praeclare inventis singularem ubique cient admirationem sui, ex restituta veterum Philosophia non modo nihil detrimenti, sed plurimum praesidii sunt habiturae. Illarum enim fructuosae exercitationi et incremento non sola satis est consideratio factorum contemplatioque naturae: sed, cum facta constiterint, altius assurgendum est, et danda solerter opera naturis rerum corporearum agnoscendis, investigandisque legibus quibus parent, et principiis unde ordo illarum et unitas in varietate, et mutua affinitas in diversitate proficiscuntur. Quibus investigationibus mirum quantam Philosophia scholastica vim, et lucem, et opem est allatura, si sapienti ratione tradatur.

216. « Qua in re et illud monere iuvat, nonnisi per summam iniuriam eidem Philosophiae vitio verti quod naturalium scientiarum profectui et incremento adversetur. Cum enim Scholastici, sanctorum Patrum sententiam secuti, in Anthropologia passim tradiderint humanam intelligentiam nonnisi ex rebus sensibilibus ad noscendas res corpore materiaque carentes evehi, sponte sua intellexerunt nihil esse philosopho utilius quam naturae arcana diligenter investigare, et in rerum physicarum studio diu multumque versari. Quod et facto suo confirmarunt: nam sanctus Thomas, beatus Albertus Magnus, aliique Scholasticorum principes, non ita se contemplationi Philosophiae dediderunt, ut non etiam multum operae in naturalium rerum cognitione collocarint: immo non pauca sunt in hoc genere dicta eorum et scita, quae recentes magistri probent, et cum veritate congruere fateantur. Praeterea, hac ipsa aetate, plures iique insignes scientiarum physicarum doctores palam aperteque testantur inter certas ratasque recentioris Physicae conclusiones et philosophica Scholae principia nullam veri nominis pugnam exsistere.

217. « Nos igitur, dum edicimus libenti gratoque animo excipiendum esse quidquid sapienter dictum, quidquid utiliter fuerit a quopiam inventum atque excogitatum, vos omnes, venerabiles Fratres, quam enixe hortamur ut ad catholicae Fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum, auream sancti Thomae sapientiam restituatis, et quam latissime propagetis. Sapientiam, sancti Thomae dicimus: si quid enim est a doctoribus Scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum, si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile, id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi. Caeterum, doctrinam Thomae Aquinatis studeant magistri, a vobis intelligenter lecti, in discipulorum animos insinuare, eiusque prae caeteris soliditatem atque excellentiam in perspicuo ponant. Eandem Academiae a vobis in-

stitutae aut instituendae illustrent ac tueantur, et ad grassantium errorum refutationem adhibeant. Ne autem supposita pro vera, neu corrupta pro sincera bibatur, providete ut sapientia Thomae ex ipsis eius fontibus hauriatur, aut saltem ex iis rivis, quos, ab ipso fonte deductos, adhuc integros et illimes decurrere certa et concors doctorum hominum sententia est: sed ab iis, qui exinde fluxisse dicuntur, re autem alienis et non salubribus aquis creverunt, adolescentium animos arcendos curate.

218. « Probe autem novimus conatus nostros irritos futuros, nisi communia coepta, venerabiles Fratres, Ille secundet, qui " Deus scientiarum " in divinis eloquiis[1] appellatur; quibus etiam monemur, " omne datum optimum et omne donum perfectum desursum " esse, " descendens a Patre luminum. "[2] Et rursus: " Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non improperat, et dabitur ei. "[3] Igitur hac quoque in re exempla sequamur Doctoris Angelici, qui nunquam se lectioni aut scriptioni dedit, nisi propitiato precibus Deo;[4] quique candide confessus est quidquid sciret, non tam se studio aut labore suo sibi

[1] *Reg.*, II, 3.
[2] *Iac.*, I, 17.
[3] Ibid., 5.
[4] Quia Orationem a sancto Thoma ante studium ab eo passim recitatam et ab ipso compositam tu forsan, lector benevole, non habes prae manibus, hanc tibi in notis pono, qualem rursus ediderunt D. Uccelli, *Orazioni e detti di san Tommaso*, Napoli, 1868; P. Th. Esser, *Divi Thomae Aquinatis monita et preces*, Viennae, 1882, aliique, atque indulgentiis ditavit Leo PP. XIII, die 21 februarii 1880:

« Creator ineffabilis, qui de thesauris sapientiae tuae tres angelorum hierarchias designasti, et eas super coelum empyreum miro ordine collocasti, atque Universi partes elegantissime disposuisti; tu, inquam, qui verus fons luminis et sapientiae diceris ac supereminens principium, infundere digneris super intellectus mei tenebras tuae radium claritatis, duplices in quibus natus sum a me removens tenebras, peccatum scilicet et ignorantiam. Tu qui linguas infantium facis disertas, linguam meam erudias, atque in labiis meis gratiam tuae benedictionis infunde. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, addiscendi modum et facultatem, interpretandi subtilitatem, loquendi gratiam copiosam; ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas: tu qui es verus Deus et homo, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen ».

Nullus sane erit qui huius orationis sublimitatem ac devotionem non miretur. Hanc, si libuerit, conferas quoad sententias cum oratione Dantis poëtae, *Parad.* I, 1-27.

Ista, et quidem brevior, refertur quam ipse simul fecit, et quotidie recitavit inclinatus cum lacrymis:

« Concede mihi, quaeso, misericors Deus, quae tibi placita sunt ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, et perfecte implere, ad laudem et gloriam nominis tui! »

peperisse, quam divinitus accepisse: ideoque humili et concordi obsecratione Deum simul omnes exoremus, ut in Ecclesiae filios spiritum scientiae et intellectus emittat, et aperiat eis sensum ad intelligendam sapientiam. Atque ad uberiores percipiendos divinae bonitatis fructus, etiam beatae Virginis Mariae, quae " Sedes sapientiae " appellatur, efficacissimum patrocinium apud Deum interponite; simulque deprecatores adhibete purissimum Virginis Sponsum beatum Iosephum, et Petrum ac Paulum apostolos maximos, qui orbem terrarum, impura errorum lue corruptum, veritate renovarunt, et coelestis sapientiae lumine compleverunt.

« Denique divini auxilii spe freti, et pastorali vestro studio confisi, apostolicam benedictionem, coelestium munerum auspicem et singularis nostrae benevolentiae testem, vobis omnibus, venerabiles Fratres, universoque Clero et Populo singulis commisso peramanter in Domino impertimur.

« Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die 4 augusti anno 1879, pontificatus nostri anno secundo ».[1]

219. Die 11 octobris 1879, Leo XIII, Francisco Archiepiscopo Pirgensi et Coadiutori Burdigalensi, qui librum de *Anthropologia* iuxta divi Thomae principia scriptum dono obtulerat:

[1] Hic subiicere praestat epistolam quam de praelaudata Constitutione scripsit celeberrimus Aristotelis interpres D. Barth. Saint-Hilaire, ad D. Farges, gratias isti agens de misso sibi opusculo philosophico, cui titulus *Du moteur et du mobile*.

Paris, Boulevard Flandrin, 4, le 8 mai 1886.

« Monsieur, j'ai reçu la brochure que vous avez bien voulu m'envoyer, et je vous en remercie.

« Je l'ai lue avec le plus grand intérêt, et je vous félicite de contribuer à restaurer ces graves études sur les théories qui ont tant préoccupé l'antiquité. Aujourd'hui on a une tendance malheureuse à dédaigner le passé sans le connaître, et la culture des lettres grecques et latines court chez-nous de grands périls.

« Le jour où elles seraient abolies et oubliées, l'esprit français recevrait une blessure dont il ne se relèverait pas.

« Je vous félicite aussi de revenir à l'étude de saint Thomas. Le Pape actuel a été admirablement inspiré, quand, au début de son règne, il a remis en honneur la philosophie du Docteur Angélique: c'est un service éminent qu'il a rendu à l'Eglise et à l'esprit humain.

« Pour votre part, vous suivez les conseils venus de si haut, et tous les amis de la Philosophie sont intéressés à ce que ces sages conseils soient entendus comme vous les entendez.

« Agréez, Monsieur, mes remercîments et l'assurance de ma considération très-distinguée.

« B. Saint-Hilaire ».

« Optime profecto nosti, venerabilis Frater, quanto nos semper in pretio habuimus praeclaram sancti Thomae Aquinatis doctrinam, et quantopere cupiamus eam ubique florere et quam latissime propagari. Quod quidem peculiari ratione de ea philosophica disciplina accipi volumus quae *Anthropologia* appellatur; haec enim ex una parte gravioris prae caeteris momenti non immerito habetur, cum hominis naturam, facultates, originem finemque attingat: ex altera vero constat inter sapientes hominis tractationem ita fuisse ab Angelico Doctore institutam, ut absolutissima, solida et homine omnino digna evaserit, contrariosque veterum et recentium errores non solum vitet, sed etiam invicte refellat ».

220. Die 15 octobris 1879, sapiens Pontifex rescripsit ad Cardinalem de Luca de Romana Sancti Thomae Academia, deque nova Operum eius editione promovenda:

« Iampridem considerando experiendoque intelleximus teterrimum quod adversus Ecclesiam ipsamque humanam societatem modo geritur bellum, citius feliciusque, opitulante Deo, componi non posse, quam rectis sciendi agendique principiis per philosophicas disciplinas ubilibet restitutis, ideoque ad summam totius causae pertinere sanam solidamque ubique locorum reflorescere Philosophiam. Litteras idcirco encyclicas ad universos catholici orbis Antistites nuper dedimus, quibus pluribus ostendimus huius generis utilitatem non esse alibi quaerendam quam in Philosophia christiana a priscis Ecclesiae Patribus procreata et educta, quae Fidei catholicae non modo maxime convenit, sed etiam defensionis et luminis utilia adiumenta praebet. Eam ipsam, decursu aetatum, magnis fecundam fructibus, a sancto Thoma Aquinate summo Scholasticorum magistro, quasi hereditario iure acceptam commemoravimus; in eaque ordinanda, illustranda et augenda mentis illius vim virtutemque sic enituisse, ut cognominis sui mensuram Angelicus Doctor cumulate implesse videatur. Maiorem autem in modum Episcopos hortati sumus ut, collatis nobiscum viribus, excitare aggrediantur motam gradu et prope collapsam Philosophiam illam veterem, Scholisque catholicis redonatam, in sede honoris pristini collocare.

221. « Nec mediocrem animi laetitiam ex eo percepimus, quod Litterae illae nostrae, divina ope favente, pronum ubique obsequium et singularem animorum assensum nactae sunt. Cuius rei testimonium nobis luculentum impertiunt plures Episcoporum ad nos ex Italia praesertim, ex Gallia, Hispania, Hibernia, perlatae epistolae, sive singulares, sive plurium eiusdem provinciae vel gentis communes, egregia animi sensa praeferentes. Nec doctorum hominum suffragium defuit, ultro et reverenter datum, cum insignes eruditorum Academiae eundem plane ac Sacrorum

Antistites animum nobis scripto declaraverint. In his autem litteris placet maxime obsequium auctoritati nostrae et huic Apostolicae Sedi praestitum; placent mens et iudicia ab auctoribus prolata. Una est enim omnium vox, una sententia, notari et tuto designari Litteris illis nostris, quo tandem loco sit praesentium malorum radix, et unde petenda remedia. Omnes consentiunt humanam rationem, si a divina Fidei auctoritate discesserit, dubitationum fluctibus et praesentissimis errorum periculis esse propositam; haec autem pericula facile evasuram, si ad catholicam Philosophiam homines perfugerint.

222. « Quamobrem, venerabilis Frater noster, illud nobis est magnopere in optatis ut sancti Thomae doctrina, Fidei veritati apprime conformis, cum in omnibus catholicis Athenaeis quamprimum reviviscat, tum maxime in hac Urbe principe catholici nominis, quae ob eam causam quod est sedes Pontificis Maximi, debet optimarum doctrinarum laude caeteris antecellere. Huc accedit quod Romam, catholicae unitatis centrum, soleant adolescentes ex omni terrarum loco frequentes celebrare, nullibi, quam penes augustam beati Petri cathedram, germanam incorruptamque sapientiam satius hausturi. Itaque si Philosophiae christianae, quam diximus, largiter hinc copia defluxerit, non unius Urbis finibus conclusa tenebitur, sed ad omnes populos, velut abundantissimus amnis, manabit.

223. « Sic igitur primo loco curavimus, ut in Seminario Romano, in Lyceo Gregoriano, in Urbaniano aliisque Collegiis, nostrae adhuc auctoritati obnoxiis, philosophicae disciplinae secundum mentem et principia Doctoris Angelici, enucleate, dilucide, copiose tradantur atque excolantur. Et maxime in hoc omnem vigilare curam et contentionem doctorum volumus, ut quas ipsi doctrinae opes ex voluminibus sancti Thomae diligenter collegerint, easdem explicando, dilatando, suaviter et fructuose auditoribus impertiant.

« Sed praeterea quo magis haec studia vigeant et floreant, curandum est ut amatores Philosophiae scholasticae in eius gratiam sedulo, quod possunt, enitantur; maxime autem in societates coëant, coetusque identidem habeant, in quibus studiorum sucrum fructus singuli in medium adducant, et in communem afferant utilitatem.

224. « Haec autem iudicia mentemque nostram tecum communicare volumus, venerabilis Frater noster, qui sacro Consilio praees studiis disciplinarum regundis, certa spe freti nec industriam, nec prudentiam tuam hac in re nobis defuturam. Te profecto non latet doctorum hominum coetus, sive Academias, nobilissimas veluti palaestras fuisse, in quibus viri ingenio peracri et doctrina praestantes cum se ipsi utiliter exercerent de maximis rebus scribentes ac disputantes, tum adolescentes erudirent, magno cum scientiarum incremento. Ex hoc optimo more institutoque iungendi vires et intelligentiae lumina conferendi, exstiterunt illustria Doctorum collegia, alia pluribus simul disciplinis addicta, alia singularibus. Vivax fama et gloria eorum permansit, quae, Romanis Pontificibus non uno nomine faventibus, ubique floruerunt, ut in hac Italia nostra Bononiae, Patavii, Salerni, et alibi alia. Cum igitur tanta fuerit laus et utilitas in voluntariis hisce hominum coetibus ad excolendas perpoliendasque disciplinas coëuntium, cumque eius utilitatis et laudis plurimum adhuc supersit, certum nobis est eodem uti praesidio, quo consilia nostra plenius perficiamus. Scilicet auctores sumus ut coetus academicus in Urbe Roma instituatur, qui sancti Thomae Aquinatis nomine et patronatu insignis, eo studia industriamque convertat, ut eius opera explanet, illustret; placita exponat, et cum aliorum philosophorum sive veterum sive recentium placitis conferat; vim sententiarum earumque rationes demonstret; salutarem doctrinam propagare et ad grassantium errorum refutationem recensque inventorum illustrationem adhibere contendat. Idcirco tibi, venerabilis Frater noster, cuius perspecta habemus ornamenta doctrinae, celeritatem ingenii, studiumque rerum omnium quae ad humanitatem pertinent, id negotii damus, ut propositum nostrum exsequaris. Interim rem altius consideres, cumque rationem excogitaveris quae consiliis nostris opportune respondeat, litteris expressam nobis inspiciendam subiicies, ut probemus et auctoritate nostra muniamus.

225. « Demum quo latius spargatur ac disseminetur Angelici Doctoris sapientia, constituimus omnia eius opera de integro in lucem edere, exemplo sancti Pii V, decessoris nostri, rerum gestarum gloria et vitae sanctitate praeclari; cui quidem in ea re tam felix contigit exitus ut Thomae exemplaria, iussu illius evulgata, permagni sint apud viros doctos, summoque studio requirantur. Verum quanto plus editio illa est rara, tanto magis alia desiderari coepta, quae nobilitate ac praestantia cum Piana comparari possit. Caeterae enim cum veteres tum recentiores, partim quod non omnia sancti Thomae scripta exhibeant, partim quod optimorum eius interpretum atque explanatorum careant commentariis, partim quod minus diligenter adornatae sint, non omne tulisse punctum videntur. Certa autem spes est huiusmodi necessitati consultum iri per novam editionem quae cuncta omnino sancti Doctoris scripta complectatur, optimis, quoad fieri poterit, formis litterarum expressa, accurateque emendata, iis etiam adhibitis codicum manuscriptorum subsidiis, quae aetate hac nostra in lucem et usum prolata sunt. Coniunctim vero edendas curabimus clarissimorum

eius interpretum, ut Thomae de Vio Cardinalis Caietani et Ferrariensis, lucubrationes, per quas tanquam per uberes rivulos, tanti viri doctrina decurrit. Observantur quidem animo rei gerendae cum magnitudo, tum difficultas: nec tamen deterrent quominus ad eam magna cum alacritate quamprimum aggrediamur. Confidimus enim in re tam gravi, quae ad commune Ecclesiae bonum magnopere pertinet, adfore nobis divinam opem et concors Episcoporum studium, et prudentiam atque industriam tuam, spectatam iam et diu cognitam.

« Interim praecipuae dilectionis testem apostolicam benedictionem tibi, venerabilis Frater noster, ex intimo cordis affectu impertimus ».

226. Die 18 ianuarii 1880, idem Pontifex hoc praescripsit "Motu proprio" de operibus sancti Thomae Aquinatis ex integro edendis:

« Placere nobis omnia sancti Thomae Aquinatis Opera de integro publicari superiore anno significavimus, per Litteras nostras idibus octobribus datas ad Cardinalem Praefectum Sacri Consilii studiis disciplinarum regundis. Eiusque caussam propositi hanc esse diximus, ut longe lateque fluat Angelici Doctoris excellens sapientia, qua opprimendis opinionibus perversis nostrorum temporum fere nihil est aptius, conservandae veritati nihil efficacius. Nunc autem quia commodum videtur esse manum operi admovere, decernenda nobis nonnulla esse censemus, quae spem laetam portendunt, futurum ut coepta nostra ad exitus pervehantur optatos.

« Primum itaque, ne Almae Urbi nostrae haec pereat laus, editionem, quam supra diximus, reservatam esse volumus Officinae librariae Sacri Consilii christiano nomini propagando, clarae iam ob alia magnae molis et laudati operis edita volumina.

« Editioni autem curandae destinamus ac praecipua auctoritate praeesse volumus tres sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales: scilicet Antoninum de Luca, Praefectum Sacri Consilii studiis regundis; Ioannem Simeoni, Praefectum Sacri Consilii christiano nomini propagando; Thomam Zigliara ex Familia Dominiciana, ad disciplinam Thomae apprime institutum atque eruditum. His autem ius et potestas esto statuendi ac decernendi nostro nomine quidquid ad rem pertinere intellexerint. Quare prospiciant ut omnia ac singula Angelici Doctoris Opera integra prodeant, additis clarissimorum interpretum Thomae de Vio Cardinalis Caietani in *Summam Theologicam* et Francisci de Sylvestris Ferrariensis in *Summam contra Gentiles* commentariis. Similiter curent et provideant ne litterarum optima forma, ne accurata emendatio, ne intelligens in rerum singularum delectu iudicium desideretur; ac demum constituant quo ordine, quo tempore singula volumina in lucem oporteat proferri.

227. « Quod vero ad expensas attinet, argenteorum italicorum CCC millia nos ultro damus atque addicimus suppeditandis sumptibus in praesenti necessariis. Reliquo autem tempore necessarios suppeditari volumus ex eiusdem Sacri Consilii Fidei propagandae aerario: cui tamen quidquid erit vendendis exemplaribus redactum pecuniae, tamdiu in rem cedat, quoad par ratio fuerit acceptorum et expensorum. Si quidquam eidem accrevisse contingat, accrescentem pecuniam omnem insumi iubemus in lucubrationes eorum Scriptorum edendas, qui sancti Thomae Aquinatis illustrandis operibus maxime excellant. Cui vero inter illos scriptores decerni primas oporteat, viderint ipsi Cardinales quos nominavimus: hoc tantum monemus, eos scriptores esse caeteris anteponendos quorum doctrina maiorem fructuum ubertatem sit allatura, et temporum necessitatibus accommodatior esse videatur ».

228. Die 7 martii 1880, Leo XIII, festo divi Thomae recurrente, hanc habuit orationem « de necessario studio Philosophiae sancti Thomae », coram permultis catholicis scientiarum cultoribus:

« Pergratus nobis perque iucundus est conspectus vester, dilecti Filii, in omni scientiarum genere praeclari ac nobiles, qui hodierno die, sacro ob memoriam Thomae Aquinatis, Doctoris Angelici, laudabili sane consilio huc confluxistis, ut huic Apostolicae Sedi et communi christianorum Parenti ac Magistro obsequium et observantiam praesentes significaretis. Quae autem vestro omnium nomine sunt ab eximio viro, qui vobis praeest, tam amanter sapienterque dicta,[1] ea animo nostro non mediocrem consolationem afferunt. Laetandum est enim, et Deo gratiae singulares agendae,

[1] Is fuit R. D. Tripepi, postmodum Cardinalis factus.

De festivitatibus in laudem divi Thomae eo anno, die ipsi sacro, videlicet 7 martii, Romae celebratis, immo in obsequium Leoni Pontifici undique praestandum propter Constitutionem *Aeterni Patris* anno proxime elapso emissam, verbum hic nobis faciendum ducimus.

Viri scientiarum cultores plus quam 4000 numero Romam ex omnibus orbis regionibus petiverant, quod ephemeris *L'Osservatore Romano* pridie sic monuerat: « Importantissima pel numero e per la qualità delle persone sarà l'udienza pontificia di domani ai cultori delle scienze. Le Diocesi, i Seminari, i Collegi, le Università, gl'Istituti, i Corpi scientifici, le Accademie e gli scienziati che saranno rappresentati, si contano a migliaia. Appresso ne daremo i nomi principali. Non vi è parte del mondo che non sia rappresentata; anche l'Africa e la Nigrizia, da cui è giunto l'insigne Mons. Comboni, prenderanno parte alla magnifica festa ».

Die sexta mensis praedicti, quae sabbati fuit, horis pomeridianis in palatio gentis nobilis Altemps, pulcherrimis solemnioribusque paramentis atque floribus ornato, Congressus publicus indictus fuerat, praeside egregio prorsus viro Cardinali Maria Lucido Parocchi, orationesque varias habuerunt ipse Praeses Cardinalis, Episcopus Fava Gratianopolitanus, Prof. Talamo, D. Mougeot Bizuntinus, P. Cornoldi S. I., Prof. Ferreiroa Matritensis, R. D. Galimberti, R. D. Tripepi,

quod tanta sit praestantissimorum hominum multitudo, quibus suprema lex est doctrinae laudem cum religionis amore coniungere, atque humanitatis artes ita excolere, ut divinam Iesu Christi Ecclesiaeque auctoritatem pari studio venerentur. Itaque gratulamur sapientiae, gratulamur virtuti vestrae, dilecti Filii, qui re ipsa profitemini obedientiam Fidei christianae praestitam rationis humanae dignitati nihil obesse, prodesse autem plurimum; quoniam homines tunc veritatem melius intuentur et securius assequuntur, si mentibus discendi cupidis divina Fides, quasi face, praeluxerit.

« Quod quidem qui aut infitiantur aut omnino non intelligunt, eos do-

lendum est in re maxima errare. Multos equidem esse videmus qui veritates divinitus traditas parvipendunt, vel prorsus reiiciunt, propterea quod cum effatis humanarum scientiarum ac recentioribus placitis eas componi non posse existimant; atque ipsam Ecclesiae divinam potestatem acriter adoriuntur, quod eam iuribus civili societati recens adsertis, principum maiestati et populorum prosperitati inimicam arbitrantur.

229. « Quorum caussam errorum si quis paullo diligentius investigaverit, in eo potissimum sitam esse intelliget, quod nostris hisce tem-

Prof. Almeida Portugallensis, Doct. Carulla Matritensis, Prof. Hergenröther, Prof. Amoni Nucerinus, Prof. Vallet Barchinonensis. Orationes vero suas, deficiente temporis spatio, dimiserunt Can. Taylor et Prof. Crommer, uterque anglus, Prof. Creutzer Nancy, Prof. Burg Alsatius, R. D. Nicora, Prof. De Sanctis, Prof. Pawlicki Polonus, Prof. Ferri-Mancini, R. D. Rougier, aliique plures.

In eadem rursus aula, alius Consessus, horis serotinis, et quidem Academicorum Arcadum cura, celebratus est, in quo doctiorem habuit orationem Cardinalis Zigliara, atque sexdecimi poëmata, lectissima musica intercomitante, recitata sunt a variis poëtis in ephemeride praedicta enumeratis, atque in altis praefulgente ista epigraphe a R. D. Nocella dictata:

SALVE O MAGNE THOMA SAPIENTIAE DECVS ET LVMEN
TVQVE LEO TERTIE DECIME SPES ET COLVMEN RVENTIS SAECLI
QVIBVS AVSPICIBVS RERVM HVMANAR. ET DIVINAR. SCIENTIAE
AD NOVAM DIGNITATEM EXCITANTVR
HONOREM HODIE VOBIS A SAPIENTIBVS EX TOTO ORBE VIRIS
IN VRBE REDDITVM GRATVLANTVR ARCADES
SVAQVE STVDIA IN VOS ET CVLTORES VESTROS
CONVENTVS MAGNI CELEBRITATE TESTANTVR

Die autem septima, postquam horis antemeridianis omnes missae solemniori in ecclesia Minervitana ad altare sancti Thomae celebratae interfuissent, circa meridiem in Vaticano Palatio a Pontifice omnibus Cardinalibus et Praelatis dignioribus circumdato, ad audientiam admissi sunt.

Hunc vero sequenti oratione R. D. Tripepi, omnium nomine allocutus fuit, ad quam alluditur in oratione pontificia:

« Beatissime Pater, Qui Deo auctore ad Petri Sedem evectus Ecclesiam civilis humanitatis parentem et magistram in primis ostenderas, eamque unam, deinde communis rerum publicarum salutis fontem ac praesidium esse reges populosque docueras: nuper extremo, quod instat, periculo commotus, christianae sapientiae instaurationem ad Angelici Doctoris normas exigendam graviter commendasti. Tu enim, Pater Sanctissime, Vaticano e solio, tanquam Domini speculator, temporum nostrorum acerbitatem eo prospicis devenisse, ut homines fallaci superbientes doctrina, non modo religionem per summum nefas lacessere, novisque in dies laedere vulneribus, sed ipsa quoque humani consortii fundamenta convellere, lumenque rationi inditum vel debilitare, vel potius extinguere videantur. Quamobrem probe noscens nullum diutinis malis esse modum, nisi recta sciendi principia pristinae restituantur dignitati, Philosophiae patrocinium cum Religionis causa amico foedere coniunctum divinitus suscepisti. Atque incredibili catholici nominis plausu, certamini pro veritate ineundo Aquinatem praeponis, qui soli haud immerito comparatus, principem in erroribus conterendis locum sibi vindicavit. Qua potitus victoria, ut Apostoli usurpemus verba, tu Maxime Leo, librum aperis illum, quem Ecclesiae osores perpetuo obsignatum, aeternaeque traditum oblivioni existimabant. Tu sapientiam quam dictitabant emortuam, ad vitam revocas, et societatem vanis philosophorum placitis senescentem reddis iuventuti. Tu sacros ignes abhinc tribus saeculis delitescentes sublevas, eximiasque Urbani V et Benedicti XIII hac in re laudes supergressus, illud aere perennius exigis monumentum, quod vel unum nomini tuo immortalitatem valeat comparare.

« Initum a te consilium maximo amore prosecuti, quotquot heic scientiarum cultorum gerimus vicem, ne nobis ingrati animi nota inureretur, facere non poteramus quin peregrinatione suscepta, hac auspicatissima die, tuis advolveremur pedibus, quosque pectore fovemus sensus, coram profiteamur.

« Haud tamen nostrum ducimus Angelici Doctoris sapientiam, tuaque, Beatissime Pater, egregia in humanam societatem merita laudibus efferre. Impares siquidem tanto evaderemus officio, ac supervacaneam in illis celebrandis operam poneremus, quae ubique gentium clarissima eo cogitationum verborumque assensu extolluntur, qui adversariorum quoque animis admirationem sui vel ciere vel extorquere potuerit. Illud potius nos deceat toti rei christianae gratulari, tibique, Pater sanctissime, pro collato in hominum genus beneficio immortales agere grates, illa nobis accedat laus, Petro per te falli nescium loquenti indivulse adhaerere; una nobis, monente Hieronymo, sententia, eum qui tecum non colligit dispergere; haec Fidei vox ac rationis, a tuis monitis vel minimum recedentes, a Deo scientiarum Domino recedere. Iter a te signatum ingressi, Thomae doctrinam, ambagibus, nebulis, deliramentis expertem sectabimur; magistros alios qui scholas scindunt non novimus; alia systemata ad religionem sartam tectamque servandam, erroresque hac nostra aetate gliscentes acriter perstringendos vel inepta, vel perniciosa, reiicimus. Si adversariorum prae se vexillum tulit: " Tolle Thomam, " quod pandimus signum inscribit: " Thomae et Leoni ingenia dedicavimus. "

« His instructi armis, duce Aquinate, veluti militum acies, maiore nisu confertissimos hostes strenue impetere nullamque conabimur inclamare societati in supremum iam discrimen adductae esse salutem, nisi doctrina a Romano Pontifice adserta scholis redonetur.

poribus, quanto rerum naturalium studia vehementius fervent, tanto magis severiores altioresque disciplinae defloruerint: quaedam enim fere in oblivione hominum conticescunt; quaedam remisse leviterque tractantur, et, quod indignum est, splendore pristinae dignitatis deleto, pravitate sententiarum et immanibus opinionum portentis inficiuntur. Hinc in plurimorum mentibus maximarum veritatum lumen quasi restinctum: hinc in privatos homines non solum, sed in ipsas res publicas communis derivata pernicies. Ipsa iuris novi, ut vocant, principia, quae sibi plurimum infesta passim experiuntur civitates, splendidis quibusdam inanis philosophiae men-

« Quod ut satius assequamur, nihil nobis magis optandum, Beatissime Pater, quam exemplis insistere a te exhibitis, quum adolescens abhinc annos quinquaginta ita in Athenaeo Gregoriano publica es perfunctus disputatione, ut viris doctrina spectatissimis ad altiora praeludere visus, eam excitaveris spem quam vicariam Christi potestatem adeptus nuperrime complevisti.

« Interea supremo veritatis magisterio donatus, tuae nos sapientiae documentis pergas instruere. Loquere, Pater sanctissime; tibi verba vitae aeternae concredita, tibique ex omnibus terrae plagis digressi, cupidisque auribus tuas excepturi voces, filii famulique se sistunt. Tuum est quid velis innuere; partium nostrarum officium, inerrantis Magistri vota pro viribus explere. Tu " Lumen e coelo " praefulgens ostende; nobis fixum destinatumque est in animo in tuum sidus mentem oculosque indesinenter convertere. Difficultatum, quae nos manet, seges, bellumque quod asperius in dies commovetur, non eos deterrent qui te cedere nescium agere et pati fortia suscipiunt. Te auspice, supremi Numinis certum, haud dubia victoria.

« Tibi igitur tertium Pontificatus annum auspicanti, tuisque ad rem christianam susceptis laboribus Deus praesens adspiret, teque sospitem vel diutissime servet, qui, hostium odiis ablegatis, tuae sapientiae fructus copiosius congerere populos rerumque publicarum moderatores, tuis allectos monitis, adspicere, scientias dira tempestate iactatas adducere in portum, summosque adgressus honores, veri iustique principia in laudem veterem possis excitare.

« Haec autem omnia cumulabis, si magnum Aquinatem, quem Ducem et Magistrum nos sequi iubes, et studiorum Universitatibus Scholisque catholicis coelestem Patronum, in cuius fidem sese scientiarum cultores recipiant, suprema qua polles auctoritate, feliciter adsignaveris.

« Nostra postremo vota, ut prospere cedant, tu, Pater Beatissime, apostolica benedictione munire ne dedigneris, quae nobis contra veritatis osores in aciem prodituris animum temporibus parem adiiciat, nostris conatibus in auspicium melioris aevi opituletur, novasque a Deo sufficiat vires, quibus alacriores pro catholicae sapientiae dignitate et iuribus decertemus ».

Post Pontificis ad haec respondentis allocutionem, tot fuerunt qui accesserunt ad thronum simul et oblata donaria et scripta adhaesionum testimonia adferentes, quod post alteram a meridie horam, Pontifex, quasi labore fractus, audientiam inhibere coactus, eam infra prosequendam iusserit. Nullus ex his qui huiusmodi celebritatibus interfuerunt easdem oblivioni tradere unquam potuit, in quibus eluxerunt simul et Doctoris Angelici doctrina coelestis, et Leonis Pontificis ingenium.

daciis nituntur. Exemplo sit principatus exlex humanae intelligentiae tributus, aequata veri falsique iura, cunctarum religionum par habita ratio, effrenata libertas seu verius quidlibet audendi potestas, cuius vel in cogitando, vel in agendo expertem esse neminem prorsus volunt.

230. « Igitur in tanta perturbatione animorum et confusione rerum, opportunissimum sane remedium homini suppetit in sana solidaque Philosophia, si sapienter studioseque excolatur. Hanc enim maxime natam aptamque esse apparet tum deiiciendis erroribus insanienti nostrorum temporum sapientia partis, tum contra stabiliendis firmiter ordinis, aequitatis, iustitiae fundamentis, quibus tranquillitas reipublicae, salus populorum, germana gentium humanitas continentur.

« De huius Philosophiae instaurandae necessitate, plura, ut nostis, elocuti sumus superiore anno in Litteris nostris encyclicis, ad universos orbis Episcopos datis. Quibus etiam ediximus planeque demonstravimus optimam philosophandi formam eam esse, quae ingenio studioque sancti Thomae Aquinatis, totius sapientiae veteris opibus conquisitis, ad immortalitatem est elaborata; quaeque per omnes insequentes aetates summam cultoribus suis laudem decusque comparavit, et magnorum per Europam Lyceorum gloriam, omniumque scientiarum incrementa provexit.

231. « At enim, sancti Thomae et Scholasticorum doctrinam in honorem revocantes, retrahere homines velle dicimur ad superiorum saeculorum parum adultam urbanitatem, tanquam nos maturitatis et perfectionis aevi nostri pigeret. Quid tandem? Exemplar proponimus in quo quid virtus, quid sapientia possit splendidissime elucet, virum nempe humanis divinisque disciplinis ad plenum imbutum tot saeculis insigni memoria cultum, Ecclesiae praeconiis Romanorumque Pontificum celebratum oraculis, angelicis ipsis mentibus exaequatum. Nonne simili omnino ratione litterarum atque ingenuarum artium studiosis non invidetur, sed inservitur, cum magistri artificesque perveteres, in aliquo genere excellentes, ad imitandum proponuntur?

232. « Quapropter cum vos, solemni hoc die, quaedam a nobis documenta expostuletis, accipite haec breviter, dilecti Filii, haud equidem nova, magni tamen momenti maximeque opportuna.

« Scilicet, Fidei christianae, ut plurimum, debet Philosophia ita opem ferre, quantum potest, maxime studeat. Huic illa infensa nec fuit unquam, nec esse potest: Fidei enim et rationis parens atque auctor Deus sic utramque temperavit, ut societate et quadam cognatione inter se continerentur. Ex quo factum est ut in alendis excitandisque scientiarum studiis Ecclesia catholica primas sibi partes semper vindicaverit.

« Huiusmodi autem perfecta Fidei intelligentiaeque concordia facile nusquam melius apparet, quam in libris a principe philosophorum Thoma Aquinate exaratis. Date igitur operam ut ad plures quotidie pertineat tanti magistri disciplina; atque in eius pervestigatione doctrinae hanc vobis ipsis legem dicite, ut talem amplectamini sententiam, qualis ex illius admirabili proprietate et perspicuitate sermonis sponte emineat, non qualem praeiudicata aliqua opinio, a communibus et probatioribus aliena, forte suaserit.

« Tandem, sancti Thomae Aquinatis et in hoc exemplum secuti, in rerum naturalium consideratione strenue adlaboretis; quo in genere nostrorum temporum ingeniose inventa et utiliter ausa, sicut iure admirantur aequales, sic posteri perpetua commendatione et laude celebrabunt. In quibus tamen excolendis scientiarum artibus illorum morem defugite, qui recens reperta ad oppugnandas tum revelatas tum philosophicas veritates prave detorquent; sed divinae potius providentiae gratiam habete, quod hanc gloriam et quasi palmam nostrae aetatis hominibus reservarit, ut rerum utilium patrimonium a maioribus acceptum, multis in partibus industria sua locupletarent.

233. « Pauca haec, quae pro rei opportunitate leviter placuit attingere, alte in animos vestros inserite, et religiose servate. Nostis, dilecti Filii, Episcopos catholici orbis omnes, una pene voce, testatos esse se consiliis nostris, sicut in caeteris rebus solent, ita in hac de qua loquimur, nec voluntate nec opera defuturos. Quod si illorum curis ac vigiliis vestra industria studiumque respondeat, in spem certam ingredimur brevi futurum ut ab hac restitutione studiorum, quae nobis est proposita, magna vis influat in communem populorum salutem et in Ecclesiae tranquillitatem.

« Ad coepta feliciter perficienda vobis adiumento sit coeleste praesidium ipsius Doctoris Angelici, quem catholicis scientiarum et bonarum artium domiciliis Patronum, uti vobis est in optatis, rite dari quam primum curabimus. Animum denique vobis viresque addat apostolica benedictio, quam vobis, Viri praestantissimi, et magnis Lyceis, Academiis, sacris Seminariis, iisque omnibus, quorum mandato et nomine ad nostrum pontificale solium adivistis, libenter et peramanter impertimus ».

234. Die 13 martii 1880, Summus Pontifex, in Epistola ad Ernestum Muller, Vindobonensis Seminarii Rectorem:

« Facile intelligis... volumina de *Theologia Morali* quae misisti nobis pergrata exstitisse... Libenter ex iis agnovimus te id praestitisse quod in litteris significas, ut post sanctos Ecclesiae Patres duos praestantissimos Doctores sanctum Thomam Aquinatem et sanctum Alphonsum de Ligorio duces praecipuos sequereris. Id te constanter servasse non dubitamus, iisque

qui consiliis ipsorum utentur frugiferum fore censemus. Nam praeter egregiam rei moralis peritiam et prudentiam, uterque hoc sibi vindicat quod doctrinae quas probant medium inter extrema tenentes iter, absint aeque a remissa indulgentia quae laxat habenas peccantibus, et ab importuno rigore qui suave iugum Christi in onus intolerabile convertit.».

235. Die 3 aprilis 1880, Episcopo Albintimiliensi, Iosepho Episcopo Savonensi et Naulensi, Philippo Episcopo Albinganensi idem Pontifex gratulatur « institutam fuisse in ista nobili civitate, sub tutela et appellatione sancti Thomae Aquinatis, Academiam ».

236. Die 15 aprilis 1880, Archiepiscopo Bizuntino rescripsit:

« Accepimus diem sancto Thomae Aquinati sacrum fuisse hoc anno a te et a Clero tuae dioecesis speciali honore cultuque celebratum, sive Sacris a te solemniter peractis, sive scholasticis de rebus philosophicis et theologicis ab alumnis tui Seminarii habitis disputationibus. Deprehendimus etiam ex tuis litteris amorem quo Doctorem Angelicum prosequeris, nec non ardens studium quo flagras eiusdem doctrinam quam latissime propagandi. Qua re, ut nosti, nihil potest nobis accidere iucundius. Sicut enim ediximus, tum alias, tum ipso die festo sancti Thomae, cum catholicos viros allocuti sumus, qui in omni scientiarum genere praestantes Romam confluxerant, plurima grassantium errorum et malorum seges ex despecta et neglecta christiana Patrum ac Scholasticorum Doctorum Philosophia enata est; ex ea vero in Scholis catholicis instaurata divinarum et humanarum scientiarum bonum, publici et privati ordinis tranquillitas, aliaque praeclara emolumenta magna ex parte dependent.

« Gratulamur itaque tibi, venerabilis Frater, quod christianae Philosophiae in tua dioecesi restituendae dudum adlabores, quod in Litteras nostras encyclicas *Aeterni Patris* utilem commentarium edideris; quod denique nullam praetermittas occasionem voluntati ac desiderio nostris, sicut et in caeteris omnibus, ita et in hac re tam magni momenti laeto promptoque animo obsecundandi. Simul etiam vehementer laetamur quod, uti asseris, dulces ex tuis laboribus fructus iam percipias: nec dubitamus quin multo uberiores ac laetiores brevi sis percepturus ».

237. Die 21 iunii 1880, Praesidi et Sodalibus Academiae Sancti Thomae in Parmensi Seminario erectae:

« Dilecti Filii, Dum vitiatae tribus ab hinc saeculis Philosophiae consectaria deploramus, quae sensim caeteris disciplinis irrepentia et ad ipsum vitae usum traducta, errorum flatu partis perturbationibus, societatem in qua vivimus, iactant et ad dissolutionem compellunt, gratulamur vobis,

dilecti Filii, quod adeo alacriter coiveritis ad ea restituenda principia, quae et Religioni vindicandae et retundendis sophismatum iaculis ac insidiis, et illustrandae veritati, et per haec moderandis moribus ordinique reparando sola possunt efficacem operam conferre. Ducem profecto ad tantum opus tutiorem illo nequibatis eligere, cui sanctitas eximia cum ingenii vi et perspicuitate humanum excedente modum coniuncta Angelici Doctoris laudem comparavit. Qua in re, praeter indolem ipsam incoepti, vestrumque studium, illud maxime nos delectat, statuisse vos ab eo tantum fonte sapientiae documenta depromere, quem nos aperte designavimus: " nunquam vero a rivis qui non salubribus aquis creverunt, quamvis ab ipso fluxisse dicantur. " Cum enim haud pauci occurrant qui dum Aquinatis mentem callide conantur ad propriam detorquere sententiam, vel hanc ita componere student, eoque illinere fuco, qui non absimilem illius placito speciem referre videatur, eoque apparatu obducti, se sancti Doctoris, a cuius doctrina toto coelo aberrant, discipulos iactant, perspicacia vestra voluntatisque firmitas nobis argumento est vos non modo fraudibus huiusmodi deceptum non iri, sed ita detecturos illos esse, ut alios quoque a periculo deceptionis arceatis. Ominamur itaque vobis ut alii atque alii conventui vestro dent nomen, quo, iunctis multorum viribus et opera, citius, facilius, pleniusque spectatum finem religiosae civilisque rei commodum assequanimi. Sit autem vobis auspex divini favoris nostraeque paternae benevolentiae testis apostolica benedictio, quam vobis singulis, dilecti Filii, et Academiae vestrae toti peramanter impertimus ».

238. Die 4 augusti 1880, doctissimus Pontifex rescripsit Litteras in forma Brevis: « De sancto Thoma Aquinate Patrono coelesti studiorum optimorum cooptando », quarum tenor iste est:

« Ad perpetuam rei memoriam.

« Cum hoc sit et natura insitum et ab Ecclesia catholica comprobatum, ut a viris sanctitate praeclaris patrocinium, ab excellentibus autem perfectisque in aliquo genere exempla ad imitandum homines exquirant, idcirco Ordines religiosi non pauci, Lycea, coetus litteratorum, Apostolica Sede approbante, iamdiu Magistrum ac Patronum sibi sanctum Thomam Aquinatem esse voluerunt, qui doctrina et virtute, solis instar, semper eluxit. Nostris vero temporibus, aucto passim studio doctrinarum eius, plurimi exstiterunt, qui peterent ut cunctis ille Lyceis, Academiis, et Scholis gentium catholicarum, huius Apostolicae Sedis auctoritate, Patronus assignaretur. Hoc quidem optare se plures Episcopi significarunt, datis in id litteris cum singularibus tum communibus; hoc pariter studuerunt multarum Academiarum sodales et Collegia doctorum supplice atque humili obsecratione deposcere. Quorum omnium incensas desiderio preces cum differre

visum esset, ut productione temporis augerentur, idonea ad rem opportunitas accessit ab encyclicis Litteris nostris " De Philosophia christiana ad mentem sancti Thomae Aquinatis Doctoris Angelici in scholis catholicis instauranda, " quas superiore anno hoc ipso die publicavimus. Etenim Episcopi, Academiae, Doctores decuriales Lyceorum, atque ex omni terrarum regione cultores artium optimarum se nobis dicto audientes et esse et futuros una pene voce et consentientibus animis testati sunt: immo velle se in tradendis philosophicis ac theologicis disciplinis sancti Thomae vestigiis penitus insistere; sibi enim non secus ac nobis exploratum esse affirmant in doctrinis Thomisticis eximiam quandam inesse praestantiam, et ad sananda mala, quibus nostra premitur aetas, vim virtutemque singularem. Nos igitur, qui diu multumque cupimus florere Scholas disciplinarum universas tam excellenti Magistro in Fidem et clientelam commendatas, quoniam tam clara et testata sunt communia omnium desideria, maturitatem advenisse censemus decernendi, ut Thomae Aquinatis immortale decus novae huius accessione laudis cumuletur.

239. « Hoc est autem caussarum, quibus permovemur, caput et summa; eminere inter omnes sanctum Thomam, quem in variis scientiarum studiis, tanquam exemplar, catholici homines intueantur. Et sane praeclara lumina animi et ingenii, quibus ad imitationem sui iure vocet alios, in eo sunt omnia: doctrina uberrima, incorrupta, apte disposita, obsequium Fidei et cum veritatibus divinitus traditis mira consensio; integritas vitae cum splendore virtutum maximarum.

« Doctrina quidem est tanta, ut sapientiam a veteribus defluentem, maris instar, omnem comprehendat. Quidquid est vere dictum aut prudenter disputatum a philosophis ethnicorum, ab Ecclesiae Patribus et Doctoribus, a summis viris qui ante ipsum floruerunt, non modo ille penitus dignovit, sed auxit, perfecit, digessit tam luculenta perspicuitate formarum, tam accurata disserendi ratione, et tanta proprietate sermonis, ut facultatem imitandi posteris reliquisse, superandi potestatem ademisse videatur. Atque illud est permagnum, quod eius doctrina, cum instructa sit atque apparata principiis latissime patentibus, non ad unius dumtaxat, sed ad omnium temporum necessitates est apta, et ad pervincendos errores perpetua vice renascentes maxime accommodata. Eadem vero, sua se vi et ratione confirmans, invicta consistit, atque adversarios terret vehementer.

240. « Neque minoris aestimanda, christianorum praesertim hominum iudicio, rationis et Fidei perfecta convenientia. Evidenter enim sanctus Doctor demonstrat quae ex rerum genere naturalium vera sunt, ab iis dis-

sidere non posse quae, Deo auctore, creduntur; quamobrem sequi et colere Fidem christianam non esse humilem et minime generosam rationis servitutem, sed nobile obsequium, quo mens ipsa iuvatur et ad sublimiora eruditur; denique intelligentiam et Fidem a Deo ambas proficisci, non simultatum secum exercendarum caussa, sed ut sese amicitiae vinculo colligatae mutuis officiis tueantur. Cuius convenientiae mirabilisque concordiae cunctis beati Thomae scriptis expressa imago perspicitur. In his enim excellit atque eminet modo intelligentia, quae quod vult, Fide praeeunte, consequitur in pervestigatione naturae; modo Fides, quae rationis ope illustratur ac defenditur: sic tamen ut suam quaeque inviolate teneat et vim et dignitatem; atque, ubi res postulat, ambae quasi foedere icto ad utriusque inimicos debellandos coniunguntur. Ac si magnopere semper interfuit firmam rationis et Fidei manere concordiam, multo magis post saeculum XVI interesse existimandum est; quoniam per id tempus spargi semina coeperunt finem et modum transeuntis libertatis, quae facit ut humana ratio divinam auctoritatem aperte repudiet, armisque a Philosophia quaesitis religiosas veritates pervellat atque oppugnet.

241. « Postremo Angelicus Doctor non est magis doctrina quam virtute et sanctitate magnus. Est autem virtus ad periclitandas ingenii vires adipiscendamque doctrinam praeparatio optima; quam qui negligunt, solidam fructuosamque sapientiam falso se consecuturos putant, propterea quod " in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. " [1] Ista vero comparatio animi, quae ab indole virtutis proficiscitur, in Thoma Aquinate exstitit non modo excellens atque praestans, sed plane digna, quae aspectabili signo divinitus consignaretur. Etenim cum maximam voluptatis illecebram victor evasisset, hoc veluti praemium fortitudinis tulit a Deo pudicissimus adolescens, ut lumbos sibi arcanum in modum constringi, atque una libidinis faces extingui sentiret. Quo facto, perinde vixit ac esset ab omni corporis contagione seiunctus, cum ipsis angelicis spiritibus non minus innocentia quam ingenio comparandus.

242. « His de caussis dignum prorsus Angelicum Doctorem iudicamus, qui Praeses tutelaris studiorum cooptetur. Quod cum libenter facimus, tum illa nos consideratio movet, futurum ut patrocinium hominis maximi et sanctissimi multum valeat ad philosophicas theologicasque disciplinas, summa cum utilitate reipublicae, instaurandas. Nam ubi se Scholae catholicae in disciplinam et clientelam Doctoris Angelici tradiderint, facile florebit sapientia veri nominis, firmis hausta principiis, ratione atque ordine explicata. Ex probitate doctrinarum probitas gignetur vitae cum privatae, tum publicae: probe vivendi consuetudinem salus populorum, ordo, pacata rerum tranquillitas consequentur. Qui in scientia rerum sacrarum elaborant, tam acriter hoc tempore lacessita, ex voluminibus sancti Thomae habituri sunt, quo fundamenta Fidei christianae ample demonstrent, quo veritates supernaturales persuadeant, quo nefarios hostium impetus a religione sanctissima propulsent. Eaque ex re humanae disciplinae omnes non impediri aut tardari cursus suos, sed incitari augerique sentient; ratio vero in gratiam cum Fide, sublatis dissidiorum caussis, redibit, eamque in indagatione veri sequetur ducem. Demum quotquot sunt homines discendi cupidi, tanti Magistri exemplis praeceptisque conformati, comparare sese integritate morum assuescent; nec eam rerum scientiam consectabuntur, quae a caritate seiuncta inflat animos et de via deflectit, sed eam quae sicut a " Patre luminum " et " scientiarum Domino " exordia capit, sic ad eum recta perducit.

« Placuit autem hac super re sacri etiam Consilii legitimis ritibus cognoscendis perrogare sententiam; quam cum perspexerimus, dissentiente nemine, votis nostris plane congruere, nos ad gloriam omnipotentis Dei et honorem Doctoris Angelici, ad incrementa scientiarum et communem societatis humanae utilitatem, sanctum Thomam Doctorem Angelicum, suprema auctoritate nostra, Patronum declaramus Universitatum studiorum, Academiarum, Lyceorum, Scholarum catholicarum, atque uti talem ab omnibus haberi, coli, atque observari volumus, ita tamen ut sanctis coelitibus, quos iam Academiae aut Lycea sibi forte patronos singulares delegerint, suus honos, suusque gradus etiam in posterum permanere intelligatur.

« Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV augusti MDCCCLXXX, pontificatus nostri anno tertio.

« TH. Card. MERTEL ».

243. Die 11 septembris 1880, idem Pontifex Felicissimo Archiepiscopo Camerinensi:

« Venerabilis Frater,... Quod nobis in votis erat, ut in omnibus dioecesibus fieret ad studiorum instaurationem et incrementum, id iam diligentia tua fuisse praestitum in ista civitate Camerinensi libenter agnovimus ex litteris quas die 22 augusti ad nos dedisti. Comperimus scilicet institutum fuisse penes vos quoque Academicum Coetum sancti Thomae nomine appellatum, qui doctrinas ab eo traditas explicaturus ac defensurus sit. Merito autem confidis ac tibi spondes sodales istius Coetus palaestra exercitos veritatem catholicam adversus grassantes errores strenue tueri posse; sunt enim Angelici Doctoris opera quasi instructissimum ar-

[1] *Sap.*, I, 4.

mamentarium unde idonea tela possunt depromi ad errores omnes, vel qui speciem novitatis habent, profligandos.

« Dum itaque ob rem bene incoeptam tibi gratulamur, ac dilectis Filiis in huius Academiae socios adlectis, sensum etiam animi nostri vobis profitemur quod ad opus solemniter inchoandum diem elegeritis laetam nobis et auspicatam qua sancti Ioachim memoria recolebatur. Denique Patrem luminum adprecantes, ut gratiae suae divitias super hunc Coetum ubertim effundat, ut in eo scientia cum vitae sanctimonia colluceat, velut in coelesti Patrono eius coniunctae effulserunt, apostolicam benedictionem, etc. ».

244. Die 11 novembris 1880, Rectori et Doctoribus decurialibus Lycei Magni Catholici Parisiensis:

« [Non est] cur obedientiam Ecclesiae debitam abiiciendam putent qui cupiunt ingenii doctrinaeque laudem adipisci. Animi illa eadem affectio perpetuo apparuit in viris summis, iisdemque multitudine pene innumerabili, quos ad omnem excellentiam Ecclesia Catholica genuit et eduxit, nominatim vero in sancto Thoma Aquinate, cuius excolendis doctrinis vos et strenuam operam navasse hactenus, et efficacius ac plenius navare in posterum velle declaratis; id autem quam libentibus nobis... vix attinet hoc loco significare. Nam et publice nos saepe diximus et ex Epistola nostra encyclica *Aeterni Patris* vos plane intelligere potuistis quanta cura et quali optimorum fructuum fiducian itamur efficere, ut in Scholis catholicis doctrina Principis philosophorum Thomae restituatur. Quamobrem pergite, etc. ».

245. Die 21 novembris 1880, Leo XIII Praefectis Academiae Sancti Thomae Aquinatis in Urbe Roma, scilicet Cardinalibus Pecci et Zigliara, epistolam mox infra sequentem direxit:

« Probe nostis quo studio et quam libenti animo instituendam curavimus Academiam Romanam Sancti Thomae Aquinatis, cui vos, dilecti Filii nostri, praeesse iussimus. De qua ipsa hoc primum laetati sumus, natalem eius superiore mense maio optimis auspiciis esse celebratum. Itaque si in rerum primordiis inest aliquid argumenti ad prospiciendum in posterum, iam licet animo cernere fructus eius futuros. Hos quidem, cum laetos et uberes, Deo iuvante, exspectamus, tum valde cupimus longe lateque diffluere. Nimirum quidquid in Academia suscipitur operae, navando, disputando, efficiendo, id omne maxime volumus non referri solum ad doctrinae opes augendas in sodalibus et alumnis, quamquam est hoc quidem permagnum et praeclarum: sed ad ipsam plane converti alendam provehendamque cunctarum rerum quibus homines studere solent, scientiam; ita

sane ut a paucis suscepti labores communem quam plurimis pariant utilitatem.

« Nam doctos viros, si unquam alias, certe hoc tempore iubet ipsa necessitas et adiuvare graviores disciplinas in indagatione atque inventione veri, et insidentes errores ex hominum mentibus stirpitus evellere. Haec duo nobis unice spectata sunt, cum generatim in Philosophiae christianae restituenda facultate, tum in Academia vestra constituenda; atque illud fore speramus, ut ex sapientia veterum studiose culta vis quaedam optimarum rerum efficiens opportune influat in mores hominum, in instituta civitatis.

246. « Hanc ob caussam vehementer omnes sodales et alumnos monemus atque hortamur, ut diligentissime perspiciant in doctrinae studiis qui sint ingeniorum cursus quotidiani, quid in singulis disciplinis hominum industria inveniat atque efferat novi: item animum advertant quibus potissimum veritatibus bellum inferatur, idque ipsum quo consilio, quibus artibus. Haec enim omnia plurimum refert habere perspecta, ut liceat in eodem campo eodemque genere armorum cum hostibus et oppugnatoribus sapienter dimicare. Ex quo consequitur nosse et tenere opus esse quae scientissime meditata apud varias gentes certis temporibus in lucem proferri solent. Ac magni etiam ad ea quae volumus interesse arbitramur, adornari in hac alma Urbe et in destinatos dies publicari de re philosophica et theologica commentarios, graves illos quidem et romana sapientia dignos, quibus sint Academiae acta et studiorum vestrorum monumenta in spem diuturnitatis consignata.

« Postremo cum optabile sit numerum augeri alumnorum, expedit adolescentes ex variis provinciis, qui bonam spem prae se ferant animi et ingenii, Romam ad tempus liberaliter invitari, uti scilicet coetus academicos celebrare commodum queant, atque ex disciplina vestra aliquando discedere eo instructi doctrinarum apparatu, qui sibi usui sit ad caeteros utiliter erudiendos.

247. « Haud sane levia sunt quae diximus, nec solum industriam sapientiamque vestram, sed etiam sumptuum tolerandorum facultatem desiderant. Sed tamen hanc ad rem primas nos ipsi partes suscipiemus, operi inchoato tanquam fastigium imposituri. Scilicet cum firmiter academiam stabilitam esse velimus, et instructam ornatamque iis rebus in quibus spes incolumitatis non minima consistit, decrevimus suo illam censu, quasi dotis nomine, tueri ac munire. Itaque Academiae Romanae Sancti Thomae Aquinatis de pecunia nostra addicimus atque attribuimus, donationis caussa, certam summam, necessariis sumptibus parem, quam vobis cura agentibus

dilecti Filii nostri, collocari iubemus, et ex annuo eius reditu impendi quod opus fuerit edendis Academiae actis, sodalium scriptis, accipiendis mittendisque litteris, coëmendis libris cognitione dignis, denique subveniendo, quoad fieri poterit, adolescentibus provincialibus Romam commeare et in disciplinam Academiae sese instituendos tradere cupientibus.

« Quod si Academiae quidquam accidat, quamobrem aut esse desinat, aut operam navare intermittat, tum ea pecunia ne in alienos usus convertatur, volumus ac praecipimus ut ad Pontificem Maximum tota perveniat, reditura tamen ad usus qui supra scripti sunt, cum Academiam ipsam in statum pristinum restitui contigerit.

« Reliquum est ut bonorum consiliorum auctor et adiutor Deus coeptis communibus benignus adspiret. Interim divinorum munerum auspicem et praecipuae benevolentiae nostrae testem vobis, dilecti Filii nostri, apostolicam benedictionem peramanter impertimus ».

248. Die 27 novembris 1880, Salvatori Archiepiscopo Genuensi, Iosepho Episcopo Savonensi et Nolensi, ac Collegio a Sancto Thoma Aquinate:

« Dignos omnino nobili coetu vestro invenimus optimos sensus quos litteris, nonis novembribus a vobis datis, explicandos censuistis. Praeclare enim, venerabiles Fratres et dilecti Filii, ostenditis sapientiae amorem prudentiamque vestram, sive dum Collegii vestri decus respicientes, eius gloriae fideliter servandae studium exhibetis, sive dum eorum amentiam deploratis qui divinae revelationis lucem contemnunt, rectaeque rationi refragantur, sive dum declaratis quam valida et praestantia praesidia tum ad assequendam tum ad propugnandam veritatem Angelici Doctoris sapientia suppeditet. Cum porro vos hoc animo sitis, omnino persuasum habemus honorem quem Angelico Doctori nos referendum existimavimus, ipsum optimorum studiorum Patronum coelestem renuntiantes, vobis, ut dicitis, fuisse gratissimum, neque dubitamus vos zelum vestrum pro vestra parte collaturos, ut salutares fructus quos vehementer optamus, tum ex eius illustri magisterio, tum etiam ex exemplis sanctitatis eius in omnes qui eum doctrinae ducem sequuntur, abunde dimanant. Interea Collegio vestro, etc. ».

249. Die 25 decembris 1880, Cardinali Deschamps, Archiepiscopo Mechliniensi, de Cathedra sancti Thomae Aquinatis Lovanii erigenda, haec rescripsit Leo XIII:

« Instituto voluntatique nostrae de excitanda ac propemodum in sua iura restituenda sancti Thomae Aquinatis philosophica disciplina, docti viri ubique una et voce et mente consentiunt. Etenim ad illius studia referre se Scholae catholicae coeperunt, quae ultro amplexae quidquid scite et laudabiliter est recentiorum hominum perfectum industria, id tamen ipsum instituunt cum sapientia veterum coniungere. Ista quidem verissima atque omnium aptissima ratio philosophandi, quam cunctos vel in docendo vel in discendo ingredi vellemus, in multis optimarum artium domiciliis iamdiu ante nostram aetatem erat consuetudine atque usu comprobata. In quibus multa celebratur laude Universitas studiorum Lovaniensis, cuius videlicet Rectores Doctoresque in primis nobiles longo iam tempore omnem exemplo suo posteritatem docuerunt, quantum Doctori Angelico tribui honoris, et quam studiose eius adamari disciplinam oporteat. Illum enim summa animorum consensione sibi praeoptavere Doctorem ac Patronum coelestem: eaque Alexandro VII P. M. decessori nostro iustissima caussa fuit quamobrem illos perhonorificis litteris collaudaret, valde insuper cohortatus, ut " inconcussa tutissimaque dogmata Augustini et Thomae " diligenter profiteri perseverarent.[1]

250. « Plura sunt quae demonstrant, veterem illum sanctissimi Doctoris amorem in Collegio Doctorum atque auditorum Lovaniensium non esse diuturnitate temporis extinctum; neque dubium nobis est quin priores illi magistri egregios isthic doctrinae virtutisque suae etiam nunc superstites habeant, qui scilicet non modo conservare quaesitam iam nominis gloriam, sed etiam Thomisticae sapientiae studia continuare velint. Nihilominus tamen, perspecta conditione temporum, nos omnino censemus nunc esse acrius ac vigilantius elaborandum quam antea in imbuenda penitus iuventute largioribus iisdemque sinceris atque incorruptis Philosophiae fontibus. Eamque ob caussam tibi, dilecte Fili noster, auctores sumus ut nostra cum caeteris Episcopis Belgicis consilia communices, rogataque singulorum sententia, perficias ut in Universitate studiorum Lovaniensi schola singularis, data opera, instituatur Thomae Aquinati auditoribus interpretando. Id tibi impense suademus tum propter communis salutis studium, tum maxime quia periculis permovemur, quibus Belgicam iuventutem videmus oppositam. Etenim effrenata illa, quae in Belgio dominatur, cogitandi scribendique libertas pessimarum opinionum portenta peperit; atque in ipsis scholis publicis non pauci sunt qui christianos spiritus in adolescentium animis extinguere, et initia caussasque impietatis serere audacissime moliuntur. Tuque, dilecte Fili noster, qui nefarias istas improborum hominum artes cominus intueris, facile intelligis quam multi, doctrinis praesertim Naturalistarum et Materialistarum decepti, ad perniciem quotidie devocentur. Quare contra pravarum opinionum auctores oportet in Uni-

[1] Vide supra, n. 151.

versitate Lovaniensi munire adolescentes sanae Philosophiae armis, et patribus familias christianis institutionem liberorum praestare ab omnibus erroribus tutam ac defensam. Cuius rei maior etiam necessitas cernitur, si consideretur posse complures ex Academiae subselliis ad honores aliquando assurgere, ad munera publica, ad ipsa gubernacula civitatis; neque eos posse melius tueri populorum salutem et communitatis bono efficacius consulere, quam si ad rempublicam accesserint, insidente penitusque in animis insculpta christiana Philosophia.

251. « Cum vero multis iam rebus cognita sit nobis voluntas ac sapientia et tua, dilecte Fili noster, et caeterorum venerabilium Fratrum Episcoporum, pro certo habemus vos consilium nostrum quanti est tanti aestimaturos. Date igitur operam legendis sapienter magistris, tuendis vigilanter studiis optimis, et sic statuite tanto meliorem disciplinarum fore rationem quanto ad doctrinam Thomae Aquinatis propius accesserit. Interim divinorum munerum auspicem et praecipuae benevolentiae nostrae testem tibi, dilecte Fili noster, et caeteris Episcopis Belgicis, Collegio Doctorum atque auditoribus universis Universitatis Lovaniensis apostolicam benedictionem peramanter impertimus ».

252. Die 15 ianuarii 1881, Augustino Episcopo Papiensi haec habet Pontifex:

« Perspeximus tum studium quod confers ad virtutem et doctrinam in alumnis sacri Ordinis promovendam, tum praeclarum foedus quo simul consociantur dilecti filii sodales Academiae a sancto Thoma appellatae, qui etiam epistola ad nos data optimis gravibusque sensibus referta, nos in magnam spem adduxerunt eorum operam et solertiam plurimum solidae scientiae incremento profuturam. »

253. Die 5 februarii, an. 1881, Hamilcari Archiepiscopo Firmano:

« Litterae calendis huius mensis a te datae una cum venerabilibus Fratribus Episcopis Aulonensi et Assisiensi, necnon academicis et candidatis Academiae a sancto Thoma nuncupatae, cui praesides, nos docuerunt quantopere vobis curae sit in ea diligenter incumbere quae optimorum studiorum rationibus opportuna et nobis grata esse cognoscitis. Hoc enim nobis luculenter compertum est tum ex unanimi studio quo Academia isthic instituta philosophicis doctrinis instaurandis consulere curavistis, tum ex declaratione vestra qua profitemini Angelici Doctoris doctrinis fideliter adhaerere velle, et eum tanquam Patronum coelestem ad demerendum eius praesidium coniunctis obsequiis venerari. Gratulamur tibi, venerabilis Frater, atque omnibus qui tecum ad nos scripsere, et quo praestantius est opus

in quo versamini, eo magis cupimus ut coeptis vestris, Deo auxiliante, alacriter insistatis. Decet enim eos qui propter ministerium suum lux mundi vocantur, non solum bonorum operum, sed solidae etiam doctrinae luce fulgere ut tenebras ex hominum mentibus dimovere valeant, et inter ipsos veritatis regnum instaurare. Nos itaque libenter annuentes votis vestris, adprecamur vobis divinam opem, etc. ».

254. Die 18 martii 1881, Francisco Episcopo Cremensi:

« Pervenerunt nuper ad nos cum tuis litteris, litterae quoque Moderatoris Seminarii tui, qui die sacro redeunte honori Angelici Doctoris, obsequii sui sensus erga nos, et studium suum in eo duce ac magistro solidae doctrinae sequendo nobis confirmare voluerunt. Quamquam nos novo hoc testimonio non indigeremus, cum probe perspectam habeamus tuam tuorumque alacritatem in eis exsequendis quae nobis grata esse intelligitis, tamen illud libentissime excepimus, cum videremus venerationem vestram erga coelestem illum Patronum et ardorem eius doctrinae percipiendae in dies magis in vobis augeri, devinctis animis, concordi ope bonorum quae ex verae sapientiae cultu et amore dimanare cognoscitis. Quapropter, venerabilis Frater, nos etiam iterata laude egregias vestras voluntates prosequimur, ac ominamur ut firma fiducia, quam de Angelici Doctoris praesidio fovetis, optimos fructus pariat, ac vos eius ope, quam studiose imploratis, uberrime ac feliciter fruamini. Tibi autem committimus, venerabilis Frater, ut hos nostros sensus praedictis dilectis Filiis nostro nomine patefacias, etc. ».

255. Die 26 martii 1881, Dominico Patriarchae Venetiarum:

« Quamvis litteras a te datas die 12 huius mensis satis nobis commendaret perspecta tua erga nos voluntas, non parum tamen gratiae iis res adiecerunt quae eorum ministerio nunciabantur. Non enim fieri poterat quin perlibenter ex illis disceremus ea quae a te gesta sunt, ut desideriis nostris obsecundares in fovendo ac provehendo studio philosophicae disciplinae iuxta mentem ac methodum sancti Thomae Aquinatis. Qua quidem in re opportune et utiliter a te factum censemus, ut dignitate loci et praesentia tua honestares hebdomadarios coetus iuvenis Cleri, quos ad nobilem ingeniorum palaestram te instituisse significas. E laetis autem exordiis, uti refers, hoc opus es auspicatus, et constanti eiusdem progressu haud mediocres salutis fructus Archidioecesi tuae auguramur. Quo magis enim sancti Thomae doctrinis Clerus cui praees fuerit imbutus, eo validioris solidae scientiae praesidiis prodibit instructus, adeoque magis frugiferum et utile ministerium eius penes fideles futurum erit. Quin etiam ii qui catholicam veritatem fallacibus impetunt argumentis, propugnato-

res eius paratiores, atque ad strenuam defensionem egregiis munitos armis reperient. Quae dum tibi gratulamur propter ea quae hactenus prospere gessisti, Deum optimorum munerum largitorem rogamus ut illud quasi plantarium, ubi christiana sapientia floreat, a te consitum, coelestis roris ubertate fecundet, et novo quotannis amplificet incremento ».

256. Die 14 aprilis 1881, Camillo Archiepiscopo Consentino:

« Non mediocri nos voluptate affecit lectio obsequiosae epistolae, exeunte martio mense a te datae, cui Moderator et Praeceptores Seminarii tui subscriptores accesserunt. Etenim cum ex narratione rerum quae die sacra sancto Thomae Aquinati per vos gestae sunt, tum ex iis quae conscripsistis de studio quo eius doctrinae adhaeretis, libenter intelleximus documenta et hortamenta nostra perinde fuisse excepta in ista dioecesi ac semen bonum in fertili cultoque solo excipitur, quod messem uberem frugum optimarum pollicetur. Quum autem ex aliis quoque locis nuncietur nobis cultiores e Clero viros Pastorum zelo strenue cooperari ad eam quam optamus solidae scientiae instaurationem, duplex nobis suppetit e studiis et propositis vestris causa gratulationis. Scilicet de iis laetamur non modo propter bonum quod istius dioecesis finibus continetur, sed etiam propter eam partem quam constituunt maioris operis quod collatis viribus susceptum ad compendium et salutem totius Ecclesiae et humanae societatis pertinet. Quapropter Patrem luminum impense rogamus ut praedictos dilectos Filios, queis iuvenem Clerum erudiendum credidisti, eorumque alumnos sua luce illustret et gratiae suae donis repleat affluenter, ut veritatis catholicae validi adsertores exsistant, et Angelicum sequentes ducem, altius assurgant super omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei. In auspicium, etc. ».

257. Die 16 maii 1881, Ioanni Petro Episcopo Claromontensi:

« Gratissimum nobis fuit, venerabilis Frater, ex litteris a te datis agnoscere solemnes honores, quos Magistri ac alumni maioris tui Seminarii, te promovente, Angelico Doctori optimorum studiorum Patrono, die eius memoriae sacro, tribuerunt, eumque diem philosophicis etiam ac theologicis disputationibus fuisse celebratum, quarum nobis rationem et exemplar volumen ad nos missum exhibuit. Plurimum sane gaudii percepimus ex his quae a vobis splendide gesta sunt, non solum quia vestrum erga nos et Sanctam hanc Sedem obsequium mirifice testabantur, sed etiam quia flagrans huiusmodi ad solidam doctrinam tradendam et adipiscendam studium optimos fructus isti Dioecesi pollicetur. Tibi itaque, venerabilis Frater, et Professoribus ac alumnis tuis ultro gratulamur ac ominamur ut Angelico Doctore auspice et patrono faustis initiis uberiora in dies emolumenta accedant, tuumque Seminarium praestanti iugiter laude optimorum studiorum et sanctae disciplinae floreat ».

258. Die 11 iulii 1881, Ioanni Valeriano Episcopo Budwicensi, in Bohemia:

« Tuum erit iisdem [Moderatoribus et Professoribus Seminarii] patefacere oblectationem quam ex eo cepimus quod memores vocationis et officii sui, solidam scientiam excolant, Angelici Doctoris terentes vestigia; ac praeter curas quotidianas, quas alumnorum institutioni conferunt, sedulam dent operam conscribendis edendisque libris, per quos laici etiam fideles confirmentur in Fide ac sana doctrina religionis et christianae vitae praeceptis imbuantur. Nostro praeterea nomine iis animum adiicies, ut strenue opus facere pergant, ingentia spectantes bona quae ex eorum industria profectura sunt. Nam quum passim videatur humana societas foeda corruptione dissolvi, hoc erit praecipuum malis remedium, si ii, quos Dominus sal terrae esse voluit, vim totam exerant ministerii sui et efficientiam salutarem ».

259. Die 14 iulii 1881, Federico S. R. E. Card. Schwarzenberg Archiepiscopo Pragensi aliisque Bohemiae Episcopis:

« Proximorum saluti animose inserviendum est, et in tuenda Fidei catholicae unitate nullus recusandus labor... Quoniam in hoc genere [operum zeli christiani] de quo loquimur, priores sunt Cleri partes, plurimum interesse iudicamus quo pacto Sacrorum alumni instituantur. Profecto providendum est ut ii ad doctrinam pariter ac pietatem informentur, charitate praestent, fide et charitate erga hanc Apostolicam Sedem Ecclesiamque Romanam excellant. Ad haec autem capessenda ornamenta multo facilius ac tutius assurgent, si doctrina sancti Thomae Aquinatis sedulo imbuantur ».

260. Die 3 augusti 1881, Victori Augusto S. R. E. Card. Deschamps Archiepiscopo Mechliniensi, et omnibus Belgii Episcopis, de concordia inter catholicos servanda:

« Ad vos quod attinet, dilecte Fili noster et venerabiles Fratres, summa diligentia curate ut omnium doctorum virorum, et eorum quibus praesertim iuventutis instituendae munus per vos est creditum, una sit mens eademque sententia in his in quibus Apostolicae Sedis auctoritas dissentiendi libertatem non reliquit. In his autem quae sapientum disputationibus libere permittuntur, ita vobis suadentibus ac monentibus, ingenia exerceantur, ut sententiarum diversitas animorum unitatem et voluntatum concordiam non abrumpat. Qua de re plena sapientiae ac gravitatis praecepta doctis viris tradidit immortalis memoriae Pontifex de-

cessor noster Benedictus XIV, in Constitutione *Sollicita ac provida*: immo etiam exemplar ad imitandam proposuit sanctum Thomam Aquinatem, qui pacato semper stylo et gravi dicendi forma utitur, non solum cum docet veritatemque argumentis communit, sed etiam cum adversarios urget et insectatur. Placet nobis haec eadem Decessoris nostri praecepta iterum sapientibus commendare,[1] idemque exemplar exhibere, ex quo non modo discant qua ratione sit cum adversariis agendum, sed etiam qualem in philosophicis et theologicis disciplinis doctrinam tradi oporteat et coli. Non semel... significavimus quantopere nos optemus ut sancti Thomae sapientia in Scholis catholicis restituatur, et maximo ubique in honore habeatur. Auctores etiam nos fuimus constituendi in Lovaniensi Academia altioris Philosophiae, ad mentem sancti Thomae, Magisterium; qua in re, sicut et in caeteris omnibus paratissimos vos nacti sumus desideriis nostris obsequi voluntatemque nostram perficere. Coepta igitur alacriter insistite, et studiose curate ut in eadem Academia christianae Philosophiae uberes fontes e sancti Thomae Aquinatis operibus erumpentes, large copioseque auditoribus recludantur, et ad omnium aliarum disciplinarum utilitatem deriventur. Qua in re neque consilium neque operam nostram, ubi opus fuerit, vobis unquam deesse sinemus ».

261. Die 14 octobris 1881, Decretum quo in Festo sancti Thomae Aquinatis Breviarii Lectionibus et Martyrologio additiones praescribuntur:

« Superiore anno Sanctissimus Dominus noster Leo Papa XIII per apostolicas Litteras in forma Brevis sub die 4 augusti datas, quamplurium Dioecesium sacrorum Antistitum aliorumque virorum scientia, pietate atque ecclesiastica dignitate eminentium votis obsecundans, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto Angelicum Doctorem sanctum Thomam Aquinatem cunctis catholicis Universitatibus studiorum, Academiis, Lyceis et Scholis peculiarem apud Deum dedit Patronum. Quo autem huiusmodi solemnis actus in sacra quoque Liturgia perennis exstaret memoria, Sanctissimus idem Dominus noster voluit ut tam in Lectionibus historicis Breviarii quam in Martyrologio mentio de hoc fieret; quod Sacrorum Rituum Congregationi exsequendum commisit. Hinc ad mentem Sanctitatis Suae novae Lectiones historicae, nec non addenda ad elogium in Martyrologio elucubrata sunt, quae a me infrascripto Cardinale Sacrae eidem Rituum Congregationi Praefecto subsignata die exhibita, idem Sanctissimus Dominus noster suprema auctoritate sua approbavit, mandavitque ut ea ab universae Ecclesiae Clero tam Saeculari quam Regulari, haud

[1] Vide supra, n. 181.

excluso Praedicatorum Ordine, in posterum recitari debeant, suppressis omnino Lectionibus secundi nocturni in Officio praefati sancti Doctoris hucusque adhibitis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14 octobris 1881 ».

« Card. Bartolinius, *S. R. E. Praefectus* ».

262. Die 11 decembris 1881, Decretum prodivit quo nova in Mexicana regione constituitur Dioecesis a Colima urbe nuncupanda, ibidemque legitur:

« ... Seminarium " Conciliare " quod in urbe Colima christianae liberalitatis pietatisque eorum civium documentum prostat, ad " Episcopalis " dignitatem honoresque attollatur; adolescentesque ibidem in spem Ecclesiae Colimensis edocendi atque efformandi, Episcopo Colimensi prorsus atque in omnibus subiiciantur, isque praesertim in Philosophicae ac Theologicae Facultatis curriculo, nullam aliam doctrinam alumnos addiscere sinat quam eam quae omnino sanctae Romanae Ecclesiae magisterio et sancti Thomae Aquinatis menti adamussim conformetur atque respondeat ».

263. Die 17 decembris 1881, Friderico Episcopo Bonearensi, necnon Episcopis Cordubensi, Sancti Ioannis de Cuyo, Saltensi et Paranensi:

« Cognovimus perlibenter ex epistola vestra die XIII calendas septembris datas, vos concordi studio et obsequio excepisse et amplexos esse ea quae in Litteris nostris encyclicis, quarum initium *Aeterni Patris*, de instaurandis philosophicis disciplinis ad mentem sancti Thomae Aquinatis conscripsimus, et ad optimorum studiorum rationem promovendam curis nostris digna censuimus. Cuius rei nuncium eo gratius nobis accidit, quod simul moneretis eam docendi rationem iuxta desiderium nostrum iam in Seminariis vestris per vos constitutam vigere. Quum itaque in hoc facto non modo egregium vestrae erga nos voluntatis testimonium perspiciamus, sed etiam luculentum pignus pastoralis solicitudinis vestrae ut iuvenis Clerus solidae scientiae praeceptis imbuatur, nos ultro meritam diligentiae et zelo vestro laudem tribuimus, atque incoeptis vestris propitiam, sicut optatis, benignitatem divini Numinis adprecamur. Nobis profecto persuasio firma, nedum bona spes inest, fore ut providas curas vestras laetus sequatur eventus; non enim fieri potest, quin ex optimo semine docibilibus animis insito flores et fructus lectissimi sacerdotalis doctrinae et virtutis germinent. Erit autem horum fructuum eo amplior copia nec sera maturitas, quo magis studiis vestris docentium alacritas et discentium sedulitas fideliter respondeant. In auspicium igitur coelestis gratiae, etc. ».

264. Die 14 ianuarii 1882, Eugenio Episcopo Basileensi:

« Acceptissima nobis fuerunt officia litterarum per quas a te, venerabilis Frater, nec non a dilectis Filiis moderatoribus Academiae Lucernensis a sancto Thoma appellatae, certiores facti sumus de ipsius Academiae institutione, deque auspicatis initiis quibus eiusdem sodales, te praeunte ac iuxta leges a te probatas, operi proposito manus admoverunt. Atque ea quidem quae in utraque epistola legimus fuerunt eiusmodi, ut minime nobis ambigendum sit quin illi summo studio et alacritate prosequi velint quod feliciter aggressi sunt; qua quidem agendi ratione benevolentiam sibi nostram, qui sanae scientiae incrementa cupimus, impensius conciliabunt. Dum autem zelo tuo ac promptae voluntati eorum qui huic obsecundarunt, meritas laudes tribuimus, reticere nolumus spem quam fovemus fore ut illi rectam solidamque doctrinam propugnantes non modo Ecclesiae, sed et ipsi societati civili non leve emolumentum afferant. Quemadmodum enim magistri errorum pravis doctrinae novitatibus tantam hominum partem corruperunt, sic non dubitandum est propagatores veritatis, eius salutari luce diffusa, multis auxilio futuris, ut ad rectam verae sapientiae semitam revertantur. Interim tibi, etc. ».

265. Die 25 ianuarii 1882, Episcopis provinciarum Mediolanensis, Taurinensis, Vercellensis « De dissentionum initiis opprimendis ». Leo XIII haec de doctrina sancti Thomae habet:

« De philosophicis disciplinis iam declaravimus cuius viri vestigiis ingrediendum putemus. Litterae nostrae encyclicae, die IV mensis augusti anno MDCCCLXXIX ad universos Episcopos datae, aperte monent avere nos et cupere ut iuventus ad disciplinam sancti Thomae Aquinatis instituatur, quae plurimum ad excolendas sapienter hominum mentes semper valuit, et est maxime accommodata ad pravas refutandas opiniones, quae homines tanto iam numero transversos agunt, cum ingenii et salutis suae discrimine et reipublicae detrimento. Istud Litterarum nostrarum propositum poterat omnium animos concordia iunctos facile retinere, excepta interpretationis subtilitate nimia, servataque moderationis ratione in rebus iis de quibus ad studium investigandi veri, citra fidei charitatisque iacturam, viri docti utrimque disserere consueverunt ».

266. Die 30 ianuarii, an. 1882, Iosepho Episcopo Barchinonensi:

« Litteras excepimus die 12 elapsi decembris datas a dilectis Filiis Richardo Cortes presbytero, aliisque sodalibus Academiae Barchinonensis a Sancto Thoma Aquinate nuncupatae, ex quibus intelleximus sodales eiusdem Academiae tuo iussu constitutae tuaeque moderationi subiectae in votis habere ut catholicae ephemeridis opus suscipiant, in qua praesertim Academicorum lucubrationes edant, quae ad veritatem tuendam ac errores huius temporis profligandos ipsorum opera et industria elaborantur. Pergratum habuimus huiusmodi consilium ab iis sodalibus susceptum, venerabilis Frater, cum videamus ex eo novos stimulos ipsis addi, ut in Angelici Doctoris sapientia haurienda impensius et alacrius versentur, ac optimum campum patere ut ex eorum laboribus opportuni fructus in aliorum utilitatem diffundantur... Quapropter plurimum eorum pia studia commendantes, tibi committimus ut iis significes pergratum nobis eorum consilium accidisse, ac valde nos confidere eorum industriam, te moderatore ac duce, maxime valituram ut solidae sapientiae amor et verae doctrinae splendor late inter cives suos propagetur. Quoniam autem omne datum optimum, etc. ».

267. Die 15 februarii 1882, ad Episcopos Italiae de remediis adhibendis contra mala ingravescentia:

« In gravioribus disciplinis Litterae nostrae encyclicae *Aeterni Patris* viam rationemque studiorum optimam indicaverunt ».

268. Die 12 maii, de Ordine Sancti Basilii reformando:

« Alumni post vota simplicia, sacerdotibus Societatis Iesu studiorum moderatoribus, ad humaniores litteras instituantur, mox Philosophiam et Theologiam sub iisdem doctoribus percipiant, atque in iis studiis ad disciplinam divi Thomae Aquinatis exerceantur ».

269. Die 9 octobris 1882, Ioanni Baptistae, Episcopo Placentino:

« Quae retulisti, venerabilis Frater, quaeque vidimus e voluminibus scriptisque oblatis de religiosa operositate Cleri populique tui, ea, cum egregie responderent desiderio nostro, habuimus acceptissima. Dum sanae Philosophiae restitutioni consulturi sancti Thomae doctrinam sectandam proposuimus, eo maxime spectavimus ut praesentium malorum radici securim admoveremus. Nam audax illa et incomposita philosophia, quae a Scholasticorum sapientia recedens, libito aegrarum mentium commissa, insana iamdiu et effrenis excurrit, et ex errore in errorem prolapsa a veritate prorsus aberravit, ita mentes vitiavit, ut ad publicos privatosque usus ac mores traducta, omnia demum commoverit et subverterit. Peropportunum itaque duximus consilium illorum e tuis sacerdotibus, qui sancti Thomae doctrinam exponere et vulgare coeperunt, ut facilius percepta profundius mentibus insideat. Cum enim veritate nitatur, non modo facile scientiam cum fide conciliabit, sed universa rursum exigens ad iustitiae normam ordinem tandem reducet. Id illorum labori ominamur, et ad adducendum eiusmodi fructum, non parum profuturam confidimus susceptam

operam, si constanter exhibeatur e puris educta fontibus expositio genuinae sententiae Doctoris Angelici ».

270. Die 7 decembris, an. 1882, Thomae Michaeli Archiepiscopo Titulari Edesseno:

« Libenti gratoque animo accepimus tuum de vita rebusque gestis sancti Thomae Aquinatis commentarium: in quo praeter pietatis laudem, nitidamque orationis brevitatem, valde nobis consilium scribendi ratioque placuit. Siquidem rerum delectum scienter accommodas ad iuventutis usum, propositisque velut summis tanti viri lineamentis, homines opportune iubes in praeclarum istud exemplar intueri, ab eoque et quod imitentur capere, et patrocinium praesertim in lubrica adolescentiae via exquirere. Hoc quidem est Thomam Aquinatem complecti totum, et publicae privataeque utilitatis velle sapienter effectorem. Ac nos certe in eius quod tanto opere contendimus dignitate restituenda, duo spectamus, ut scilicet non minus innocentissimi viri sanctitati, quam doctoris auctoritati vulgo tribuatur. Cum enim tempora postulent ut non modo sanae doctrinae studium, sed etiam solidum christianarum virtutum decus reviviscat, utrumque facere Thomas commode potest, alterum scientia sua, alterum exemplis. Quare gratulamur, etc. ».

271. Die 1 ianuarii 1883, Odoardo Cardinali Mac-Cabe Archiepiscopo Dublinensi:

« De sacris autem Seminariis, in eo evigilent cogitationes vestrae ut diligenter adolescentes ad spem sacerdotii bonis artibus et virtutum exercitatione erudiantur; generatimque cupida Philosophiae iuventus instruat sese, quoad opportune fieri potest, Doctoris Angelici disciplina ».

272. Die 28 martii, 1883, Dominico Pio, Episcopo Concordiensi:

« Iunctas officiosis litteris die 12 martii a te conscriptis eas accepimus quas Professores et alumni Seminarii tui ad nos dederunt. Gratas admodum utrasque habuimus, tum quia sensus obsequii fideique vestrae diserte nobis expromebant, tum quia studium testabantur, quo istic, te duce, sancti Thomae Aquinatis nobilissima Philosophia traditur et colitur. Qualis ob eam rem percepta a nobis voluptas fuerit, facile aestimare potes, venerabilis Frater, qui non minus quam nos cernis et intelligis quantopere adnitantur perditionis filii philosophicas disciplinas corrumpere, quantaque proinde necessitas urgeat ut catholica iuventus, eaque praesertim quae in sortem Domini vocata est, verae sapientiae praeceptis imbuatur, aptaque evadat ad detegendos ac refutandos errores, quos hostes Ecclesiae contra doctrinam eius passim disseminant. Nobis certe firma

spes inest industriam et sedulitatem vestram uberes ac salutares fructus fore allaturam, maxime si alumni Seminarii tui non solum divitias solidae scientiae ex puris Doctoris Angelici fontibus contendant haurire, sed etiam ex eius vita rebusque gestis exempla petant virtutum, quibus ornari potissime Ecclesiae ministros oportet, etc. ».

273. Die 2 maii 1883, Dominico Episcopo Fodiano:

« Certiores facti sumus ex litteris venerabilis fratris Archiepiscopi Sipontini aliisque documentis ad nos missis, Academiam Sancti Thomae Aquinatis in ista regione constitutam esse, eiusque institutionis solemnia in ista civitate tua celebrata esse die sacra eidem Doctori Angelico a te aliisque istius regionis Episcopis et Viris ecclesiasticis qui absentium Pastorum nomine adstiterunt. Non levem sane ex huius rei nuncio voluptatem cepimus, non modo quia vestrum testatur studium obsequendi desideriis et suasionibus nostris, sed etiam quia spem nobis facit fructuum optimorum, quos fideles et Clerus praesertim istarum dioecesium ex hac institutione erunt percepturi. Reliquum modo est ut eadem alacritate qua bonum opus adgressi estis, firmiter illud tueri pergatis et quod mira animorum concordia est incoeptum, communibus studiis promoveatur; quod profecto fiet, si omnibus persuasum fuerit eo rem pertinere, ut qui verae sapientiae student thesauris solidae doctrinae ditentur, et qui se milites Christi gloriantur esse, validioribus instruantur armis ad veritatem catholicam et iura Ecclesiae naviter adserenda. Dum itaque pro iis quae hactenus egistis meritam vobis laudem deferimus, etc. ».

274. Die 30 martii 1884, Constantino Pieraerts Rectori, Administris et Doctoribus decurialibus Academiae Lovaniensis:

« ... Nec minus delectati sumus intelligentes ex litteris vestris magno alumnorum numero, qui in spem patriae et religionis succrescunt, sedem [Universitatis scilicet] florere; severiores isthic doctrinas tradi ad eam rationem quam nobis cordi esse novistis, et omnes a vobis curas impendi, ut cum scientiarum et artium laude recta morum disciplina vigeat, atque ita catholicum istud institutum iure ac merito totius gentis ornamentum patriaeque decus existimetur ».

275. Die 12 decembris 1884, Alexandro Pydal y Mon, Matritum:

« Quanto noster in sanctum Thomam Aquinatem maior est amor, tanto accepimus libentius tuum de tanti Viri vita, doctrina multiplicique virtute commentarium. In quo sane quidquid est a te diligentiae positum et laboris, iucundam habet remunerationem, nec solum ex laude quam inde te verisimile est accepisse, sed etiam ex sperata utilitate communi.

Non enim dubitamus quin labor iste tuus profuerit itemque in posterum profuturus sit nominatim Hispanis, qui memoriam adamant Doctoris Angelici, et in quibus Thomistica philosophandi ratio sectatores ingeniosos et doctos omni tempore invenit. Qua re nihil fere nobis potest optatius contingere: saepe enim et non una ratione declaravimus quanti ad incrementa studiorum optimorum simulque ad salutem publicam interesse putemus Thomam Aquinatem in pristinum honoris et dignitatis gradum restitui. Itaque gratulamur tibi, dilecte Fili, quod vires ingenii tui in argumento tam nobili tamque fructuoso exercueris: perspectaque sapientia simul et pietate tua, pro certo habemus futurum ut quae vera sunt, quae praeclara, maxime vero quae ad laudem virtutis doctrinaeque christianae pertinent, ea pergas tibi in scribendo proponere: tunc enim merito laudatur elegantia doctrinae, cum utile est quod scribitur. Interea coelestium munerum, etc. ».

276. Die 18 ianuarii, 1885, Leo XIII ita Moderatores et alumnos Seminariorum et Collegiorum Urbis alloquitur:

« Maiorum rerum scientiam quod spectat, utiliter videmur et convenienter temporibus fecisse, quod ad disciplinam Thomae Aquinatis studia Clericorum revocavimus. Et hac de re quod per Litteras, nec semel, aperte monuimus, idem hodie viva voce renovamus: Angelicum Doctorem oportere ducem ac magistrum sequi: in quo vos, dilecti Filii, quanto plus operae studiique collocaveritis, tanto plus ad excellentiam doctrinae propius accessisse iudicatote ».

277. Die 20 maii 1885, Lucido Mariae S. R. E. Presbytero Cardinali Parocchi:

« Plane quidem intelligis quod saepe nos et non sine causa diximus, summa esse contentione et assiduitate enitendum ut Clericorum Ordo quotidie magis doctrinarum cognitione floreat. Cuius necessitatem rei maiorem efficit natura temporum, propterea quod in tanto ingeniorum cursu tamque inflammato studio discendi nequaquam posset Clerus in muneribus officiisque suis cum ea qua par est dignitate atque utilitate versari, si quae ingenii laudes tanto opere expetuntur a caeteris ipse neglexerit. Hac nos de caussa ad disciplinam eruditionis, praesertim in alumnis Sacri Ordinis, animum adiunximus: et a scientia rerum graviorum exorsi, Philosophiae Theologiaeque studia ad veterum rationem, auctore Thoma Aquinate, revocanda curavimus: cuius quidem opportunitatem consilii, qui iam secutus est, exitus declaravit ».

278. Die 26 iunii 1885, Emmanueli Episcopo Conimbricensi:

« Tuas accepimus litteras, die 13 huius mensis datas, et orationem a te typis editam, ex quibus agnovimus die 31 elapsi maii in tuo Seminario solemnem conventum litterarium sub auspiciis sancti Thomae Aquinatis habitum esse in maxima frequentia, non modo studiosae bonarum artium iuventutis, sed et illustrium virorum, sacri et civilis ordinis dignitate, auctoritate ac doctrina praestantium, qui eam celebritatem sua praesentia honestarunt. Ex huiusmodi re gratam nobis consolationis causam habuimus, videntes tum curas tuas atque cooperatorum tuorum in scientiarum et litterarum cultu iuxta vota nostra provehendo, tum studium erga vos omnium civitatis ordinum, qui hac occasione luculenter ostenderunt sibi cara esse quae ad religionis, doctrinae et patriae utilitatem ac decus referuntur. Nostrum itaque tibi, venerabilis Frater, tuoque Seminario cunctisque qui in eo litterario conventu sui ingenii fructus exhibuerunt benevolum animum profitemur, ac de amplitudine totius celebritatis splendidoque eius exitu vobis impense gratulamur ».

279. Die 4 augusti 1885, C. F. S. Pieraerts Rectori Academiae Lovaniensis:

« Si magnam delectationem experti sumus, cum in ista illustri Academia philosophicarum disciplinarum Magisterium iuxta mentem et doctrinas sancti Thomae Aquinatis, obsequente votis nostris auctoritate ac studio Antistitum istius Regni, constitutum cognovimus, non minori nunc certe iucunditatis sensu afficimur, cum videamus laetos ac salutares fructus qui ex opera vestra in desideriis nostris explendis posita feliciter dimanant. Grata enim cum consolatione intelleximus a germano fratre nostro S. R. E. Cardinali studiis regundis Praefecto, publicam istic in re philosophica disputationem elapso mense a D. F. Fontaine Dioecesis Tornacensis in magna clarissimorum virorum frequentia habitam esse, in qua memoratus Academiae vestrae alumnus doctrinas haustas ex splendidis fontibus Angelici Doctoris explicuit, suorumque studiorum experimento propositum habuit filialis nobis obsequii pignus exhibere. Dum nos magnopere gratulamur de hac re, quae ad laudem et decus istius scientiarum domicilii pertinet, vota etiam facimus, dilecte Fili, ut Academia vestra optimorum alumnorum foetu in dies magis abundet, et faustis gloriae incrementis ad Ecclesiae bonum et societatis humanae utilitatem efflorescat. Quo vero vestrum erga Angelici Doctoris sapientiam studium, ac vestra erga sanctissima eius virtutis exempla veneratio confirmetur constanterque vigeat, dono mittimus isti Academiae imaginem nostram ea occasione in Urbe depictam, qua nos, votis annuentes plurium Antistitum et fidelium, sanctum illum coelitem optimorum studiorum Patronum pontificio Decreto designavimus, etc. ».

280. Die 13 dicembris 1885. Omisso prodiisse interim celeberrimam Encyclicam *Immortale Dei* de Civitatum constitutione christiana, quae Encyclica nihil aliud est quam canonizatio quaedam totius doctrinae sancti Thomae circa idem argumentum, notanda est epistola sequens, P. Bernardino a Portu Romatino, Ordinis Minorum Ministro Generali, a Pontifice directa die illa praedicta:

« Quod universa Seraphici Doctoris opera de integro edenda decreveras, non mediocrem animi laetitiam percepimus; nunc vero eidem exsequendo consilio manum esse feliciter admotam magna cum voluptate intelligimus. Qui enim vix fere pontificatu inito, nil ad oppugnandos nostrorum temporum errores fore aptius, nil ad confirmandam veritatem efficacius duximus quam ut excellens summi Scholasticorum Magistri [scilicet Aquinatis] sapientia longe lateque fluat, atque ad id praecipuam operum illius editionem numeris omnibus absolutam publicari iussimus, haud satis laudare propositum tuum poteramus, quo vulgatis sancti Bonaventurae scriptis, catholica iuventus ad scholasticas disciplinas etiam studiosius inflammaretur.

« Quanta inter sanctum Thomam ac Seraphicum Doctorem necessitudo, quanta sanctitatis ac doctrinae similitudo intercesserit, omnibus in comperto est... Quapropter nullo modo dubitandum quin Catholici, praesertim iuvenes in spem Ecclesiae succrescentes, qui ad philosophica ac theologica studia secundum Aquinatis doctrinam sectanda se conferunt, perlegendis sancti Bonaventurae operibus plurimam utilitatem sint hausturi, atque ex amborum scriptis, quasi ex praecipuis armamentariis gladios ac tela sumant, quibus in teterrimo bello adversus Ecclesiam ipsamque humanam societatem commoto, hostes superare strenue quaerant ».

281. Die 1 aprilis, an. 1886, P. Michaëli De Maria S. I., in Pontificia Universitate Gregoriana Philosophiae Professori:

« Iampridem compertum nobis est studium tuum, quo purissimam sancti Thomae Aquinatis sapientiam prosequeris, et numerosam iuventutem in Pontificia Universitate Gregoriana ad tanti Doctoris disciplinam informare strenue et laudabiliter adniteris. Hoc nobis gratissimum semper accidit, qui, uti crebro et aperte significavimus, in theologicis et philosophicis disciplinis impense exoptamus et volumus Clericorum studia revocari ad doctrinam ab Angelico Doctore explicatam. Ad hunc finem facile assequendum, nihil antiquius et magis accommodatum habemus quam praeclariora opera ab Aquinate conscripta inter iuvenes studiosos divulgari. Cum enim adolescentium animus integer et incorruptus mature accesserit ad purissimos tam excellentis Praeceptoris fontes, gustata eius divina sapientia, ardentem amorem erga illam excitatum in se sentiet, et falsa dogmata quae

Philosophiam nostra aetate male pervadunt et mentes transversas agunt, ultro aspernabitur.

« Quamobrem libenti animo gratulamur tibi, dilecte Fili, qui in imbuenda optimis disciplinis inventute egregiam industriam tuam contulisti in editiones nonnullorum sancti Thomae operum adornandas, quae omnibus, et maxime iuvenibus qui in spem Sacerdotii instituuntur, sine gravi dispendio usui esse possent. Sicut ergo merita laude te prosecuti sumus propter *Quaestiones disputatas* sancti Doctoris, quas concinna editione vulgasti, sic te iterum commendatione nostra dignum habemus, qui selecta *Opuscula Philosophica* et *Theologica* cum *Quaestionibus quodlibetalibus* eiusdem Angelici Praeceptoris tribus voluminibus nuperrime typis edi curasti, et quorum exemplum nobis obtulisti in testimonium tuae obsequentissimae erga nos voluntatis. Munus tuum periucundum nobis fuit, et te optime consuluisse putamus emolumento ac disciplinae adolescentium, quod quasdam quaestiones, et adiecta nonnullis opusculis scholia elucubrasti, quae inexpertae ac tenerae aetati fideliter aperirent ea doctrinae capita quae Angelicus Magister uti fundamenta proposuit totius disciplinae ab ipso expressae. Dum autem imploramus ut labori a te pro doctrina sancti Thomae Aquinatis dilatanda suscepto propitius adsit Deus, etc. ».

282. Die 19 iulii 1886, Francisco Satolli Collegii Graeci in Urbe Moderatori:

« Qui te, dilecte Fili, addictissimum iam noveramus doctrinae sancti Thomae, quum adhuc Perusinam Ecclesiam regeremus, eaque de causa in almam hanc Urbem iussimus accedere, ubi a pluribus annis sacrae Theologiae tradendae operam navas, lubenti gratoque animo accepimus a te *Praelectiones Theologicas*, quas in discipulorum tuorum commodum hactenus edidisti. In iis autem vehementer consilium tuum laudamus, quod commentaria exhibes in ipsam sancti Thomae Aquinatis *Summam*, ea mente ut auditores tui textum Angelici Doctoris e suis manibus excidere non patiantur. Sic enim et non aliter fiet ut genuina sancti Thomae doctrina in scholis floreat, quod nobis maxime cordi est. Illa enim docendi ratio quae in magistrorum singulorum auctoritate arbitrioque nititur, mutabile habet fundamentum, ex quo saepe sententiae diversae atque inter se pugnantes oriuntur, quae quum sancti Doctoris mentem referre nequeunt, tum dissensiones fovent et concertationes, quae diutius iam catholicas, non sine magno scientiae christianae detrimento, agitarunt. Optandum autem est ut praeceptores sacrae Theologiae, Tridentinos Patres imitati, *Summam* sancti Thomae super cathedris suis patere velint, unde consilium, rationes et theologicas conclusiones petant. Ab his enim palaestris merito Ecclesia exspectare poterit fortissimos milites ad profligandos errores, ad rem catholicam defendendam. Quod ut tibi Deus, etc. ».

283. Die 13 iulii 1886, Leo XIII, dum laudes tribuit Societati Iesu atque immunitates et privilegia confirmat, ita prosequitur:

« Pergat igitur benemerita Societas Iesu... iuventutem christianis virtutibus bonisque artibus imbuere, philosophicas ac theologicas disciplinas ad mentem Angelici Doctoris tradere ».

284. Die 31 iulii 1886, Abeli Anastasio Germain Episcopo Constantiensi:

« Laetamur quam maxime tecum, venerabilis Frater, quod Academia Sancti Thomae, quae iam inde ab anno MDCCCLXXX a te fundata in Constantiensi tua Dioecesi, et quam indefessa cura atque industria fovere non desinis, adeo floreat ut CXXXV sacerdotes sodales numeret, ex quibus ingenio praestantiores alacriter sive in explicanda doctrina, sive in erroribus confutandis, quibus aetas nostra scatet, egregiam operam ponunt, duce Angelico Doctore. Pergant igitur bene de patria, de civibus, de religione mereri, neque in urgendo tam pio et fructuoso instituto suscepto defatigentur. Hoc enim remedio nullum ferme efficacius est ad intemeratam Fidem tuendam, ac pravae religionis prohibenda contagia, pro gloria Dei et animarum salute. Nobis autem nihil optabilius in hac tanta temporum calamitate, qua tristamur et pene obruimur, nihil gratius esse potest quam in eam spem adduci, ut sancti Thomae doctrina quae miros sui amores in adolescentibus excitat et fructus adeo uberes edit, in omnium animis ac praesertim in Clero universo efflorescat et propagetur, ad bonum Ecclesiae totiusque societatis utilitatem.

« Quapropter tibi operam tuam quanta maxima possumus verborum significatione gratulamur, et feliciores in dies habere progressus exoptamus. Quem in finem, etc. ».

285. Die 2 octobris 1886, Ioanni Simeoni et Thomae Zigliara S. R. E. Cardinalibus:

« Quicumque in Philosophia Theologiaque serio versantur et aliquid volunt dignum iis disciplinis attingere nihil habere solent utraque *Summa* familiarius. Itaque, quanto citius illas nitide et emendate, quod est diligentiae facultatisque vestrae, publicaveritis, tanto magis utilitatem properabitis iis omnibus, qui eiusmodi studiorum dediti sunt generi. Nobis autem tam gratum feceritis quam quod maxime: neque enim estis nescii quam vehementer et quibus de caussis optemus ut sapientia Angelici Doctoris late propagetur. Quamobrem voluntati ingenioque vestro rem omnem commendamus, intereaque auspicem, etc. ».

286. Die 4 ianuarii 1887, Iosepho Benedicto Archiepiscopo Cataniensi:

Dum Pontifex laetatur Collegium Anselmianum Romae institutum pro toto Benedictinorum Ordine, ita habet:

« Sane perplacuit quod est decretum [nimirum de Studiis] praeter ius Pontificium ac Theologiam omnem, conclusis in ea etiam Historia Ecclesiae, Litterarum explanatione Sacrarum, in Patrum Sanctorum scriptis eruditione, re antiquaria christiana, linguis graeca et hebraea, tradendam inibi esse in biennium Philosophiam de schola Aquinatis aeque ac mathematicorum et physicorum scientiam ».

287. Die 15 martii 1887, evehens Abbatiam Nullius a Sanctis Nicolao et Benedicto in Monacensi Principatu ad dioecesis dignitatem, haec de re nostra pronuntiat:

« Episcopali Seminario instituto nullum erit obiiciendum obstaculum nullaque quocumque modo ingerenda difficultas copiosiori adolescentium affluentiae; quin immo favendum erit eo studiosius quo copiosius novorum levitarum subsidium in salutem animarum et religionis incrementum ac tutelam praesens sacerdotum postulat inopia. Atque spes inde fructus percipiendi non fraudabitur, si alumnorum institutio et regimen ad Tridentini Concilii normam, ut par est, exigantur, disciplinae vero philosophicae et sacrae iuxta mentem et praeceptionem Angelici Doctoris Aquinatis, quod nobis foret gratissimum, tradantur ».

288. Die 10 aprilis, anni 1887, Iacob S. R. E. Cardinali Gibbons, Archiepiscopo Baltimorensi:

« Maxime delectati sumus praeclaro Fidei vestrae testimonio ac sincero pietatis obsequio in hanc Apostolicam Sedem, cuius patrocinio ac tutelae Academiam, a primo eius exordio commendastis. Perpetua enim Pastorum Ecclesiae, praesertim vero Pontificum Maximorum laus semper exstitit, veri nominis scientiam strenue provehere, studioseque curare ita disciplinas, imprimisque theologicas ac philosophicas ad Fidei normam in scholis tradi, et coniunctis revelationis et rationis viribus, invictum inde Fidei propugnaculum constitueretur. Itaque Decessores nostri, de erudiendo christiano populo vehementer solliciti, elapsis temporibus nullis unquam curis laboribusque pepercerunt ut in praecipuis Europae urbibus celeberrima scientiarum domicilia, Academiae scilicet studiorum excitarentur, quae, cum media aetate, tum insequentibus saeculis florentissimam hominum doctissimorum segetem christianae civilisque Reipublicae emolumenta praebuere. In hunc finem nos ipsi simul ac Ecclesiae gubernacula regenda suscepimus, sedulam instaurandis studiis dedimus operam, et praesertim ad praeclaram Thomae Aquinatis doctrinam restituendam, atque in pristinum decus vindicandam animum viresque adiecimus, id spec-

tantes ut in graviorum disciplinarum cultu, ratione semper habita eorum quae scite sapienterque recentiori aevo docti homines industria sua protulerunt, ad nobilissimam veterum sapientiam informaretur ratio philosophandi, eaque disciplinam Angelici Doctoris docili studio sequeretur. Certum autem nobis exploratumque erat ex scientiarum renovatione perfecta, Litterarum etiam caeterarumque humanarum disciplinarum studia cum verae pietatis cultu coniuncta, plurima in civilem societatem conferre commoda posse ».

289. Die 28 aprilis 1887, Iohanni Baptistae Abbeloos, Rectori Universitatis studiorum Lovaniensis:

« Plurimum ad omnem scientiarum laudem assecuturi estis, duce Angelico Doctore. Immo quoniam in tractatione Philosophiae Thomisticae magnopere, quod ipse confirmas, Doctorum discipulorumque vestrorum viget industria, amplectenda opportunitas est et danda diligenter opera ut fructus inde uberiores maioresque capiantur. Hanc ad rem quaedam in animo habemus, quae per occasionem dilecto filio D. Mercier, Philosophiae Thomisticae doctori summatim indicavimus, quaeque his consentanea temporibus et scientiarum incrementis utilia facile iudicabitis. Interea, etc. ».

290. Die 14 decembris, anno 1887, approbante et confirmante Summo Pontifice, damnantur a Congregatione Sancti Officii XL *Propositiones* Antonii Rosmini, quarum contradictoriae propositiones praeprimis thomisticae dicendae sunt et reipsa sunt.

291. Die 22 decembris, anno 1887, Archiepiscopis et Episcopis Bavariae ita:

« Nequidquam vero connisi sunt adversarii, ut cursum eum sapientiae catholicae tardarent et intercluderent; nequidquam graecae scholas Philosophiae, platonicam imprimis et aristoteleam magnificentioribus sane verbis obiecerunt. Nostri enim neque istud quidem certaminis genus declinantes, ad philosophos ethnicos applicuerunt ingenia et studia: quae quisque eorum professus esset, incredibili poene diligentia scrutati, consideraverunt singula, expenderunt, contulerunt: multa sunt ipsis reiecta aut emendata, non pauca ex aequo probata et accepta: hoc etiam ab ipsis apertum et prolatum est, ea quidem quae ipsa ratione et intelligentia hominis falsa esse revincantur, ea tantummodo adversari doctrinae christianae, adeo ut huic doctrinae qui obsistere velit et refragari, idem suae ipsius necessario obsistat et refragetur rationi. Istiusmodi pugnatae sunt pugnae a patribus illis nostris atque illustres partae victoriae, eaeque non virtute

modo armisque Fidei partae, sed auxiliis quoque humanae rationis: quae scilicet, lumen praeferente Sapientia coelesti, ex rerum ignoratione complurium et quasi ex errorum silva, veritatis iter pleno gradu erat ingressa. Haec sane admirabilis Fidei cum ratione consensio et conspiratio, quamquam operosis multorum studiis ornata est, tamen in uno velut constricta aedificio unaque in conspectu exposita, elucet vel maxime in opere sancti Augustini quod est *De Civitate Dei*, pariterque in *Summa* utraque sancti Thomae Aquinatis: quibus libris conclusa profecto habentur quaecumque erant a quibusque sapientibus acute cogitata et disputata, ex iisque licet capita et fontes arcessere eius eminentis doctrinae quam nominant Theologiam christianam.

292. « Exemplorum tam insignium memoria utique per hos dies replicanda et fovenda est Clero, quando ab adversis partibus vetera passim arma exacuuntur, vetera ferme praelia renovantur. Tantum hoc, quod olim repugnabant ethnici christianae Religioni, ne ab inveteratis numinum ritibus institutisque deducerentur: nunc autem perditissimorum hominum pessima in eo certat ut e christianis populis divina omnia documenta et pernecessaria, quae sacra cum Fide sunt indita, stirpitus evellant, atque eos deterius ethnicis habeant in miseriamque devolvant maximam, in omnis videlicet Fidei religionisque contemptum et eversionem. Cuius impurae pestis, qua nulla est detestabilior, illi initia fecere qui homini tribuerunt naturae tantum, ut de doctrina divinitus data posset quisque pro ratione iudicioque suo cognoscere et decernere, minime vero auctoritati subesse deberet Ecclesiae et Pontificis Romani, quorum unice est, divino mandato et beneficio, eam doctrinam custodire, eam tradere, de ea verissime iudicare. Inde praeceps via patebat, patuit autem illis miserrime, ad omnia inficianda et amandanda quae sunt supra naturam rerum et captum hominis posita: tum auctoritatem esse nullam quae a Deo dimanet, ipsumque Deum esse impudentius pernegaverunt; delapsi postremo in commenta et Idealismi insulsa, et Materialismi abiectissima. Hanc tamen maximarum rerum inclinationem, qui " Rationalistae " vocantur, quive " Naturalistae," progressionem scientiae, progressionem societatis humanae, mentito nomine, appellare non dubitant, quae revera utriusque pernicies est atque excidium.

293. « Itaque, venerabiles Fratres, cognitum perspectumque habetis quali ratione et via alumnos Ecclesiae erudiri oporteat ad maiores doctrinas, ut convenienter temporibus utiliterque in muneribus suis versentur. Hi nimirum, ut erunt humanitatis artibus informati et politi, praestantissima sacrae Theologiae studia ne attingant prius quam diligentem adhibuerint

praeparationem in studio Philosophiae. Philosophiam eam intelligimus, intimam solidamque, altissimarum indagatricem causarum, patronam optimam veritatis; cuius virtute neque ipsi fluctuent neve abripiantur " omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. "[1] et queant etiam doctrinis caeteris adiumenta veritatis subministrare, captionibus praestigiisque opinionum discussis et refutatis. Huius rei gratia, ut opera magni Aquinatis essent in manibus, et assidue apteque exponerentur iampridem monuimus, idemque saepius inculcavimus verbisque gravissimis; et gestit animus optimos inde fructus esse a Clero perceptos, per quam optimos uberrimosque spe certa exspectamus. Scilicet disciplina Doctoris Angelici mire facta est ad conformandas mentes, mire usum parit commentandi, philosophandi, disserendi presse invicteque: nam res singulas dilucide monstrat aliam ex alia continua serie pendentes, omnes inter se connexas et cohaerentes, omnes ad capita pertinentes suprema; tum in contemplationem erigit Dei, qui rerum omnium et caussa effectrix est, et vis et summum exemplar, ad quem demum omnis philosophia et homo quantus est, debent referri. Sic vere per Thomam scientia rerum divinarum et humánarum, caussarumque quibus hae res continentur, quum praeclarissime illustrata, tum firmissime munita est: cuius conflictione disciplinae, veteres sectae errorum penitus corruerunt, itemque novae, nomine potius et specie quam re illis dispares, simul emisere caput, et eiusdem ictibus deiectae interciderunt; quod iam non unus ostendit de scriptoribus nostris. Ratio quidem humana ad cognitionem rerum interiorem reconditamque libera vult acie penetrare, nec non velle potest: verum, Aquinate auctore et magistro, hoc ipso facit expeditius et liberius, quia tutissime facit, omni procul periculo transiliendi fines veritatis.

« Neque enim libertatem recte dixeris quae ad arbitrium libidinemque opiniones consectatur et spargit, immo vero licentiam nequissimam, mendacem et fallacem scientiam, dedecus animi et servitutem. Ille reapse sapientissimus Doctor intra veritatis fines graditur, qui non modo cum Deo, omni veritatis principio et summa, nunquam decertat, sed ipsi adhaeret semper arctissime semperque obsequitur, arcana sua quoquo modo patefacienti; qui neque sancte minus Pontifici Romano est dicto audiens, et auctoritatem in eo reveretur divinam, et " subesse Romano Pontifici " tenet ommino " de necessitate salutis. "[2]

« Eius igitur in schola adolescat et exerceatur Clerus ad Philosophiam, ad Theologiam: exsistat enimvero doctus et ad sacra praelia valens quam maxime ».

[1] *Ephes.*, IV, 14.
[2] Opusc. *Contra errores Graecorum.*

294. Die 15 iulii 1888, Petro Lamberto Archiepiscopo Mechliniensi:

« Rem tibi hae litterae commemorabunt de qua ipsa non multo ante, ad Urbem cum venisses, sermonem tecum contulimus: nimirum de Philosophiae studiis in magno Lyceo Lovaniensi opportune amplificandis. Utique novimus satis illic diligenter in Philosophia Thomistica elaborari: nec latet nos auditores ad eam disciplinam confluxisse hoc ipso anno magna frequentia. Verumtamen quemadmodum haec nos bene posita initio delectant, sic reliqua sapienter et accurate perficienda censemus. Neque dubitamus quin ipse, venerabilis Frater, caeterique Belgarum Episcopi nobiscum plane consentiatis siquidem novistis doctrinam tum quidem fructus allaturam plene cumulateque perfectos, si largius atque enucleatius tractetur: cunctis eius partibus, disputando, investigando comprehensis: quae partes unum velut corpus efficiunt: sed eas unus omnes assequi complectique in docendo non potest. Itaque utile esse atque expedire magnopere videtur eius disciplinae augeri magisteria, ex quibus scilicet inter se ratione nexis atque ordine colligatis, institutum doctrinae Thomisticae tradendae seorsum exsistat. Magna haec esset eademque singularis laus, unde accessionem gloriae caperet non mediocrem nobile istud studiorum Lovaniense domicilium. In quo sane saluberrimarum doctrinarum opes, velut in magno quodam emporio, sibi large paratas reperirent, non solum Clerici, sed etiam laici, ita ut vis quaedam salutis publicae conservatrix ex Lovaniensi studiorum Universitate in civitatem totam manaret. Quamobrem enitere, venerabilis Frater, cumque Episcopi collegae tui, propediem, ut accepimus, Mechliniam conventuri sint, tu quidem, percommoda oblata opportunitate, effice ut hac de re cum eis sedulo agas. Erit hoc quoque in numero vestrorum utiliter optimeque factorum.[1] Interim coelestium, etc. ».

295. Die 7 septembris 1888, de ecclesiastica iurisdictione in Ticinensi Republica definienda ita:

« Ad Seminarium quod refert duo in praesens iam habentur: alterum nempe Lugani, a sancto Carolo nuncupatum, cui a Ticinensi Gubernio quinque francorum millia addicta sunt pro erectione cathedrarum Philosophiae ac Theologiae, ad excolendos alumnos sive Romani ritus, sive Ambrosiani,

[1] Die 21 aprilis eiusdem anni, Pontifex ad Belgas peregrinos hoc idem professus erat in allocutione: « Nous aimons ajouter ici un mot sur l'Université catholique de Louvain. Dans l'intérêt de sa gloire et de sa prospérité, nous avons conseillé aux Evêques de fonder des chaires spéciales pour le haut enseignement de la Philosophie, puisée aux sources de l'angélique saint Thomas. De cet enseignement découleront, nous en avons la certitude, des fruits précieux et abondants. Il s'y formera des savants de la plus haute valeur, qui rappelleront les gloires de l'ancienne Université de Louvain, la gloire de la Belgique ».

iis in disciplinis quae profecto, si iuxta Doctoris Angelici mentem studiose tradantur, nequibunt uberem fructum non afferre. Alterum autem, etc. ».

296. Die 29 ianuarii 1889, in Litteris Apostolicis, quibus Cathedralis ecclesia Urbiventana Basilicae minoris titulo decoratur:

« Atque ita perfectum est illud avitae pietatis monumentum [ecclesia nempe Cathedralis] quod Apelleis luminibus illustravit Angelicus [pictor] et tot summi aedificandi, pingendi, sculpendi artifices splendidissimo cultu exornarunt. Quapropter sicut Thomas Aquinas et Bonaventura angelico potius quam humano praeconio Vulsiniense miraculum celebrarunt, ita magni opifices mirabilibus operibus manufactis idem ipsum immortalitati commendarunt ».

297. Die 1 februarii, 1889, de catholica studiorum Universitate in civitate Ottawiensi instituenda:

« Novimus quo studio dilecti Filii sodales Oblatorum Mariae Immaculatae ab anno 1848 rectae institutioni iuventutis operam dederint... et quantopere semper cordi fuerit eiusdem Congregationis Praepositis... advigilare ut Philosophiae ac Theologicae institutiones ex sancti Thomae Aquinatis doctrina traderentur; quibus rebus factum esse compertum habemus ut plures praeclarique ex Ottawiensium Doctorum disciplina alumni prodierint, qui existimationem et decus institutoribus suis late conciliarunt ».

298. Die 9 novembris 1889, in Litteris de beatificatione venerabilis Dei famuli Ioannis Gabrielis Perboyre, ita laudatur Beatus ille:

« Ipse qui Sinenses iam tum metabatur animo, nihil praetermittebat quo se ad tantum opus omni copia posset instruere. Quare ad Theologiae sacrarumque Litterarum studium naviter incubuit: singulari vero ardore versatus est in doctrinis sancti Thomae Aquinatis, cuius ex operibus, tanquam ex uberrimis fontibus christianam sapientiam largiter hausit. Doctrinae igitur lauta ordinatus supellectile, etc. ».

299. Die 10 decembris 1889, in Litteris de Facultate Theologica in catholico Parisiensi Athenaeo instituenda:

« Nos quibus vel maxime cordi est Sacrarum disciplinarum cultum et studium, quantum in Domino possumus, omnimode iuvare et promovere, eo libentiori animo ratam [praemissam episcoporum sententiam] habemus et confirmamus, quo uberrimos inde fructus exstituros confidimus. Iucundissima enim subit recordatio fausti illius temporis, quo ex Parisiensis Facultatis Theologicae gremio prodibant, atque in ea rursus partae sapientiae thesauros effundebant Petrus Lombardus, Guillelmus Parisiensis, Albertus

Magnus, Bonaventura, Aegidius, aliique quamplures, qui totum orbem lectissimae sapientiae luce collustrarunt, quos prae numero praetermittere necesse est, ut unum memoremus Thomam Aquinatem, quem velut solem fulgidissimum Ecclesia universa admiratur et suspicit. Tales tamque insignes duces novi Doctores sequantur, et, eorum si legant vestigia, maxime vero si Angelici Magistri doctrinam amplectantur et diligenter enarrent et strenue tueantur, pristinam illam dignitatem et eximium decus magno studiorum et ipsius rei christianae incremento revicturum speramus ».

300. Die eadem 10 decembris 1889, Leo XIII hanc misit Epistolam de nova editione operum beati Alberti Magni ad Ludovicum Vivès bibliopolam parisiensem:

« Quod opera beati Alberti Magni instituisti de integro edere, susceptus tibi quidem labor est non exiguus, sed fructuosus, opinamur, futurus. Quamquam enim post Alberti aetatem incrementa cuivis scientiarum generi complura attulit dies, eius tamen vis et copia doctrinae, quae Thomam aluit Aquinatem, et aequalibus eorum temporum miraculo fuit, non potest vetustate ulla consenescere. Utique videntur hodie nimis multi ponere ingenii laudem in fastidio antiquitatis: sed omnino illa est philosophandi ratio optima, exquirere meditando nova, unaque simul sapientiam veterum non relinquere. Igitur laboriosa maximi viri volumina, quae fient iam industria tua notiora, spargere multo latius magnitudinem luminis sui posse confidimus, eorum nominatim commodo, qui in divinarum rerum humanarumve scientia diligentius elaborent. Cum vero tua ista editio auspicio satis bono in lucem tibi proditura videatur, si nostro inscribatur nomine, nobisque dedicetur, id quidem fieri non modo non recusamus, sed etiam gratum habemus: maxime quia noster in Doctorem Angelicum amor vetus ab amore magistri eius non est diiunctus. Tibi interim, dilecte Fili, caelestium munerum auspicem apostolicam benedictionem paramanter in Domino impertimus.

301. Die 20 decembris 1889, has rescripsit Pontifex Litteras apostolicas, de canonica Theologicae Facultatis erectione in catholica Tolosana Universitate:

« Eximia Sacrarum disciplinarum laude floruisse Tolosanam urbem, et singularem de iis commendationem apud Apostolicam Sedem sibi comparasse vel ex caussa facile coniicitur, quare decessor noster Urbanus V mortales Angelici Doctoris exuvias Tolosam transferri iussit; quam caussam beatus ille Pontifex ita significavit: " Quia ibi est Universitas nova in Theologia, quam volo fundari in solida et firma doctrina illius sancti." Huiusmodi Universitatem, quae quidem ubi tanti viri et conditi sunt sacri cineres

et singulari modo memoria celebratur, quasi monumentum exstat, nostris hisce temporibus cura praesertim atque opera tum Tolosani, tum trium viciniorum dioeceseon Antistitum instauratam esse ac renovatam, nos summopere delectamur. Vestigia enim sequuti decessorum nostrorum, qui sacrarum doctrinarum custodes non modo sed etiam fautores semper exstitere, iam inde a nostri Pontificatus initio studiose dedimus operam, ut scientiarum omnium princeps et dux Theologia, ex civilibus exsul Athenaeis, in pristinum decus apud catholica studiorum Instituta revocaretur. Siquidem in tot errorum tenebris utile esse et maxime expedire nobis visum est clarissimae huius disciplinae studia provehi, quippe quae ad mentes divinae veritatis lumine illustrandas, ad propugnandam catholicam Fidem, ad omnium denique scientiarum incrementum tantum habet momenti, ut nihil quod praestans ac insigne sit sine ea promatur. Quo vero uberiores ex ea percipi fructus possent, nos haud semel praecepimus, ut Theologiae magisteria augerentur, studia autem ad eam exigerentur rationem quae a summo Scholasticorum est proposita. Ea quidem omnia diligenter fideliterque in catholico Tolosano Athenaeo iam confecta esse et scimus et laetamur, magnamque hanc esse ducimus laudem, unde illustre illud scientiarum domicilium accessionem gloriae et nominis capiat non mediocrem ».

302. Die 21 iunii 1891, Alphonso Mariae episcopo Caesenati ita:

« Quod Academiam doctrinae sancti Thomae Aquinatis excolendae non multo ante instituendam curaveris, gratum est: tuamque ea de re orationem auspicalem libenti animo accepimus. Tu quidem, venerabilis Frater, Ecclesiam Caesenatem magno affeceris beneficio, si in Clero ad perennitatem alueris istud ipsum sapientiae Thomisticae studium, quod in te sane esse non exiguum alio etiam tempore perspeximus. Siquidem duobus ante annis, etc. ».

303. Die 8 iulii, 1890, laudat periodicum celebre cui titulus *Civiltà Cattolica*, inque eius Epistola haec leguntur:

« Sodales in ea ipsa versari varietate materiae quam vel a principio sumpsere, collatis inter se consiliis, sedulo pergant in litteris, in historia, in physicis, ex iisque rebus quae ad elegantiam doctrinae artiumque optimarum incrementa pertinent, nullam a studiis suis alienam putent. Sed eorum esse singulare munus institutumque debet Romani Pontificatus iura defendere, Philosophiae se ac Theologiae dedere, idque hac sibi velut lege imposita, ut Thomam Aquinatem sequantur in utraque facultate ducem, eiusque doctrinam praecipuo quodam studio colant, tueantur. Quapropter, etsi non sumus ignari huiusce eos esse iam compotes laudis, ut in Angelici Doctoris sectatoribus ingeniosis et strenuis numerentur, volumus tamen ut quod alacres sua sponte faciunt, idem facere suasu iussuque nostro pergant alacriores ».

304. Die 8 novembris 1890, D. Henrico Reinhard, Rectori Universitatis studiorum Friburgensis apud Helvetios:

« Gaudemus equidem vobis omnibus cordi esse ut solida doctrinae principia ab Angelico Doctore tradita, quorum salutaris vis in omnes scientias permeat, in honore sint et late promanent ».

305. Die 20 novembris 1890, Pontifex laudat *Institutiones Philosophicas* Francisci Cardinalis Battaglini, Archiepiscopi Bononiensis, dono sibi mandatas, atque auctorem ita alloquitur:

« Horum Philosophiae praeceptorum... multo latius, opinamur, manabit utilitas, idque sane optabile ducimus, praesertim cum doctrinam, ut profiteris, ex fonte hauseris longe optimo, nimirum magno Thoma Aquinate, cuius profecto persequi vestigia tanti refert, quanti sapienter philosophari ».

306. Die 1 decembris 1890, Herberto Episcopo Salfordensi:

« Facile intelliges quam iucunda nobis acciderint quae nuper relata abs te sunt de Collegio Stonyhurstensi, in tua dioecesi: videlicet eorum industria qui Collegio praesunt, feliciter effectum ut optima severiorum disciplinarum institutio in eo floreat, tum variis constitutis magisteriis; tum editis etiam de doctrinis philosophicis ad mentem sancti Thomae Aquinatis, in alumnorum commodum, vernaculo sermone libris. Quibus de rebus Collegii Moderatoribus et Magistris maiorem in modum gratulamur, eisque benevolum animum nostrum hisce Litteris ultro amanterque testamur ».

307. Die 23 iunii 1891, in Litteris de ecclesiastica Hierarchia in Mexico ordinanda, haec habet:

« Illud summopere nos urget ut sacri Antistites omnem impendant curam, quo iuventus in spem Ecclesiae efformanda, Angelici Doctoris sacra et coelesti imbuatur doctrina; ubi enim iuventus ipsa se in disciplinam et clientelam eiusdem Angelici Doctoris tradiderit, facile florebit sapientia veri nominis, firmis hausta principiis, ratione atque ordine explicata ».

308. Ab anno 1892, frequentiores habuit Pontifex orationes ad varios fidelium coetus, hic tamen omissas, in quibus sibi gratulatus est de iis quae in Philosophiam christianam restituendam decrevit, quum, ait, aliquando calamitatum hodiernarum « probe conscii, vixdum suscepto pontificatu maximo, illuc curas omnes cogitationesque convertimus ut eminerent per nos atque exstarent plena salutis consilia Ecclesiae. Eo spectarunt

quae profecta sunt a nobis documenta praecipua, nominatim encyclicae Litterae *De Philosophia christiana*, etc. ».

309. Die 27 aprilis 1892, in Litteris de erectione novarum dioecesium in Brasiliae regionibus, ita de doctrina divi Thomae:

« Summopere nos urget ut sacri Antistites sedulam navent operam, quo iuventus in spem et in incrementum Ecclesiae instituenda, Sacra doctrina ex Angelici Doctoris fontibus hausta imbuatur: ex voluminibus enim sancti Thomae eruet unde fundamenta Fidei christianae valide demonstret, veritates supernaturales persuadeat, nefarios hostium impetus a religione sanctissima propulset ».

310. Die 21 maii 1892, Alberto Farges, sacerdoti doctissimo e Sodalitate Sulpitiana:

« Primitias ingenii solertiaeque tuae, *Etudes philosophiques*, dono a te nobis in morem filii missas, acceptas quidem habuimus, et paternam de iis voluntatem nostram Litteris ad te datis, placuit declarare. Nobis enim vero, qui ab initio muneris apostolici id etiam contendimus ut disciplinas maiores ad certam veterum rationem, auctore Thoma Aquinate, revocaremus, optati exitus laetitia in dies augescit ex fructuum copia quos videmus late optimos provenire. In quo a tua quoque Sodalitate, proprieque a te, dilecte Fili, est causa oblata laetandi, qui praescriptis nostris religiose obsecutus, iamdiu iuventute edocenda, nunc praeterea scriptis edendis, impense curas ut veteri optimorum Philosophiae, quatenus in observatione et cognitione naturae versatur, suum vindices decus, eamque convenire plane cum perpetua rei physicae progressione convincas. Laudabile per se patet consilium quod es in primis molitus, et recta sane quam instituisti, ad assequendum via. Quando enim pro saeculi arrogania multi multa superiorum aetatum fastidio habent et vituperant, quae ne noverunt quidem, utique oportebat doctrinam Aristotelis et sancti Thomae ex ipsis fontibus sinceram te petere, quam dilucido ordine perspicuaque expositione deductam, in vulgus quodammodo commendares: ea vero quae in illam arguerent, tanquam cum inventis pugnantia ratisque legibus recentiorum, aequum erat, rebus et causis utramque in partem expensis, infirmari a te singula et refelli. Hac tibi via gradienti certum erit perfectumque propositum, aristoteleae nimirum Philosophiae, Angelico Doctore interprete, fundamenta constare firma, ex iisque verissimam doctrinam rationem etiamnum exsistere, quae maxime omnium omni in genere valeat et proficiat.

« Intelligimus quidem, dilecte Fili, rem te suscepisse diuturni laboris, nec exigui: at iubemus confirmare teanimum, hoc persuaso neque vires tibi rei pares deesse, et solidam inde utilitatem redundare posse, tum iis qui disciplinis sacris, tum iis largius qui physicae cognatisque studiis dan operam, quos dolendum vel praeiudicata opinione vel caligine materiae crassa tam multos a veritate deflectere. Ad haec honesto fuerit tibi incitamento eruditorum hominum gratia, quam editis adhuc scriptis es meritus, eo scilicet meriturus ampliorem quo studiosius opus tuum, tantis usus magistris, institeris ».

311. Die 25 iulii 1892, in Litteris de Theologiae disciplina in Seminario Vaticano constituenda:

« ... Haec nobiscum reputantes, optantesque posse nos eo amplius eiusdem iuventutis institutioni prodesse, induximus animum ut disciplinam Theologiae, quae ibi velut inchoata et compendiaria aliquandiu fuit, plene quo decet modo et stabili, auctoritate nostra constitueremus. Itaque, ut visum est, sic hisce Litteris edicimus et declaramus velle nos ad studia Litterarum et Philosophiae, quae in Seminario Vaticano coluntur, sacra Theologiae disciplina in posterum accedat, ad eam plane rationem tradenda, quam saepenumero in simili re commendavimus, ex praescripto nimirum Doctoris Angelici. Quare ad eius doctrinae cognatasque partes convenienter tractandas magisteria destinentur prudenti iudicio ».

312. Die 27 iulii 1892, Desiderato Mercier, Antistiti urbano:

« Tam gratum nobis exstitit quam quod gratissimum litterarum tuarum officium. Nam quum nihil nobis antiquius sit quam ut Clerus solida scientia non minus quam virtute floreat, non poterat nobis non placere vehementer consilium a te initum, tuisque litteris explicatum. Siquidem perutile atque opportunissimum fore intelleximus Belgicis Dioecesibus Seminarium philosophicum, quod condere Lovanii moliris, Instituto superiori Philosophiae Thomisticae adiungendum. Hoc autem novo praesidio cum stabili eiusdem Instituti firmitati commode prospectum erit, tum nobilis palaestra patefiet Belgis iuvenibus qui ad sortem Domini vocati sunt, iis praesertim qui celeri praestantes ingenio, optimam faciunt exspectationem sui. Sacris enim disciplinis, quibus eos imbui oportet, cumulum adiicient pleniore scientiae philosophicae instructu, quo destitui nequeunt qui contra religionis hostes tenentur catholicam veritatem tueri. Qua ex causa haud ambigimus quin, si egregium hoc incoeptum perfeceris, cum de patria tua, tum de religione optime sis meriturus, multamque adepturus laudem penes cordatos piosque viros, praesertim penes sacros Antistites qui in Belgica Ditione sunt, tuique beneficii maximos fructus percipient. Itaque te etiam atque etiam hortamur ut eo quo spectas progredi contendas alacriter, etc. »

313. Die 29 augusti 1892, Summus Pontifex Leo XIII sic rescripsit P. J. J. Berthier, Facultatis Theologicae Decano, in Universitate Catholica Friburgensi apud Helvetios:

« Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem. Quum in notitiam nostram pervenerit Collegium Theologicum istic institutum haud mediocre emolumentum alumnis afferre qui Catholicum celebrant Athenaeum Friburgense, eiusque industriam vehementer commendari prudentium iudicio, nolumus te latere nos eo nuntio magnopere fuisse delectatos. Intelligimus enim catholicum Clerum eo solidiori scientia rerum divinarum imbutum iri quo plenius ac penitius sancti Thomae Aquinatis doctrinis fuerit imbutus. Dum autem tibi tuisque collegis gratulamur ex animo, vos hortamur etiam atque etiam ut ea constanter gradientes quam iniistis via alacri animo in incoeptis perstetis. Certa namque fiducia nos tenet cúras operasque vestras in hoc ministerium collatas non minus utilitati auditoribus fore vestris, quam vobis laudi, solatio nobis et decori Catholicae Ecclesiae. Auspicem interim coelestis gratiae quae vos sustentet et adiuvet, apostolicam benedictionem tibi collegisque tuis peramanter impertimus.

314. Die 20 septembris 1892, F. Andreae Frühwirth Summo Magistro Ordinis Praedicatorum:

« Memorias repetentes Patrum, hoc diligenter advertite, multa eos ad salutem et doctrinam christiani populi peregisse, sibique meritorum segetem peperisse insignem duplici praesertim usos subsidii genere, disciplina Aquinatis et Mariali Rosario. Nos pariter ad gravia saeculi damna sarcienda reducendosque homines in viam veritatis et verae vitae, utrumque maxime subsidium contendimus adhibere: quae nihil quidquam de virtute pristina remisisse ipsi declarant recentes fructus ».

315. Die 2 octobris 1882, Alphonso Mariae, Episcopo Caesenatensi:

« Ingenii fructus doctrinaeque tuae de re philosophica, quos dono subinde perhumaniter mittis, nobis admodum probari alias testati sumus. Quem vero non ita pridem accepimus de " Intellectu " ut loquuntur " agenti et possibili, " eo vel gratior exstitit, non modo propter locum ipsum a te tractatum, qui in eo genere ex praecipuis est, sed quod etiam nomini inscriptum et memoriae volueris desideratissimi germani fratris nostri Iosephi Cardinalis. Tibi enim, ut bene novimus, magna cum illo intercessit et animorum coniunctio et similitudo studiorum... atque etiam hortator gravissimus fuit ut per vestigia Doctoris Angelici ad solidam vereque fructuosam nitereris sapientiam ».

316. Die 18 octobris 1892, Antonio Iosepho Archiepiscopo Bracarensi haec scribit:

« Quum dilectus filius Emmanuel Ioseph Martins Capella exemplum nobis obtulerit orationis ab se habitae in solemni coetu academico, maio mense in aedibus tuis celebrato, quae oratio opportunitatem declarat Philosophiae sancti Thomae in Lusitania excolendae, haud mediocrem exinde cepimus voluptatem. Non enim nos illud delectare non poterat quod, auspice te, in ista civitate praenobili novi iniicerentur stimuli sapientiae studiosis ad Philosophiam explicandam ea ratione ac methodo, quam optimam semper rati sumus eoque nomine commendavimus vehementer. Insuper ex ea lucubratione scite naviterque confecta exploratius nobis exstitit quod ex aliis noveramus indiciis, ac praesertim ex Academiae Thomisticae Conimbricensis institutione, nimirum prudentiores in Lusitania viros probe intelligere necessitatem reiiciendi repudiandique recentiorem quandam scientiam, quae, catholicae doctrinae infensa, Philosophiae usurpat nomen; simulque redeundi ad illud purae integraeque Philosophiae genus, cui operam dedere superiore aetate, qui praecipua floruerunt istic gloria doctrinae. Quare dum egregium oblati libelli auctorem merita honestamus laude tibique gratulamur quod volueris ex aedibus tuis personare verae Philosophiae praeconium, bonam, quam fovemus, spem celare te nolumus. Confidimus nempe in dies magis incensum iri Lusitanorum animos, maximeque sacrorum Antistitum, ut impense provehant huius disciplinae studia, quae quum singularem praebeat oblectationem discentibus, tum iis qui eam tenent, fructus affert solidae utilitatis amplissimos ».

317. Die 15 novembris 1892, in Litteris de canonica institutione Facultatis Theologicae in archiepiscopali Seminario Mediolanensi:

« Venerabiles Fratres Aloisius Nazari e Calabiana, Archiepiscopus, et caeteri Mediolanensis ecclesiasticae provinciae Episcopi, enixis precibus nos efflagitarunt ut Theologicam Facultatem quae in Archiepiscopali Seminario Mediolanensi, ad norman apostolicarum Litterarum, quarum initium *Aeterni Patris,* erecta, vestigiis divi Thomae inviolate inhaeret, et doctorum fama, discipulorum frequentia ac doctrinae puritate praefulget, canonicae institutionis munimine fulcire, addito privilegio academicos Clericis gradus conferendi... Idcirco rem agentes cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Studiorum Congregationi praepositis, probe scientes nihil in ipsius Seminarii scholis tradi quod omnino non sit sanae doctrinae consonum, omnesque praelectiones diligentissime exigi ad principia Angelici Doctoris, quem uti coelestem Patronum eadem Facultas peculiari cultu prosequitur... Theologicam Mediolanensem Facultatem optato canonicae erectionis honore exornandam, CollegiumqueTheologicum instituendum exsitimavimus. Quare omnes, etc. ».

318. Die 30 decembris 1892, Leo XIII has exaravit Litteras, quibus *Constitutiones* Societatis Iesu de doctrina sancti Thomae Aquinatis profitenda confirmantur:

« Gravissime nos, pro apostolico officio, infesta Ecclesiae tempora atque humanae societatis in maximis rebus quasi naufragium, sub ipsa pontificatus exordia, reputantes, praecipuam tanti exitii causam in eo agnovimus quod certis iis principiis institutisque, quibus ad christianam fidem munitur via, neglectis passim et prope contemptis, libido invaluisset novarum rerum, quae, per speciem progredientis doctrinae, sapientiae a Deo traditae obsisteret et repugnaret. Neque ita laboriosum fuit opportuna indicare remedia, fontes nimirum germanae doctrinae male desertos repeti oportere. Id nos primum Litteris datis encyclicis *Aeterni Patris* praestitimus; pluribus deinde auctoritatis nostrae actis, atque privatis etiam cum Episcopis et Moderatoribus religiosorum Ordinum colloquiis idem saepius confirmavimus, deliberatum nobis esse et constitutum doctrinam sancti Thomae Aquinatis in scholas omnes revocare: eam nempe doctrinam quam amplae Romanorum Pontificum sacrorumque Conciliorum laudes commendant, et qua, suffragante saeculorum voce, nihil solidius possit aut fructuosius optari. Rem nos moliri et negotii et laboris plenam omnino intelleximus, quum tanti referret quanti graviorum disciplinarum paene omnium instaurare rationem: eam tamen maturare et urgere contendimus, opera etiam Ordinum religiosorum valde confisi, quorum explorata virtus nihil profecto neque ingenio neque viribus parceret ad consilia nostra iuvanda et perficienda. Quo quidem in numero deesse non poterat inclita Societas Iesu, quippe quae et late pateat in Ecclesia et studiis deditam iuventutem suopte praescripto habeat excolendam: alebantque in nobis exspectationem non modo perpetua testimonia summae eius pietatis in hanc Apostolicam Sedem, sed propriae ipsius sacratae leges, quibus alumni sapientiam Aquinatis persequi et profiteri tenentur. Ea igitur mente ut Societas Iesu in proposito tam praeclaro fidelissime constet, atque locum cum primis teneat in ea, cui tantopere studemus, doctrina vera tuenda et propaganda, visum est easdem Societatis leges, prout in *Constitutionibus* Ignatii Patris, in Decretis Congregationum generalium, in mandatis Praepositorum habentur, in summam quandam conferre, easque firmas atque in perpetuum ratas suprema auctoritate nostra declarare. Quo etiam fiet ut, si quae forte speciosae causae vel inductae consuetudinis aliqua ex parte contrariae, vel minus rectae interpretationis, resideant, eis penitus sublatis, regula et norma statuatur a nobis certa, stabilis, definita.

319. « Quod primum est, idque omnibus probe notum, sic insignis ille Societatis auctor crebris *Constitutionum* locis decrevit sequendam in unaquaque disciplina doctrinam solidam et securam, atque etiam " securiorem et magis approbatam: " [1] quod pluries redit ipsum per decreta et iussa tum Congregationum tum Praepositorum rite affirmatum. Hoc autem amplius ille praecepit, ut doctrina, quam sequeretur Societas, una eademque esset apud omnes atque in omni munerum perfunctione: " Idem sapiamus, idem, quoad eius fieri possit, dicamus omnes, iuxta Apostolum. Doctrinae igitur differentes non admittantur, nec verbo in concionibus vel lectionibus publicis, nec scriptis libris: " [2] item: " Patres deputati ex variis nationibus pro libro *De ratione studiorum* recognoscendo, quum de delectu opinionum primo loco tractandum censuissent, ac tanquam fundamentum proposuissent doctrinam Societatis esse debere uniformem, securam et solidam, iuxta *Constitutiones*... " [3] Quae quidem uniformis doctrinae praeceptio non eo circumscribi putanda est ut sententias tantummodo quae sunt in scholis communes respiciat, verum etiam ad opiniones latius pertinere de quibus catholicos inter doctores minus conveniat: " In opinionibus etiam, in quibus catholici doctores variant inter se vel contrarii sunt, ut conformitas in Societate sit, curandum est. " [4] Quando enim e lege " unius scriptoris doctrina in Societate eligenda est, " [5] ideo per se apparet opiniones item disputatas et disputabiles eo ipso praescripto contineri, quum in sententiis communibus, quocumque demum praeeunte auctore, nihil de ipsa doctrina accidat immutatum. Haec vero legifer Pater, provida mente et sancta, ad altiora quaedam direxit, ut coniunctioni concordiaeque et universae quasi corporis Societatis et varia inter eius membra prospiceret: quae virtutes quanto magis necessariae sunt ad religiosi fervorem spiritus nutriendum ubertatemque salutarium fructuum gignendam, tanto facilius in varietate opinionum languent atque intereunt, quum dissimilitudo sentiendi disiunctionem saepius faciat animorum: " Iuvat ad unionem membrorum huius Societatis inter se et cum suo capite.... eadem doctrina. " [6] Ad eum igitur assequendum concordiae et caritatis modum quem Societati praestituerat, optime vidit Ignatius Pater haudquaquam satis esse vulgatam probatamque regulam, opiniones dispares tolerandas, secundum illud, " in dubiis libertas, " sed necessarium opiniones tales minime haberi in Societate, easque praecise ab ipsa prohibuit. Ne cui vero hoc de uniformi doctrina praeceptum saperet durius, idem caute consuluit, ut sodalis quisque, priusquam sese votorum religione obstringeret, rogaretur, " Num paratus sit ad iudicium suum sub-

[1] *Const.* p. IV, cap. v, § 4.
[2] *Const.* p. III, cap. 1, § 18.
[3] Congr. V, decr. 56.
[4] *Const.*, p. III, cap. 1, decl. *O*.
[5] *Const.*, p. VIII, cap. 1, litt. *K*; Cong. V, decr. 56.
[6] *Const.*, p. X, § 9.

mittendum, sentiendumque ut fuerit constitutum in Societate: "[1] quo modo iam tum optio datur eius rei eligendae quae, ex lege deinde imposita, vix tolerabilis possit videri.

320. « Itaque longe alienum fuerit a natura scriptisque legibus Societatis, ut quis in ea talem opinandi facultatem exposcat quali extra eam plerique potiantur. Quamvis enim de opinionibus ageretur valde probabilibus atque doctos nactis patronos, quae tamen doctrinae refragarentur praescriptae, eas qui sequerentur, reprehensionem quidem vitarent novitatis, temeritatis, erroris, at vero ab una illa eademque doctrinae forma, tantopere desiderata et commendata, prorsus discederent. Idque deterius fieret, si eiusmodi libera opinionis copia ad ea doctrinae capita advocaretur quae Societas in *Constitutionibus* atque in elenchis per summos Praepositos, mandatu Congregationum generalium, confectis, iam aperte iussit ab universis admittenda esse vel improbanda; quae libertas in licentiam et culpam descisceret. Hoc legifer Pater tanquam fundamento in Societate posito, quo praeterea iudicio excellebat, certam ipse unam delegit formam doctrinae, quam, utpote maxime omnium integram et eminentem, consensione sapientum et diuturno usu comprobatam, prae caeteris ab Ecclesia laudatam, bene potuit filiis suis praescribere, eorum mentibus non modo vim afferens nullam, sed immo pabulum exhibens incorruptum et salutare; eaque fuit doctrina sancti Thomae Aquinatis: " In Theologia legetur... doctrina scholastica divi Thomae. "[2] Fatendum sane est sanctum Fundatorem, salvo quidem de uniformi doctrina praecepto, eiusque rei causa doctrina Angelici anteposita, attamen, ut patet ex multis locis *Constitutionum* suavi quadam prudentia reliquisse posteris facultatem designandae doctrinae, quam et tempus et ipsa rerum tractatio Societati aptiorem esse monerent: aeque vero fatendum, eadem posteros facultate iamdiu esse usos, atque laudatissime usos, quo plane modo decebat tanti Patris filios, eius animi et virtutis heredes. Etenim in Congregatione V generali commemorantes Patres monita *Constitutionum* " unius scriptoris doctrinam eligendam esse " unanimi consensu statuerunt, " doctrinam sancti Thomae in Theologia scholastica tanquam solidiorem, securiorem, magis approbatam et consentaneam *Constitutionibus* sequendam esse: "[3] cui Decreto quo plus firmitatis accederet, haec addita voluerunt: " Nostri omnino sanctum Thomam ut proprium doctorem habeant, " eoque amplius ut " nullus ad docendum Theologiam assumatur, qui non sit vere sancti Thomae doctrinae studiosus; qui vero ab

[1] Exam., cap. III, § 11.
[2] *Const.*, p. IV, cap. XIV, § 1.
[3] Congr. V, decr. 41.

eo sunt alieni, omnino removeantur. "[1] Quae omnia, tam considerate et prudenter consulta, potius quam diuturnitate exoleverint aut defluxerint, frequenter sunt singulatimque confirmata, in Congregatione praesertim XXIII, peculiari quodam Decreto edito; quod quidem Decretum, quum nobis primum exhibitum est, XIV cal. dec. an. MDCCCLXXXIII, commendatione nostra dignum habuimus, eique haec volenti animo adscripsimus: " Decretum de retinenda sancti Thomae Aquinatis in scholis Societatis Iesu doctrina, quod in Conventu magno Ordinis nuper habito renovatum est, valde nobis probatur, et maxime hortamur ut diligentissime in posterum ab omnibus servetur. "

321. « Qui porro Societatis praescriptiones de studiis perpenderit, ei perspicuum erit, doctrinam sancti Thomae etiam in philosophicis, non in theologicis tantum, esse omnino sequendam. Licet enim ex regula sequendus sit in Philosophia Aristoteles, Philosophia sancti Thomae nihil demum alia est atque aristotelea: hanc nempe Angelicus scientissime omnium interpretatus est hanc erroribus, scriptori ethnico facile excidentibus, emendatam, christianam fecit, hac ipsemet usus est in exponenda et vindicanda catholica veritate. Hoc ipsum numeratur inter summa beneficia, quae magno Aquinati debet Ecclesia, quod christianam Theologiam cum peripatetica Philosophia iam tum dominante tam belle sociaverit, ut Aristotelem Christo militantem iam non adversarium habeamus.[2] Neque vero aliter ab eo fieri poterat, qui doctorum Theologiae scholasticae exstitit princeps: nam, quod omnes norunt, haec disciplina eiusmodi est quae fontes adeat quidem proprios, doctrinas nimirum divinitus revelatas, ex eisque in rem suam omni religione et studio derivet, sed operam quoque multam adhibeat sibi Philosophiae tanquam optimae adiutricis, ad fidem ipsam sive tuendam sive illustrandam. Quotquot igitur Aristotelem cogitant debentque tuta via sectari, Philosophiam Aquinatis amplectantur oportet: idque eo magis quod in Societate Philosophiam praeceptores ita interpretari iubentur, " ut verae Theologiae scholasticae, quam commendant *Constitutiones*, ancillari et subservire faciant, "[3] atque idcirco aristoteleae institutionis ratio praeoptata est, quia eidem proposito melius visa sit respondere: " Quum Societas Philosophiam Aristotelis, tanquam Theologiae magis utilem amplexa sit, illi inhaerendum omnino est. "[4] Philosophia vero quam Societatis alumni profiteantur, nisi sit ad mentem et rationem Angelici, nequaquam subservire

[1] Ib., decr. 56.
[2] Card. SFORTIA PALLAVICINI, *Vindicationes Soc. Iesu*, cap. 24.
[3] Congr. III, can. 8.
[4] Congr. XVI, decr. 36.

poterit Theologiae eius scholasticae, quam omnes reapse "tenentur sequi." Quod illi in primis sibi dictum habeant qui, Aristotelis interpretes vel catholicos in varias dissimilesque opiniones quum videant discedentes, integrum sibi fortasse putent quam velint opinionem assumere, nihil fere laborantes quid senserit Thomas: hoc enim ipso, ut palam est, etiam in Theologia ab illo recederent, ob eandemque causam ab ipsa deficerent "doctrina uniformi" quam legifer Pater constantissime iussit habendam. Quapropter consilio bene laudabili actum est a Congregatione XXIII, quae non ita multo post editas a nobis Litteras encyclicas *Aeterni Patris* convenit, hoc etiam scripto capite: "Societas Iesu plenissimum filialis obedientiae atque assensus obsequium [eis encyclicis Litteris] solemni ac publico testimonio manifestandum sibi esse iudicavit;"[1] eo autem totae spectabant litterae nostrae ut sancti Thomae Philosophia in scholis omnibus restituta vigeret.

322. « Neque tamen nobis sententia est derogari quidquam de praeclaris scriptorum meritis quos Societas per aetates eduxit: isthaec immo domestica gloria retinenda conservandaque ita est, ut omnes, sodales maxime Societatis, "magni faciant et diligenter consulant probatos illos et eximios Societatis doctores quorum laus in Ecclesia est."[2] Nam virtute ut erant atque ingenio eximii, data studiosissime opera scriptis Angelici, certis locis sententiam eius copiose luculenterque exposuerunt, doctrinam optima eruditionis supellectile ornaverunt, multa inde acute utiliterque ad errores refellendos novos concluserunt, iis praeterea adiectis quaecumque ab Ecclesia sunt deinceps in eodem genere vel amplius declarata vel pressius decreta; quorum sollertiae fructus nemo quidem sine iactura neglexerit. At maxime vero cavendum ne forte, ex opinione qua illi floreant eximii auctores ex ipsoque studio quod impendatur eorum scriptis, potius quam adiumenta, ut propositum recte est, ad veram colendam sancti Thomae doctrinam suppeditentur, aliquid oriatur quod uniformi doctrinae officiat: haec enim nullo pacto speranda erit, nisi Societatis alumni auctori adhaereant uni, ei scilicet iam probato, de quo uno praeceptum, "sequantur sanctum Thomam, eumque uti proprium doctorem habeant." Ex quo illud consequitur ut, si qua in re ii ipsi auctores quos laudavimus a documentis Magistri communis dissideant, nihil tunc ambigendum quae recta sit via; eamque non difficile erit tenere, propterea quod in documentis quae certo sunt sancti Thomae, non ita fiet facile ut scriptores Societatis ab illo omnes dissentiant. Quare satis fuerit, prout postulent quaestiones, si ex illis auctoribus deligant qui cum eodem consentiant, una opera duplicem capientes

[1] Congr. XXIII, decr. 15.
[2] Ib., decr. 18.

utilitatem, sequi se posse Doctorem Angelicum et optimos Societatis auctores.

323. « Nemo autem inducat in animum licere sibi illis promiscue opinionibus uti, quas forte deprehenderit in libris scriptorum Societatis eisque de moderatorum permissu editis. Praeter enim quam quod ex istis non pauci editi sunt antequam certas de studiis leges Societas constituisset, eiusmodi libertati nunquam summi Praepositi non restiterunt, hoc praeterea frequenter aperteque, etiam sub haec tempora, testati, in quibusdam librorum censoribus et diligentiae plus et severitatis fuisse optandum."[1] In quo non equidem sumus nescii, quibusdam ex locis *Constitutionum* aliquid veniae datum videri, atque etiam plane hoc esse affirmatum, doctrinae sancti Thomae non ita Societatem habendam esse adstrictam ut "nulla prorsus in re ab eo recedere liceat."[2] Verum qui eosdem inter se *Constitutionum* locos conferat diligenter, facile intelliget tantum abesse ut ea ipsa exceptione quidquam de legibus positis derogetur, ut eaedem potius firmius consistant. Quaedam enimvero libera datur facultas, primo, "si quando vel ambigua fuerit sancti Thomae sententia, vel in iis quaestionibus, quas sanctus Thomas non attingit."[3] in quibus ergo quaestionibus ab illo tractatis sententia eius dilucida emergat, ne in istis quidem liberum est ab ipso deflectere. Hic tamen illas revocare iuverit plenas iudicii cautiones, a P. C. Aquaviva datas: "Neque vero satis est binis vel ternis locis niti sparsim collectis, et per consequentias aut inconvenientia, vel cum violentia adductis; quasi credendum sit eam esse opinionem sancti Viri, quia illam quomodocumque innuit aliud agens in illis locis. Verum necesse est videre quid sentiat, ubi ex professo id agit, et attente expendere, quidquam cohaerenter vel dissonanter afferat cum reliquo corpore doctrinae:"[4] scilicet ne quis vanis artibus persuadeat sibi sententiam Angelici ambiguitati patere. De quaestionibus autem quas ille fortasse non attigit, principia et capita doctrinae eius penitus cognita sint oportet, ne quae reddantur responsa ullo modo pugnent cum illis: apteque hic faciunt quae censuit ea ipsa Congregatio XXIII: "Serio monendos esse nostros tum Theologiae tum Philosophiae professores et Scholasticos, ne proprio iudicio nimium fidentes novas a se conceptas interpretationes pro vera germanaque sancti Thomae doctrina temere

[1] Ex litteris P. C. Aquaviva, an. 1613, "De observanda ratione studiorum deque doctrina sancti Thomae:" ex Ordinatione P. F. Piccolomini "Pro studiis superioribus," an. 1651: ex Ordinatione P. P. Beckx, an. 1858.
[2] Congr. V, decr. 56.
[3] Ib., decr. 41.
[4] De soliditate et uniformitate doctrinae, 24 maii 1611.

aut inconsulte tradant." [1] Similis videtur libera dari facultas, secundo, "in quaestionibus mere philosophicis, aut etiam in iis quae ad Scripturas et ad canones pertinent." [2] Verum, ut caeteras mittamus, palam est quaestiones philosophicas, si qua ratione ad Theologiam attineant, ab ea dimotas esse facultate; neque adeo multas apud sanctum Thomam reperire licebit, quas non ille ad Theologiam retulerit. In ipsis porro quaestionibus "mere philosophicis," duo opportune incidunt admonenda: alterum, ut "in rebus alicuius momenti ab Aristotele [3] [eademque de causa a sancto Thoma] non recedant;" ex quo libera cuiquam non erit facultas nisi in rebus parvi aut nullius momenti: alterum, ut sibi interdictum existiment recedere a sancto Thoma "in praecipuis, et quae tanquam fundamentum sunt aliorum plurium." [4] Illud postremum in quo ab eo ipso Magistro non temere sit dissentire, quum videlicet aliqua doctrinae forma, sententiae eius contraria, "in catholicis academiis" fere sit "recepta," [5] neque est commemorandum quidem: namque academiae tales aetate nostra numerantur paucae, nec ulla prope in eis, si huic Apostolicae Sedi audiant dicto, obtinere potest doctrina quae adversetur Angelico, cuius immo vestigiis se omnes, ut debent, insistere profitentur. Satius fuerit auream sententiam excitare, quae ea ipsa iussa ad exitum roborantur: "Caeterum, ne forte ex iis, quae dicta sunt, sumat aliquis occasionem sancti Thomae doctrinam facile deserendi, praescribendum videtur ut nullus ad docendum Theologiam assumatur, qui non sit vere sancti Thomae doctrinae studiosus; qui vero ab eo sunt alieni, omnino removeantur. Nam qui ex animo sancto Thomae fuerint addicti, certum erit eos ab eo non recessuros, nisi gravate admodum et rarissime." [6] Utraque haec probe expendenda conditio. Si enim non id liceat nisi "gravate admodum," nemo sane facere ausit probabili tantum causa, sed gravissima adductus, ipsasque inter opiniones probabiles maluerit esse cum sancto Thoma, ut eam assequatur doctrinam et "uniformem" et "securam" quae dicta est. Quod vero non id liceat nisi "rarissime," hoc si recte ex sua sententia accipiatur, ita nimirum ut non ad omnes universe spectet, sed ad opiniones inter doctores catholicos agitatas restrictisque eis modis quos paulo supra notavimus, non accidet sane ut quispiam a doctrina sancti Thomae recedat, nisi "in una vel altera conclusione, non alicuius momenti," nequaquam vero "in praecipuis et quae tamquam fundamentum sunt multorum plurium."

[1] Decr. 18.
[2] Congr. V, decr. 56.
[3] Ib. decr. 41.
[4] Ex cit. litt. P. C. Aquaviva, 1611.
[5] Congr. V, decr. 41.
[6] Congr. V, decr. 56.

324. « Quam exposuimus studiorum rationem de doctrinae delectu habendo, ea plane est quam Societas Iesu, ad praescripta legiferi Patris, alumnis suis omnibus praefinivit, eo consilio ut quam maxime idonei instituantur ad gloriam divinam augendam, utilitatesque procurandas Ecclesiae et proximorum, neque minus ut consulant suo ipsorum profectui. Quae quidem ratio tam aequa visa est nobis atque opportuna, ut, etiamsi per Societatis leges praecepta non esset, eam nosmetipsi praecepissemus; id quod pro auctoritate nostra apostolica in praesentia facimus atque edicimus. Hoc tamen et laetitiam affert et auget spem, quod, quum alumnos Societatis Iesu in partem operae quam urgemus, instaurandae sancti Thomae Philosophiae, adsciverimus, nihil praeterea opus sit nisi ut eos ad instituta disciplinae suae custodienda adhortemur. Quod si praescriptis hisce nostris iidem Societatis alumni religiose debent omnes diligenterque parere, religiosius debent ac diligentius, tum Magistri, conformanda ad ea iuventute quam docent, tum studiorum Praefecti, vigilando et curando ut integra ea ipsa valeant et observentur. Hoc autem ex conscientia officii singulariter praestabunt moderatores, quorum est sodales ad magisteria deligere: neque dubitent sese in ipsa auctoritate nostra tueri, ut quos obtemperanti ingenio viderint et studiosos doctrinae sancti Thomae, eos merito foveant provehantque, quos vero ad illam noverint minus propensos, eos a magisteriis, respectu hominum nullo, submoveant. Ita in pontificia Universitate Gregoriana, quae fere est in conspectu nostro, in quam cogitationes et curas non leves contulimus, laetamur optatis iussisque nostris satis admodum esse factum, eamque videmus propterea et magna frequentia alumnorum et doctrinae fama rectae solidaeque florentem. Fructus iidem tam praestabiles desiderandi quidem non erunt, ubicumque doctrina impertiatur ab iis quos eadem mens agat, eadem aluerint studia.

325. « Ad ultimum, quo praescripta nostra firmius permaneant et melius ampliusque succedant, decernimus, ut hae Apostolicae Litterae in forma Brevis datae, in universa Societate Iesu sint et ab omnibus habeantur tanquam definita ac perpetua lex de doctrinarum delectu; ut ad caetera pontificia documenta, quibus complentur instituta eiusdem Societatis, adiungantur, atque tanquam certa consulantur norma, si quae incidant de recta studiorum ratione cognoscenda quaestiones; ut ipsarum exemplaria Sodalibus, quotquot sunt eruntve moderatores, vel studiorum Praefecti, vel Magistri rei theologicae aut philosophicae, vel librorum Censores, singulis singula tradantur; ut eaedem, statim ut allatae erunt, itemque quotannis in instauratione studiorum, in Collegiis omnibus vel domiciliis Societatis ubi Philosophiae vel Theologiae studia coluntur, publice ad mensam legantur.

« Iamvero quae litteris hisce nostris declaravimus et statuimus, ea

omnia rata firmaque in omne tempus permaneant: irritum autem et inane futurum edicimus, si quid super his a quoquam contigerit attentari: contrariis nihil obstantibus quibuscumque.

« Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX decembris MDCCCXCII, pontificatus nostri anno decimo quinto.

« S. Card. VANNUTELLI ».

326. Die 14 ianuarii 1893, Michaeli De Maria S. I., in Pontificia Universitate Gregoriana Studiorum Praefecto:

« Spem de te nobis ex optimis initiis perceptam, a te deinceps opera sedula confirmatam, ingenium scilicet ac labores tuos multum valere posse ad sancti Thomae Aquinatis doctrinam secundum praescripta nostra proferendam et illustrandam, exibita nuper Philosophiae volumina probe expleverunt. Tu enim, hoc apud te penitus persuaso quod saepius a nobis edictum est, tanto meliorem disciplinarum fore rationem quanto ad doctrinam eiusdem Aquinatis propius accesserit, omne tuum otium studiumque in eo iamdiu collocasti ut veram et uberem Philosophiam quam Peripatetici inchoarunt, Scholastici perfecerunt, ex praecellentibus Aristotelis et Thomae fontibus sinceram peteres ad quam aptissime posses docendo impertires. Ita, cum frequentem lectissimamque iuventutem ad illam disciplinam praeclare eduxeris, et alia ei quaedam praesidia subinde paraveris, id praeterea modo egisti ut, scriptis in eadem re editisque operosis libris, et discipulorum fructus ad maturitatem firmares et studiosis late pluribus, in tanta errorum colluvione et sanae inopia doctrinae, prodesses. Quod nobile quidem laborum propositum, si docto cuique viro adscribendum incitamento est, te permovit quum maxime, eius Societatis alumnum, quae potiorem iuventutis institutionem in praecipuis habet muneribus, quaeque suos tenet sanctiore lege ut Aquinatis doctrinam sequantur ipsam et tradant. Atque amplam tibi gratiam tum qui colunt, tum qui profitentur haec studia habituri profecto sunt: te namque ad intimam Philosophiam expediente iter, laboriosae rei fidentia plerisque accrescet, ipsisque illis magistris magnis, Aristoteli et Thomae, increbrescente gratia, cognatae quoque disciplinae proficient. Nos equidem tibi gratulamur tale confecisse opus, quod prudentioris iudicii viris admodum probetur, tanquam in genere suo optimum valdeque frugiferum; in quo collaudant merito rerum ordinem et cohaerentiam, perspicientiam veri, refellendi nervos, concludendi evidentiam, sic ut exacuta in errores novos arma veterum prompta suppeditet. Quod si aliis nos Litteris tribuimus tibi laudes de singulari plane studio obsequendi auctoritati nostrae in Philosophia ad mentem sancti Thomae instauranda, eas nunc perlibenti animo duplicamus:

quippe res tanta est tantique in omnes partes emolumenti, quae sollicitudinem nostram ad perpetuas eius progressiones intendat. Iam vero tibi, cum diuturni laboris fructum optanti, ut iuventutis studia et amorem erga Doctorem Angelicum scriptis tuis commovere possis et inflammare, benigne faveat Deus sapientiae omnisque boni munificus auctor; et quo ad id operis usus es duce ac magistro, eodem apud illum patrono plena vota laeteris. Nos interim, etc. ».

327. Die 7 februarii 1893, Alberto Barberis Presbytero e Congregatione Missionis:

« Qui Doctoris Angelici disciplinam in re philosophica et theologica curare pergimus provehendam, peculiari profecto erga eos benevolentia afficimur, quos videamus consiliis nostris obtemperatione atque opera diligentius repondere. Hunc ad numerum sollertia te tua, dilecte Fili, merito adscribit, neque eos minus praestantes viros quos participes habes laborum in commentario *Divus Thomas* elucubrando, quod recte per vos utiliterque " Academiis Lyceisque Scholasticam sectantibus " iampridem istinc coeptum est evulgari. De bonis fructibus apud exteros quoque iam perceptis, quorum testes sunt et litterae tuae et volumina per hanc faustitatem nostram oblata, equidem gratulamur. Agnoscere autem licet quantum cohortatio nostra, haud semel vobis subiecta, profuerit, et quam bene res vestra procedat auspiciis et vigilantia, tum venerabilis Fratris episcopi Placentini, tum summi Congregationis Vincentianae Moderatoris. Idem igitur constanti religione et laude tenete propositum, eoque religiosius tenete quod nostis cum Ordinis vestri *Constitutionibus* decretisque omnino congruere. Ex thesauro operum Aquinatis, in omnes rerum partes praestantissimo, studete integram doctrinam expromere, mentem eius veram legitime excutiendo dilucideque explicando, proferre; apta inde suggerite adiumenta ad novas errorum opiniones refutandas, omniaque ad incrementa disciplinarum, et, quod caput est, ad religionis praesidia, in tam acri ex hostibus conflictione, prudentes convertite ».

328. Die 29 aprilis 1893, Emmanueli Episcopo Conimbricensi:

« Satis novisti probari nobis vehementer curam quam geris ut impense colantur in tua dioecesi philosophicae disciplinae, iuxta rationem ac methodum divi Thomae explicatae. Hinc facile intelligis quo animo exceptum a nobis sit novum eiusdem studii tui testimonium, quod litterae a te, die 3 aprilis datae, nobis praebuere. Namque dum merita exornas laude ac diligenter nobis commendas opus a dilecto filio Iacobo Sinibaldi conscriptum de *Elementis Philosophiae*, praeclare ostendis studium quo fereris ad eas disciplinas provehendas, quantique facias eorum

industriam qui illas novis illustrant luminibus, operamque navant ut pronis alumnorum auribus animisque excipiantur. Quod quidem laboris genus opportunum ac frugiferum semper rati sumus ac palam ediximus ab ipsis nostri pontificatus exordiis. Nam quo latius thesauri effundantur sanae doctrinae a summo viro Aquinate traditae, animisque discentium penitius insederint, eo vulgatior ac receptior erit solida scientia rerum maximarum, ac facilior fiet errorum reiectio, qui Fidei sinceritatem corrumpunt, ac depravant mores ».

329. Die 31 iulii 1893, Aloisio Archiepiscopo Mediolanensi:

« Quam significasti non ita pridem laetitiam, quod sacro in Seminario tuo Facultatem Theologicam restitutam probavimus, Collegio et privilegiis auximus, eadem sane est laetitia nostra. Nam, petentibus tecum Episcopis provincialibus, perlibenter nos dedimus ut illud institutum quod istius omnino decet ecclesiae civitatisque amplitudinem, quodque praeclaris tum auspiciis tum fructibus iamdiu constiterat, ad pristinum honorem auctoritate Pontificia revocatum vigeret. Quamquam id ipsum alia quoque persuasit causa. Apud vos enim res theologica quam iam ad rationem et viam Aquinatis secundum praescripta nostra recte optimeque procederet, tale erga nos obsequium et Antistitum et Doctorum peculiari dignum erat commendationis praemio; ex quo praeterea in ordines Clericorum acrius quoddam influeret studium ad eam praestantissimam disciplinam quaerendam penitusque assequendam. Certe Doctrina sacra, magistro Thoma et patrono percepta, quam valde possit ad summas Cleri et populi utilitates, illustrius in dies magna animi consolatione videmus. Quo fit, venerabilis Frater, ut eiusmodi beneficia ecclesiis provinciae tuae ampla exoptamus, illud potissime ut Fides in eis decore suo excellat ».

330. Die 28 septembris 1893, Fr. Andreae Frühwirth Magistro Generali Ordinis Praedicatorum ita habet:

« Quum plurimi a nobis fiat eorum industria qui praenobilem rerum divinarum scientiam impigre colunt aliosque docent, facile aestimare potes quae nostra sint studia erga Facultatem Theologicam Athenaei catholici Friburgensis, quam ad nutum Apostolicae Sedis regendam credidimus Sodalibus e religiosa Familia cui praesides. Nequeunt autem haec nostra studia a desiderio seiungi quod eo spectat ut ea Facultas aliis atque aliis floreat incrementis, maiorique in dies frequentia celebretur clericorum illuc affluente e cunctis Helvetiae dioecesibus. Quare libenter admodum agnovimus consilium esse initum ut Hospitium amplificetur paratum studiosis rei theologicae, qui communi utuntur convictu, ducibus et moderatoribus religiosis Sodalibus tuis, illudque novis muniatur praesidiis ad

spem firmioris diuturnitatis. Equidem intelligimus ex ea re, si iuxta vota obtigerit, ingentes obventuros fructus ad Sacrarum Disciplinarum studia isthic provehenda. Scimus enim optime de iis meritos esse Sodales tuos, quibus solemne fuit et est explicare iuxta rationem a divo Thoma Aquinate traditam: quare certum nobis est eorum peritiam et sedulitatem eo uberiores daturam fructus quo latius sese explicare potuerit. Itaque et initum consilium probamus vehementer, et multa dignos censemus laude quum eos qui operi efficiendo strenue manus admoverint, tum eos qui illud favore prosequentes operam contulerint copiasve suas. Istis propterea non secus ac tibi, etc. ».

331. Die 18 novembris 1893, in Littera encyclica *Providentissimus Deus* quae plura de studiis scripturisticis cavet, haec de re nostra leguntur:

« Nova et laetiora incrementa ex disciplina accessere Scholasticorum [in studiis scripturisticis]. Qui etsi in germanam versionis latinae lectionem studuerunt inquirere, confectaque ab ipsis *Correctoria Biblica* id plane testantur, plus tamen studii industriaeque in interpretatione et explanatione collocaverunt. Composite enim dilucideque, nihil ut melius antea, sacrorum verborum sensus varii distincti: cuiusque pondus in re theologica perpensus, definitae librorum partes, argumenta partium, investigata scriptorum proposita, explicata sententiarum inter ipsas necessitudo et connexio: quibus ex rebus nemo unus non videt quantum sit luminis obscurioribus locis admotum.

« Ipsorum praeterea de Scripturis lectam doctrinae copiam admodum produnt, tum de Theologia libri, tum in easdem commentaria: quo etiam nomine Thomas Aquinas inter eos habuit palmam...

« Rectum est iuvenes in Academiis et Scholis ita praecipue exerceri ut intellectum et scientiam dogmatum assequantur, ab articulis Fidei argumentatione instituta ad alia ex illis, secundum normas probatae solidaeque Philosophiae concludenda: gravi tamen eruditoque theologo minime negligenda est demonstratio dogmatum ex Bibliorum auctoritatibus ducta: " Non enim excipit [Theologia] sua principia ab aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationem. Et ideo non accipit ab aliis scientiis tanquam a superioribus, sed utitur eis tanquam inferioribus et ancillis. " [1] Quae sacrae Doctrinae tradendae ratio praeceptorem commendatoremque habet theologorum principem Aquinatem.

« Providendum ut ad studia biblica convenienter instructi munitique aggrediantur iuvenes, ne iustam frustrentur spem, neu, quod deterius est,

[1] *Summa*, Ia q. a. 5, 2m.

erroris discrimen incaute subeant, rationalistarum capti fallaciis apparataeque specie eruditionis. Erunt autem optime comparati, si, qua nosmet ipsi monstravimus et praescripsimus via, Philosophiae et Theologiae institutionem, eodem sancto Thoma duce, religiose coluerint penitusque perceperint. Ita recte incedent quum in re biblica, tum in ea Theologiae parte quam " positivam " nominant, in utraque laetissime progressuri ».

332. Die 7 martii 1894, Petro Lamberto S. R. E. Cardinali Goossens Archiepiscopo Mechliniensi:

« Susceptum ad nobis multo ante propositum, ac saepe vobiscum et coram et per Litteras communicatum, ut singulare istic Institutum esset doctrinae philosophicae Aquinatis ampliore quadam ratione, et via tradendae, iam, Deo auspice, re ipsa effectum esse laetamur...

« Recte plenèque philosophari ii nimirum possunt qui in disciplina et ratione Scholasticorum diu sint multumque versati. Id nosmet crebro graviterque monuimus, alias professi vobis tanto meliorem disciplinarum fore rationem, quanto ad doctrinam Thomae Aquinatis propius accesserit: idque cum gaudio videmus latius quotidie atque uberius praeiudicatis opinionibus veritati cedentibus, evenire...

« Hoc denique restat pientissimum votum, ut conditum Institutum Doctor ipse Angelicus, cuius nomine et tutela insigniter gaudet, benigna in omne tempus gratia respiciat, sapientia et virtute illustret ».

333. Die 1 maii 1894 in Epistola ad Episcopos Peruvienses, de studiorum ratione in Seminariis tenenda agens, Pontifex monet Episcopos ut prae oculis habeant quae in suis Litteris encyclicis ea de re praescripit; « ut nempe in philosophicis disciplinis tradendis maximus Angelico Doctori Thomae Aquinati habeatur honos, et quae ex eius voluminibus iugi et praedivite vena dimanat sapientia, ab Romanis Pontificibus perpetuis honestata laudibus, studiosae iuventuti large effuseque impertiatur ».

334. Die 3 maii 1894, Herberto S. R. E. Cardinali Vaughan Archiepiscopo Westmonasteriensi, caeterisque Episcopis Provinciae Westmonasteriensis.

« Existimare vos plane volumus pergrata nobis ea cecidisse quae communibus verbis perscribenda ad nosmet ipsos proxime censuistis, videlicet occasionem nacti ex Epistola encyclica qua plura de sacrarum Litterarum studio, dedita opera, persecuti sumus. Eaque in re licuit facile recognoscere, quod caeteroquin exploratum habebamus, quanto sit in pretio apud vos, et quam soleat alte descendere in animos vestros si quid ab Apostolica Sede in communem christiani nominis utilitatem praecipitur. Nos

scilicet postea quam conati sumus, quantum erat in potestate nostra sanitatem Philosophiae, duce Thoma Aquinate, restituere, pariterque Historiae incremento sinceritatique consulere, hoc denique consilium cepimus, velut operi fastigium imposituri, ut studium excitare niteremur, amoremque accendere sacrarum Litterarum: idque nominatim in Clericis, etc. ».

335. Die 13 iunii 1894, Curatoribus Templi Franciscalis Bononiae: « Nos sicut solidam veterum sapientiam revocare, magistris in Philosophia Aquinate, in Litteris Aligherio, studuimus, studemus ita caeteris humanitatis artibus fructus optimos non dubie auguramur, modo eiusdem aetatis requirant et diligant exemplaria ».

336. Die 12 iulii 1894, P. Thomae Coconnier O. P., doctori theologo in Universitate Friburgensi Helvetiorum:

« Plane congruit cum consiliis nostris genus tractationis *Revue Thomiste*, quam ipse delectique socii instituistis per intervalla edendam... Cum Fide, quae veritas est divina, conciliare ingeniosorum studia, per eamque ipsam humanas, quotquot sunt, disciplinas quum ab erroris labe tutari, tum ad veram progressionem munire, hoc magnae quidem praestantiae est opus, nec minoris utilitatis. Feliciter autem iis succedet, qui Aquinate magistro usi sapientissimo, doctrinam eius scrutentur intimam, deducant sinceram, accommodate exponant: ipse enimvero et principiis et philosophandi ratione mire valet ad causas omnes illustrandas, dirimendas, vel si perarduas temporum cursus adduxerit ».

337. Die 28 decembris 1894, Dominico, S. R. E. Cardinali Svampa, Facultatis Theologicae Bononiensis Archicancellario:

« Obsequentem gratumque in nos Collegii vestri animum proximis Christi solemnibus per epistolam declaratum, valde ut dignum erat, dileximus. Favisse nos haud ita pridem desideriis vestris ut eidem Collegio honorem pristinum, adversis tentatum rebus, auctoritate nostra conservatum vellemus, aeque nobis iucunda est recordatio. Id sane, velut iure suo, exposcebat tum Collegii vetusta nobilitas, ab actis Pontificum decessorum, nominatim Innocentii VI, praeclarior, tum dignitas civitatis, quae doctrinae obtinet laudem nomenque insigne.[1] Idque nos eo propensius fecimus, quia probe erat compertum quanta vos navitate et religione praescriptis nostris de maioribus disciplinis colendis tradendisque pareatis, fructuum optimorum et exspectationem tuentes, et spem augentes in dies. Hac vero in spe, qua multum continetur praesidii ad Clericorum ordinem valide pro tem-

[1] Alludit Pontifex ad lemma celebre: BONONIA DOCET.

poribus Ecclesiae instruendum, nos bene confirmant proposita operae acrioris sancte a vobis delata; neque minus tua confirmat, venerabilis Frater, spectata doctrina et solertia. Tu igitur, quemadmodum instituisti, hac etiam in laude eum referre perge qui te istic cum dignitate antecessit, eiusdem ornamentum Collegii, disciplinaeque Thomae Aquinatis fautor eximius ».[1]

338. Die 2 ianuarii 1895, ita D. Desiderato Mercier, Praesidi Instituti superioris Philosophiae in Lyceo Magno Lovaniensi:

« ... Tamen maiore affecti sumus delectatione quod alacri omnes voluntate diligentique studio desideriis nostris obsecundatis in Angelici Doctoris sententiis tum explicandis tum amplectendis. Quod enim saepenumero inculcavimus, id denuo inculcamus, nullam esse videlicet philosophicarum disciplinarum tradendarum rationem seu ad veritatem assequendam aptiorem, seu efficaciorem ad gliscentes errores profligandos, quam quae fuit beati sapientissimique Viri. Pergite igitur constantes, incoeptoque operi alacres incumbite ».

339. Die 20 martii 1895, in Decreto quo Dioecesis « De Socorro » in Republica Columbiana erigitur haec legenda sunt, n. X:

« Illud vehementer cupit et mandat Sanctitas sua ut novus Episcopus impigram sedulamque det operam alumnorum sacrorum Seminario iuxta Tridentinas sanctiones, cum primum fieri poterit, constituendo, omni cura adhibita ut in eo alumnorum pietas, morum probitas et sacra doctrina, praesertim ex Angelici Doctoris fontibus, foveatur ».

340. Die 2 aprilis 1895, dum certa vis pecuniae Instituto Catholico Insulensi tribuitur, a Pontifice haec praescribuntur:

« Certam vim pecuniae quam exhibuit nobis munifica pietas in optima iuventutis studia erogandam, ultro nos Instituto damus et attribuimus, eo consilio ut inde sumptus necessarii suppeditentur alteri ex duabus scholis Theologiae Dogmaticae, quae adhuc sunt indotatae. Et quoniam tempora omnino postulant, ut non modo sanae doctrinae studium, sed etiam solidum christianarum virtutum decus reviviscat, utrumque vero sanctus Thomas Aquinas, alterum doctrina, alterum exemplo, commode potest efficere, ideo placere Nobis *Summam* eius *Theologicam* in eadem schola auditoribus explicandam adhiberi, Praepositis studiorum Instituti regundorum significamus».

341. Die 9 maii 1895, in Litteris Apostolicis, quibus *Constitutiones* recentiores Academiae Romanae a Sancto Thoma Aquinate ratae habentur, haec notanda occurrunt:

[1] Is fuit Card. C. A. Morichini. Vide infra, n. 428.

« Quod iam inde ab initio nostri pontificatus nos a scientia rerum graviorum exorsi, multis quidem modis neque semel significavimus, summa esse contentione enitendum ut Philosophiae et Theologiae studia ad pristinam sancti Thomae Aquinatis rationem quae Scholastica dicitur, revocarentur, illiusque disciplina Fidei veritati administra et comes instauraretur, id munere concessuque Dei in omnibus fere catholicis Athenaeis constitutum esse merito laetamur. Desideriis enim votisque nostris plene obsequuti sunt catholici viri, nominatim religionis Antistites, qui summo animi ardore opem, quam quisque poterat, auctoritatem, consilium, rem contulerunt in propagandam provehendamque optimam hanc eruditionis disciplinam, ita ut ipsi de iuventute egregie meruerint et religionis et patriae bono ac decori prospexerint, nostram etiam benevolentiam et gratiam inierint, praemia exspectantes a Deo, cuius causa laborem atque operam susceperunt. Nemo certe est qui non videat, qui non plane sentiat tot praesertim irruentibus in mentes hominum praeposterarum doctrinarum erroribus, ac tam demutatis corruptisque populorum moribus, consilii praeceptique nostri opportunitatem atque utilitatem. Probant sane hoc consilium tum Instituta Philosophiae et Theologiae varia nomine, paria disciplina, quae perbrevi annorum spatio ubique gentium effloruerunt, tum alumnorum qui ea celebrant numerus et studium, tum denique is ipse qui consecutus est exitus, nimirum fructus laeti atque uberes, qui ex huiusmodi institutionibus quotidie in Vinea Domini demetuntur. In praeceptis enim institutisque summi Scholasticorum Magistri ita elucet sapientia, ut cum splendore virtutis mirifice coniungatur: sic ii qui illis student aeque scientiam condiscunt ac virtutem, alteram ex libris sancti Thomae, alteram ab exemplis. Doctor enim Angelicus, qui cognominis mensuram implevit, quae praescripta tradidit sapientiae, ea confirmavit exemplo. Quare non mirum est si ille habitus sit a maioribus meridiani instar solis, qui orbem terrarum calore virtutum fovit et lumine doctrinae complevit.

« Sed quum Aquinatis doctrinae, praesertim philosophicae, plurimis in locis, persuadentibus atque adhortantibus nobis, in honore essent, oportebat atque opus erat ut florerent etiam in hac alma Urbe principe catholici nominis, quae idcirco ob eam causam quod est domicilium ac sedes Pontificum Maximorum debet optimae cuiusque institutionis et disciplinae laude caeteris antecellere. Roma enim quasi in medio terrarum ad universi Orbis complexum posita, ab adolescentibus celebratur magna frequentia nominatim Clericis, qui nullibi arbitrantur quam penes augustam Petri Cathedram Fidei veritatem et sapientiam se posse haurire. Quare Philosophiae copia, quae largiter hic dimanat, non unius Urbis finibus continetur, verum ad omnes populos, velut abundantissimus amnis in multos dispertitus rivulos, utiliter ad fecunditatem profluit. Quibus omnibus et rebus et causis, nos anno Domini MDCCCLXXIX, pontificatus nostri se-

cundo, in Epistola encyclica de Philosophia christiana ad mentem Angelici Doctoris in scholis catholicis instauranda pertractavimus; deinde, die 15 mensis octobris, eodem anno, Litteras ad Antoninum S. R. E. Cardinalem de Luca bo. me. id temporis Sacro Consilio studiis regundis Praefectum, dedimus, quibus auctores fuimus, ut coetus academicus in urbe Roma institueretur, qui sancti Thomae Aquinatis nomine insignis, id potissimum curaret, insisteret quod ad promovendam et propagandam salutarem eiusdem Sancti doctrinam opportunum esse iudicaret ».

342. Die 29 iunii 1895, Iacobo S. R. E. Cardinali Gibbons, Archiepiscopo Baltimorensi:

« Benevolentiae testandae curaeque nostrae erga Universitatem istam studiorum catholicam, rursus oblata est causa, nuntio abs te gratissimo accepto. Eam scilicet, quam nosmetipsi auctoritate apostolica constituendam curavimus legitimoque auximus iure, magnopere laetamur, non modo ubertate bonorum fructuum esse nobis per sexennium probasse, verum etiam ad ampliora coepta pleno gradu procedere. Huiusmodi nos incrementa sperare significavimus non ita pridem, quum te caeterosque tecum Episcopos allocuti per Epistolam sumus, iamque ex alacritate vestra et piorum liberalitate fieri compertum est, ut octobri proximo nova doctrinarum magisteria in eodem Lyceo dedicentur; quae adolescentibus Clericis utilitates maiores pariant et laicis quoque non mediocriter proficiant ad studia cultiora. Haec ipsa studia recte contulistis ut Facultate contineantur Philosophiae, eaque tamen instructa et ornata variis adiutricibus disciplinis, quae fusius traditae atque eruditius, vel lumen veritati praebeant explorandae decusque exploratae addunt, vel eam in opinione hominum faciant usuque fructuosiorem. Nobili autem proposito consentaneum exitum pollicentur nomina Magistrorum egregia qui ad id muneris sunt delecti: eo praesertim quod deliberatum omnino habeant Thomae sancti Aquinatis certissimam philosophandi rationem, secundum praescripta nostra, religiose persequi ducem ».

343. Die 2 iulii 1895, P. Vinc. Remer S. I., doctori Philosophiae tradendae in Lyceo Magno Gregoriano, has laudes tribuit:

« Ex continenti studio, quo philosophicae disciplinae ut ad praescripta Doctoris Angelici in scholis traderentur curavimus, bina nobis volumina pergrata acciderunt, quibus ea quae diuturno annorum spatio in Athenaeo Gregoriano docuisti, sobrie simul, simul dilucide ac plene complexus es. In his etenim cum ingenii lumen optimarumque disciplinarum amor elucet, tum praecipue diligentia in inquirenda tuendaque sapienter Aquinatis doctrina, de quo alias libenter Doctores decuriales, sodales tuos, commendavimus. Tu igitur de suscepto labore iustam a nobis laudem habeto, etc. ».

344. Die 15 novembris 1895, in Decreto quo dioecesis Spiritus Sancti in Brasilia erigitur, istud advertendum iubet Pontifex:

« Insuper Seminarium ex Tridentinorum Patrum ordinatione Sanctitas sua in hac nova dioecesi, ubi primum fieri possit, erigi mandavit, in quo adolescentes Clerici ad Ecclesiae disciplinam informentur, utilibus impositis legibus, queis pietas, morum probitas, et sana doctrina, ex fontibus praesertim Angelici Doctoris hausta, curetur et provehatur ».

345. Die 3 decembris 1895, Benedictum Lorenzelli, tunc Praelatum domesticum, hodie vero S. R. E. Cardinalem, ita laudat:

« Tuum illud munus *Philosophiae Theoreticae Institutiones*, opus a te curis alteris castigatum et auctum, omnino gratum habuimus. In eo, praeter ampliorem erga nos pietatis tuae significationem, testatius quidem agnovimus quam tu religiose obtemperare studueris nostris de Philosophia christiana colenda et docenda praescriptis. Nam disciplinae magni Aquinatis te iampridem dedisti totum: id praecipue contendens ut admirabilem, qua ille excellit, philosophandi rationem et viam tractando illustrares. Quae mens et solertia debuit certe, ut factum est, laboribus tuis ubertatem afferre, tibique opinionem ac laudem prudentiorum hominum conciliare. Et quoniam nos hoc etiam crebro inculcavimus, ut christianus philosophus et novitates errorum armis sapientiae veteris profligare nitatur, et recentiora doctrinarum incrementa demonstret nihil sane cum ea sapientia pugnare, apteque potius congruere: gratum idcirco est utrique te muneri operam peculiarem fidelemque dedisse ».

346. Die 6 februarii 1896, Petro Lamberto S. R. E. Cardinali Goossens, Archiepiscopo Mechliniensi, rursus scribit:

« Probe nosti qua firma ac studiosa voluntate propositum nostrum prosecuti hucusque simus... de amplificandis in isto perillustri Lovaniensi Athenaeo Philosophiae studiis, ut Belgica etiam iuventus de solidis uberibusque fructibus particeps fieret, quos ex restauratione christianae Philosophiae ad mentem divi Thomae a nobis firmiter intentos, ubique terrarum iam ex parte, Deo fovente, in bonum Ecclesiae et civilis Societatis obvenisse laetamur, uberioresque in dies obventuros certo confidimus. Opportunis praecipuum in hunc scopum adhortationibus nostris et pluries datis Epistolis, nos minime latet quam actuosa propensione ac zelo morem gesserint, te quidem duce, dilectissimi omnes Belgii Episcopi, aliique e Clero et laicis viri praeclarissimi, ita ut in Lovaniensi Universitate nedum Philosophiae studia reapse amplificata fuerint, sed etiam, quod in votis erat, singularis Schola, quae divo Thomae inscribitur, paucis abhinc annis instituta sit, eique adnexum Seminarium pro dioecesium Clericis ingenio et pietate praestantioribus, etc.

« Leges et praescripta tum Scholae, tum Seminarii... nostra auctoritate mense iulio superioris anni sancita fuere...

« Si quae caeterum exorta sunt dubia in nonnullis articulis interpretandis, nostram mentem tibi patefieri iussimus per dilectum filium nostrum Cardinalem eiusdem Congregationis [scilicet Studiorum] Praefectum: spesque affulget fore ut omnia quam citius componantur. Attamen unum prae omnibus per has nostras Litteras speciali modo commendandum censemus, ut nempe in lectionibus habendis, iis quidem exceptis quae scientias naturales, quas vocant, historiamque respiciunt, latina lingua adhibeatur: huiusmodi enim latini sermonis usum in Statutis praescribendum expressa nostra mandavimus voluntate, a qua ullo modo recedendum omnes admonitos volumus, sive institutores, sive alumnos. Quo enim pacto serio et solide in divi Thomae et Scholasticorum doctrinam incumbere alumni poterunt, eorumque immortalia evolvere volumina latine conscripta huius idiomatis nescii? Impervii profecto iis semper erunt electissimi scientiae thesauri inibi per saecula a summis ingeniis congesti! Nec institutoribus ipsis facilis res erit, si Scholae conceptus, axiomata, terminos vel ipsos vernacula lingua explanare conentur... Spe certa igitur nos nitimur fore ut... ex alumnis [Thomisticae Scholae] strenuus profecto, licet initio exiguus, brevi efformari poterit virorum numerus, qui omnis Philosophiae apparatu apprime instructi... hostes vel ipsis scientiae armis invicti sese opponant et erigant. Primitias uberemque horum fructuum copiam ut colligant nedum Episcopi, sed et omnes Belgicae nationis ordines enixe a Deo deprecamur, auspice et auctore ipso sanctissimo Scholarum Magistro [Thoma Aquinate], qui suis favoribus Thomisticae Lovaniensis Scholae alumnos... profecto amplecti non desinet ».

347. Die 22 februarii 1897, Ernesto Commer, sacerdoti doctori Theologiae tradendae in regia Universitate Wratislaviensi:

« Postquam nos per encyclicas Litteras *Aeterni Patris*, philosophicas disciplinas ad fontes eos reducendas curavimus, unde retroactis aetatibus tantum hauserant luminis ac firmitatis, gratulari sane debuimus quod catholici ubique viri, facto veluti agmine, nobisque, qua observantia par fuerat, morem gerentes, Thomae Aquinatis immortalia scripta assidua manu versanda, contentoque studio illustranda susceperint. Te quoque, dilecte Fili, operam in hac re probasse tuam iam abhinc annos quatuor agnovimus, quum sex prima volumina *Annalium philosophicis ac theologicis disciplinis provehendis*, a te aliisque praeclari ingenii viris editorum, nobis obtulisti. Nunc vero, quum quatuor adhuc eorundem *Annalium* voluminibus nos donatos volueris, libet exantlati laboris te sociosque tuos exornare laude. Quae quidem laus, dum promeriti sit loco praemii, stimulos

simul adiiciat ut coepto ne desistatis, profligatisque praeposterae Philosophiae erroribus, Aquinatis doctrinas latius proferendas suoque in honore servandas adlaboretis ».

348. Die 22 augusti 1897, in *Motu proprio* quo Institutum Leonianum constituitur et Sodalibus e Societate Iesu regendum moderandumque conceditur:

« Philosophiam et Theologiam caeterasque disciplinas, doctoribus Sodalibus eisdem e Societate Iesu percipiant. Doctoribus vero aeque ac alumnis Thomam Aquinatem sequi ducem eiusque doctrinam colere incorrupte ac tueri lex esto ».

349. Die 4 martii 1898, Iosepho Archiepiscopo Surrentino:

« Humilium Academia, quae sicut Thomae Aquinatis titulo cohonestatur, ita doctrinis eius perscrutandis atque illustrandis diligentem dat operam, decimo impleto anno postquam, te auctore, constituta est, id sibi minime praetereundum duxit ut Sedi Apostolicae, cuius ex magisterio vitam viresque hausit, novo se observantiae testimonio obligaret. Gratum plane habuimus officium: eoque gratius, quod ex egregia hac Academicorum voluntate nihil non utile portendatur in optimarum doctrinarum provectum. Auget hanc spem nomen ipsum quo Academici appellantur: nihil enim quam animi demissio efficacius est ad divinarum rerum notitiam perscrutandam assequendamque ».

350. Die 8 aprilis 1898, Claudio Episcopo Sagiensi:

« Sacrarum disciplinarum in Seminariis florere studia tanti quidem refert quanti sacerdotes aptos parari populis, qui rite eos imbuant et ad veritatem informent. Eam ob rem discessuro tibi ad Sagiensem Ecclesiam, nihil potius habuimus quam ut animum tuum excitaremus ad Theologiae studia in alumnis Cleri tui promovenda. Id te iam alacri voluntate esse aggressum tuae quidem testantur litterae, theologicaeque probant elucubrationes ad nos missae. Gratulamur igitur tibi, alumnorumque tuorum diligentiam in Thomae Aquinatis doctrinis perdiscendis laudatam volumus ».

351. Die 26 aprilis 1898, Carolo Episcopo Triventino:

« Triventinam Dioecesim vix moderandam aggressus, eo prudenter animum advertisti ut Sacrarum disciplinarum studia novo sapientique impulsu promovenda curares. Etenim desideriis edictisque nostris, ut par erat, obsequutus, homines sacri Cleri eiusdemque Cleri alumnos ad Thomae Aquinatis doctrinas pro merito faciendas probeque perdiscendas ac tuendas, instituta in eam rem Academia, excitasti. Huius Academiae leges,

auspicalemque a te sermonem habitum libenter accepimus. Dumque te de industria diligentiaque tua laudamus, Clerum tuum ut tibi strenue obsecundet exhortamur ».

352. Die 25 novembris 1898, Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum:

« De studio maiorum disciplinarum satis commonstrant Litterae nostrae encyclicae *Aeterni Patris* qua sit ingrediendum via. Discedere inconsulte ac temere a sapientia Doctoris Angelici res aliena est a voluntate nostra, eademque plena periculis. Perpetua quidem sunt humanae cogitationis itinera, augeturque accessionibus fere quotidianis scientia rerum ac doctrina: quis autem nolit his rebus sapienter uti, quas recentiorum pariat eruditio et labor? Quin immo adsciscantur hinc libenter quae recta sunt, quae utilia, quae veritati divinitus traditae non repugnantia: sed qui vere philosophari volunt, velle autem potissimum debent religiosi viri, primordia ac fundamenta doctrinae in Thoma Aquinate ponant. Eo neglecto, in tanta ingeniorum licentia pronum esse in opinionum portenta delabi atque ipsa Rationalismi peste sensim afflari, nimium iam res et facta testantur. Quid si eiusmodi aliquid in eos obrepat, quibus officium sit instituere cupidam religiosae professionis iuventutem? Sanctum itaque sit apud omnes beati Francisci alumnos Thomae nomen: vereanturque non sequi ducem quem bene scripsisse de se Iesus Christus testabatur ».

353. Die 18 martii 1899, in Epistola missa scriptoribus ephemeridis cui titulus *Civiltà Cattolica*, post varias laudes addit Pontifex:

« Neque eam praeterire laudem volumus, quam iussa nostra perficientes, amplissime meruistis, quum videlicet Thomae Aquinatis doctrinas toto nisu provehere atque illustrare studuistis ».

354. Die 8 augusti 1899, D. Antonio Haine Antistiti Urbano Lovaniensi:

« Nullum est disciplinae genus cuius maior exstet usus, adeoque sit apte solideque tradendum quam illud quod in temperandis moribus moderandisque versatur. In hac te doctrina iam multos annos in Lyceo Magno Lovaniensi occupatum novimus. Qua vero eruditionis copia ingeniique laude id praestiteris et praestes, testantur volumina quae quartis curis nunc edita, nobis offerenda nuper misisti.

« In quibus *Theologiae Moralis Elementis*, ut vocas, illud placuit in primis quod cum probatorum doctorum auctoritate et sententiis utaris, Thomam Aquinatem, quem sequi auctorem laus est, magistrum prae omnibus ducemque elegeris. Quod plane dum facis, duplex, utrumque

egregium, habes emolumentum: alterum quod morum doctrinae securitati prospicis, alterum quod alumnos sacri Cleri ad volumina Aquinatis versanda atque adamanda incitas. Quibus pro meritis, dum tibi commendationis testimonium tribuimus, etc. ».

355. Die 8 septembris 1899, in Epistola encyclica *Depuis le jour*, de educatione Cleri in Galliis curanda, haec habet:

« Nous le disions dans notre Encyclique *Aeterni Patris*, dont nous recommandons de nouveau la lecture attentive à vos Séminaires et à leurs Maîtres, et nous le disions en nous appuyant sur l'autorité de saint Paul: c'est par les vaines subtilités de la Philosophie: " per philosophiam et inanem fallaciam, "[1] que l'esprit des fidèles se laisse le plus souvent tromper, et que la pureté de la Foi se corrompt parmi les hommes. Nous ajoutions, et les événements accomplis depuis vingt ans ont bien tristement confirmé les réflexions et les appréhensions que nous exprimions alors; " Si l'on fait attention aux conditions critiques du temps où nous vivons; si l'on embrasse par la pensée l'état des affaires tant publiques que privées, on découvrira sans peine que la cause des maux qui nous oppriment, comme de ceux qui nous menacent, consiste en ceci, que des opinions erronées sur toutes choses divines et humaines, des écoles de philosophes se sont peu à peu glissées dans tous les rangs de la société, et sont arrivées à se faire accepter d'un grand nombre d'esprits. "[2]

« Nous réprouvons de nouveau ces doctrines qui n'ont de la vraie Philosophie que le nom, et qui ébranlant la base même du savoir humain, conduisent logiquement au scepticisme universel et à l'irréligion. Ce nous est une profonde douleur d'apprendre que, depuis quelques années, des catholiques ont cru pouvoir se mettre à la remorque d'une Philosophie qui, sous le spécieux prétexte d'affranchir la raison humaine de toute idée préconçue et de toute illusion, lui dénie le droit de rien affirmer au delà de ses propres opérations, sacrifiant ainsi à un subjectivisme radical toutes les certitudes que la Métaphysique traditionnelle, consacrée par l'autorité des plus vigoureux esprits, donnait comme nécessaires et inébranlables fondements à la démonstration de l'existence de Dieu, de la spiritualité et de l'immortalité de l'âme et de la réalité objective du monde extérieur. Il est profondément regrettable que ce scepticisme doctrinal, d'importation étrangère et d'origine protestante, ait pu être accueilli avec tant de faveur dans un pays justement célèbre pour la clarté des idées et pour celle du langage. Nous savons, vénérables Pères, à

[1] *Col.*, II, 8.
[2] Encycl. *Aeterni Patris*.

quel point vous partagez là dessus nos justes préoccupations, et nous comptons que vous redoublerez de sollicitude et de vigilance pour écarter de l'enseignement de vos Séminaires cette fallacieuse et dangereuse Philosophie, mettant plus que jamais en honneur les méthodes que nous recommandions dans notre Encyclique du 4 août 1879 [1]... Par dessus tout, il importe que durant deux ans au moins, les élèves de vos Grands Séminaires étudient avec un soin assidu la Philosophie " rationnelle," laquelle, disait un savant bénédictin, l'honneur de son Ordre et de la France, Dom Mabillon, "leur sera d'un si grand secours, non seulement pour leur apprendre à bien raisonner, et à porter de justes jugements, mais pour les mettre à même de défendre la Foi orthodoxe contre les jugements captieux et souvent sophistiques des adversaires." [2].

« Viennent ensuite les sciences sacrées proprement dites, à savoir la Théologie dogmatique et la Théologie morale, l'Ecriture Sainte, l'Histoire ecclésiastique et le Droit Canon. Ce sont là les sciences propres au prêtre. Il en reçoit une première initiation pendant son séjour au Grand Séminaire: il devra en poursuivre l'étude tout le reste de sa vie.

« La Théologie c'est la science des choses de la foi. Elle s'alimente, nous dit le Pape Sixte V, à ces sources toujours jallissantes qui sont les Saintes Ecritures, les Décisions des Papes, les Décrets des Conciles.[3] Appelée Positive et Spéculative, ou Scolastique, selon la méthode qu'on emploie pour l'étudier, la Théologie ne se borne pas à proposer les vérités à croire: elle en scrute le fond intime, elle en montre les rapports avec la raison humaine, et, à l'aide des ressources que lui fournit la vraie Philosophie, elle les explique, les développe et les adapte exactement à tous les besoins de la défense et de la propagation de la Foi...

« C'est donc avec raison que le même Sixte V appelle cette Théologie (et il parle spécialement ici de la Théologie Scolastique) un don du ciel, et demande qu'elle soit maintenue dans les Ecoles et cultivée avec une grande ardeur, comme étant ce qu'il y a de plus fructueux dans l'Eglise.[4]

« Est-il besoin d'ajouter que le livre par excellence, où les élèves pourront étudier avec plus de profit la Théologie Scolastique est la *Somme Théologique* de saint Thomas d'Aquin? Nous voulons donc que les Professeurs aient soin d'en expliquer à tous leurs élèves la méthode ainsi que les principaux articles relatifs à la Foi catholique.

[1] Encycl. *Aeterni Patris.*
[2] *De studiis monasticis*, part. II, cap. 9.
[3] Const. *Triumphantis Hierusalem.*
[4] Ibidem.

« Nous recommandons également que tous les Séminaristes aient entre les mains et relisent souvent le livre d'or connu sous le nom de *Catéchisme du Concile de Trente*, ou *Catéchisme Romain*, dédié à tous les prêtres investis de la charge pastorale, *Catechismus ad Parochos*. Remarquable à la fois par la richesse et l'exactitude de la doctrine et par l'élégance du style, ce Catéchisme est un précieux abrégé de toute la Théologie dogmatique et morale. Qui le posséderait à fond, aurait toujours à sa disposition les ressources, à l'aide desquelles un prêtre peut prêcher avec fruit, s'acquitter dignement de l'important ministère de la Confession et de la direction des âmes, et être en état de réfuter victorieusement les objections des incrédules ».

Ubi nota, iudice Pontifice, unam eandemque doctrinam esse et *Summae Theologicae* et *Catechismi Romani*.

356. Die 7 martii 1900, PP. Ceslao Paban et Thomae Pègues, O. P.:

« Merita quidem laude eos libenter prosequimur qui doctrinarum Aquinatis studia, a nobis tantopere excitata, aliis atque aliis modis curant provehenda. Horum in numero vosmetipsi estis, qui collata opera in id incumbitis ut scripta Ioannis Capreoli, qui ornamentum est istius Civitatis [nempe Tolosae] et Ordinis vestri, nova instructa editione in medium referatis. Floret ille, vel quatuor post saecula, opinione hominum prudentiorum, utpote qui eiusdem Doctoris sapientiam et a reprehensione aculeisque dissentientium tueri et recta interpretandi ratione illustrare probe contenderit. Utroque igitur capite initum a vobis consilium commendabile est, libetque de primo operis volumine iam emisso... gratulari ».

357. Die 14 aprilis 1900, Ioachimo Sestili Theologo:

« Ingenium curasque tuas ad rem appulisti aeque decoram tibi ac studio sapientiae utilem, cui sane hominum recte sentientium defutura non est comprobatio. Quippe operam in id impendere ut Aquinatis doctrina, conclusa libris aureis *Summae contra Gentiles*. et latius propagetur, et uberius percipiatur, est profecto de christiana Philosophia bene omnino mereri. Hoc tu nimirum praestare aggressus es, nova *Commentariorum* Ferrariensis in eosdem libros adornata editione: qui scriptor iure inter optimos in eo genere numeratur. Placet igitur propositum tuum pro merito commendare; eoque libentius facimus, quod plane profiteris ad haec studia te ideo adductum et quasi incensum, ut nostris de colenda Philosophia tum praescriptis, tum hortationibus, omni qua decet filium pietate obtemperares. Istum pietatis animum, Deo acceptum et nobis, religiose apud te foveas velimus: inde quidem consilia viresque hauries ad alia eiusmodi pari cum fructu atque ampliore suscipienda. Iamvero auspicem divinorum munerum etc. ».

358. Die 2 iulii 1900, in Decreto de erectione novae Dioecesis « de Alagoas » in Brasiliana Republica legitur, n. VII:

« ... Illud autem vehementer Sanctitas Sua exoptat ac praecipit ut novus Episcopus Dioecesis De Alagoas solertem et impigram det operam alumnorum sacrorum Seminario iuxta Tridentini Concilii praecepta in sua Dioecesi, ubi primum fieri poterit, constituendo, omni cura adhibita ut in eo alumnorum, qui in spem Ecclesiae succrescunt, pietas et morum probitas vigeat et floreat, atque ut iis doctrina tum philosophica tum theologica praesertim ex fontibus Angelici Doctoris hausta tradatur ».

359. Die 3 augusti 1900, in Decreto de erectione novae Dioecesis « de Ponso Alegre » in Brasiliana regione:

« Seminarium ex Tridentinorum Patrum ordinatione in qualibet dioecesi constituendum Sanctitas Sua, ubi primum fieri poterit, erigi mandavit, in hac nova Dioecesi de Ponso Alegre, in quo Seminario adolescentes Clerici ad Ecclesiae disciplinam informentur, utilibus impositis legibus, queis in hac potissimum calamitate temporum pietas, morum probitas, et sana doctrina tum philosophica tum theologica ex fontibus praesertim Angelici Doctoris hausta, omni cura tradatur et foveatur ».

360. Die 12 novembris 1900, allocutus Abbates Ordinis Benedictini deque Collegio Anselmiano in Urbe agens, ita pronuntiat Pontifex:

« In eo [Collegio] mens fuit ut delecti adolescentes, a singulis Ordinis familiis missi, ad Philosophiam et Theologiam ex praescripto Aquinatis, similesque adiutrices disciplinas una eademque ratione instituerentur, excolerentur: qui, absoluto studiorum curriculo, ad sua quisque coenobia remigrarent, opportuna doctrinarum copia quasi supellectile instructi ».

361. Die 20 februarii 1901, Fr. Bartholomaeo Froget, Sodali Dominicano:

« De ingenii doctrinaeque fructibus, quos nobis frequentes catholicorum exhibet pietas, ii profecto solent multo accidere gratiores, qui ad illustranda documenta nostra utiliter spectent. Et peculiari quidem gratia dignus est liber quem abs te nuper accepimus; in quo, ex disciplina Angelici Doctoris, divini Spiritus admirabilem in animis iustis inhabitationem dilucida copia exposuisti. Caput istud Fidei catholicae, sane praestantissimum, piaeque consolationis abundans effectu, Litteris nos encyclicis *Divinum illud munus*, solertiae eorum valde commendavimus, qui animis ad aeterna excolendis pro officio dant operam. Aequissimum nempe est tantarum rerum ignorationem a populo christiano plane depelli; atque adeo id enixe efficiendum ut " Altissimi donum Dei, " unde complura manant et maxima beneficia, omnes religiose studeant et noscere, et diligere, et implorare, cui assequendo proposito iam adiumentum non tenue ex libro tuo esse profectum gratulamur tibi, eoque deinceps amplius profecturum esse speramus libenter et cupimus ».

362. Die 5 septembris 1901, Adalberto Breznay, in Schola Theologiae Budapestinensi:

« Pergratum abs te munus accepimus Petri Pazmany Cardinalis quartum operum volumen. Susceptum consilium sustinendi tuendique Doctoris nobilissimi nomen, eiusque memoriam, scriptis emissis, immortalitati consecrandi, libet, dilecte Fili, laudare vehementer. Indignum enim doctis hominibus videri actis etiam temporibus debuerat tam clari viri tamque honorati iacere nomen, eiusque scripta, non modo recondita abdi, verum etiam plurimorum ignoratione praeteriri. Quae quantum utilitatis habeant nemo est qui non intelligat; is enim Pazmanius est qui de grandioribus disciplinis eruditione summa sensuque altiore disserat, idemque singularem illum atque in sacris Litteris facile principem Thomam nostrum, ducem sequatur ac magistrum. Aequum igitur censemus te digna meritis laude nos ipsi honestare, qui Aquinatis scripta legenda ab omnibus ac pervolutanda tanto opere curavimus. Quod si negotii nimium res habere videatur, additos tibi animos auctoritate nostra exoptamus, quibus excitatus atque erectus egregio facinori ad exitum deducendo, ac religioni doctrinaeque provehendae felicius incumbas ».

363. Die 20 novembris 1901, ad Archiepiscopos et Episcopos Ecclesiae Latinae in Graecia:

« Urbanitatis veteris Graecia lumen, atque omnium mater artium, post tot rerum casus ac tantas varietates fortunae, nihil tamen consenuit in memoria atque admiratione hominum; immo potius nemo adeo agrestis est, quin eius magnitudine gloriaque cogitanda moveatur. Nobis profecto graii generis insidet in animo non memoria solum cum admiratione coniuncta, sed plane caritas, eaque vetus. Mirari ab adolescentia assuevimus ionias atticasque Litteras, maximeque illam veri investigandi scientiam, in qua valuerunt principes philosophorum vestrorum usque adeo ut mens humana longius progredi solo naturae lumine nequaquam potuisse videatur. Ista quanti sit apud nos sapientia Graecorum, satis declarat cura diligens et multiplex, quam in restituenda celebrandaque Doctoris Angelici Philosophia ex hoc pontificatus fastigio posuimus. Nam si de gloria sapientum virorum magnam partem, nec sane iniuria, capiunt ii quorum secuti disciplinam magisteriumque sint in adipiscenda sapientia, certe honorem Aristoteli vestro iudicabimur habuisse hoc ipso, quod ho-

nore affecimus beatum Thomam Aquinatem, e discipulis magnisque sectatoribus Aristotelis facile praestantissimum ».

364. Die 11 ianuarii 1902, Rectori ac Doctoribus decurialibus sacrarum Disciplinarum apud Institutum Catholicum Tolosanum:

« Sacrarum disciplinarum vobis Doctoribus annum quintum et vicesimum proxime celebraturis a vestro Lyceo Magno instaurato, singulari quadam animi voluptate gratulamur, meritarumque sane laudum praeconium tribuimus. Quae enim Schola accommodata maxime temporibus quintum ante quinquennium ad vitam uberem est excitata, ea vestrum omnium opera ac solertia opinioni Pontificis Maximi atque etiam Episcoporum bonorum omnium apprime respondit, dignitatemque ac decus, quibus aucta ipso in limine est, tempore progrediente, servavit, fovit, amplificavit. Quorum ornamentorum causa est procul dubio profecta tum a fidelitate illa constanti qua cum Sede nostra Apostolica et animos vestros et mentes cohaerentes praestitistis, tum etiam a sapienti maximeque commendando studio quo Fidei praecepta disciplinarumque inventa amico foedere sociastis. Probari haec nobis perlibenter profitemur, eo vel magis quod progredientia Fidei ac doctrinarum bona, aureae sancti Thomae sapientiae accepta vestro etiam iudicio sunt referenda. Quapropter praeclare vos de Ecclesia meritos vehementer cohortari non desistimus ut coepta sequamini animis firmis atque ad uberiores fructus alacritate vestra ingenioque contendatis ».

365. Ex hac ininterrupta atque copiosissima declarationum, iussionum, commendationum serie a Leone XIII editarum tria imprimis colligenda sunt, videlicet doctrinam sancti Thomae, iudice Pontifice, esse inter omnes excellentissimam et quoad essentiam, et quoad modum; unitatem doctrinalem inter Catholicos in hac doctrina fundandam et constituendam esse, non quoad ipsamet dogmata quae Catholici omnes tenent, sed quoad dogmatum explanationem et defensionem, etiam in his quae apud varias Scholas hinc inde disputabantur; tertio demum ex hac unitate progrediendum esse ad universalitatem, idque totis viribus, tota auctoritate promovit Pontifex, atque reipsa obtinuit intentum in omnibus Academiis, Universitatibus, Scholis, Lyceis vere catholicis.

Immensae prorsus agendae sunt doctissimo et vigilantissimo Pontifici gratiae ab omnibus cordatis et christianis et philosophis.

Post editam Bullam *Aeterni Patris* excussum numisma est referens ex una parte Pontificis effigiem, ex altera vero Doctorem Angelicum pedibus stantem, cinctum in fronte birreto doctorali, porrigentemque dexteram Scientiae Divinae, sinistram Humanae, utrique personatae, cum circum lemmate:

THOMAE · AQVIN · DOCTRINA · IN · PRISTINVM · DECVS · RESTITVTA.

Infra autem:

RENOVATVM · DIVINAE · HVMANAEQ · SCIENTIAE · FOEDVS.

In ephemeride autem cui titulus erat *Voce della Verità*, die 19 februarii, nonnullus versiculos istos merito addidit:

« Cedite, sacrorum hostes, dogmata foeda serentes:
Intonat augusto pectore bella Leo;
« En clypeos gladiosque parat, totumque per Orbem
Magnanimos coiit ductor in arma viros.
« Ipse Thomae invicto fera monstra en percutit ense,
Innumeris unus fortior agminibus ».

LXXIX.

PIUS PAPA X.

1903...

366. Ab exaltatione sua ad supremum pontificatum Pius X, iis quae Leo XIII pro instauranda sancti Thomae Aquinatis disciplina sanxerat, novum apostolicae auctoritatis robur adiecit variis diplomatibus.

Die enim 23 ianuarii 1904, ita ad Academiam Romanam a sancto Thoma nuncupatam:

« In praecipuis laudibus Leonis XIII fel. rec. decessoris nostri quisque aequus rerum aestimator hoc ponit, quod is adolescentis Cleri studia ordinare convenienter temporibus aggressus, sancti Thomae Aquinatis disciplinam in primis instaurandam summa contentione curaverit. Etenim novo ingeniorum cursu commotus, quum videret genera quaedam philosophandi, ac de gravioribus doctrinis disputandi invalescere, quae catholicae veritati nequaquam congruerent, mature occurrendum periculo censuit, quod inde alumnis Sacrorum impenderet: eo magis quod statam rationem studiorum, Ecclesiae iudicio ac saeculorum usu probatam, animadverterat plurifariam ex cupidine recentiora consectandi defecisse. Itaque institutis praeceptisque Philosophiae christianae ac Theologiae Ducem Magistrum-

que suum restituit Doctorem Angelicum, cuius divinum ingenium arma elaborasset ad tuendam veritatem multiplicesque errores hac etiam aetate profligandos per quam idonea: si quidem quae nata ad utilitatem omnium temporum sancti Patres Doctores Ecclesiae tradiderunt principia sapientiae, ea nemo Thoma aptius, colligendo ex eorum scriptis, composuit, nemo luculentius illustravit. Haudquaquam tamen Pontifex bonas scientiae accessiones, quas hodierna pareret studiorum agitatio, neglexit, quin immo ratus Clericos non posse digne suum tenere locum, nisi apparatiore quodam doctrinae commeatu instruerentur: idcirco eorum de gravioribus rebus institutionem opportunis eruditionis incrementis ornatam voluit.

367. « Iam vero, ad fovendam quam encyclicis Litteris *Aeterni Patris* indixerat, instaurationem disciplinae thomisticae, subinde in Urbe Roma, utpote quae catholico Orbi hoc etiam in genere exemplo deberet esse, propriam Academiam instituit, a sancto Thoma Aquinate eam nuncupans, cui propositum esset explicare, tueri, propagare doctrinam, praesertim de Philosophia Angelici Doctoris. Academiam ipsam annuis redditibus, qui satis essent ad stabilitatem eius confirmandam, munificus auxit. Eidem parem quae caeteris vel Athenaeis vel Lyceis magnis attributa esset, attribuit facultatem promovendi ad Doctoris in Philosophia gradum suos alumnos, qui emenso studiorum curriculo, laudabile scientiae specimen solemni periculo dedissent.

« Denique anno MDCCCXCV, statuta, quae Academiae ad tempus praescripserat, temperando, certas ei leges quas diutinum experimentum commodas fore suasisset, in perpetuum dixit.

368. « Ad nos quod attinet, quando pontificatus noster incidit in tempora traditae a patribus sapientiae inimica fortasse magis quam unquam antea, omnino oportere ducimus, ut quae decessor illustris de cultu Philosophiae doctrinaeque thomisticae constituisset, ea religiosissime servanda, atque etiam in spem uberiorum fructuum provehenda curemus. Huius rei gratia, Romanam a Sancto Thoma Academiam, quae in caeteris id genus institutis principem sibi locum iure vindicat, uti peculiari quadam Leonis floruit, similiter nostra posthac florere providentia volumus.

« Equidem novimus ex eo coetu Sodales quam diligenter utiliterque in mandata sibi provincia versari consueverint, vel Aquinatis sententiam doctis commentariis illustrando, vel eius cogitata evolvendo atque ex principiis ipsius nova investigando, vel eiusdem trutina pensando recentiorum placita philosophorum, propstereaque gratulamur eis libenter quod germanas Philosophiae progressiones non mediocriter adiuvent.

« Verum ne nobilissimae contentionis diuturnitas remissionem afferat, magnopere cupimus ut voce et auctoritate nostra spiritus sumant etiam alacriores, ac tanquam renovatis auspiciis in propositum incumbant. Quae tamen cohortatio non ad hos tantummodo spectet, sed pertineat, uti debet, ad omnes quicumque in catholici Orbis terrarum scholis Philosophiam tradunt, nimirum curae habeant a via et ratione Aquinatis nunquam discedere, in eandemque quotidie studiosius insistant. Vehementer autem universis auctores sumus, ut solertiam laboresque suos conferant maxime ad coërcendum pro virili parte communem illam rationis Fideique pestem, quae longe lateque serpit: " Neo-rationalismum " dicimus, cuius ne perniciosos afflatus sacra praesertim iuventus vel minimum sentiat, omni ope atque opera providendum est.

« Caeterum statuta, bona, privilegia, iura quae decessor noster Academiae Romanae a Sancto Thoma dedit et attribuit, ea nos omnia et singula rata et firma esse volumus et iubemus; contrariis non obstantibus quibuscumque ».[1]

369. Die 11 aprilis 1904, Dionysio Schuler, Ministro Generali Ordinis Minorum, de nova editione Operum sancti Bonaventurae:

« Bonaventuram, utpote non suo dumtaxat saeculo, sed omni posteritati, quemadmodum caeteros summos Ecclesiae Doctores, datum divinitus, egregie prodesse huic etiam aetati posse arbitramur, si, quod sperare post vestros labores licet, multo plures invenerit studiosos sui. Eo magis quod is princeps Scholasticorum alter exstitit cum Aquinate, cuius in Philosophia ac Theologia disciplinam nos, decessorem secuti, magnopere commendandam, datis proxime ad Urbanam Sancti Thomae Academiam Litteris censuimus ».[2]

370. Die 20 februarii 1905, ita D. Paquet, in Universitate Lavallensi professori, rescribit:

« Sena nuper volumina accepimus a te oblata, quibus tu, suasore atque auspice ven. Fr. Ludovico Archiepiscopo tuo, totam Aquinatis doctrinam amplexus es, tum quae dogmata, tum quae sacramenta pertractat. Officium devotionis tuae pergratum habuimus, eo vel magis quod conscripti a te libri, non uno ex capite praeclaram merentur laudem. Inest enim in iis sapientiae romanae sapor, quam tu quondam romanarum scholarum alumnus, diligenter hausisti; inest et testimonium insigne illius obedientiae qua tu et universum Lyceum Magnum Lavallense praescripta

[1] *Acta Sanctae Sedis*, an. 1903-1904, p. 654.
[2] Ibidem, an. 1903-1904, p. 451.

a decessore nostro de sancti Thomae doctrinis tenendis [1] et propugnandis sancte exsequimini... Speramus fore ut tuo usi exemplo, qui theologicas disciplinas in Universitate ista sunt tradituri nunquam ab Aquinatis doctrinis discedant, quibus, quo melius alumni sacri Cleri fuerint imbuti, eo aptiores erunt ad omne genus errores retundendos ». [2]

371. Die 6 februarii 1906, Augustino Episcopo Sancti Galli:

« Novum Beati Alberti Magni Collegium Sodalitatis a sancto Pio V curis exstructum perfectumque Friburgi esse magna consolatione animi accepimus. Auctus enim aetate hac nostra est disciplinarum omnium cultus et prolata vis: nemoque propterea rectus aestimator temporum oportere non intelligat istitutionem adolescentium foveri quotidie magis ac novis praesidiis fulciri. Id quidem, si ad omnium ordinum consociationis humanae commodum accurare necesse est, at maiore certo enitendum est studio pro sacri incremento Ordinis. Quamobrem tibi collegisque in episcopatu tuis, de profectu religioso populi ac de amplificando catholici nominis decore valde sollicitis, itemque laudatae Sodalitati gratulamur, quod nova istis pateat incumbentibus in studia clericis domus ad omnem recentioris humanitatis sanaeque doctrinae progressionem informata. Nec minus gratum est invitari ad celebrandas Athenaei scholas non vestrorum modo Dioecesum iuvenes, sed etiam exterarum; id quod in Helvetiis plane pulchreque congruit cum tradita a maioribus consuetudine hospitii, cum christianaeque libertatis sensu, unde eorum qui Rempublicam Civitatemque administrant, instructi animi sunt. Est autem memoratu heic iucundum voluisse nos Theologiae in Collegio studia a sodalibus Dominicanis tradi, qui honestissimas scientiae, imprimis sacrae, consecuti laudes, securitatem iniiciunt magisterii, habentque domesticum in Theologia lumen, divum Thomam Aquinatem, quem non principem solum, sed Scholarum sacrarum ducem magistrumque et Leo XIII decessor iussit esse, et nos, cum uberrimi certitudine emolumenti, confirmavimus. Nullum ad haec dubium esse potest cordi futurum tibi laudatisque Pastoribus, doctrinarum tam bene sollicitis, simul pietati enutriendae adolescentium sedulam dare operam, quippe non prodest in sacro Clero sine pietate scientia, prodest autem, et nullam reperit meliorem sui ad lucrandas animas artem, si comitem habeat religionem ». [3]

372. Die 8 iunii 1906, haec ad P. Lépicier, hodie Antistitem Maiorem Ord. Servor. B. M. V.:

[1] In textu legitur « terendis », ex aliqua forsan exscriptoris oscitantia.
[2] *Acta Sanctae Sedis*, an. 1907, p. 451.
[3] Ibidem, an. 1906, p. 74.

« Existimare debes pergrata accidisse nobis oblata a te nuper volumina, in quibus ad mentem Doctoris Angelici *De Deo uno, De Sanctissima Trinitate, De Incarnatione Verbi* tractas. Et quidem probari in his videmus vel subtiliter explanatam copioseque ex similibus locis illustratam doctrinam Aquinatis, vel nervose Scripturarum Patrumque fundamentis constituta dogmata, vel idoneas e scientiae incrementis petitos fructus, vel perspicuum ac tanquam pietatis odore imbutum scribendi genus ». [1]

373. Die 28 iulii 1906, ad Episcopos Italos:

« Gli studi di Filosofia, di Teologia e delle scienze affini, specialmente della Sacra Scrittura, si compiano tenendosi alle pontificie prescrizioni e allo studio di san Tommaso, tante volte raccomandato dal venerato nostro Predecessore, e da noi, nelle Lettere apostoliche del 23 gennaio 1904 ». [2]

374. Die 6 maii 1907, Franc. Mariae Richard, Cardinali Archiepiscopo Parisiensi, aliisque Episcopis Instituti catholici Parisiensis patronis:

« De Philosophia petimus a vobis ne unquam patiamini in Seminariis vestris minus sancte observari quae providentissime Litteris encyclicis *Aeterni Patris* Decessor noster praecepit. Permagni ad custodiam et tutelam Fidei hoc interest. Certe nobiscum doletis a Clero, praesertim adolescenti, quasdam erumpere coepisse periculi et erroris plenas novitates sententiarum de ipsis fundamentis doctrinae catholicae. Sed eas fere non aliunde proficisci patet, quam a superbo quodam fastidio sapientiae veteris, quo ratio philosophandi principum scholasticorum, quanquam multiplici Ecclesiae praeconio consecrata, contemnitur. Ergo vos vestros alumnos sacri Ordinis non debetis velle Philosophiae praeceptis tantum imbui quantum in legitima litterarum institutione praescriptum est publice, sed eo uberius et altius, nempe secundum disciplinam Thomae Aquinatis, ut solidam deinceps possint sacrae Theologiae reique Biblicae scientiam percipere ». [3]

375. Die 7 maii 1907, Epistolam lingua italica scriptam ad Capitulum generale O. P. Viterbii adunatum mandavit:

« Il culto di questa scienza sovrana [hoc est Theologiae] fu in ogni secolo il vanto e l'onore dell'Ordine vostro, a cui appartiene quel "praeclarum christiani Orbis decus et Ecclesiae lumen" che fu il sommo Aquinate, dall'immortale nostro predecessore Leone XIII, di santa memoria, dichiarato Patrono celeste di tutte le scuole cattoliche. Tale gloria, tutta

[1] *Annal. eccles.*, an. XV, p. 230.
[2] *Acta Sanctae Sedis*, an. 1906, p. 339.
[3] *Acta Pii X*, vol. II.

propria dell'Ordine vostro, voi, non ne dubitiamo, custodirete gelosamente, nè mai vi discosterete dalle pure e limpide fonti dell'Angelico Dottore. Sotto la guida di questo incomparabile Maestro, nel cui sistema la ragione è ancella della Fede, attenderete con ogni impegno ad appoggiare l'esposizione dei dommi da una parte, sulla Filosofia razionale, di cui oggi, purtroppo, si tende a screditare ed annientare l'influsso; dall'altra sulla tradizione della Chiesa e la dottrina de' santi Padri, a cui dai moderni si vorrebbe preferire, perfino negli studi biblici, una critica intemperante, gonfia di sè ».[1]

376. Die 8 septembris 1907, in Bulla *Pascendi*, inter efficaciora media contra Modernismum adhibenda, primo loco ponit Philosophiam Scholasticam, eandemque Thomisticam:

« Primo loco, ad studia quod attinet, volumus probeque mandamus ut Philosophia Scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur... [et] quod rei caput est, Philosophiam Scholasticam quam sequendam praescribimus, eam praecipue intelligimus quae a sancto Thoma Aquinate est tradita, de qua quidquid a Decessore nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et, quatenus opus sit, instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus. Episcoporum erit, sicubi in Seminariis neglecta haec fuerint, ea ut in posterum urgere atque exigere. Ea religiosorum Ordinum Moderatoribus praecipimus. Magistros autem monemus ut rite hoc teneant, Aquinatem deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse ».[2]

377. Die 17 novembris 1907, Fr. Thomae Pègues O. P.:

« Delata nobis dono tuo nomine sunt quae emisisti adhuc volumina bina, gallicam eandemque litteralem interpretationem complexa *Summae Thelogicae* divi Thomae Aquinatis. Consilium probamus tuum lingua dicendique genere patriis, quo praestant, quam quae maxime, lumine, principis exponendi de Theologia operis, hodie praesertim accommodatissimi, quando qui a Thoma discedunt, iidem videntur eo ad ultimum agi ut ab Ecclesia desciscant: studium ad haec dilaudamus quo rite rem curasti exsequendam.

[1] Vide *Acta Capituli Generalis*, p. 3, edit. Rom. 1907.
Cui responderunt Patres: « Naviter adlaborabimus ut studia effloreant in Ordine nostro, cuius semper fuit, duce ac magistro Thoma Aquinate pro Fidei veritate strenue certare; districteque praecipiemus ut nostrates non solum hypercriticorum commenta sedulo devitent, verum etiam ut Ecclesiae traditione et sana tutaque Sanctorum Patrum doctrina illos revincant ». Ibidem, p. 5.

[2] *Acta Sanctae Sedis*, an. 1907, p. 640.

Spes est et votum diligentiam tuam iis posse abunde prodesse, qui Theologiae operam navant, etc. ».[1]

378. Die 8 aprilis 1908, ad Archiepiscopum Quebecensem de periodico *Nova Gallia*, iubet omnes « Duce Thoma Aquinate scientiarum tum naturalium, tum divinarum curare progressionem ».[2]

379. Die 11 iulii 1908, Professoribus in Theologica Friburgensi Facultate:

« Praeclarum Fidei et obsequii documentum erga nos et hanc Apostolicam Sedem exhibuerunt datae a vobis Litterae occasione anni ab inito nostro sacerdotio quinquagesimi. Quae quidem solemnis obtestatio plane digna spectatissimi Collegii vestri religione ac sapientia, non poterat nos non iucundissime afficere. In tanta enim animorum contentione ob satis diffusam novarum opinionum libidinem, exemplo est saluberrimo amplissima Coetus vestri significatio, in id singulari concordia conspirantis ut nemo ne latum quidem unguem ab Ecclesiae normis in docendo discedat, reiectisque eorum fallaciis qui Modernistae audiunt, sacrae Doctrinae ac penitioris Philosophiae fontes ex divite vena Doctoris Aquinatis attingant.

« Pergite, dilecti Filii, pro causa Ecclesiae et catholicae veritatis ingenio dimicare, ad Dei gloriam, ad populorum salutem, ad incrementum graviorum disciplinarum, ad nostrum denique solatium, quod etiam curae vobis esse tam luculenter ostenditis.

« Dum vero singulis vobis debitas pro egregia voluntate erga nos declarata grates rependimus, simul omnipotenti Deo vota fundimus, ut in sanctis consiliis vos usque firmiores reddat, ita ut Coetus vester tanquam instructa phalanx contra adversariorum impetum constituta videatur ».[3]

380. Die 8 novembris 1908, R.mo Fr. Hyacinto Cormier Magistro Generali Ordinis Praedicatorum de Internationali Collegio Romae extructo:

« Domum delectis omnium gentium alumnis Ordinis tui educandis iam pridem aedificari coeptam, brevi tandem absolutam iri intelligimus, et quidem perlibenter: ibi enim rite exposita, et inde diffusa late sapientia Doctoris Angelici, tum ad Philosophiae, tum ad sacrarum Disciplinarum cultum non dubitamus, quin praeclaros ubique fructus latura sit, etc. ».[4]

[1] *Analecta eccl.*, an. XVI, an. 1907, p. 230, sq.
[2] Ibid., an. XVI, p. 90.
[3] *Analecta O. P.*, an. 1908, p. 613.
[4] Ibidem, an. 1908, p. 475.

381. Die 23 novembris 1908, Fr. Ambrosio Montagne, commentarii cui titulus *Revue Thomiste* Directori:

« ... Opus habes in manibus profecto non difficultatibus vacuum, tum quia ut doctrina Aquinatis apte adhibeatur, ad multiplices gravesque dirimendas quaestiones, quae nunc agitantur, ipsius principia et horum inter se colligationem penitus perspexisse oportet; tum quia plures hodie nimium studiosi novitatum, veterem Thomae sapientiam, quamvis sine intermissione ab apostolica Sede laudatam, aut fastidiunt, aut certe non tanti faciunt quanti par est. Sed tamen confidimus fore ut tu cum tuis adiutoribus, concordia solertiaque vestra sensim impedimenta superetis omnia; et doctrinam Aquinatis incorruptam atque integram propagando ipsos qui a christiana Philosophia alieni sunt, paulatim adducatis ut hunc adeant sapientiae fontem, in omni disciplinae genere uberrimum. Praeclarum enim vero munus: quo quidem fungemini vel commodius, si studium quod in scriptis Doctoris Angelici ponitis, cumuletis imitatione virtutum quae in eo eluxerunt ».[1]

382. Die 7 martii 1909, Fr. Raymundo Velasquez Manilanae a Sancto Thoma, Pontificiae Universitatis Rectori:

« ... Quamquam vero de vestra officii constantia nullum est dubium, sinite hortemur vos ut sanctum et solemne semper habeatis et dicto audientes esse huic apostolicae Sedi, et ducem philosophandi de divinisque rebus disputandi sequi Thomam. Ita in hac agitatione studiorum nunquam a christianae veritatis regula aberrabitis; quod non paucis hodie contingit, dum suo ipsorum iudicio an suspectae certorum hominum auctoritati plus aequo indulgent ».[2]

383. Die 21 aprilis 1909, in Litteris encyclicis in octavo post sancti Anselmi Augustani mortem centenario datis:

« Solida haec per Anselmum Philosophiae ac Theologiae iacta sunt fundamenta; haec in posterorum usum ab ipso fuit studiorum ratio proposita, quam sequuti deinde sapientissimi viri Scholasticorum principes, in quibus maxime Doctor Aquinas, magnis incrementis ditarunt, illustrarunt, expoliverunt, ad eximium Ecclesiae decus atque praesidium. Haec autem de Anselmo commemorasse placuit, Venerabiles Fratres, quod optatam nobis occasionem attulerunt vos iterum cohortandi ad saluberrimos christianae sapientiae fontes, ab Augustano Doctore primum reclusos, ab Aquinate locupletatos uberrime, sacrae iuventuti pervios esse curetis. Qua

[1] *Acta Sanctae Sedis*, anno 1908, p. 138.
[2] Ibid., an. I, vol. I, p. 274.

in re memoria ne excidant quae decessor noster fel. rec. Leo XIII,[1] nosque ipsi documenta dedimus, quum saepe alias, tum etiam encyclicis Litteris die 8 mensis septembris, anno 1907, queis initium *Pascendi Domini gregis*. Patent, heu! nimirum ruinae quae, neglectis hisce studiis, aut nec certa nec tuta via susceptis, effossae sunt, quum non pauci, etiam e Clero, nec idonei, nec parati, minime dubitarint " praesumendo in altissimas de Fide quaestiones assurgere " ».[2]

384. Die 12 decembris 1909, hoc scripsit Pontifex hortamentum D. H. Garriguet, Antistiti Generali Societatis Sulpicianae:

« Nimium quantum communis salutis interest, ut sacra iuventus ex instituto Doctorum Scholasticorum, duce Thoma Aquinate, veterum Patrum sapientiam alte percipiat, quo ipso erroribus quibusvis immunis erit, etc. ».[3]

385. Die 14 iunii 1910, Fr. Hyacinto Cormier, Magistro Generali Ordinis Praedicatorum, haec monita in Epistola rescripsit:

« Perillustrem Fratrum Praedicatorum Familiam, tot virorum non minus sanctitate quam doctrina praestantium altricem, ex more institutoque Romanorum Pontificum, propensa voluntate libentissime prosequimur et honestamus. Huic enim inclyto Ordini, quem unus ex insignioribus Ecclesiae sanctis, in Fidei subsidium a Domino datus, condidit, summae erit semper gloriae Aquinatem Doctorem inter suos sodales adnumerare, clarissimum Scholarum lumen, de quo merito dictum est tot miracula patravisse quot sapientes scripserit articulos ».[4]

386. Die 8 augusti 1910, Fr. I. Lottini O. P. haec reposuit de nova ipsius *Theologiae* editione:

« Nec sane tutior ulla haberi potest hoc in genere institutio, quam quae ducem sequatur ac magistrum Thomam, unde tantum hauserunt luminis ac firmitatis, qui de rebus divinis ad eius mentem conscripserunt ».[5]

387. Die 16 iulii 1913, Fr. Eduardo Hugon O. P., de oblato sibi *Cursu Philosophiae*, ita:

« Aquinatis disciplinam sicubi summo in honore studioque esse decet, profecto decet apud eam Religiosorum familiam, cuius ille proprium lumen

[1] Const. *Aeterni Patris*, die 4 augusti 1879 data.
[2] *De fide Trinitatis*, Cap. II. Vide *Acta Sanctae Sedis*, an. 1900, p. 379.
[3] *Acta Sanctae Sedis*, anno 1909, II parte, p. 7.
[4] *Analecta O. P.*, anno 1910, p. 43.
[5] *Acta Sanctae Sedis*, anno 1910, p. 725.

atque ornamentum fuit. Et vere inter Sodales ex inclyto Ordine Dominiciano nostra quoque memoria nec pauci neque obscuri numerantur, qui tantum Doctorem, nunquam senescentem, secuti, christiana dogmata et instituta splendide illustrare pergant invicteque defendere. In hoc numero te, dilecte Fili, non postremum haberi tuus postulat *Cursus Philosophiae Thomisticae,* quem nos nuper a te, pie oblatum muneri, accepimus. Nota sunt enim hominum in Philosophia prudentissimorum de te iudicia efferentium in tuis voluminibus et sinceram sancti Thomae doctrinam et copiam compositionemque rerum et scribendi perspicuitatem; qui tibi hoc praesertim dant laudi, quod vetera principia Scholae ad novos Philosophiae vel illuminandos progressus vel refutandos errores sapienter adhibeas. Quare nos tibi quidem ob exhibitos, observantiae causa, laborum tuorum fructus, gratias agimus... Nam quod pluries iam affirmavimus, nihil ad utilitatem Ecclesiae tam interest, quam ut gravioribus adolescentis Cleri studiis Angelici Doctoris sapientia praesideat ».[1]

388. Die 4 augusti 1913. Ita Rmo Fr. Hyacinto Cormier, Magistro Generali Ordinis Praedicatorum:

« Ex Sodalitatibus [religiosis] non mediocrem curarum nostrarum partem insignis Praedicatorum Ordo iure sibi vindicat, tum pro veneratione erga Patriarcham Dominicum nostra, quo veluti auspice pontificatum inivimus,[2] tum quia sancti Thomae Aquinatis doctrinam permagni facimus: qua profecto velimus studiosos imbui omnes, ut prava de divinis humanisque rebus scita, quae ubique irrepserunt, evellantur, et christiana veritas perspicue cognita, in omnium animis penitus haereat ».[3]

Ex omnibus praeallatis documentis patet non immerito istud asseri posse, videlicet Doctorem Angelicum ab omnibus Pontificibus uno ore, ab Alexandro IV ad Pium X fuisse commendationibus atque praeconiis omnimodis cumulatum.

[1] *Analecta O. P.*, a. 1913, p. 161.
[2] Pius siquidem in Pontificem electus est die 4 augusti 1903.
[3] *Acta Apost. Sedis,* an. V, vol. V., p. 387 sqq.

PARS SECUNDA.

TESTIMONIA CONCILIORUM OECUMENICORUM

389. A primo sui exordio Ordo Praedicatorum in Conciliis oecumenicis aetate sua celebratis partes suas habuit.

Anno enim 1215, nondum confirmato ipso Ordine, sanctus Dominicus interfuit Synodo Lateranensi IV ab Innocentio congregatae: quod narrant passim historici.[1] Cur autem interfuerit, iussus a Pontifice, ea specialis ratio fuit, quod Synodus illa contra Albigensium errores praeprimis adunata fuerat: Dominicus vero non solum, magistrali laurea decoratus, Ecclesiam illuminabat « doctrinis », sed etiam Albigensium errores apprime cognitos habebat, utpote qui ab annis inter ipsos degebat et contra ipsos plus quam alii omnes praedicaverat, eosdemque etiam in scriptis confutaverat. Neque dubitandum quin sententiam suam qua theologus proposuerit in Concilii disputationibus, unde postmodum prodiit Definitio adversus Albigenses aliosque haereticos.[2]

Haud secus, anno 1245, Concilio Lugdunensi I, quod Innocentius IV coëgerat contra errores undique pullulantes aliaque Ecclesiae mala, interfuerunt ex Ordine Praedicatorum tres Archiepiscopi, totidemque Episcopi, et quatuor Theologi ex documentis cogniti, plurimis sane aliis non cognitis, dum ea aetate plus quam quinquaginta Archiepiscopi vel Episcopi ex Ordine assumpti in Ecclesia ubique florerent.

Inter illos vero omnes ingenio et scientia excelluit Cardinalis celeberrimus, Fr. Hugo a Sancto Charo, praesertim in confutandis erroribus Petri de Vineis, capuani, circa summi Pontificis auctoritatem.

In subsequentibus autem Conciliis, dum iam in Orbe terrarum, « solis instar » fulgeret doctrina divi Thomae eandemque fecisset suam Ordo

[1] Cf. MAMACHI, *Annal. O. P.*, to. I, p. 354, sqq.
[2] Quam legas, si libuerit, apud DENZINGER, *Enchiridion*, nn. 855, sqq.

Praedicatorum, enixeque omnibus commendasset Ecclesia, hinc propter hanc doctrinam, utpote quae ad apicem perfectionis intentum consilium sancti Dominici detulerat, admissi fuerunt Praedicatores, atque eorum in re doctrinarum quaesita sententia. Quod sedulo notandum iubemus, ut de mox dicendis rectum iudicium feratur.

I.

CONCILIUM LUGDUNENSE.

1274.

390. Gregorius Papa X Concilium illud indixit tribus praesertim persuasus causis, nempe ut Graecorum unionem cum Latinis promoveret, ut sepulchrum Christi e iugo Turcarum abriperet, ut nonnulla in ipsamet Ecclesia Catholica melius ordinaret vel corrigeret.

Iam superius, ubi de Gregorii X testimonio diximus, notatum est Pontificem maxime usum esse opera et doctrina Fratrum Praedicatorum in eodem Concilio, immo et divi Thomae Aquinatis, etsi mox e vivis defuncti.

Adverte caeterum doctrinam divi Thomae quasi totius Ordinis, praesertim in Italia et in Galliis, ut propriam acceptam tunc esse.

Ad Concilium vero advocati sunt ex Ordine Praedicatorum triginta tres Archiepiscopi vel Episcopi, inter quos Fr. Petrus de Tarantasia, qui postmodum Pontifex Romanus evasit, accesserunt; demum diversi maximae famae Theologi, quorum princeps fuit Thomas Aquinas, licet vix itinere ad Concilium arrepto, vitam Fossae Novae clauserit die 7 martii 1724.[1]

Inter illos qui Concilio adfuerunt Theologos notandus est beatus Albertus Magnus, qui etsi aetate gravis, egregie peroravit, cuiusque sententia propter et famam et doctrinam, maximi facta est. Notetur iterum Ioannes Vercellensis, Magister Ordinis Praedicatorum, vir pius et doctus, qui, iubente Pontifice, Comitia generalia Lugduni celebravit, atque una cum Sodalibus iussus est Decreta Concilii ipsius coordinare et recte simul componere.

391. Sed ut ad particularia descendamus, notandum est definitiones latas contra errores Graecorum imprimisque de Trinitate, de Processione

[1] Nomina praedictorum lege apud ALTAMURA, *Bibliotheca*, an. 1274. Qui tamen auctor hic et alibi cum cautela legendus est.

Spiritus Sancti a Patre et Filio, de Purgatorio, de Primatu Pontificis Romani, non modo propugnatas fuisse ab Alberto Magno, a Petro de Tarantasia, altero Thomae magistro, altero eiusdem aemulo, sed ex operibus ipsius, nempe ex libro *Contra errores Graecorum* et ex *Summa Theologica*[1] quasi exscriptas videri. Et notandum est Petrum da Tarantasia, sancti Thomae amicum, quasi discipulum, fuisse in hoc negotio Pontificis « cooperatorem », ut ipsemet Petrus professus est,[2] et quidem eadem Thomae doctrina imbutum, tum in sententia catholica asserenda, tum in schismaticorum sophismatibus refellendis.

Alius iterum adfuit Ordinis Praedicatorum theologus, venerabilis scilicet Humbertus de Romanis, quintus Ordinis sui Magister Generalis, aetate ipsa Alberti et Thomae, vir sanctitate suo tempore celebris, summa donatus perspicuitate ingenii, eruditione eximia fultus, rerum usu prudentissimus, sapientia atque iudicio unice commendandus, qui multum adlaboraverat ut sanctus Thomas in Universitate Parisiensi qua magister admitteretur, atque adversantium conatum praeprimis sustinuerat et fregerat. Is igitur doctrinae Thomisticae fautor et protector, a summo Pontifice Gregorio munus habuit alia duo Concilii intenta opera promovendi: indeque iussus scripserat *Tractatum de praedicatione Crucis*, et librum *De tractandis in Concilio Lugdunensi*:[3] duo sane peregregia opera, quorum

[1] Vide Caietatum, Seraphinum a Porrecta, Viescas et alios commentatores in I p., q. 36. De erroribus Graecorum lege NATALEM ALEXANDRE, *Hist. Eccl.*, saec. XIII-XIV, Diss. VII, a. 2.

[2] Id habetur ex epistola quam ipse Summus Pontifex factus, scripsit die 23 maii an. 1276 Michaëli Palaeologo de eadem utriusque Ecclesiae unione procuranda: « Innocentius Episcopus, servus servorum Dei charissimo in Christo Filio Michaëli Palaeologo Imperatori Graecorum illustri.

« Quanto gaudio quantaque laetitia universalis Ecclesia de unionis negotio inter Latinos et Graecos tuis laudabilibus promota studiis in Domino exsultavit fel. rec. Gregorius Papa, praedecessor noster, dum adhuc, peregrinationem praesentis vitae perageret, tibi Nuntiis et Litteris, quanquam exsultationis huiusmodi in re potior fuerit quam relatio expresserit, intimare curavit, per alias exprimens Litteras suae intentionis exsistere Legatum ad tuam praesentiam destinare.

« Et quidem et nos, quem tunc de Fratrum [Cardinalium] Collegio exsistentem quasi cooperatorem huiusmodi salubre negotium contingebat [esse] de ipsius felici processu, tuis directo studiis et solertia procurato, grande concepimus gaudium ad illud firmius solidandum intensum desiderium dirigentes. Cumque dispositione divina fuissemus, licet insufficientibus meritis, ad apicem summi Apostolatus assumpti, non solum laetitia de promotionis dicti negotii felicitate succrevit, verum etiam onus quidem prosequendi negotium suscepisse recognovimus incrementum, cum iam illud in nobis specialis exquirat studium promotoris. Et ideo piae intentionis etc. ». *Regest. Vatic.*, 29, *A*, epist. 370; Cf. POTTHAST, n. 21138.

[3] Vide ECHARD, *Scriptores*, to. I, p. 146; D. MARTÈNE, *Anecdota*, p. 248.

primum quasi directorium fuit iis qui in mente habebant crucem sumere bellumque Turcis indicere; alterum vero plurima continet utilia et congrua quam maxime reformationi Orbis christiani ipsiusque Ecclesiae bono.

E quibus sane patet Angelicum, etsi defunctum, attamen in Concilio illo fuisse doctrina sua locutum.

II.

CONCILIUM VIENNENSE.

1311-1312.

392. Quatuor ob causas a Clemente V Concilium illud celebratum est: videlicet ob negotium Templariorum, ob rem Fidei variis lacessitam erroribus, nempe Petri Ioannis Olivi, Fraticellorum, Dulcinistarum, Beghinarum; ob subsidium Terrae Sanctae conferendum; ob disciplinam ecclesiasticam instaurandam.

Cui Synodo ex Praedicatoribus interfuerunt Fr. Berengarius, tunc Ordinis sui Magister Generalis, postmodum Archiepiscopus Compostellanus; Fr. Nicolaus Farinula et Fr. Nicolaus Pratensis, uterque in Theologia doctissimus et magister illustris, iamque inde purpura sacra ornatus uterque; Fr. Thomas Anglicus, Fr. Gulielmus Petri Barbacensis, qui et ipsi postea in cardinalatum assumpti sunt; quibus addantur oportet quinque Archiepiscopi et plurimi Episcopi, quorum nomina refert Altamura.[1]

His connumerandus est Durandus Episcopus Mimatensis, cognomine « Speculator », qui, iubente Pontifice, doctissimum tractatum conscripserat de discutiendis et ordinandis in Concilio, auctorque fuit celeberrimi operis cui titulus: *Rationale divinorum Officiorum*, aliorumque operum.[2] Quonam vinculo Ordini Praedicatorum fuerit addictus, hic non disputamus: id saltem constat ipsum doctrinam divi Thomae omnino tenuisse, atque eximia devotione erga Praedicatores fuisse affectum, quum in ipsius sepulchro in ecclesia Sanctae Mariae supra Minervam erecto appareat effigies sancti Dominici benedicentis, opere musivo expressa, una cum effigie sancti Privati, patroni tutelaris Ecclesiae Mimatensis.

[1] *Bibliotheca*, an. 1312.

[2] Cf. J.J. Berthier, *L'Eglise de la Minerve à Rome*, p. 196, sq.

393. Mens mihi nulla est praedictorum haereticorum errores, aut aliorum deliramenta referre, quae apud historicos tibi prostant:[1] hoc unum notatum volo, nempe nec minimum canonem inveniri in *Actis* huius Concilii, qui non sit depromptus ex aliqua doctrina ab Aquinate prius tradita: quod de singulis explanando demonstratum iamdiu fuit.[2] Istudque praeprimis intellige de illa summi momenti doctrina, tum in theologicis tum in philosophicis, animam nempe humanam, eandemque rationalem seu intellectivam, esse per se essentialiter formam humani corporis[3] iuxta Aquinatis doctrinam et contra varios impugnantes.

Duos tantum errores, et quidem gravissimos, notabo ut ex pura Thomae doctrina damnatos: unus est « lumen gloriae ad visionem non videri necesse poni », quem reprobavit Concilium; alius est animam rationalem non esse formam substantialem corporis humani, unde quis subtilius sane et ineptius quam par est, colligebat omnes feminas, excepta una Beata Virgine, resurrecturas in sexu virili, utpote perfectiori: et errorem huiusmodi damnavit implicite Concilium.

III.

CONCILIUM CONSTANTIENSE.

1414.

394. Quum anno 1409 convocatum Pisas fuisset Concilium, cuius intentum fuerat finem schismati imponere, res tamen secus cessit. Pauci convenerunt Patres, inter quos ex Praedicatoribus Cardinalis unus, Archiepiscopus unus, Episcopi quinque, Theologi septem, una cum Magistro Generali Ordinis, Fr. Thoma de Firmo.[4] Ibi novus Papa electus est, duobus aliis demissiones renuentibus. Id tamen boni ortum est quod Fr. Ioannes

[1] Cf. Natalem Alexandre, *Hist. Eccl.*, saec. xiii-xiv, cap. III, a. 9 sqq., dissert. 10; Denzinger, *Enchiridion*, nn. 399-418.

[2] Vide Piccinardi, *De approbat. doctrinae sancti Thomae*, tom. I, p. 360. Adeas, si libuerit, Ignatium Galban, *Discursus*, vol. I, lib. 3, cap. 3; Gravinam, *Cherubim Paradisi*, lib. II, cap. 5; Seraphinum a Porrecta, passim, ubi de singulis; Van Ranst, *Hist. Haeret.*, errores saec. xiv.

[3] Adeas card. Zigliara, *De mente Concilii Viennensis, in definiendo dogmate unionis animae humanae cum corpore.* Quam doctrinam rursus confirmarunt et Leo Papa X, in Concilio Lateranensi V per Bullam *Apostolici regiminis* datam die 19 septembris 1513, et Pius Papa IX, anno 1857, in epistola data die 15 iunii ad Archiepiscopum Coloniensem. Cf. Denzinger, *Enchiridion*, nn. 1509-1512.

[4] Altamura, *Bibliotheca*, an. 1409.

Dominici, experientia edoctus, id cum Pontifice legitimo, scilicet Gregorio XII, consilii cepit ut, non obstantibus undequaque periculis, Imperatorem adiret ad novam Synodum convocandam, in qua tres Pontifices primo renuntiarent dignitati suae, atque postmodum alius eligeretur Pontifex. Quod ita evenit.[1]

Favente Sigismundo Imperatore, Concilium imprimis adunatum est Constantiae, ad exstinguendum illud funestissimum schisma trium Pontificum, quo laborabat occidentalis Ecclesia, atque etiam ad delendos quamplurimos tunc saevientes errores, Hussitarum nempe et Wicleffitarum.

Cui interfuerunt plurimi ex Ordine Praedicatorum Patres et Theologi, iidemque omnes sancti Thomae discipuli. Inter quos nominandi occurrunt imprimis Fratres Iacobus de Balardis, qui primo Magister sacri Palatii, postremo Episcopus Laudensis factus est; Antonius Ponticorona, in Sicilia Quaesitor Fidei et Ferdinandi I confessarius, demum Episcopus Cephalenitanus; Martinus Poseus, Ioannis Ducis Burgundiae ac Flandriae a conscientiae secretis, eiusdemque orator ad Concilium, et Martini V elector, demumque Atrebatensis Episcopus; Dominicus de Florentia, Archiepiscopus Tolosanus; Petrus de Riga, Archiepiscopus Corinthius; Ludovicus Vallisoletanus; Antonius a Costa, Lusitanus; Ioannes Nucibo, Illemus; Ioannes Costantinopolitanus, Nicolaus Inquerius, Flander; Andreas de Piis, Leonardus Statius de Datis Florentinus; Magister Generalis Ordinis quoad provincias Benedicti parti adhaerentes, itemque Magister Ordinis quoad provincias Gregorio obedientes; quibus addendi sunt duodecim alii Episcopi, quorum nomina ac titulos describit Altamura, et quamplures Theologi ex Italia, Hispaniis, Galliis, aliisque provinciis.

Sed praeprimis beatus Ioannes Dominici, una cum sancto Vincentio Ferrerio, egregius strenuusque Thomista, bono Ecclesiae adlaboravit, tum ad tollendum schisma praedictum,[2] tum ad damnandum errores, ita ut, Concilio ad terminum perducto, missus fuerit qua Pontificius Legatus, adversus Hussitas eosdem.

395. Istos vero errores damnatos in Concilio fuisse ex eadem quam prius Thomas exposuerat et propugnaverat doctrina, patet conferenti; quam collationem instituerunt varii auctores iidemque doctissimi.[3]

[1] ALTAMURA, *Bibliotheca*, an. 1414.

[2] Qua animi fortitudine atque arte usus fuerit Beatus ille, disce a P. TOURON, *Histoire des hommes illustres de l'Ordre de saint Dominique*, to. II, pp. 735-756. De Vincentio Ferrerio adeas P. FAGES, *Histoire de saint Vincent Ferrier*, vol. II, ch. XII.

[3] Vide PICCINARDI, *De approbatione doctrinae sancti Thomae*, to. I, p. 309 sqq., qui singula prosequitur quoad XLV errorum capita Ioannis Wicleffi, et simul quoad XXX errores Ioannis Huss, in illis contentos; quoad XXXIX doctrinarum capita, de quibus interrogandi erant illi haeretici, quoad demum Concilii determinationes et definitiones, cf. VAN RANST, *Historia Haereticorum*, errores saec. XIV et XV. SERAPHINUS A PORRECTA idem passim praestat de singulis, in Commentariis super *Summam Theologicam*.

Id caeterum peregregie, more suo aestuans atque eructans, Lutherus confirmavit eloquentia nativa: « Constantiae, in Concilio, Ioannes Huss et Hieronymus Pragensis damnati atque exusti sunt, vere sancti et martyres Dei. Contra vero Thomas Aquinas, fons et sentina omnis haereseos, errorisque et exstinctionis Evangelii, sicut indicant libri eius, exaltatus fuit ».[1]

Sub Martino V sedente, indictum fuit anno 1423 Concilium in Papiensi civitate, postmodum Senis inchoatum: quod tamen post paucas sessiones dissolutum est.

Huic rursus, et quidem a principio, e Schola Thomistica Archiepiscopi, Episcopi et Theologi convenerant, immo et ipse Magister Generalis Ordinis, Fr. scilicet Leonardus Statius Florentinus, inter Pontificios Praesides Concilii connumeratus fuerat.

IV.

CONCILIUM BASILEENSE.

1431.

396. Sub eodem Martino Papa V inchoatum est Basileae Concilium oecumenicum, quod tamen postea contra Eugenium IV Pontificem legitimum rebellavit, atque Amadeum antipapam elegit, unde in conciliabulum desiit.

Cui, dum legitimum remansit, plures ex Praedicatoribus viri adstiterunt Archiepiscopi, Episcopi atque Theologi,[2] inter quos doctrina fulserunt: Ioannes Turrecremata Cardinalis, nuncupatus ab Eugenio IV « universalis defensor Fidei »; Ioannes Capreolus, dictus « Princeps Thomistarum »;[3] Ioannes Nider, qui Bohemis persuasit ut ad Concilium ac-

[1] COCCAEUS, *Acta et scripta Lutheri*, an. 1524.

[2] ALTAMURA, *Bibliotheca*, an. 1431.

[3] Vide P. PABAN, in opere IOANNIS CAPREOLI, *Defensiones theologicae Divi Thomae Aquinatis*, to. I, p. IX, epistola ad Leonem XIII, et in praefationibus, edit. 1900.

cederent; Bartholomaeus Teyssierus, Ordinis Praedicatorum Magister Generalis; Ioannes de Ragusio, qui per aliquod tempus fuit illius Concilii Praeses, theologia aliisque scientiis praestantissimus;[1] Lucas de Perusio;[2] Henricus Kalteisen, qui per tres dies in Concilio contra Hussitas disputavit, aliique egregii nominis viri.[3]

Qui omnes, ubi primo ad schisma Concilium vergere animadverterunt, pro vero Pontifice steterunt fortiter; immo Fr. Ioannes de Turrecremata opusculum edidit septuaginta tribus conclusionibus constans, ex doctrina quidem sancti Thomae,[4] contra Ioannem Segobiensem auctoritati Pontificis adversantem.

Ubi autem ad pseudo-pontificis electionem deventum est, Praedicatores omnes abierunt e Concilio, atque vix unus connumeratur inter triginta duos istius electores.[5]

In quo igitur Concilio, adhuc legitimo, sancti Thomae discipuli egregie simul et Pontificis auctoritatem vindicarunt, errores impugnarunt, praesertim Augustini de Roma.[6]

V.

CONCILIUM FLORENTINUM.

1439-1445.

397. Postquam anno superiori Eugenius IV, dissoluto Basileensi, Concilium generale primo Ferrariam convocasset, illud demum Florentiam transtulit: cuius intentum praecipuum fuit Graecorum unionem promovere et procurare.

Hinc idem Pontifex, die 23 septembris, anno 1437, iussit imprimis Magistrum Generalem Ordinis Praedicatorum accedere cum duodecim

[1] De cuius ingenio plura exstant documenta in Bibliotheca publica Basileensi.

[2] Ipsius opera tum theologica tum philosophica asservantur in Colmariensi Bibliotheca publica, nedum inedita, sed neque etiam notata a Bibliographis nostris. Quae opera egregium demonstrant sancti Thomae discipulum.

[3] Alia require, si libeat, nomina apud ALTAMURA, *Bibliotheca*, an. 1438.

[4] Quod opusculum de verbo ad verbum exscripsit BAIL in to. I *Conciliorum*, p. 83, sqq.

[5] Fratres Praedicatores Basileenses, qui pluries antea in proprio coenobio admiserant celebrari Concilii sessiones, portas suas, schismate indicto, intercluserunt, multaque inde damna passi sunt. Hinc rursus conciliabulum, vindictae causa, in proxime subsequenti sessione definivit sententiam de Immaculato Conceptu Virginis, quam Dominicanis invisam opinabatur.

[6] Adeas NATALEM ALEXANDRE, *Hist. Eccl.*, saec. XV, cap. II, a. 6.

suae Familiae Magistris ad translatum Concilium: « Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem. Cum Basileense Concilium ad civitatem Ferrariensem pro oecumenico Concilio inibi celebrando tam propter Occidentalis et Orientalis Ecclesiarum unitatem, quam reformationem Ecclesiae et pacem christiani populi, et aliis rationabilibus causis, totis viribus, auctore Domino, procurandas, duxerimus transferendum, prout tua Devotio videre poterit per copiam Litterarum praesentibus inclusam,[1] eidem Devotioni tuae, in virtute sanctae obedientiae iniungimus et mandamus quatenus cum per Dei gratiam speremus, immo certi reddamur quod charissimus in Christo Filius noster Ioannes, Graecorum Imperator illustris, ac venerabilis Frater noster Patriarcha Constantinopolitanus, cum eorum Praelatis et Clericis, pro quibus iamdudum cum galeis et aliis necessariis et conventis misimus, circa kalendas novembris proxime futuras accedent ad Concilium memoratum, quantocius tu poteris te conferas, atque una tecum duodecim Magistros tui Ordinis perducas, de quibus Devotioni tuae, per alias nostras Litteras[2] intimavimus, ut in ipso Concilio, Altissimi cooperante misericordia, per tuam, illorum et aliorum prudentiam et virtutem tractentur et agantur ea quae cedant ad laudem Dei, pacem Christianorum, ac statum et exsaltationem Ecclesiae suae sanctae. Datum Bononiae anno Incarnationis Dominicae 1487, nono kal. octobris, pontificatus nostri anno septimo ».[3] Quae omnia in vigore suo remanserunt, translato Concilio Florentiam.

Huic igitur Synodo famosissimae multi ex sancti Thomae discipulis, qua Episcopi aut Theologi undique accesserunt: inter quos nominandi sane sunt Fr. Antoninus, mox celebris Florentinorum Archiepiscopus; Fr. Ioannes de Turrecremata, Cardinalis, « Defensor Ecclesiae » nuncupatus; Fr. Bartholomaeus Lapacius, Fr. Andreas Archiepiscopus Colossensis, demum et quidem imprimis « Pater Provincialis », nempe Fr. Ioannes de Montenigro, disputator invictus simul et victor.[4]

Tantae autem fuerunt doctrinae Thomisticae in hoc Concilio partes, ut non dubitaverit vir in Theologia eximius ita pronuntiare: « Non a vero aberrabit qui dixerit Concilium Florentinum compendium esse *Summae* divi Thomae ».[5]

[1] Quas Litteras habes apud MANSI, *Concilia*, vol. XXXI, Suppl., p. 1388.

[2] Has Litteras invenire hucusque non licuit.

[3] Vide *Acta Concilii Florentini*, parte I, p. 39, edit. Rom. 1638. Cf. *Bullar. O. P.*, to. VII, p. 427 sqq.

[4] Alia Archiepiscoporum, Episcoporum Theologorumque nomina require, ubi libuerit, apud ALTAMURA, *Bibliotheca*, an. 1438.

[5] P. IURAMI, *Testimonia ex Catholicae Ecclesiae... oraculis pro commendatione Angelici Doctoris*, p. 84, edit. 1789. Vide GONET, *Clypeus*, Commendatio

398. Quod quo clarius pateat, exscribendum ducimus doctissimum P. Piccinardi, pluries antea laudatum contra P. Baezam disputantem:

« Gemina, inquit, praenotanda est in sessionibus Florentini Concilii a Latinis cum Graecis controversia discussa: altera praeambularis, an post Ephesinam prohibitionem de non addenda aliqua particula Symbolo, rationabiliter adhuc, hoc non obstante, a Romana Ecclesia subiuncta fuerit illa particula "Filioque;" altera principalis, an Spiritus Sanctus vere simul "ex Filio" procedat.

« Et quoad primam exagitatam a sessione II usque ad sess. XVII, postquam usque ad XXV et ultimam de secunda controversia tractatum est, non diffitebor, ut indicavit etiam Sixtus V, in unica sessione X, a nostro Ioanne Theologo Dominicano (quod valde observandum venit) simul cum sancto Thoma ibidem pariter nominato, ab illis verbis: "Sanctus Thomas testatur, etc.," nominatim etiam divi Bonaventurae doctrinam repetitis vicibus recensitam esse, dicendo: "Apud Bonaventuram in Theologia clarissimum," et paulo post: "ut Bonaventura testatur," et rursus semper in eadem sessione: "Propterea inquit ipse Bonaventura, etc.," idque ad roborandam eandem sancti Thomae doctrinam asserentem duo: alterum I p., q. 36, a. 2, quod additio in Ephesino prohibita accipienda esset de sola additione proprie, quae alicuius contrariae, vel saltem extraneae doctrinae foret, non vero de sola explicatione praeiacentium; alterum ex II^a-II^ae, q. 10, a. 1, quod ista adhuc secunda additio improprie talis in eodem Ephesino foret prohibita privatis solum, non vero apostolicae Sedi: in qua secunda praesertim responsione videbatur divus Bonaventura persistere, licet nisi ista secunda iuvetur ex prima, deinde in sessione sequenti a Iuliano Cardinali[1] minus probata sit in haec verba: "In fine Episcopis et Clericis ac saecularibus in Universitate interdicitur... Patet igitur interdictum ipsum neminem excludere, omnesque fere Christianos anathemate notatos esse, si Synodus ipsa quodvis expositionis genus, ut creditis, prohibuerat." Sic ergo verum est quod dicebat et Sixtus V divi Bonaventurae doctrinam ibidem adhibitam esse.

« At inde inferre doctrinam sancti Thomae Graeculos revincere non

doctrinae sancti Thomae, VIII. Viescas: « Ibi quaecumque respondit dictus Theologus [Ioannes a Montenigro] pro Fide Ecclesiae Latinae contra Graecos, hausit ex doctrina sancti Thomae posita in opusculo *Contra errores Graecorum*, et in I^a p., q. 36, a. 2, 3^m; et in I, Dist. XI, q. 1; De Potentia, q. 10, a. 4. Quare postea Eugenius IV cum Concilio formans Decretum de Processione Spiritus Sancti a Patre et Filio, usus fuit eisdem verbis, quibus sanctus Thomas in locis allegatis tradiderat veritatem catholicam ». To. I, in I^am partem, dub. 6, quaest. prooem.

[1] Cardinalis Iulianus de Caesarinis, tituli Sanctae Sabinae, optime caeterum ad doctrinam sancti Thomae affectus fuit atque Petro Soto ex intimis amicus.

potuisse, iam ex sola mox ante recitata duorum disputantium Thomistarum serie (scilicet Fr. Ioannis a Montenigro et Fr. Andreae Colossensis Episcopi) simul et Iuliani Cardinalis auctoritate, sessione VII expresse dicentis: "Beatum Thomam, in libro *Contra Graecos* hanc eandem quaestionem dissolvisse," ex his, inquam, aut manifestae ignorantiae, aut aestuantis invidiae convincitur. Si enim ab istis utentibus, ut iam apparet, divi Thomae doctrina tunc Graeci non fuerunt revincti, quomodo igitur hic ipse Iulianus Cardinalis, qui pro Pontifice plerumque solebat finem disputationis concludere, de nostro postea Ioanne Theologo adversus Marcum Ephesium Graecum antagonistam eiusdem, concludebat in sessione XIX: "Quaestionem Patris Ephesii Provincialem Patrem scite dissolvisse?" Quomodo in fine sessionis XVII noster hic ipse "Ioannes in Philosophia et Dialectica praeclarissimus pro Latinis" commendabatur? Quomodo in sessione XXII, eodem Ioanne redarguente Ephesium disputantem pro Graecis, ut ibi dicitur: "obmutuit Pater Ephesius?" Quomodo in sessione XXIV noster ipse Ioannes velut de eodem Ephesio triumphans, ideo sic proludebat: "Quoniam Pater Ephesius, ut creditur, victus abest...?" Quomodo in sessione XXV, et postrema, Iulianus idem Cardinalis de eodem Ephesio coram Imperatore suisque Graecis, pro Latinis dicebat: "Quippe qui, scilicet Ephesius, non habens quid amplius diceret, victus discessit, nolens amplius disputare, ac se victum ingenue fateri, cui vosque assentiri videmini?" Quomodo inde Spondanus ad annum 1440, num. 19, attestatus est eundem Ephesium a nostro Ioanne Dominicano in augustias redactum, recessisse exclamantem: "Saecula saeculorum?" morbo interim simulato, et iterum postea Constantinopoli victum a Bartholomaeo Lappatio, pariter Dominicano, tandem in alvi effusione animam efflavisse? Quomodo demum reipsa simul victi, Bessarion, Ruthenus, caeterique cum suo Imperatore Graeci in eodem Concilio Florentino praesentes unioni cum Latinis in disputatis a praedictis nostris, atque a Pontifice definitis dogmatibus subscripserunt?[1] Si haec non valent pro praeclaro doctrinae sancti Thomae triumpho, nescio an alia queat gloriosior unquam ab ipso Baeza victoria confingi ».[2]

[1] Vide Decretum unionis Graecorum ex Bulla *Laetentur coeli* Eugenii Papae IV, apud DENZINGER, *Enchiridion*, nn. 586-589, una cum decretis affinibus ibidem sequentibus.

Inter illos omnes Graecos qui ad Fidem romanam sese dederunt, nominandus est Patriarcha Ioseph Constantinopolitanus, qui Florentiae obiit, atque in ecclesia Sanctae Mariae Novellae O. P. sepeliri voluit, ubi sepulchrum eius una cum imagine visitur, etsi vetustate absumpta. Caeterum una cum Graecis intellige pariter Armenos, Iacobitas, etc.

[2] P. PICCINARDI, *De approbatione doctrinae sancti Thomae*, lib. II, q. 4, a. 3.

399. Particularia quaedam praemiserat idem Piccinardi quae ad rem nostram faciunt, proindeque sunt exscribenda:

« Praeter Cardinalem Iulianum aliquando ibidem ex historia praesertim ecclesiastica disputantem, in singulis ferme sessionibus contra Graecos, quod valde observandum est, duo soli Dominicani Thomistae perpetuo ac strenuissime disputarunt, eorumque disputationes exscriptae verbatim ibidem integras sessiones adimplent, scilicet Ioannes de Montenigro, Provincialis Provinciae nostrae Lombardiae, et Andreas Colossensis Episcopus, quem pariter fuisse Dominicanum expendit cum Fernandez Ioannes Tolosanus in suis *Reflexionibus*, § 155, licet etiam praeter sessiones quae in *Collectione Conciliorum* Surii leguntur, ibidem versus finem ultimae sessionis subdatur: " Tum summi Pontificis iussu Ioannes ille ac nescio quis Frater Ambrosius in Graecorum conventu multa de quaestionibus ipsis verba fecerunt, etc." et hic intervenisse Ioannem nostrum de Turrecremata ex nova dispositione *Actuum* eiusdem Florentini facta per Horatium Iustinianum ostendit Gravina, lib. II sui *Cherubim*, cap. 5, ac adhibuisse doctrinam sancti Thomae, IV *Contr. Gent.*, cap. 69, et III^a, q. 28, a. 2, 4^m, circa quaestiones de summi Pontificis potestate, nec non de azymo et fermentato, etc. Adeo vero singulos in sessionibus discursus conferenti cum scriptis sancti Thomae de Processione Spiritus Sancti a Filio, caeterisque ibidem discussis, palam fiet perpetuo sancti Thomae doctrinam adhibitam exstitisse, ut Caietanus non iniuria deinde I^a-II^{ae} q. 103, a. 4, concluserit " Scito quod in eodem Florentino Concilio canonizata est quasi ad verbum ista doctrina, " uti et similia repetit III^a, q. 72, a. 8. Et vere, ut aliqua hic saltem breviter ob oculos apponamus, nominatim aiebat " beatum Thomam in libro *Contra Graecos*, lib. IV, cap. 23, hanc eandem quaestionem dissolvisse, " et sessione X, Ioannes Theologus doctrinam eiusdem ex II^a-II^{ae}, q. 1, a. 10, laudabat nominatim pariter dicens: " Sanctus Thomas testatur nunquam Symbolum extra Synodum declaratum fuisse, de eo Symbolo loquens quod vulgo in Ecclesia celebratur; " verum etiam passim a sessione XVIII, ferme legitur repetitum " relationes personas multiplicare non alia ratione quam vi relationis; " mox " essentiam ab hypostasibus non esse differentem, nisi ratione, " mox sessione XX " ex Basilio inter Filium et Spiritum Sanctum ordinem esse naturae, " ac consequenter processionis; mox, sessione XXV, ex rationibus et sanctorum Patrum auctoritatibus simul omnino, ac glomeratim inscribuntur singuli de hac materia discursus sancti Thomae, tum I^a, q. 36, a. 2; tum IV, *Contra Gent.*, cap. 24, et alibi: quae omnia, uti valde commendant sancti Thomae doctrinam, ita nemo est qui non videat haec collecta non esse ex alia schola diversa a sancto Thoma, quae admittit tum Spiritum Sanctum aliunde quam per oppositionem relativam distingui, tum maiori aliqua distinctione

quam virtuali hypostasim a natura secerni, et huiusmodi. Unde ex *Actuario* Trithemii de praedicto etiam Andrea Collossensi, qui in Florentino disputavit, sic legimus: " Andreas Archiepiscopus Rhodi Apologiam demonstrativam ex scriptis divi Thomae, ad Bessarionem Niceae de divina essentia et operatione scripsit, quae in Italia exstat. " Vere igitur sancti Thomae doctrina ibidem adhibita fuit, et vicit adversus Graecos, adeoque gloriose ut, sicut probat Thomas Aquinas Clericus Regularis, *De Politia Christiana*, lib. II, cap. 6, inde admirantes Graeci Ioannis Theologi rationum copiam, acute sciscitati sunt e quorum fonte hausissent easdem, ac " de sancto Thoma " responsum protinus excipientes, inde curarint vel opera Demetrii Cydonii, uti Trithemius et Possevinus agnoscunt, et Vielmius p. 416 et 437, vel alterius iterum *Summam* sancti Thomae *Contra Gentes* in graecum e latino converti, uti et translatum fuisse " opusculum *De Ente et Essentia*, " inquit Vielmius, " cum quibusdam aliis eiusdem operibus, et *Summam Theologiae*, " commentariis etiam Graecorum ornatam;[1] immo in *Actuario* Trithemii subiungitur: " Demetrium Cydonium scripsisse quoque in Creta de Processione Spiritus Sancti adversus Cabasileum, qui contra divum Thomam Aquinatem calamum strinxerat, " et demum Georgius ille Scholarius, qui in fine sessionis ultimae eiusdem Florentini Concilii orationem habens, " in conventu Graecorum vir doctissimus " celebratur, hic ipse deinde factus Patriarcha Constantinopolitanus, mutatoque de more nomine in Gennadium Constantinopolitanum, ut eiusdem verba ex eiusdem libro transcribit idem Vielmius, p. 434, hic, inquam, et ipse ab isto forsan experimento conclusit: " Si quis Thomae scriptis animum adhibuerit, hunc nullis aliis indigere opinor, " praeter Cardinalem Bessarionem, qui simul antea in eodem Florentino pro Graecis steterat, ac disputarat, ut ibidem passim eiusdem verba leguntur, et ipse postea, tum lib. II, *In Calumniatorem Platonis*, cap. 4, sanctum Thomam excelse commendavit, tum alibi, eodem etiam referente Vielmio, " inter doctos sanctissimum, et inter sanctos doctissimum " ap-

[1] Neque apud Orientales tantum, sed et apud Occidentales exinde crevit devotio erga sancti Thomae doctrinam. Hinc, v. gr. anno 1451, a doctissimo Cardinali Cusano, iubente Romano Pontifice et consensu Theodorici Archiepiscopi, celebratum est Concilium Coloniae, in quo statutum est « quod in Synodis dioecesanis legerentur tractatus de articulis Fidei et de Sacramentis a divo Thoma compositis, simulque adigerentur Parochi ut sollicite studio incumberent omnium eorum quae a Doctore Angelico de Sacramentis Ecclesiae scripta sunt ». Factum quidem istud particulare est, sed tamen devotionis universalioris demonstrativum. Ita P. ANT. MICH. IURAMI, *Testimonia*, p. 96 sq.

Immo in sola Germania, ab anno 1470 ad annum 1500 plus quam 216 editiones operum variorum divi Thomae excusae fuerunt. Vide HERGENRÖTHER, *Kirchengeschichte*, Period. VI, cap. II, § 1.

pellavit. Hic fructus itaque ab usu doctrinae sancti Thomae in Florentino Concilio, haec eiusdem Synodi series pro retundendis aemulorum dicteriis breviter praetacta sit ».[1]

VI.

CONCILIUM LATERANENSE V.

1512-1517.

400. Concilium Lateranense V et ultimum, anno 1512, sub Iulio II, convocatum est, atque sub Leone X finem habuit.[2]

Cur autem adunatum fuerit, sic expressit Leo X, in Bulla *Apostolici regiminis:* « Cum diebus nostris, quod dolenter referimus, zizaniae seminator, antiquus humani generis hostis, nonnullos perniciosissimos errores, a fidelibus semper explosos, in agro Domini superseminare et augere sit ausus, de natura praesertim animae rationalis, quod videlicet mortalis sit, aut unica in cunctis hominibus; et nonnulli temere philosophantes, secundum saltem Philosophiam verum id esse asseverent: contra huiusmodi pestem opportuna remedia adhibere cupientes, hoc sacro approbante Concilio, damnamus... ».

[1] PICCINARDI, *De approbatione doctrinae sancti Thomae,* lib. II, q. 4, a. 3. De ipso Concilio Florentino, vide NATALEM ALEXANDRE, *Hist. Eccl.*, saec. XVI, Dissert. 10.

[2] Hic obiter exscribendum nobis videtur id quod narrat PICCINARDI, de Conciliabulo Pisis, anno 1511, adunato. Hoc scilicet anno « coactum est Pisis conciliabulum, renitente summo Pontifice, eodemque damnante anno sequenti, Romae die 19 aprilis. Sed contra apologeticos atque schimaticos pro eodem conciliabulo libros, scripsit postea Thomas noster de Vio Caietanus, summus sancti Thomae interpres, tunc Ordinis Generalis Magister, tribus nostris praecipuis Pisas delegatis, iussu Pontificis, pro reprimendis ibidem schismaticis: quorum delegatorum nomina fuere Fr. Augustinus Nallius Ragusinus, postea Mercantensis Episcopus; Matthaeus de Lulmo, Provincialis Lombardiae, deinde Laodicenus Episcopus, et Bartholomaeus Rondaninus a Faventia; hisque animati nostri ibidem Pisani coenobii religiosi homines, adventantibus schismaticis ut templum nostrum solemniter ingrederentur, templi fores constantissime occluserunt. Uti in memorabilis fortitudinis monumentum eaedem ecclesiae fores, proprio avulsae loco, in anteriori facie templi repositae, per centum et amplius annos usque ad nostra tempora, marcidae perstiterunt ». *De approbatione doctrinae sancti Thomae,* lib. II, q. V, a. 3; cf. ibid., lib. IV, q. 11, a. 2.

Hinc asseritur anima esse immortalis, non esse unica in omnibus, innovatur sententia Concilii Viennensis quod sit « vere per se et essentialiter humani corporis forma ».

Definitur iterum Fidem rationi non contradicere. Demum asseritur summa Pontificis in Concilia auctoritas.[1]

Ad quod Concilium convocati advenerunt plures Episcopi ac Theologi ex Ordine Praedicatorum, iidemque scientia egregii.[2] At vero inter omnes eminuit Fr. Thomas de Vio Caietanus, qui passim « lumen Ecclesiae » audiebat.

Summus ille Thomista doctrinam Magistri Angelici asseruit, explanavit, de veritatibus a Concilio solemniter definitis, quae nihil prorsus a doctrina praedicta discrepant, ut legenti cuicumque patet.

De auctoritate rursus Pontificis Romani non modo opuscula, ex mente Thomae Aquinatis conscripsit, sed et in ipsomet Concilio, Sessione II, orationem egregiam habuit, inter *Acta* Concilii legendam.

VII.

CONCILIUM TRIDENTINUM.

1545-1563.

401. Concilium Tridentinum, primo Mantuae, postea Vicentiae coadunandum, inchoatum demum fuit Tridenti, sub Paulo Papa IV, anno 1545-1549, continuatum sub Iulio III 1551-1552, absolutum sub Pio IV fuit, anno 1562-1563.

Hic imprimis in mentem revoca Litteras Pauli Papae III, supra relatas, ubi de *Testimonio* huius Pontificis, quibus, die 24 septembris, 1537, iusserat Capitulum Generale celebrandum esse in ea civitate qua celebrandum foret Concilium. Ita ibidem Pontifex: « Nos, animo revolventes quantum ipsius Ordinis professores in rebus ad Fidem catholicam pertinentibus et statum universalis Ecclesiae concernentibus, soliditate doctrinae proficere consueverint, et propterea indubie sperantes quod in pro-

[1] Cf. DENZINGER, *Enchiridion*, nn. 621-622.

[2] Vide ALTAMURA, *Bibliotheca,* an. 1512. In memoriam caeterum revoca paucissimos ex quibusdam regionibus, nullum ex Galliis, propter impedimenta atque praeiudicia convenisse.

secutione universalis Concilii huiusmodi, ad tollendas haereses, quae nunc undequaque pullulant, plurimum proderit, celebrationem vestri Capituli Generalis huiusmodi... celebrandi... ad civitatem vel locum ubi nos universalis Concilii celebrandi causa, tunc esse contigerit, auctoritate apostolica, tenore praesentium, transferimus, illudque in civitate vel loco ubi nos, ut praefertur, erimus, celebrari debere decernimus, mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae etc. ».

Res pro votis cessit. In Synodo illa quippe celeberrima, ait Piccinardi, « effulsere praesertim tot nobilissimi nostri Doctores Ordinis, tum nomine summi Pontificis, tum aliorum Regum ac Principum Theologi aut Oratores, tum Archiepiscopi sex, quadraginta Episcopi,[1] tum tot alii supra quadragenos Theologos simul cum nostris successive Generalibus Magistris Ordinis...

« In praesenti necesse erit exscribere plura ex eodem saepe hic laudato Altamura, tum in *Bibliotheca,* tum iterum in *Appendice,* sub anno 1544.

[1] Immo ex 154 Episcopis Theologisve de statu religioso assumptis, atque in Concilio partem habentibus, 54 ex Ordine Praedicatorum promotos fuisse volunt.

Enucleatius-P. Mandonnet: « Le personnel que l'Ordre fournit au Concile se répartit entre les Archevêques et Evêques, les Procureurs de Prélats absents, les Théologiens désignés par les Papes et les Princes, les Théologiens des Evêques, et quelques autres qui y parurent à des titres spéciaux. Le Maitre Général de l'Ordre eut voix délibérative comme les Evêques. Les Prêcheurs présents à Trente furent plus ou moins nombreux selon les trois périodes du Concile, dont le nombre des membres fut assez différent. Sous Paul IV, le Concile compta dix Archevêques ou Evêques Dominicans, dont la plupart déployèrent une grande activité: tel Sébastien Lecavella Archevêque de Naxosi, Thomas Stella Evêque de Salpe, Jacques Nacchianti Evêque de Chioggia, Ambroise Catharin Evêque de Minori, Pierre Bertano Evêque de Fano, Thomas Casella Evêque de Bertinoro. Le Général de l'Ordre François Romeo de Castiglione assista à une partie seulement des sessions; Barthélemy de Carranza et Dominique Soto furent délégués par l'Empereur Charles V, et trois autres Frères Prêcheurs furent députés au Concile au nom de Jean III, Roi de Portugal. Une quinzaine d'autres Théologiens Dominicains furent aussi présents, à des titres divers.

« Sous Jules III, le Concile eut moins d'importance, et l'Ordre n'y compta que trois Pères et une douzaine de Théologiens. Parmi ces derniers, avec le Maître Général déjà nommé, Barthélemy de Carranza et Melchior Cano délégués par Charles V.

« Sous Pie IV, nous trouvons au Concile cinq Archevêques et une vingtaine d'Evêques Dominicains, et plus de trente Théologiens, dont quatre délégués par le Pape, deux par Philippe II, et deux par le Roi Sébastien de Portugal.

« Barthélemy des Martyrs, Evêque de Braga et Primat de Portugal, prit, avec Pierre de Lote, l'ancien confesseur de Charles V, une part prépondérante dans la question de la résidence de droit divin des Evêques ». P. MANDONNET, art. *La Théologie dans l'Ordre des Frères Prêcheurs,* in opere cui titulus: *Dictionnaire de Théologie Catholique* par M. Vacant.

quinque per extensum paginis id percurrente, designatis et iis nominatim nostris, qui, demandante Concilio, aut successive praecipiente Pontifice, vel decreta Concilii disposuerunt, vel editioni reformatae Missalis atque Breviarii praesiderunt, vel *Romanum Catechismum* lucubrarunt, vel *Indicem librorum prohibitorum* ediderunt, sparsimque non semel ab Eminentissimo Cardinali Pallavicino in *Historia Concilii* eiusdem commendati leguntur ».[1]

Inter quos omnes eminebant Fr. Bartholomaeus de Martyribus, doctrina, sanctitate et animi fortitudine celebris; Fr. Dominicus Soto de quo passim dicebant: " Qui scit Sotum, scit totum; " Fr. Petrus Soto, qui iussu Concilii officium suscepit cudendi contra Brentium apocrises, easdemque validissimas; Fr. Melchior Canus, propter librum *De locis theologicis* orbi notus. His adde inter famosiores Fr. Leonardum de Marinis, Archiepiscopum Lancianum; Fr. Aegidium Foscarari, Episcopum Mutinensem; Fr. Franciscum Forerium, qui *Breviarii*[2] et *Missalis* reformationi imprimisque *Catechismi Romani* conscriptioni[3] adlaboraverunt. Huic tamen, sicut et correctioni *Indicis librorum prohibitorum*[4] maximam navavit operam Fr. Franciscus Forerius.

402. Quamnam doctrinam isti simul ac alii Dominicani, excepto Catharino, in Concilio exponendam atque tuendam susceperint, patet ex ipsorum nomine et professione religiosa.

Quanti autem ipsi Patres Tridentini conglobatim fecerint sancti Thomae sententias, id sive ex testimoniis sive ex factis eruitur.

Id imprimis recolendum est quanta fuerit tunc temporis Ecclesiae Romanae in divum Thomam devotio: quod probe intelliges ex uno facto, scilicet quod die 7 martii 1554, quae fuit feria quarta, Concilio durante « in festo sancti Thomae Aquinatis, Illmi DD. Cardinales convenerunt ad ecclesiam Minervae, ubi Episcopus Castrensis Missam celebravit de festo, absque alia commemoratione, cum *Gloria in excelsis* et *Credo,* paramentis albis, et Cardinales cum cappis violaceis. Peracta Missa, Rmus Episcopus de Viglia concionem habuit. Eodem die fuit concessa plenaria indulgentia in dicta ecclesia, ubi fuit maximus populi concursus ».[5] Concionator ille fuit, ut videtur, Fr. Albertus de Gliricis O. P., qui anno 1551 interfuerat

[1] *De approbatione doctrinae divi Thomae*, lib. II. q. IV, a. 3.

[2] De Breviarii correctione, vide BATIFOL, *Histoire du Bréviaire Romain,* ch. V, pp. 294-314.

[3] Cf. Fr. REGINALDUM ANTONINUM, *De Catechismi Romani auctoritate,* cap. III.

[4] FORERIUS nomen apposuit proprium correctioni *Indicis librorum prohibitorum.*

[5] *Concilii Tridentini Diariorum* p. II. coll. SEB. MERKLE, p. 503.

Concilio Tridentino. Neque, ut patet, minor futura fuit Tridentinorum Patrum in Aquinatem pietas.

Deinde id narrat Pius V, vir doctus et rerum probe conscius, dum anno 1567, post absolutum Concilium scilicet quarto, Bulla *Mirabilis Deus* in proclamando sancto Thoma Doctore Ecclesiae, haec inter alia habet: « Quoniam Omnipotentis Dei providentia factum est ut Angelici Doctoris vi et veritate doctrinae, ex eo tempore quo coelestibus civibus adscriptus fuit, multae quae deinceps exortae sunt haereses, confusae et convictae dissiparentur, quod antea saepe, et liquido nuper in sacri Concilii Tridentini Decretis apparuit, eiusdem memoria, cuius meritis Orbis terrarum a pestiferis quotidie erroribus liberatur, maiori etiam quam antea grati et pii animi affectu colendum statuimus ».[1]

Haud secus historicorum ecclesiasticorum princeps, summus scilicet Baronius, qui, vix absoluto Concilio, haec in suo *Martyrologio Romano* ab Ecclesia approbato, scripsit: « Vix quisquam enarrare sufficiat quot vir sanctissimus atque eruditissimus Theologorum praeconiis celebretur, quantumque illius illibatae doctrinae a sanctis Patribus in sacrosancto oecumenico Concilio Tridentino considentibus fuerit acclamatus ».[2]

Ita et Vielmius O. P., Episcopus Argolicensis, vir eruditissimus, testisque ocularis et oculatus, unusque ex Concilii Patribus, qui Tridenti, ipsomet Concilio durante, anno scilicet 1563 inclinante conscripsit opus *De scriptis et doctrina sancti Thomae,* etsi non nisi anno sequenti, nempe 1564, ediderit: « Certe in hac Tridentina oecumenica Synodo, quam, cum haec scribimus, frequentissimam celebramus, nemo Patrum esse videtur cui religio non sit, cum de Fidei dogmatibus agitur, a Thomae sententia vel latum unguem abscedere, aut ab illa provocare, ut et a veteribus Patribus nihil minus Aquinas habuerit, et Scholastici omnes principem hunc suum receperint modis omnibus ornatissimum ».[3]

Quod idem referebat Cardinalis Vincentius Iustinianus.

[1] Bulla *Mirabilis Deus,* die 11 aprilis, an. 1567.

[2] *Martyrologio Romano,* die 7 maii. Rem hisce disticis enarrat Fr. Petr. Monteyro, *Epigrammata,* n. XLV:

« Tanquam mens affixa polo virtute regebat
Ingentem molem grandeque Concilium.
« Non stimulis agor, aut coeca vertigine mentis,
Non falsi locuples amplificator ero:
« Nam Caesar [Baronius] loquitur. « Quis, ait, tot carmine plausus
Enarrare potest, vel memorare satis? ».

Quam frequenter Patres auctoritatem divi Thomae adducerent, disce aliquatenus a D. Seb. Merkle, *Concil. Trid.* to. V, Indice, voc. « Thomas ».

[3] Fr. Vielmius, *De scriptis et doctrina sancti Thomae,* lib. I. Quod opus doctissimum atque elegantissimum simul est. Auctor vero, cum scientia atque Theologia et litteris latinis, graecis, hebraicis, ornatissimus esset, factus est Episcopus *in partibus,* et quidem primus, ut aiunt, ut Concilio qua Pater adesse posset. Praedicto operi adde eiusdem auctoris eximiam Apologiam scholasticae doctrinae, cui titulus: *Oratio apologetica adversus obtrectatores Theologiae praesertim Scholasticae.*

403. Omni iterum exceptione maius erit testimonium Fr. Ioannis Gallii, hic addendum, tanquam testis immediati, qui anno 1563, die 8 martii,[1] in Oratione panegyrica sancti Thomae,[2] coram Patribus sequentia protulit:

« Clarissimi Doctoris Thomae Aquinatis sacra de more[3] celebraturi laetis animis almae huic Religioni[4] merito sane congratulantes advenistis. Quem enim generis splendore conspicuum non sine Italicae gentis honore Campania tulit, hunc saeculo renuntiantem felix Praedicatorum Ordo sinu excepit, nutrivit, docuit, et veluti praeclarum iubar cunctis sideribus micantius, Orbi christiano produxit. Atqui ut huius Luciferi ortu peculiari nomine gloriamur, qui etiam catholicae Ecclesiae ornamento fuit: ita fulgentissimam lucem, nec intra privatos parietes occulimus, nec tantum decus quominus sit etiam commune aliis invidemus. Etenim si quondam Israëliticis tribubus haud leve, sed pulchrum certamen erat, quae sibi David in regiam deducendam susciperet; graecas itidem urbes quasdam inter se olim contendisse legimus quae sibi Homerum poëtam proprium vindicarent, nonne et potentissima Europae regna in celeberrimo Doctore Thoma

[1] Eo anno « die lunae, 8 martii, fuit celebratum festum sancti Thomae Aquinatis, in ecclesia Sancti Laurentii, ubi fuerunt illustrissimi Legati, Oratores et Patres omnes, et fuit celebrata solemnis Missa a quodam religioso dictae ecclesiae, sine solitis caeremoniis. Absoluta Missa, sermonem habuit Rev. Pater Magister N. Gallus, Ordinis Sancti Dominici. In qua ecclesia Fratres Ordinis Sancti Dominici commorantur ». *Concilii Tridentini Diariorum,* p. II, coll. Seb. Merkle, p. 565.

Remissum autem fuerat festum ad diem 8, seu lunae, quia dies 7 fuit Dominica privilegiata, seu secunda Quadragesimae. Dimissae autem sunt caeremoniae solitae propter turbas in civitate contra Hispanos ab Italis excitatas, unde ferox congressio evenit die 12 martii.

[2] Impressa typis est illa oratio, atque prodiit, die 26 aprilis, anno 1563, a Ludovico Sabiensi, hoc titulo: *De laudibus sanctissimi atque Angelici Doctoris divi Thomae Aquinatis, Ordinis Fratrum Praedicatorum. Oratio reverendissimi P. ac Mag. Fratris* Iohannis Gallii, *Burgensis, Hispani, Sacrae Theologiae Doctoris, ac Serenissimi et Catholici Regis sui Philippi Theologi, ad sacrosanctam Synodum Tridentinam in ecclesia sui Ordinis congregatam, die 7 martii, divo Thomae dicata, 1563.* Auctor posuit diem « septimam » pro « octava » ex iure, non ex facto.

Hanc ex integro editam invenies etiam apud Gonsalvum Arriaga, *Santo Thomas de Aquino,* lib. II, pp. 516-535.

[3] Nota Concilium festivitatem sancti Thomae « de more » celebrasse, nempe ut passim fiebat.

[4] Scilicet Ordini Praedicatorum.

eximium aliquid sui libenter agnoscent? Priscorum regum nobilitatem a materno proavo deductam Hispania contulit, Italia feliciter peperit, Germania erudiendum admisit, Gallia Doctorem auscultavit, et ea nunc requies fesso quae labor ante fuit.

« Sed qui ego huic luci metas aut terminum constituo? Qua terrae, qua coeli patent, sanctissimae illius vitae adhuc fragrantia spirat, et coelestis doctrinae radius ubique gentium diffusus est, ut quod de felicissimo Iosia rege praedixit Sapiens, in huius laudem usurpare liceat: " In ore omnium quasi mel indulcabitur eius memoria, et quasi musica in convivio vini. "

« Inter hos [Doctores] veterascenti iam saeculo novus quidam Hesperus ab Hesperia exoritur, felix Thomas Aquinas, cuius encomia prosequentem ante me temporis et orationis quam dicendarum rerum copia destituet. Quod si aut vestrae exspectationi, aut animi mei votis parem esse licuisset, ultro se huius diei obtulerat occasio qua feliciorem nec ipse optare, nec quisquis alius promittere auderet, ut coram celeberrimo totius Orbis consessu, de sanctissimo Doctore mihi etiam a prima aetate observantissimo, verba facturus adessem. Nam quod in laudibus Pauli primus dixit Chrysostomus, huius etiam et ego viri amore flagro: " Sed age! Praestat exigua quam nulla proferre, cum omnia prosequi immensi laboris sit. "

« Quis digne referat illibatum perpetuae virginitatis candorem? Animus ille angelicis spiritibus adsimilis, incoinquinatum corpus, et coelesti puritate perspicuum exigebat ne quid terreni contagii spiritui quem decorabat sapientia, illaberetur. Innocentissimus vitae progressus, circumspecta morum disciplina, victus parsimonia, incessus gravitas, sermonis blanda modestia, totus denique exterioris hominis aspectus, quid aliud quam reconditi luminis scintillae fuerunt? Iam studiorum eius rationes nulla vel Apellis tabula evidentius quam hodierna Epistola[1] depingi poterant: " Optavi, ait, et datus est mihi sensus, et invocavi et venit in me spiritus Sapientiae. " Et, interpositis quibusdam, subiicit: " Quam sine fictione didici, et sine invidia communico, et honestatem illius non abscondo. "[2]

« Temporis itaque permultum habuit oratio, quae a teneris annis Doctorem hunc ut pia nutrix fovit, neque unquam deseruit; plurimum lectioni: totum sapientiae studio impendebat, ut nullum otio relinqueretur. In legendis auctoribus mira sedulitas, certissimum in discernendis iudicium, retinendi vero tanta vis, ut quae semel legisset (perlegerat autem Antiquorum pleraque) omnia in prospectu habere iudicares; et demum

[1] « Epistola » liturgico sensu accepta, nempe intra Missam legenda.
[2] *Sap.*, VII.

coelestis ingenii fecunditas, ut facilius eum credas dictare quam alium legere potuisse. Quinquagenum nondum evaserat annum, tot publicis praelectionibus feliciter exantlatis, tot voluminibus multiiuga eruditione compositis, ut vix eo tempore legere vacet, quot ille praeclara monumenta reliquit. Et aliorum quibus singularis industria fuit: hic gentiles insectatur, alter haereticos aggreditur, alius in Scripturis enarrandis, alius in explicandis disceptationibus totus incumbit: unus Thomas, quasi alter Beseleel in constructione Tabernaculi,[1] omnem operam impendisse videtur, de quo Scriptura refert quod fuit plenus Spiritu Dei, sapientia, intelligentia et scientia, et omni doctrina ad excogitandum et faciendum opus omne in auro et argento, aere et ferro, et quidquid fabre adinveniri potest, dedit in corde eius.

404. « Attende quantum sancti Doctoris industria Ecclesiae contulerit. Gentilium errorum nubila disiecit, haereticorum argutias dissolvit, legalium arcanorum detexit umbras, Scripturarum mysteria reseravit, Fidei dogmata divinaque praecepta distinxit, virtutum rationes edocuit, Sacramentorum efficaciam virtutemque luce ipsa clarius expressit: tantus denique fuit ut unus artificum omnium operas praestitisse atque in uno Thoma multigenam spiritualium divitiarum suppellectilem confertam reperias. Brevis haec in volatilibus apis:[2] sed quae mira florum varietate collecta flagrantiam diffundat. Atque, ut caetera sileam (quis enim huius viri laudes vel iusto volumine comprehendat?), hoc unum adiiciendum existimo, quod mihi plus quam miraculo fieri solet. Nescio quo infausto genio pestis haec nostris animis irrepserit: si quam ex alienis laboribus rapsodiam congessimus, id omne velut proprium venditantes, inanem auram moxque perituram summo studio aucupamur, qui, si furtivis coloribus exuti, nostros pannos ostenderemus, nihil aliud quam riduculi videremur. At Divus hic multa quidem alieno marte collegit, sed cum plurima ex feracis ingenii partu contulisset, ea cura mentem sollicitabat, ut vel Augustino, cuius observantissimus fuit, vel alicui Sanctorum, quos omnes venerabatur, acceptum referret. Quod si Deo Optimo Maximo gloriam, proximis utilitatem, antiquis honorem attulisset, nihil sibi ex propriis laboribus praeter labores reservandum censuit. Verum age! Recepit de manu Domini duplicia pro cunctis operibus suis. Namque studiosissimus veritatis animus, revelatae iam gloriae contemplator inter praeclara lumina ante thronum Divinitatis fulgurantia perpetuo adstitit, et celeberrimum eius nomen per omnium fidelium ora, tam suavi quam frequenti sono penetrat.

[1] *Exod.*, XXXI, XXXV.
[2] *Eccli.*, XI.

« Hunc Dialecticae atque Philosophiae candidati ducem sequuntur. Moralis disciplinae studiosi consultissimum habent interpretem. Animarum vulneribus medicaturi ab eo pigmenta mutuantur. Ille divini verbi praecones nunquam non donatos remittit. Ipsum denique felicissimum antesignanum Theologorum exercitus consectatur. Cumque omnibus in pretio sit, dignus sane venerabilis Ecclesiae Doctor quem haec sacra et oecumenica Synodus maximis iisque amplissimis honoribus prosequatur.

« Sanctissimae siquidem vitae diem clausit extremum, cum ad Generale Concilium Lugduni celebratum, iussu Gregorii X Pont. Max., iter arripuisset... Non ergo potuit ecclesiasticis interesse Conciliis, morte praeventus: verum ecce superstes atque in aeternum victurus vobis adest, bona sua, spiritales doctrinae thesauros haereditario iure vobis delegavit.[1] Temporalia quidem nec habere voluit, nec vestra auctoritate digna erant. Nulla proinde ab eius felici transitu Concilia sine sacro Doctore celebrata sunt. Ut enim de caeteris sileam, quod audimus, quod videmus, quod manibus nostris contrectamus, quidni aperta voce ad eius laudem testemur? Vestra comitia perpendite, ex plurimo eoque honorabili Doctorum coetu quotusquisque consultor accedit, qui divi Thomae auctoritate, veluti splendenti gemma suam sententiam non ornet? Et in consultissimo Patrum recessu, Doctor hic sententiam rogatus frequentissime censet, ad quem, ut ad Lydium lapidem, existimatis, ut qui eum placiti patronum obtinuerit, incertam iudiciorum aleam non sit habiturus quin secundum eum sententia ferenda sit,[2] atque adeo huius Religionis[3] nomine gravissimae vestrae auctoritati gratias agere libeat quod Doctoris Thomae nomen ubique celeberrimum, vestra in eum observantia celebrius posteritati reliqueritis; et quidem iuste, ut qui etiam cum summis Ecclesiae principibus divina voce audire meruerit: " Vos estis lux mundi! " ».[4]

Hinc non male Cardinalis Vincentius Iustinianus divum Thomam fuisse « Patrum Concilii oraculum » professus est.

405. De praedicta Gallii oratione haec prosequitur Piccinardi:

« Nunc videamus quanta haec, et postea quam vera sint.

« Haec imprimis tanta sunt, ut talia profecto coram tanta Synodo dicta non sint aut audita, non dicam de altero cuiuscumque Scholae Doc-

[1] Nonnulli volunt Oratorem sacrum hic manu extensa indicasse *Summam Theologicam* in aula scamno repositam.

[2] Hic adverte probe distingui inter usum doctrinae Thomisticae apud Consultores, seu in « Commissionibus », et definitiones in pleno Patrum consessu enuntiatas.

[3] Videlicet Dominicanorum.

[4] Vide LABBE, *Concilia*, to. XIV, col. 1559, edit. Paris 1672.

tore vel Principe, verum nec de divo Hieronymo, neque de divo Gregorio Magno, etsi priores Ecclesiae Doctores essent, atque in eorundem duorum laudem, similiter aliae duae habitae orationes in eorundem diebus festis, coram eadem Synodo in eodem volumine perleguntur.[1]

« Haec tanta sunt, ut hinc defuncto Aquinati in ordine ad Patres Synodi Tridentinae valeant adaptari quae de vivente adhuc Augustino in ordine ad Patres Concilii Africani canebat Prosper in carmine *De ingratis*:

Concilium cui dux Aurelius ingeniumque
Augustinus erat.

« Haec tanta sunt ut pro laudum amplitudine ab eisdem Tridentinis Patribus, qui praedictarum laudum advocabantur ut testes, usque in ipsa tunc divulgata continuo oratione aliqua correcta sint, immo impressa singula eodem anno menseque immediate sequenti approbantibus illis ad quos attinebat,[2] neque in suismet postmodum libris quos eorum plurimi, etiam alterius Instituti vel Scholae Doctores, absoluto Concilio ediderunt, minus probata sint, vel negata, et consequenter a tacito saltem eorundem consensu probata non immerito videri queant.

« Haec utique, ut transeam iam ad secundum, nedum ampla, sed vera sunt. Quis enim adeo praefrictae frontis, vel amotae mentis exsisteret, ut si praelaudata vera non essent, de more in eadem Synodo procedendi, coram eadem integra Synodo fidenter adeo pronuntiaret: " Quod audimus, quod videmus, quod manibus nostris contrectamus. " Quis tam fatuus ut nedum imprudenter impudens, ut illos eiusdem Concilii Patres advocaret in testes, aiendo: " Vestra comitia perpendite! " si iidem Patres eiusdem mentientis assertum continuo manifestae falsitatis convincere potuissent? Quis adeo hebes, vel minus probus esse potest, ut non concedat aut videat non passuros alioquin illos sapientissimos Concilii Patres, vel falsis laudibus dehonestari Aquinatem, vel falsam methodum imputari Concilio, vel falsis rumoribus populos implanari? Haec sane si prudens censor quicumque perpendat, agnoscet iam illa quae dictus Orator ad Synodum locutus est,

[1] Intellige de volumine ab auctore prius relato cui titulus: *Orationes habitae Tridenti 1561, 1562, 1563, sub S. D. N. Pio IV Pont. Max.* In quo volumine continetur et GALLII *Oratio*, impressa Brixiae anno 1563, die 26 aprilis, per Ludovicum Sabiensem.

[2] Notat SPONDANUS, an. 1562, n. 2, examinatores fuisse deputatos qui singulas orationes habendas et typis edendas prius probarent: unde cuiusque orationis crescit auctoritas.

neque proinde correpta, sed probata potius in publicum prodiere, non ut falsa profecto, sed potius ut certa a nobis posteris recipienda esse ».[1]

Nota sedulo quanta hic publice asserantur, quasi ab omnibus Patribus admissa, scilicet doctrina sancti Thomae ut legatum quoddam tradi; Thomam Concilio quasi interesse, immo per sententias praeesse; ipsum a Synodo amplissimis honoribus donatum ex more, seu quotannis fuisse; asseritur sine ipso ab obitu nullum fuisse celebratum Concilium, omnes eius volumina manibus pertractare et revolvere, omnes interrogare Doctorem, eiusque sententiis tanquam gemmis proprias sententias ornare; omnibus eiusdem doctrinam haberi ut veritatis lapidem Lydium;[2] illos suffragium relaturos qui illius pro se auctoritatem habent; Thomam demum, iamdiu celebrem, evasurum ex devotione Tridentinorum Patrum celebriorem in terrarum Orbe.

406. Dictis facta consonant. Narrat praeprimis factum Didacus de Payva, Lusitanus, ex Ordine Sancti Augustini, « vir doctus et magna praeditus auctoritate », ait Pallavicinus,[3] qui a Rege Sebastiano qua Theologus regius ad Concilium legatus fuerat, proinde testis ocularis et ipse fuit: « Celebrabatur forte sessio XXI Concilii, visumque fuit Legatis opportune Decreto illi addi debere, tanquam rem omnibus notissimam, Christum Dominum in ultima Coena suos Apostolos in sacerdotes ordinasse illis verbis: " Hoc facite in meam commemorationem. " Iam fere discussum erat negotium, et praesto suffragia et res in concordia, cum nescio quis ex Patrum consessu[4] in eam vocem erupit videri sibi divum Thomam, III[a] part., q. 73, a. 5, 3[m], sentire Christum Dominum nihil aliud ordinasse in his verbis, quam quod illud sacrosanctum Mysterium in passionis eius memoriam celebraretur. Mirum! Sumitur iussu Concilii liber, notatur locus, discutitur, cumque in eius intelligentia paululum haesitaretur, tantum iniecit ponderis in Concilii lancem sola divi Thomae auctoritas adhuc dubitata, ut placuerit Concilio potius Decretum suspendere, quam, stante dubitatione de sensu divi Thomae, alioquin definire. Dilatum est iudicium,

[1] *De approbatione doctrinae sancti Thomae*, lib. III, q. IV, a 2.

[2] Similitudinem istam enarrat Fr. PETR. MONTEYRO, *Epigrammata*, n. XLIII:

« Per Thomam verum a falso secernitur aurum.
Sanae doctrinae Lydius ille lapis.
« Teste Tridentino, qua luce fugaverat hostes
Reddidit et cultu liberiore fidem.
« Ad lapidis tactum periere sophismata mille,
Lutheri in vilem spreta abiere lutum ».

[3] *Istoria del Concilio di Trento*, lib. XXIV, cap. 10.

[4] Fuit ille Petrus Guerrero Archiepiscopus Granatensis.

et maiori otio de mente sancti Doctoris disputatum: cumque inveniretur nihil in praefata assertione contra divi Thomae sententiam definiri, sequenti sessione, ab universo Concilio sancita fuit ».[1]

P. Piccinardi perspicuam facti confirmationem exhibet hic, ut videtur, exscribendam: « Anno 1562, post quem annum Orator ille ad Patres apposite locutus est, die 15 iulii de sero, in fine Congregationis Generalis pro sessione I solemniter in crastinum celebranda, ad illa verba capitis primi, sess. XXI, ut modo leguntur: " Non tamen illa institutio et traditio eo tendunt ut omnes Christifideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam adstringantur, " ea die Salmeron et Torrensis apud Legatos Praesidentes Concilii obtinuerunt pro propositione, ut sperabatur, approbanda in subsequenti sessione, sic verba mutari et adiungi: " Non tamen illa institutio et traditio extenditur ad omnes Christifideles, ita ut statuto Domini ad utramque speciem accipiendam adstringantur, sed solum ad illos quibus dictum est: ' Hoc facite in meam commemorationem, ' id est illis quibus tradidit potestatem conficiendi et offerendi Corpus suum et Sanguinem. "

« Inde die 16 iulii, qua sessio XXI celebrata fuit, in Templo Tridentino, imminente celebratione Missae, qua absoluta, de more Decreta legi debebant et approbari, divulgata inopinato interim inter Patres congregatos ibidem praedicta additione facienda, statim et extemporanee Guerrerus Archiepiscopus Granatensis, producta in medium III[a] parte *Summae* sancti Thomae, et lecta doctrina eiusdem coram Patribus, ex quaest. 80, a. 11, cui videbatur saltem sub dubio illa additio contraire, adeo id audientes Patres commovit, ut, licet ratione loci pro tunc indicto a Legatis silentio disputationis contentio quievisset, tamen ad finem Missae, lecto praedicto capite, et collectis Patrum suffragiis, additio illa approbata non manserit, dilata per consequens consideratione melioris alterius modi dicendi ad sessionem subsequentem XXII, sub die 17 septembris, in cuius apposite cap. I, haec postea verba de Corpore et Sanguine Christi Domini non eadem omnino cum additione praedicta approbata leguntur: " Apostolis, quos nunc novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent praecepit per haec verba: Hoc facite in meam commemorationem. " Haec illius breviter praetactae historiae a Didaco Payva, ex Eminentissimo Pallavicino, aliisque apud ipsum, dilucidior descriptio est... [2]

[1] *Sermones*, to. II, « De Sanctis »; serm. 2, « De divo Thoma ».

[2] *Istoria del Concilio di Trento*, lib. XVII, cap. 11, n. 17, ubi narratio ex *Actis* habetur aliisque auctoritatibus. Alia huiusmodi sane monumenta prostabunt in editione documentorum circa Concilii Tridentini historiam ab annis ex archiviis erutorum atque paulatim in lucem typis prodeuntium.

« Et simul ut videas id quod de sessione XXI praeferebamus contigisse ex peculiari ac prudenti aestimatione universalitatis doctrinae Aquinatis, quaeso te consulas eundem Pallavicinum, lib. XVIII subsequenti cap. 8, n. 1, ibique reperies Guerrerum eundem, seu Granatensem, in Congregatione deinde generali antecedente sessionem XXII, non obtinuisse suspensionem, ut intendebat, adductis in contrarium testimoniis divi Dionysii Areopagitae, divi Maximi et divi Chrysostomi, capitis 1 eiusdem sessionis XXII, quemadmodum antea recitata in adversum sub dubio dumtaxat sancti Thomae doctrina in praecedenti sessione XXI, ut suspenderetur additio proposita, assecutus est; ut etiam omittam nec ita suspensum fuisse Decretum in sessione XIV, quod laedere doctrinam Ducis alterius Scholae, suis sectatoribus de hoc ipso expostulantibus, videbatur, ut apud eundem Pallavicinum, [1] recitatur ».[2]

407. Ulterius quisque inquirere potest de mente Concilii Tridentini circa sancti Thomae doctrinam, conferendo Concilii ipsius singula Decreta cum Angelici conclusionibus: hoc nempe invenient omnia illa adamussim quoad doctrinas, ex articulis illius deprompta fuisse. Quae apprime notat, etsi compendiose, P. Thomas Pius a Ponte, S. I.: « Concilia omnia, inquit, tam Generalia quam Provincialia quae post sanctum Thomam acta fuerunt, canones suos et Decreta iuxta huius sancti Doctoris doctrinam praecipue ediderunt, ut ex Generalibus Florentino, Lateranensi et Tridentino constare cuivis potest, et multis Provincialibus. Sed unum vobis Tridentinum sanctissimum ac gravissimum sit pro omnibus, quod gravissimas ac difficillimas tractavit ac decrevit materias theologicas: omnes vero eius canones et decreta sumpta videntur ex doctrina et articulis divi Thomae, in quibus eas tractavit et dissolvit quaestiones: constabit hoc facile consideranti capita et canones sessionis VI huius Concilii, qui sunt de Iustificatione, Gratia et Merito; [3] et de sessione VIII, quae est de Sacramentis

[1] *Istoria del Concilio di Trento,* lib. XII, cap. 12.

[2] *De approbatione doctrinae sancti Thomae,* lib. III, q. 6, a. 2. Cf. IOAN. A S. THOMA, *In I^{am} disp. 1, a. 2.*

[3] Quod de hac Sessione asserit Pontius, id confirmat BOSSUETIUS, ubi doctrinam Tridentini Concilii de Iustificatione explanans, ait: « Hanc doctrinam ex sancto Thoma depromptam esse, immo ex eius verbis pene contextam postea demonstrabimus » *De doctr. Conc. Trid. circa dilectionem in poenitentia requisitam,* n. 14. Et alibi centies.

Exemplo sit id quod narrat DOMINICUS SOTO: « Supposita primum omnium motione Dei corda nostra tangentis: quia, ut eadem sessione [VI], can. 4, sancitur, non movet nos tanquam inanime corpus, sed est libera (quod nostrum est ingenium), ei assentimur, si eidem inspirationi assentimur credendo, sperando, diligendo, ac subinde detestando peccata gratiam nobis eodem instanti infundit.

in genere, Baptismo et Confirmatione; ex sessione XIII, quae est de augustissimo Eucharistiae sacramento; ex sessione XIV, quae est de sacramento Poenitentiae et Extremae Unctionis; [1] ex sessione XXII, quae est de sacrificio Missae; ex sessione XXIV, quae est de sacramento Matrimonii. In his ergo omnibus sancta Synodus unum et sequi et probare videtur Doctorem divum Thomam, ut legenti et conferenti facile patebit ».[2]

408. Nonnulli quidem in ipsomet Concilio a doctrina divi Thomae deviarunt, inter quos primum locum tenuit Ambrosius Catharinus, O. P., petulantioris ingenii homo, atque Ordinis sui quoad doctrinam transfuga, qui apud suos nullum unquam gradum theologicum adeptus est, reprobatus a suis remansit ante episcopatum de quindecim propositionibus habitis ut falsis. Cui plus minusve favebant Cardinales Cervini et Sadoletus, Lucianus mantuanus Abbas Pomposae, Alphonsus Salmeron et Iacobus Laynez, uterque S. I., aliique pauci.

Illi strenue obstitit inter alios Dominicus Soto O. P., vir in scientia et fama provectus.

Quare eadem Synodus illic, cap. IV, ordinem hunc sex nostrarum actionum ex hoc loco [scil. ex III^{a} q. 85, a. 5.] sancti Thomae desumpsit, ubi contra Lutheranos dicentes sola nos fide iustificari, decrevit potius proximam dispositionem esse motum charitatis et poenitentiae ». In IV *Sent.* dist. 14, q. 2, a. 5, p. 402 edit. Lovan. 1573. Nec aliter eodem decreto, Concilium causas iustificationis assignat praecise ex I^{a}-II^{ae}, q. 112, a. 4, et II^{a}-II^{ae}, q. 24, a. 3.

[1] Tota doctrina canonis 9 sessionis XIV accepta est ex opusculo divi THOMAE, *De forma absolutionis.*

[2] In I^{am}, quest. unica, Prol., dub. 14.

Haud secus P. VIVIEN, Ord. Min.: « Testatur Concilium Tridentinum quod omnes suas sanctiones per doctrinam sancti Thomae decrevit. Quapropter unus ex his qui in sancta Synodo orationem habuit [videlicet P. Gallius, supradictus] summum Pontificem [per Delegatos scilicet], Cardinales, Antistites, cunctosque qui aderant Doctores, sic alloquitur: " Non potuit sanctus Thomas ecclesiasticis interesse Conciliis, morte praeventus: verum ecce superstes atque in aeternum victurus. " Ac si diceret evangelicus ille orator: Fato functus iamdudum, Doctor Angelicus vivens adesse non potest: viva et superstes adest eius doctrina, iuxta quam velut normam et regulam omnia sunt formanda et regulanda decreta.

« Tanta est sacrae Scripturae auctoritas, ut illi, ut bene notat sanctus Chrysostomus, potius quam Angelis e coelo, aut mortuis e sepulchro resurgentibus fides sit adhibenda... Addit Caietanus: "Soli Sacrae Scripturae reservata est auctoritas haec, ut ideo credamus sic esse quia ipsi scripserint. " Tamen divo Thomae in dubia fide velut canonico Scriptori credit sacrum Concilium: et quasi eius doctrina sit eiusdem auctoritatis et certitudinis cum Scriptura Sacra, Patres in sancta Synodo congregati, *Sacris Bibliis* et *Summa Theologica* divi Thomae, tanquam formulario et directorio, in omnibus suis decisionibus usi sunt ». *Tertullianus praedicans,* to. I, tit.: « Angelica perfectio », Concio IV, p. 2.

Inter utrumque disputantem Synodus suam dixit sententiam, dum iussit Lucianum Abbatem orationem aliquam suam retractare, nonnulla Catharini opera statuit damnare, atque reapse damnasset, nisi P. Salmeron adfuisset; demum operis Dominici Soto, cui titulus *De natura et gratia*, dicationem gratam habuit, atque auctori stemma confecit duabus manibus sese invicem stringentibus, cum lemmate: FIDES QVAE PER CHARITATEM OPERATVR.

409. Alia vero prostant testimonia, nempe indirecta, ducta scilicet ex improperiis sanctae Synodo impactis, quod nimirum, duce Doctore Angelico, doctrinae et methodo aristotelicae sese addixerit. De quo sufficiat recitasse dicteria apostatae Soavii, ex ipsius falsa *Historia Concilii Tridentini*, una cum responsis cardinalis Pallavicini, viri ingenio et doctrina eximii, unde egregia habebitur Principis Scholasticorum apologia, una cum eiusdem auctoritate ab adversariis agnita:

« ... Agli Scolastici dice [nempe Soavius] che conveniva provvedere, perchè hanno fatto fondamento della dottrina cristiana la Filosofia d'Aristotile, e lasciata la Scrittura, e posto tutto in dubbio, fin'al metter quistione se vi sia Dio, e disputarlo d'ambo le parti.

« O il Soave riprende il diffetto d'alcuni Scolastici particolari di minor conto, o egli biasima tutti in universale.

« Se riprende il diffetto d'alcuni, dovea ricordarsi che in tutte le professioni, e massimamente nelle più alte, e però più ardue, è necessario tollerare che i più tra i professori riescano difettuosi: concedesi l'imprenderle a molti, acciocchè fra quei molti ne fiorisca il pregio in alcuni pochi. Quanti medici ammazzano! Quanti cirusici storpiano! Quanti piloti son cagione di naufragio! Quanti architetti fanno edificii ruinosi! Che rimedio v'è? L'ottener che tutti sieno buoni nell'arte loro a niuna repubblica è sortito. Infin la natura ch'è più possente d'ogni umano accorgimento, non può impedire i parti viziosi, gli aborti, i mostri. L'unico riparo è il valersi solamente degli approvati dalla stima universale.

« Così accade nella Scolastica. Essa à la più nobile e la più difficile di tutte le discipline. Molti se ne arrogano l'attitudine, pochissimi l'hanno. Questi sono stabilmente ammirati; gli altri, con processo di tempo, chi negletto, chi ignoto, chi schernito.

« Ma le ricordate opposizioni di quest'uomo [Soavius] vanno a percuotere il general costume di tutti gli Scolastici; esaminiamole brevemente.

« Dove mai si trova che gli Scolastici pongano per fondamento Aristotile, e non la Scrittura? Non lo impugnano essi universalmente intorno all'eternità del mondo, al necessario operar di Dio, all'impossibilità della

creazione, et ad altri gravissimi punti, ne' quali il fece abbagliare la debolezza dell'umane pupille, in rispetto agli abissi della luce divina? San Tommaso, principe degli Scolastici, non insegna tante volte che i fondamenti della sacra Scienza non sono le naturali ragioni, ma le sopranaturali rivelazioni? Esser debito del Teologo il solvere bensì gli argomenti opposti tratti dalla Filosofia, perchè contro alla verità non può militare veruna dimostrazione; nè però verun sillogismo indissolubile: ma non già il portarne prove filosofiche? Anzi, chi presume di farlo espone, dice egli, la Religione cristiana allo scherno de' gentili, che scorgendo la fievolezza di tali prove, credono che la nostra Fede vacilli ne' fondamenti.

410. « Ma il lume della Filosofia per tre fini è utilissimo alla Teologia.

« Il primo è l'impugnar gli errori dell'altre sette, i quali con essa restan convinti; il secondo, lo snodare i sofismi che alla cristiana Fede s'oppongono, quasi a credula di misteri impossibili; il terzo, l'arrichirsi d'altre notizie, le quali si colgono come conclusioni da premesse dalle verità della Fede, e da quelle della natura. Per tutti e tre questi fini se ne valse a maraviglia il mentovato san Tommaso, specialmente nella *Somma contro a' Gentili.*

« E se in questi usi della umana Filosofia scelse egli per guida sua e de' suoi seguaci Aristotile, con tanta ingiustizia è ciò proverbiato dal Soave, che questo è forse il maggior merito che habbia con la Chiesa quell'incomparabil Dottore: volendo osservare che Dio, dopo haver piantata la Fede per mezzo d'huomini deboli et idioti, avvalorati da lui con sapienza e con virtù miracolosa, perchè in quest'opera si ravvivasse più apertamente la divinità dell'Autore: dopo quei tempi, dico, ha voluto che l'eccellenza della dottrina abiti come in residenza perpetua nella sua Chiesa. E così per ogni età i più letterati uomini sono stati i sacri Dottori. Or'avvenne che verso il duodecimo secolo di nostra salute, era sorta in gran riputazione la setta degli Arabi, i quali dominando specialmente nell'Andalusia, haveano convertita Cordova in un'altra Atene, e con l'industria d'Averroe erasi risvegliata la Filosofia d'Aristotile, giaciuta o sopita, o sepolta nelle provincie almen d'Occidente, per lunghissimo tempo innanzi. E la insegnavano con ordine e con sottigliezza, rifiutando e beffando con le ragioni peripatetiche i misteri della Fede nostra, quasi convinti di falsità, e i seguaci di lei quasi creduli per ignoranza.

« Contro quest'assalto provvide Iddio alla Chiesa con l'intelletto di san Tommaso, il quale intendendo che in ogni paese domina quella religione, la qual'è insegnata da' più stimati per dottrina, e non ritrovando fra le dottrine degli huomini o la più stimata o la più degna di stima

che l'Aristotelica,[1] fece in essa un profundissimo studio, e commentò i libri di quel Filosofo assai più esquisitamente che non havea fatto nessun'Arabo o Greco. Per tanto acquistatosi in quella Filosofia gran possesso, e non minor riputazione, seppe con vigor dell'ingegno trar da' principî medesimi d'Aristotile la soluzione degli argomenti formati, che non da altri, da Aristotile stesso, contra ciò che noi tenghiamo per Fede. Nel che seguitato appresso dalla succeduta schiera degli Scolastici, ha fatto sì che dove prima la dottrina peripatetica era nemica della Cristiana, s'è posta a lega con lei, talmente che i moderni Eresiarchi non hanno potuto ribellarsi al Vaticano senza ribellarsi insieme al Liceo, e senza tor credito alle loro opinioni col disprezzo del maggior Filosofo, e forse del più alto intelletto che habbia prodotto la natura. Questo è ciò che duole al Soave ed a' suoi Luterani negli Scolastici, l'haver per opera di essi contrario alle loro temerità, non solo il lume della Fede, ma quello della Filosofia, e non per l'autorità di Roma, ma di Stagira.[2]

411. « Che ardisce il Soave poi di riprender negli Scolastici il porre in dubbio ogni cosa? Chi è che ponga in dubbio ogni cosa, se non egli e i suoi innovatori, che negano l'autorità del Papa e de' Concilii, la legittimità dei Libri canonici, la fedeltà dell'approvata lor traslazione: e così tagliando ogni norma certa di credere, si formano una fede a libito, variandola ad ogni momento, là dove gli Scolastici son del tutto uniti e costanti in difender gli articoli della Fede cattolica antica, è 'l Tribunale infallibile che la dichiara? Non pongono essi in dubbio se ci è Dio, di che stoltamente gli nota il Soave: il pongono in discorso bensì, com'è necessario porre tutte quelle proposizioni che non hanno evidenza per sè medesime, e secondo la congiunzione de' proprii lor termini, quale ha per esempio questa: " Ogni tutto è maggior della parte: " anzi pur'è giovevole il porre in discorso alcuni di tali eziandio, non a fine di provarle, ma di farne ben'apparir la chiarezza, e di rispondere agli argomenti contrarii; e così Aristotile, nella *Metafisica*, fu costretto a disputar in confermazione del più evidente principio che habbia l'intelletto, si come è quello: " Non può la medesima cosa essere e non essere, " negato da qualche antico filosofante. E nella *Fisica* gli convenne fermarsi a lungo sopra la più manifesta verità che si scorga col senso, qual'è che i corpi muovansi localmente, per discioglierе i sofismi contrarii assai difficili di Zenone.

« Oltre à ciò talora è ben certo qual parte della quistione sia vera, ma non già qual delle prove che se ne adducono sia efficace. Sappiamo per esperienza che ci può haver un quadrato eguale ad un cerchio, ma la dimostrazione sin'ad ora non s'è trovata dallo sforzo di tutti gl'ingegni umani. Il disputar dunque di sì fatti problemi giova, non per disgombrar il dubbio intorno alla cosa, ma per saperne la legittima prova. Senza questo esercizio il nostro intelletto, ch'è losco e pigro, confonde spesso la conclusione con la ragione, e, sicuro di quella, si gabba di fidarsi di questa: o di poi mostrandoglisi l'una per debole, comincia a tener l'altra per dubbia. Onde con somma utilità gli Scolastici, e san Tommaso in primo luogo, trattano con sottilissima cura sifatte questioni: e massimamente quella ch'è base di tutta la religione: " Se ci sia Dio; " la quale benchè dalla parte del soggetto inverso di sè certissimo parrebbe soverchia, non di meno per la grossezza della nostra immaginazione che mal si solleva dalla materia, e per la dissoluzione de' nostri appetiti che non vorrebbero haverci un vendicatore di quei misfatti da cui non vogliono astenersi, è forse altrettanto necessaria quanto dal Soave è derisa, e sia stato piacere di Dio che non fosse necessaria segnalatamente con lui ».[1]

Insimulatio igitur contra Tridentinos Patres lata, quod nempe nimium crediderint Aristoteli, id est Aquinati, hanc eandem devotionem reipsa in hunc ultimum viguisse, etsi male id improperet Soavius.[2]

412. Quibus dictis omnibus, tria videntur addenda esse argumenta de partibus quas sortita est in Concilio Tridentino doctrina sancti Thomae.

Quorum primum exhibetur ab eodem Pallavicino, dum ab ipso narratur Summum Pontificem id statuisse, ut scilicet Romae designarentur nonnulli egregiae doctrinae Theologi, ab anno nempe 1546, qui conclu-

[1] Notentur sedulo haec PALLAVICINI verba, quod nempe sanctus Thomas agnoverit hanc doctrinam fuisse simul vel maximi aestimatam tempore suo; vel maximi aestimabilem in se, temporibus omnibus.

[2] Haec est summa Graecorum gloria quod in Philosophia, immo et in Artibus « syllogismum » vel invenerint, vel saltem coluerint, explicaverint, atque propagaverint. Inde optime illi, praeprimisque Aristoteles, meriti sunt de humana mente, sicut et pessime de eadem sunt meriti qui vel syllogismum, seu, quod idem est, ratiocinium edoctum, negarunt vel in se, vel in suo principio, scilicet « principio contradictionis »; et istud contra ipsam rationem committunt facinus adversarii syllogismi. Hinc apud gentem nonnullam multi sunt philosophastri, nulla Philosophia.

[1] *Istoria del Concilio di Trento*, lib. VII, cap. 14. Quam responsionem esse viri ingenio philosophandi et scribendi egregie praediti quisque sensatus agnoscet. Idem utrumque caeterum patet ex aliis eiusdem Cardinalis scriptis.

[2] Nonnulla postmodum, ubi de *Testimoniis haereticorum* agemus, adducenda sunt, quibus patet eos, praesertimque insolentissimum coryphaeum Lutherum, id Ecclesiae vitio vertere quod doctrinam divi Thomae approbatione sua sanctificaverit solemnissime.

siones omnes Tridenti in Concilio disputatas et approbatas, Romamque a Deputatis pontificiis missas et pontificiae approbationi propositas, rursus examinarent, ponderarent antequam easdem confirmaret Pontifex. En de hac specialissima Commissione ipsamet Pallavicini verba: « Fra tanto, i Legati... sollecitamente posero mano alla opera destinata per la futura sessione, e cui s'applicarono con tanta maggior volontà, perchè pareva loro che dall'articolo della Giustificazione dipendessero gli altri dogmi... Ed in Roma s'attendeva con egual diligenza ad impiegar la dottrina de' Teologi nello studio del dogma, e la prudenza de' Consiglieri ne' trattati delle Riformazioni. I primi io trovo ch'erano principalmente cinque: Francesco Romeo, Generale de' Predicatori,[1] il quale valeasi in ciò di due altri Teologi della sua Religione, Bartolomeo Spina, Maestro del Sacro Palazzo, Alberto da Cattarò, parimente Domenicano, che in poca età s'havea guadagnato non poca stima; Gian Iacopo Barba, Agostiniano Pontificio Sacrista e pur in quel tempo assunto al vescovado di Teramo; e un Fra Domenico dell'Ordine stesso, Lettore in Teologia ».[2]

Id igitur Pontifex Romanus sancti Thomae discipulis commisit ut omnia in Concilio decreta successive summa sedulitate examinarent, referentque sententiam suam qua Consultores. Quotusquisque sensatus et prudens ex iis percipiet quanti ponderis fuerit doctrina sancti Thomae, tum Tridenti ubi decernenda discutiebantur, tum Romae ubi decreta ipsa demum approbanda forent in Concistorio Pontificali.

413. Alterum argumentum de Concilii Tridentini devotione erga doctrinam sancti Thomae hic afferendum sit quod Angelici *Summa Theologica* in Aula Magna Concilii una cum *Sacrarum Scripturarum* volumine, et *Decretorum Pontificum* libro, supra mensam, medio Crucifixo, reposita ad usum Patrum manserit.

Quae res nihil prorsus repugnat in se, ut patet, neque historiae praeteritorum temporum: immo ex historia ipsa constat.

In antiquis enim temporibus legimus in *Concilii Ephesini I Historia* « positum fuisse in throno, qui medius erat in ecclesia [ubi Patres conveniebant] sanctum Evangelium quod Christum Synodo praesentem esse docebat ».[3] Quod caeterum habetur ex monumentis archaeologicis, ubi

[1] Electus fuerat Magister Ordinis die 12 iunii 1546. In Concilio quandoque et votum tulit.

[2] *Istoria del Concilio di Trento*, lib. VIII, cap. 1; ubi etiam referuntur narratorum testimonia, praesertim *Acta Consistorialia*. Qui investigationes doctissimi viri prosequeretur, alia certo nomina, usque ad annum 1563 inventurus foret.

[3] Vide apud Bail, *Concilia*, to. I, p. 231, Epistolam Synodicam ad Imperatores Theodosium et Valentinianum.

in Conciliis celebratis volumen in cathedra vel scamno positum tanquam signum praeeminentiae doctrinalis habetur.

Quod et in subsequentibus Conciliis pariter observatum fuit. Immo et in Concilio Moguntino I, sub Carolo Magno Imperatore, id habemus quod in media aula qua coadunabantur Episcopi, praeter Scripturas, posita fuisse « diversa sanctorum Patrum opuscula *Pastoralemque Librum* Gregorii ».[1]

Nonnihil simile factum esse in Concilio Tridentino, videlicet in conventus conciliarii medio, iuxta Crucifixum, nempe, praeter *Biblia Sacra* appositos fuisse libros tum *Summae Theologicae*, quae quasi medulla Patrum est, tum *Decretalium Corpus*, quo continentur doctrinae practica consectaria. Quod hisce verbis enarrat Piccinardi:

« Antonius de Aubermont,[2] ponderans verba illa [Gallii] Oratoris Concilii Tridentini, die 7 martii, 1563, id est: " Ad Thomam, ut ad Lydium lapidem, si quid ambiguitatis vel controversiae fuerit exortum, communibus votis referendum existimatis, " refert ac testatur " in medio templi Tridentini, super altare fuisse[3] imaginem Christi Domini Crucifixi, et a dextero latere sacros Bibliorum libros, a sinistro *Summam* sancti Thomae. " Quam relationem confirmat Domnus Thomas de Aquino, Neapolitanus, Clericus Regularis, in opere de *Politia Christi*, impresso Lugduni, 1614, lib. II, cap. VI, ubi sic habet: " Fide dignissimi retulerunt in magnae Aulae medio, ubi erant congregati sanctae Tridentinae Synodi religiosissimi Patres ac doctissimi Praesules, mensam exstitisse, sacro Librorum pondere gravem, in qua hi sacri Codices conspiciebantur: Sacra Scriptura, *Sanctiones et Decreta* Pontificum et sancti Thomae *Summa*. " Quibus postea subiungit: " Expende quo honore habita, quae inter Codices divinos numeratur! Par erat ut post divinos Libros, Angelici recenserentur. " Et idipsum nedum affirmatur a Patre Camblato, Congregationis Doctrinae Christianae, opusculo II, *De auctoritate doctrinae sancti Thomae*, verum etiam deducitur ex eo quod vix divulgata " imminente celebratione Missae, " inopinato ea mutatione Decreti inter Patres Tridentinos in templo, ut relatum est, continuo Archiepiscopo Granatensi III pars *Summae* sancti Thomae in promptu fuit, quem habere non ita de propinquo licuisset, nisi, ut dicebatur (et par est credere de aliis Sacrorum codicibus utique ibidem Synodo necessariis) parata in eodem

[1] Bail, *Concilia*, to. II, p. 307.

[2] Theologus Ordinis Praedicatorum magni suo tempore nominis; anno 1650 prodiit eius *Oratio panegyrica in sanctum Thomam de Aquino*.

[3] Quod intellige forsan de altiori scamno, vel etiam mensa.

templo eadem *Summa* Praeceptoris Angelici praefuisset, ut scripto praesens adesset qui persona aberat, iuxta Oratoris Tridentini verba ».[1]

Nulla prorsus ratio est cur a testibus non suscipiamus fide tutissimis id quod et ipsi a testibus ocularibus, iisdemque credentia dignissimis acceperunt.

Hinc est quod innumeri scriptores, etiam Pontifices, quia praeiudiciis non abrepti, idem enarrarunt, inter quos ultimus tempore, non auctoritate, sit Leo Papa XIII, haec habens:

« Haec maxima est et Thomae propria, nec cum quopiam ex Doctoribus catholicis communicata laus, quod Patres Tridentini, una cum Divinae Scripturae codicibus et Pontificum Maximorum *Decretis*, *Summam* Thomae Aquinatis super altari patere voluerunt, unde consilium, rationes, oracula peterentur ».[2]

414. Quinimmo id apprime circumstantiis rerum congruebat. Agebatur siquidem de Religione catholica contra haereticos propugnanda, de reformatione inducenda in ipsam Ecclesiam; hinc in medio reponenda fuit Sacra Scriptura. Sed quia Scripturam recte interpretatur et Theologia Dogmatica ab Ecclesia approbata, et Legalis seu Moralis Theologia, seu Theologia Dogmatica simul et Practica, hinc optimi consilii fuit quod ad eiusdem latera paterent simul et *Summa Theologica*, inter omnes libros theologicos approbatissima, et *Collectio Decretorum* authentica, quae ea sane fuit quam compilari iussit et compilatam authenticavit Gregorius Papa IX: illa quidem a sancto Thoma conscripta, ista ab eius amico sancto scilicet Raymundo de Penafort composita: utroque Ordinis Praedicatorum gloria et honore.[3]

Neque displicet schema illud quo exhibetur iuxta Scripturam in medio sitam, uno latere *Summam Theologicam* Fr. Thomae de Aquino, Ordinis

[1] Piccinardi, *De approbatione doctrinae sancti Thomae*, to. II, lib. III, q. 9, a. 2.

Rem refert Fr. Petr. Monteyro, *Epigrammata*, n. XLIV:

« Cum Thomae *Summa* Scriptura imponitur arae,
Utraque tam digno condita visa loco.
« Cumque agitat mentes aut quaestio pectora pulsat,
Consulto Patres his studuere libris.
« Par erat applausu libros, nec forte minori
Ut post divinos Angelicos colerent ».

[2] Ex Bulla *Aeterni Patris*, die 4 augusti 1879, data.

[3] Antiquis testimoniis nonnulli sponte fidem negant: sed non sunt andiendi, siquidem ex invidia infitiantur, et nulli licet negare asserta veterum, nisi detur ratio sufficiens in contrarium: nulla autem huiusmodi ratio datur.

Praedicatorum, altero *Collectionem Decretalium* Fr. Raymundi de Penafort, eiusdem Ordinis, et amici Thomae Aquinatis benedicente Christo ex Cruce eminentiori.[1]

Tanta fuit caeterum inter duos Doctores doctrinae paritas, ut Thomas a Raymundo rogatus *Summam contra gentes* scripserit.

415. Pro coronide id addimus. Ita scilicet die 4 decembris anni 1563, Cardinalis Moronus, primus Legatus et Praesidens, Patres Tridentinos, simul adunatos, numero CCLV, videlicet Legatos IV, Cardinales II, Patriarchas III, Archiepiscopos XXV, Episcopos CLXVIII, Abbates VII, Procuratores absentium cum legitimo mandato XXXIX, Generales Ordinum VII, allocutus est:

« Illustrissimi Domini, Reverendissimique Patres, placetne vobis ut ad laudem Dei Omnipotentis huic sacrae Oecumenicae Synodo finis imponatur, et omnium ac singulorum quae tam sub fel. rec. Paulo III et Iulio III, quam sub S. D. N. Pio IV, Romanis Pontificibus, in ea decreta et definita sunt, confirmatio nomine sanctae huius Synodi per Apostolicae Sedis Legatos et Praesidentes a beatissimo Romano Pontifice petatur? »

Responderunt: « Placet! »

Postmodum Cardinalis Moronus, benedicens sanctae Synodo, dixit: « Post gratias Deo actas, Reverendissimi Patres, ite in pace ».

Qui responderunt: « Amen ».

Die vero 26 ianuarii, anni sequentis, scilicet 1564, Cardinales Moronus et Simoneta, nuper reversi a sacro Concilio Tridentino petiverunt a Papa Paulo IV ut infra:

« Beatissime Pater, In Decreto super fine Concilii oecumenici Tridentini, pridie nonas decembris praeteriti publicato, statutum fuit ut per

[1] Neque hic omittendum censeo quod narrat P. Fernandez de Ayala, Theatinus: « Mirum valde, stupendum et omni admiratione dignum in honorem Scholae sancti Thomae, quod nonnullos Pontifices patrasse validissimis didici et probavi testimoniis, et competenti auctoritate fulcitum reperi. Cum enim vellent quasdam propositiones definire, fidelibusque credendas, sectandas proponere, in sacrificio Eucharistiae incruento quod ad huiusmodi actionem [decisionem] adhibetur, loco arae in altari supponere Partem Angelici Doctoris in qua materia definienda tractabatur. Sicque, arae vices substituente divi Thomae Parte, sacrum confecisse, Spiritusque Divini auram implorando, illico ad veritates definiendas processisse quasi exspectantes a doctrina divi Thomae, ara a Christo crucifixo benedicta per ea: " Bene scripsisti de me, Thoma, etc. " divinam voluntatem statim interpretandam, et quod medio illo fidelissimo veritatis instrumento, certitudinem de re sequenda fideles habituros. Quid amplius? Mirare huius doctrinae divinam magnitudinem Pontificum erga Auctorem pium et fidelem cultum ». Ita refert P. Gonz. de Arriaga, *Santo Tomas de Aquino*, lib. I, cap. x, p. 459.

Sanctitatis vestrae et sanctae Sedis Apostolicae Legatos et Praesidentes peteretur, nomine dicti Concilii, a Sanctitate vestra confirmatio omnium et singulorum quae tam sub fel. rec. Paulo III et Iulio III, quam sub Sanctitate vestra in eo decreta et definita sunt. Quapropter nos Ioannes Cardinalis Moronus et Ludovicus Cardinalis Simoneta, qui tunc Legati et Praesidentes eramus, volentes exsequi quod in dicto Decreto stabilitum fuit, humiliter petimus, nomine dicti Concilii oecumenici Tridentini, ut Sanctitas vestra dignetur confirmare omnia et singula, quae tam sub fel. rec. Paulo III et Iulio III, quam sub Sanctitate vestra in eo decreta et definita sunt ».

Quibus auditis, Sanctitas sua, viso et lecto tenore dicti Decreti et habitis votis DD. Cardinalium, respondit per haec verba: « Petitioni nomine Concilii oecumenici Tridentini super eius confirmatione per dictos Legatos nobis factae annuentes, omnia et singula quae in dicto Concilio tam sub fel. rec. Paulo III et Iulio III, praedecessoribus nostris, quam pontificatus nostri tempore, decreta et definita sunt, Auctoritate apostolica, etiam de Venerabilium Fratrum nostrorum Cardinalium consilio et assensu, matura cum illis deliberatione praehabita, confirmamus atque ab omnibus Christifidelibus recipi et inviolabiliter observari mandamus, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen ».[1]

Qua suprema Decretorum confirmatione confirmata implicite remansit doctrina sancti Thomae, siquidem ipsum Concilium eandem perpetuo retinuit, tres illi praedicti Pontifices fuerunt et ipsi eadem doctrina imbuti, ut supra, ubi de *Pontificum Testimoniis* actum est, ostendimus, atque Thomistarum Theologorum opera, in discutiendis ultimo articulis Romae, imprimis usi sunt.

416. Ultimum denique argumentum habemus ex scriptione *Catechismi Romani*, seu *Tridentini* et quidem ad Parochos.[2] Concilium quippe iussit conscribi ex doctrina quam perpetuo observavit ac tenuit, nempe sancti Thomae imprimis doctrinam; Pius Papa V, doctrinae sancti Thomae strenuus aemulator, iussum compleri fecit; illi demum qui conscripserunt, sancti Thomae discipuli veri fuerunt. Unde doctrina *Catechismi*, qualem praescripsit Concilium qualemque scripserunt *Catechismi* auctores, ipsamet sancti Thomae doctrina dicenda est.

[1] Vide *Acta Concilii Tridentini*, in fine, edit. Coloniae Agrippinae, 1688.

[2] Hic notandum occurit « reformationem » tum intellectualem tum moralem in Clero inchoatam fuisse et promotam a Concilio Tridentino. Hinc a FOSCARARIO et sociis inscribitur *Catechismus Romanus ad Parochos*; a B. BARTHOLOMAEO DE MARTYRIBUS O. P., *Stimulus Pastorum*; a Fr. BARTH. AB ANGELO O.P., *Examen Confessariorum*, etc.

Hanc vero doctrinam quae in *Catechismo* peregregie compendiatur esse simul et doctrinam Ecclesiae Catholicae, nullus erit qui inficietur. De quibus videnda sunt ea que de *Testimonio* Clementis XIII et Leonis XIII notavimus.[1]

Ea sunt quae in commendationem doctrinae sancti Thomae praestitit Concilium Tridentinum inter omnia celeberrimum.[2]

Neque abs re erit si memineris quot Praelati cuiuscumque nationis Concilio interfuerint, scilicet Itali, 187; Galli, 27; Germani, 2; Hispani, 31; Lusitani, 3; Graeci, 6; Poloni, 2; Hungari, 2; Angli, 1; Hiberni, 3; Flandri, 2; Croati, 1; Moravi, 1: Illyrici, 3.

VIII.

CONCILIUM VATICANUM

1870.

417. De testimonio Concilii Vaticani verbum vix facturi sumus, quum omnes sciant divum Thomam ab omnibus in eodem Patribus qua Theologiae Dogmaticae, Moralis et Mysticae principem et ducem habitum esse atque ipsius nedum documenta, sed et ipsamet verba in Constitutionibus a Patribus ibidem deliberatis et a Pontifice confirmatis usurpata fuisse.

Doctrinae caeterum sancti Thomae quasi omnes sese fautores ac vades exhibuerunt Episcopi et Theologi. Ex Ordine Praedicatorum accesserunt duo Cardinales et viginti quinque Episcopi, inter quos doctrina eminebant Fr. Franciscus Gaude Cardinalis, Fr. Iosephus Alemany Archie-

[1] Vide supra, nn. 182, 183, 355.

[2] His adde, si libuerit, hanc Concilii devotionem in divum Thomam unam fuisse ex potioribus rationibus, cur Ioannes Moronus, Cardinalis ad Concilium primus Legatus Pontificis atque ipsius Concilii praeses, sepeliri voluit in ecclesia Sanctae Mariae supra Minervam, non longe a sacello Divi Thomae nuncupato, cuius sepulchro appositum est hoc epitaphium:

HIC IACET CORPVS CARDINALIS MORONI | PATRITII MEDIOLANENSIS ET EPISCOPI OSTIENSIS | QVI FVIT LEGATVS APOSTOLICVS SACRO CONCILIO | TRIDENTINO. ET PRAESES | VIXIT ANNOS LXXI MENSES X DIES V | OBIIT I DECEMBRIS MDLXXX. | ORATE DEVM PRO EO | HIERONYMVS MORONVS COMES PONTIS CORONI HAERES | HORATIVS MORONVS EPISC. SVTRINVS ET NEPESINVS | FRATRES FILII DOMINO AC PATRONO OPTIMO | EX TESTAMENTO MOERENTES PP. — Cf. J. J. BERTHIER, *L'église de la Minerve à Rome*, p. 109.

piscopus civitatis Sancti Francisci (vulgo: San Francisco), Fr. Thomas Michaël Salzano Archiepiscopus Edessensis, Fr. Emmanuel Garcias Gil Archiepiscopus Caesaraugustanus, qui Praesidens electus est in Deputatione pro rebus ad Fidem pertinentibus.

Inter Consultores vero scientia theologica eminebant Fr. Marianus Spada, Fr. Maria Hyacinthus de Ferraris, etc. Thomam vero per doctrinam Concilio Vaticano, sicut et caeteris retro usque ad Lugdunense II, quasi praefuisse ita asserit Leo Papa XIII: « Ipsa quoque Concilia oecumenica, in quibus eminet lectus ex toto Orbe terrarum flos sapientiae, singularem Thomae Aquinati honorem habere perpetuo studuerunt. In Conciliis Lugdunensi, Viennensi, Florentino, Vaticano deliberationibus et decretis Patrum interfuisse Thomam, et pene praefuisse dixeris, adversus errores Graecorum, haereticorum, et rationalistarum ineluctabili vi et faustissimo exitu decertantem. Sed haec maxima est et Thomae propria... laus, quod Patres Tridentini, etc. ».[1] Si autem conferas Canones Concilii Vaticani cum divi Thomae doctrina, perspicies clare istam neque unguem ab illis discrepare, immo verba ipsa eiusdem in Canones transiisse.[2]

Habes inde, Lector, qualis et quanta fuerit divi Thomae auctoritas in solemnissimis Ecclesiae Comitiis, quantumque eidem ex hac approbatione, atque ex hoc usu momentum gravitatis accesserit.

418. A referendis Conciliis provincialibus abstinemus, tum quia res inutilis foret, quum plerumque Ecclesiae usum adamussim sequantur; tum quia res fastidiosa, utpote fusior et prolixior.

Hic retulisse sit satis testimonium antea laudati P. Thomae Pii a Ponte, S. I.: « Concilia omnia, tam generalia quam provincialia, quae post sanctum Thomam acta fuerunt, canones suos et decreta, iuxta huius sancti Doctoris doctrinam, praecipue ediderunt ».[3]

Ex dictis colliget quisque P. Iosephum Ciantes, O.P., qui *Summam contra Gentes* in hebraicam linguam transtulit, merito et lepide arguisse quoad anteacta tempora: « Praedicatorum Familiam suum classicum Doctorem paulatim amittere; nam in dies eius doctrina non in opiniones quas multas habet, sed in dogmata, probante Ecclesia, erumpit, et quae prius sine solemnitate delitescebat in chartis, nunc super candelabrum Ecclesiae, definitione vallata, praeconiata, assensum firmum exquirit, ut si quis sepem dissipare contendat, mordeat eum coluber ».[1]

Frequentius nostris hisce temporibus Concilia provincialia institerunt, praesertim in Americis, ubi Concilium Plenarium Latino-Americanum iussit solemniter ut in Universitatibus teneantur vestigia omnium Patrum, imprimis vero Angelici, ita ut ibidem sint « fideles discipuli et interpretes sancti Thomae »;[2] idemque fieri praescripsit in Seminariis.[3]

Haud secus Concilium V provinciae Mexicanae prohibuit, iuxta praescripta Bullae *Aeterni Patris*, ne alia traderetur iuvenibus doctrina philosophica aut theologica, quam doctrina Angelici.[4] Idem rursus praescripsit Concilium Provinciale Antequerense, anno 1894.[5]

Sed de hisce satis, unde appareat divum Thomam iamdiu evasisse Conciliorum Theologum principem.

[1] Const. *Aeterni Patris*, data die 4 augusti, 1879.
[2] Adeas supra laudatum SIMAR, *Lehrbuch der Dogmatik*, passim ubi de argumentis in Concilio Vaticano tractatis agitur.
[3] In I^am^, quaestio unica, Prol., dub. XIV. Immo, vivente ipso Thoma, anno scilicet 1260, Concilium Arelatense diris devovit *Evangelium aeternum* Fr. GERARDI A S. DONNINO, Ord. Min., quod sane etiam factum est propter confutationem a Fratre Thoma editam. Ex quo omnes Abbatis Ioachim asseclae phantastici, et coaevi et futuri, damnati remanserunt, omnisque illa continuata colluvies Fraticellorum, Molinosistarum, Mariavitarum ex eodem principio orta. Vide DUPIN, *Hist.*, saec. XIII, p. 566.

[1] Ita refert GRAVINA, *Cherub.*, lib. II, cap. v, n. 7
[2] *Acta*, n. 694.
[3] Ibid., n. 626.
[4] Ibid., n. 145.
[5] Ibid., n. 390.

PARS TERTIA.

TESTIMONIA EPISCOPORUM

419. Episcoporum testimonia de sancti Thomae doctrina eximia hic innumera afferenda sane forent, et quidem per sex saecula continuata, nosque plura inter individuorum testimonia recitaturi mox sumus. Quia tamen, disponente Deo, hoc habemus quod aliquando omnes simul totius christiani Orbis Episcopi sententiam suam protulerint, ubi videlicet agebatur de concedendo titulo Patroni Academiarum, Universitatum et Scholarum catholicarum in honorem sancti Thomae Aquinatis, atque huiusmodi testimonia coram Sacra Rituum Congregatione collata ex officio ac discussa fuerint, atque demum a Summo Pontifice approbata et confirmata, hinc nos hic ipsam Relationem, quam confecit Emus Cardinalis Bartolini integro textu referimus, omissis testimoniis prope infinitis per retroactam aetatem dispersis.

Immo hic tria adnotata volo. Unum est Episcopos totius Orbis christiani non solum qua theologos individuatim sententias de re proferre, sed quasi ex officio proprio, dum Summo Pontifici interroganti respondent.

Alterum est viros illos doctos, etiam laicos, qui nomina sua nominibus Episcoporum apponunt, sententias suas ex Episcoporum sententiis confirmare atque vicissim: unde istorum iudicia non male Episcoporum iudiciis annexa fuerunt.

Tertium est illos Episcopos sententias ferre non quidem separatim atque dispersim; sed coniunctim, et qua membra totius Ecclesiae docentis: unde, iuxta theologos, augetur singulorum auctoritas.[1]

Hinc non male, ut videtur, tota illa Relatio refertur, quae ex propria natura et indole auctoritatem magnam sortitur, maiorem etiam ex Congregationis et Pontificis approbatione obtinet, ita ut reapse praedictus Patroni titulus divo Thomae concessus fuerit summa solemnitate, unanimi omnium bonorum et doctorum plausu.

Relationis vero auctor Cardinalis Bartolini, vir sancto Thomae egregie affectus, apud Sacram Rituum Congregationem fuit.

[1] Vide J. J. Berthier, *De locis theologicis*, n. 377, sqq.

URBIS ET ORBIS.

CONCESSIONIS TITULI PATRONI ACADEMIARUM, UNIVERSITATUM ET SCHOLARUM CATHOLICARUM IN HONOREM SANCTI THOMAE AQUINATIS, DOCTORIS ORDINIS PRAEDICATORUM.

PRIMA POSITIO.

Instantibus plurimis Emis S. R. E. Cardinalibus, Rmis Archiepiscopis, Episcopis, etc.

« Eminentissime et Rme Domine.

420. I. « Quanta semper fuerit existimatio sapientium virorum immo totius catholicae Ecclesiae, qui magistra veritatis est, de egregia sanctimonia et doctrina qua sanctus Thomas Aquinas praefulsit, a nemine prorsus ignoratur. Immo nemo est qui recolens ea quae gessit, et aurea quae scripsit volumina perlegens dubitet eum Magni cognomento appellare iuxta Christi Domini effatum: " qui fecerit et docuerit hic magnus vocabitur. " Quare nec sine divino consilio Angelici nomen ei fuit additum, quod Angeli ad instar in carne vixerit, neque inconcinne soli comparatus fuit, quod doctrinae suae radiis, ac virtutum splendore Christi Ecclesiam illustraverit. Supervacanei proinde operis foret infinitas prope laudes hoc loco memorare quibus Vir summus sex abhinc saeculis a romanis Pontificibus, a Conciliis, a religiosis Ordinibus, ab Academiis illustribus, ab omnibus viris doctis, Theologis praesertim et Philosophis, ne exceptis quidem prudentioribus heterodoxis, ornatus est. Cum autem ipse veritatem quae aeterna est in suis operibus conscribendis constanter sequutus fuerit, et evangelicam perfectionem, cuius decus immutari nequit, in suis moribus expresserit, non est ambigendum, quin ea fama quam est indeptus ita sit duratura ut nulla unquam aetas de eius laudibus conticescat.

II. « Nihilo secius novitatis studium quod mortalium animos facile solet abripere, effecit saeculis praesertim XVII, XVIII et hoc quo vivimus, ut plures qui theologicas et philosophicas disciplinas tradiderunt, venerandam antiquitatem, quam sanctus Thomas sequutus fuerat, fastidirent, ac non modo alia et liberiori forma in didacticis operibus adornandis delectarentur quod facile ignoscendum fuisset, non modo methodos alias excogitarent ac praeferrent, quod non temere fuisset pertentandum, sed etiam aptam illam praecisamque veritatis demonstrandae rationem qua tantopere Doctor Aquinas valuit, despicerent ac fere in ludibrium verterent, ac demum, in deterius labentes, ipsas veritates luculentissimas in utraque scientia, et solida illarum firmamenta, quae Vir sanctus eiusque discipuli strenue propugnaverant, impeterent, in dubium revocarent, et convellere niterentur. Facile intellectu est quaenam exinde perturbatio, quae opinionum dissensio, quae tenebrarum obductio sequuta fuerit, et quam commodam sibi opportunitatem datam rati sint tenebrarum filii ut omnia miscerent in severiorum disciplinarum cultura ac Fidei divinae humanam rationem opponerent: quo facto eo demum rem perduxere, ut Fidem simul ac Scientiam miserrime infecerint, iuvenum mentes et corda corruperint, inductis vel in lucem revocatis monstruosis opinionum commentis, quae Rationalismi, Pantheismi, Materialismi, Scepticismi nominibus designantur.

III. « Itaque in hac corruptione morum et veteris disciplinae perturbatione, ne deteriora exitia humana societas patiatur, a sapientissimis catholicis viris cogitatum fuit de philosophicis doctrinis ad primaeva et solida principia revocandis, ut cum christiana scientia rerum divinarum non quasi adversae et infensae committantur, sed ad effundendum verae sapientiae lumen amice conspirent; id vero potissimum auspiciis et ductu sancti Thomae Aquinatis percommode fieri posse censuerunt, eo vel magis quo nobiliores catholicarum regionum ephemerides idipsum propugnaverint, et viri doctissimi eiusdem sancti Doctoris terentes vestigia, editis operibus errores aetatis nostrae profligare, et christianam Philosophiam, ex qua morum emendatio pendet, in scholas iterum invehere multa cum laude instituerint.

IV. « Nobiles eiusmodi conatus cum in Europa tum extra ad instaurationem solidae scientiae comparatos plaudens excepit, fovitque almum Theologorum Collegium Neapolitanum, utque iis quoddam quasi culmen imponeretur sategit, rogans nimirum apostolicam Sedem, caeterarum matrem, ut Angelicus Doctor, tanquam doctrinae sanctitati coniunctae exemplar absolutissimum, catholicarum Academiarum, Universitatum ac Scholarum Patronus et Auspex constituatur. Scilicet ut olim sa. me. Benedictus XIII sanctum Aloysium Gonzaga, ob insignem castimoniae laudem adolescentiae Patronum dedit, sic hodie omnibus severiorum disciplinarum cultoribus qui coniunctim iis docendis discendisve operam navant, apostolico pariter oraculo, Thomas Aquinas in Patronum cooptetur.

V. « Supplices hasce preces minime despiciendas ratus est Ssmus Dominus Pius IX; immo Litteris die 3 maii 1875 ad Emum Neapolitanum Archiepiscopum datis postulantium studia commendavit, sapienter tamen animadvertit " cum haec vota totum respiciant Orbem... id undique petendum esse, ut res iuxta eorum ad quos pertinet suffragium rite decernatur."

VI. « Iam vero cum precibus tunc oblatis accesserint aliae petitiones innumerae ab omnibus ferme christiani Orbis Episcopis, a religiosis Ordinibus, et Academiis praeclarissimis, Rmus P. Iosephus Maria Sanvito Vicarius Generalis Ord. Praedicatorum, cuius diligentiae commissum fuit postulationes illas sacro huic Ordini exhibere, eas obsequenter producit et sapientiae Patrum Emorum confisus sperat eas volenti libentique animo exceptum iri; at quum fere turpe sit oblatum decus sancto Viro religiosae Familiae cui praeest respuere aut negligere, preces suas adiicit ultro, ut Angelicus Doctor catholicarum Academiarum, Universitatum et Scholarum Patronus, suffragante hoc sacro Coetu, ex oraculo sanctae Sedis declaretur ac proponatur. Quod si iuxta vota ceciderit veluti boni omnes ominantur, scientiae et mores fidelium novum recipient lumen, praesidium et incrementum. Ita Christi Ecclesia quae Thomae memoriam recolens Deum rogat ut fideles possint " et quae docuit intellectu conspicere, et quae egit imitatione complere," gratulabitur quasi oblato pignore triumphi, quem de falsa philosophia et pravitate morum victrix assequetur.

« Quare etc.

« Hilarius Alibrandi.

« *Revisa:* Augustinus Adv. Caprara, S. R. C. Assessor
et S. Fidei Subpromotor ».

SUMMARIUM LITTERAE POSTULATORIAE.

421. I. Litterae Emi ac Rmi Dni Cardinalis Archiep. Neapolitani, et almi Collegii Theologici eiusdem Civitatis Neapolitanae:

« Beatissime Pater. Nobis attente considerantibus innumera et gravissima mala, quibus hominum societas ubique terrarum nostris hisce temporibus opprimitur, eorum causa ea ipsa esse videtur, quam veluti causam malorum suo tempore inundantium deplorabat Oseas,[1] quod scilicet " non est veritas et non est scientia Dei in terra. " Quum enim permulti scientiarum professores, saeculi superbia abrepti, divinae revelatio-

[1] *Os.*, IV, 1.

nis lumen abiecissent, dicentes Deo: " Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus," ita corrupti et abominabiles facti sunt in studiis suis, ut omnem prorsus humanam disciplinam pestifero errorum veneno infecerint. Et quod valdius dolendum est, inter ipsos sacrarum scientiarum cultores non defuerunt, in Germania praesertim, qui rerum novarum studio abducti Ecclesiae docentis auctoritatem parvipenderunt, et eo praetextu ut rationis iura tuerentur, perniciosissimum, et ab apostolica Sede toties damnatum Rationalismi systema in Theologiam importarunt; atque ita sacratissimae illius disciplinae, cuius est facem praeferre, qua praelucente caeterae omnes scientiae a syrtibus et scopulis sibi caveant, veram indolem, ac naturam per summam audaciam perverterunt.

« Iam vero quum nobis semper persuasissimum fuit illud quod tu, Beatissime Pater, die 21 decembris anni 1863, ad Archiepiscopum Monecensem et Frisingensem scribebas: " Scientiarum nempe progressum et felicem exitum in devitandis, ac refutandis, miserrimae nostrae aetatis erroribus omnino pendere ab intima erga veritates revelatas adhaesione, quas Catholica docet Ecclesia; " in eam iam devenimus sententiam, nullum aptius efficaciusque temporum nostrorum malis afferri posse remedium, quam ut veritatum revelatarum scientia in maximum qui fieri possit honorem revocetur.

« Porro ecquis rerum ecclesiasticarum tam rudis est qui ignoret Theologiam nunquam maiori in pretio habitam fuisse, quam Doctorum scholasticorum tempore, quando scientiae omnes, tanquam pedissequae ancillae, ei famulabantur, et ipsa, tanquam rectrix stella, divina sua luce, illas omnes illustrabat? Certe quidem de Theologia scholastica iam inde a suo tempore sanctissimus decessor tuus Xystus V, in Constitutione *Triumphantis*, die 19 martii anni 1588, § 10, scribebat: " Tam salutaris scientiae cognitio et exercitatio, quae ab uberrimis divinarum Litterarum, Summorum Pontificum, Sanctorum Patrum, et Conciliorum fontibus dimanat, semper certe maximum Ecclesiae adiumentum adferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere et sane intelligendas et interpretandas, sive ad Patres securius et utilius perlegendos et explicandos, sive ad varios errores et haereses detegendas ac refellendas. His vero novissimis diebus, quibus iam advenerunt tempora illa periculosa, ab Apostolo descripta, et homines blasphemi, superbi, seductores proficiunt, in peius errantes, et alios in errorem mittentes: sane catholicae Fidei dogmatibus confirmandis et haeresibus confutandis pernecessaria est: et profecto rem ita se habere ipsimet veritatis inimici sunt iudices, quibus Theologia scholastica maxime est formidolosa, qui profecto intelligunt apta illa, et inter se nexa rerum et causarum cohaerentia, illo ordine et dispositione, tanquam militum in pugnando instructione, illa arguuentorum firmitate, et acutissimis disputa-

tionibus lucem a tenebris, verum a falso distingui, eorumque mendacia multis praestigiis atque fallaciis involuta, tanquam veste detecta, patefieri ac denudari. Quanto igitur magis illi hanc munitissimam scholasticae Theologiae arcem oppugnare et evertere conantur, tanto magis nos decet hoc invictum Fidei propugnaculum conservare et tueri, et acerrimos veritatis defensores meritis honoribus, quantum possumus, decorare. "

« Tuque ipse, Beatissime Pater, in supradictis Litteris ad Monachi et Frisingae Archiepiscopum, damnans illorum errorem qui iactitabant " Methodum et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus et scientiarum progressui minime congruere, " solemniter affirmabas quod " Ecclesia saepissime summis laudibus theologicam Scholasticorum doctrinam extulit, illamque veluti fortissimum Fidei propugnaculum, et formidanda contra suos inimicos arma vehementer commendavit. " Quapropter nos neminem in dubium revocare posse arbitramur quin ut scientia veritatum revelatarum in honorem revocetur, Doctorum scholasticorum studium omnibus, quibus fieri potest, modis sit promovendum.

« Verum et illud nos pro certo habemus, ad huiusmodi scopum adsequendum plurimum conferre si quis sanctus Doctor adsignetur, qui simul et huius scientiae Magister exsistat, ed studiosorum eius apud Deum suscipiat Patrocinium. Omnibus sane compertum est; praeter sanctos civitatum populorumque Patronos alios quamplurimos numerari, quos christiana pietas ad certas vitae conditiones et negotia, et ad mala quaedam repellenda invocavit, ut monent Theophilus Raynaudus, Guyetus, Crusius, et praecipue immortalis memoriae Benedictus XIV. Quid igitur mirum, si ad omnem impietatem a scientiis averruncandam singularis aliquis apud Deum Patronus constituatur?

422. « Quis autem ex sanctis Scholarum Doctoribus ad huiusmodi Patronatum praeeligendus sit anceps ac nutans esse nemo potest. Ipso enim in limine sanctus Thomas, Angelicus ille Doctor obviam occurrit, qui exemplo suo prae omnibus ostendit quam vera sit illa tua sententia, a nobis superius citata: " Scientiarum nempe progressum omnino pendere ex intima erga veritates revelatas adhaesione." Ipse enim non modo veritates revelatas tanta luce perfudit ut extra beatificae visionis meridiem, amplior nec optari, nec sperari posse videatur: sed scientias etiam rationales ac naturales tanta veritate pertractavit, ut in his non secus ac in illis omnium instar merito esse possit. Certe quidem doctrina sancti Thomae tantam in toto Orbe obtinuit auctoritatem, quantam, excepta Canonica, nulla alia unquam obtinuit. Huic enim innumerabiles primae notae Theologi se adhaerere professi sunt; hanc suis commentationibus explanandam susce-

perunt doctissimi quique cuiusque nationis viri; hanc sequi gloriatae sunt quotquot fuerunt catholicae Academiae et studiorum Universitates; hanc pro aris et focis propugnarunt insigniores religiosorum Ordinum familiae; hanc exquisitissimis praeconiis extulerunt summi christianorum Parentes et Magistri, romani Pontifices; hanc ipsa Ecclesia universa in oecumenicis Conciliis congregata veluti lydium veritatis lapidem suspexit, et ad eius normam Decreta sua exigere non est dedignata, ita quidem ut non immerito Antonius Goudin Angelico Doctori applicaverit verba illa, quae de Christo leguntur apud Ioannem: " Ecce, mundus totus abiit post eum."

« Quibus rationibus adducti, nos, qui tanti Doctoris gloriamur esse concives, clientes et sectatores addictissimi, quique olim in ea ipsa studiorum Universitate sedem habebamus, in qua ille, tanta sui nominis laude, theologicam cathedram rexit, hoc a te, Beatissime Pater, humillime efflagitamus, ut quem nos ab immemorabili Collegii nostri Patronum colimus ac veneramur, tu, apostolica tua Auctoritate, omnium omnino praesentium, ac futurorum Collegiorum, Seminariorum, Academiarum et Scholarum cuiuscumque generis, et praesertim catholicarum studiorum Universitatum, principem Patronum solemniter renuncies.

« Nos quidem haud latet, tuum praedecessorem Benedictum XIII suo Decreto diei 22 novembris 1729 sanctum Aloysium Gonzagam omnibus et singulis Gymnasiis et Collegiis generalium et non generalium studiorum principem Patronum constituisse. Verum praeterquam quod apostolica Sedes, quemadmodum Benedictus XIV adfirmat, hoc in more positum retinet, ut quamvis antea aliquem Sanctum alicuius rei Patronum renunciaverit, tamen, cum peculiares circumstantiae id suadere videntur, eundem titulum et honorem alteri concedere non dubitet, ecquis non intelligit, sanctum Thomam diversa prorsus ratione ac sanctum Aloysium, principem studiorum Patronum a nobis postulari? Sane, si illius Pontificis mentem nobis interpretari fas est, in constituendo sanctum Aloysium principem studiosae inventutis Patronum, hoc ille in mente habuit, ut iuventus tot seductionum periculis obnoxia, proposito sibi angelici illius Iuvenis exemplo, ad eius castimoniam ac pietatem imitandam alliceretur. Nunc autem agitur de scientiis ipsis reformandis; agitur de Theologia ad propriam ac nativam dignitatem restituenda; agitur de declarando Patrono non solum studiosae iuventutis ut recte vivat, sed etiam Praeceptorum ut recte doceant; agitur de concordia inter rationem et Fidem, inter scientiam et pietatem promovenda: uno verbo angelicus Aloysius sit Patronus quoad cor, angelicus Thomas sit Patronus quoad cor simul et quoad mentem.

« Nec nos praeterit ex Urbani VIII decreto " Patronorum electionem fieri debere per eorum suffragia qui speciale mandatum habent illos repraesentandi, quorum tutelae Sancti ipsi praeficiendi exoptantur." At

nobis compertum est supplices huiusmodi postulationes a plerisque Europae regionibus iam ad te fieri; atque utinam rerum ac temporum conditio sineret, nulla procul dubio catholici Orbis pars esset, quae id a te non efflagitaret. Caeterum quis neget te, Beatissime Pater, pro suprema, qua polles, potestate, memoratae legi derogare posse, uti et alias factum fuisse accepimus?

« Hanc autem postulationem eo fidentius tibi porrigimus, quod magna spe sustentamur ipsam tum Deo optimo maximo, tum tibi qui Dei in terris vices geris, acceptam fore. Deo quidem: nam nos putamus non sine altissimo divinae Providentiae consilio factum fuisse, ut, anno proxime elapso, recurrente sexta centenaria luce ab obitu Angelici Doctoris, tanta ubique terrarum excitata fuerit omnium hominum commotio, qua non solum religiosis, splendidis sane ac sumptuosis ritibus, sed litterariis etiam ac scientificis solemnitatibus, ac praesertim novarum Academiarum institutione, illius memoria celebrata fuit. Tibi autem, Beatissime Pater, quis dubitet? Tu enim non solum solemnitates illas tuo patrocinio tuaque benedictione prosecutus es: sed in Litteris datis ad Academiam Philosophico-theologicam, sub patrocinio sancti Thomae Aquinatis, in hac ipsa nostra civitate institutam, sapientissimis hisce verbis usus es: " Omnia, quibus premimur, mala manare perspicimus a diuturno sanae doctrinae neglectu et desertione; sic ambigendum non esse ducimus quin illa, in honorem revocata, et in peculiares vitae usus traducta, radicem ipsam malorum plane sit extirpatura. Id vero nec aptius perfici posse patet, nec efficacius, quam per sancti Thomae doctrinam, qui scientiam universam ab inconcussis derivatam principiis in unum compegit corpus, et lucidissime digestam ita explicavit et exposuit, ut nullum occurrat verum quod non attigerit, nullus error cui profligando idonea non suppeditaverit arma. Quocirca dum vos huic doctrinae asserendae, tradendae, propagandae sedulam operam navare decrevistis, non minus acceptum Angelico Doctori honorem detulisse putamus, quam officium Religioni, veritati, scientiae, Reipublicae plane pretiosum." Quibus verbis quid verius, quid ad vota nostra opportunius dici potest?

« Quapropter nos non speramus modo, sed etiam confidimus, te, Beatissime Pater, humillimas nostras preces benigno favore prosecuturum, atque hoc animo ad tuos pedes provoluti, illos peramanter deosculamur, tuam paternam atque apostolicam benedictionem implorantes.

« Datum Neapoli, Dominica in Albis, 1875.

« Sanctitatis tuae

« Devotissimi addictissimique in Christo Filii et Famuli

« SYSTUS Card. RIARIO SFORZA Arch. ac Magnus Canc.

« Fr. Thomas Michaël Salzano Arch. Edessen. Decanus cum omnibus aliis eiusdem Collegii ».

423. « Pius Papa IX. Dilecte Fili noster, venerabiles Fratres et dilecti Filii, salutem et apostolicam benedictionem. Nemini certe res litteraria, disciplinaeque altiores, totaque, qua late patet, scientia commendaretur aptius, quam sancto illi Doctori, qui angelico ferme intellectu ditatus, ita scripsit de humanis divinisque rebus ut ab ipso Domino nostro diserte probari meruerit. Laudamus itaque desiderium quo petitis ipsum Patronum constitui Universitatibus omnibus, Gymnasiis et Collegiis; at cum haec vota totum respiciant Orbem, vos simul animadvertere gaudemus id undique petendum esse ut res iuxta eorum, ad quos pertinet, suffragium rite decernatur. Iam vero contentio, quam passim excitatam laeti conspicimus exigendi philosophicas theologicasque disciplinas ad scholasticam methodum, suadere videtur huiusmodi postulata crebriora in dies fieri debere; quod certe assequetur, ut, honore multo splendidiore, sancto Doctori ab omnibus expetito Patronatus universalis Studiorum ab hac sancta Sede deferatur. Non ambigimus autem quin ipse e coelo sit amplam relaturus gratiam egregio desiderio vestro, atque ita sit adfuturus conventibus laboribusque vestris, ut veri et optimi eius disciplui ab omnibus haberi mereamini. Interim superni favoris auspicem, et praecipuae nostrae benevolentiae pignus vobis omnibus apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

« Datum Romae apud Sanctum Petrum, die 3 maii, anno 1875. Pontificatus nostri anno vicesimonono.

« Pius Papa IX. Dilecto Filio nostro Xysto Tituli Sanctae Sabinae Presbytero S. R. E. Cardinali Riario Sforza Arch. Neapolitano, caeterisque Praesulibus et Theologis almum Neap. Theologicum Collegium constituentibus ».

424. II. Episcoporum Provinciae Neapolitanae:

« Beatissime Pater. Quae non semel aut iterum, sed saepe saepius a te, supremo Fidei morumque Magistro, ac fallere nescio, sacrarum rerum Antistites acceperunt de publica iuventutis institutione et educatione ad rectam atque sapientem normam exigenda, si ullo unquam tempore perutilia visa sunt, hac nostra tempestate prorsus necessaria evasisse nemo est qui neget. Pravarum enim doctrinarum fautores et propagatores, sicut tu ipse venerabili Fratri Hermanno Friburgensi Episcopo scripsisti, "nihil intentatum, nihilque inexpertum relinquunt, ut omnem Ecclesiae potestatem, eiusque salutarem vim, quam ipsa Ecclesia ex divina sua institutione semper exercuit, et in humanae societatis instituta exercere debet, vel magis in dies coarctent, vel ab eisdem institutis arceant, et ipsa instituta pleno civilis politicaeque auctoritatis arbitrio subiiciant ad imperantium placita, et ad volubilium aetatis opinionum rationem."

« Cum ita se res habeant, Episcopi, qua late patet Orbis, suas partes existimant se se murum opponere pro domo Israël, et stantes in praelio nec labori, nec industriae parcunt, ut adolescentium iuvenumque studiorum ratio, ac magistrorum vitae institutio praestantissimo educationis fini respondeant. Utinam pastoralis officii fructus colligere, et virtutum semina spargere quam saepissime non prohiberentur! Verumtamen, cum neque qui plantat sit aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus, in desiderio nobis est, qui Vineam Domini Sabaoth in Neapolitana Ecclesiastica Provincia excolimus, ut scientiarum litterarumque cultores coeleste praesidium novumque Patronum apud Patrem luminum et scientiarum Dominum suae conditioni habeant opportunum. Quapropter provoluti ad pedes Beatitudinis tuae, enixe te precamur, ut apostolica auctoritate decernas, Orbique universo mandes ut omnis doctrinarum studiosus, omnis Schola, omne Gymnasium ac Lyceum, sapientum Coetus, studiorum Universitates, Academiae sanctum Thomam Aquinatem, Doctorem Angelicum, Patronum sibi habeant ac venerentur.

« Nobis non latet sanctissimum iuvenem Aloysium Gonzagam a recolendae memoriae Benedicto XIII innocentiae et castitatis exemplar simul et Patronum studiosae iuventuti datum fuisse; at non sine causa alterius Sancti clientelae et patrocinio quotquot universe ad scientias litterasque animum adiiciunt commendare exoptamus. Nullibi enim hac nostra aetate studia revera et vigent et florescunt, nisi per instaurationem illius disciplinae, qua praestant Ecclesiae Patres et Scholae Doctores, quamque ipsa Ecclesia, sicuti perbelle tu idem aiebas venerabili Fratri Gregorio Archiepiscopo Monachiensi et Frisingensi, " summis laudibus extulit, illamque veluti fortissimum Fidei propugnaculum et formidanda contra suos inimicos arma vehementer commendavit." Quae disciplina ubi in honore est, scientias omnes, etiam naturales, vocat tanquam ancillas ad arcem, ex qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium. Humanae quoque litterae ab ea mutuantur argumentorum dignitatem, formaeque splendorem. At neminem fugit, Doctorem Aquinatem, solis instar, inter scholaticos Doctores refulsisse, et in se uno omnium Ecclesiae Patrum sapientiam collegisse. Ex quo factum ut festa eius sexies saecularia, quae superiori anno celebravimus, cum in Urbe, tum in quamplurimis aliis Italiae, Galliae, Germaniae, immo et Americae civitatibus, concors omnium recte sapientium hominum plausus exceperit. Noster enim Aquinas sua sapientia et sanctitate mentibus christianis se praebet studiosorum hominum defensorem in patria, et in via comitem. Quod si vota nostra, Beatissime Pater, benigno favore excipere digneris, et Doctorem Angelicum Patronum praecipuum aeque ac angelicum Iuvenem, iis qui scientiis litterisque vacant, attribuas, duo deinceps studiorum praesidia, Gonzagam iuventus, Aquinatem omnis aetas, singuli studiosi homines.

ac studiosorum coetus sibi comparabunt. Immo magnopere confidimus fore ut omnis studiosorum status sancti Thomae mira eruditione perculsus, sanctaque instructus operatione, non desinat et quae ille docuit intellectu conspicere, et quae egit imitatione complere.

« Cuius saluberrimi fructus ut nos et nostrae curae concrediti fideles iam nunc participes fieri possimus, tuam apostolicam benedictionem omni animi demissione et cordis affectu efflagitamus.

« Neapoli, die festo sancti Thomae Aquinatis, 1875.

« Beatitudinis tuae

« Humillimi addictissimique in Christo Filii et Famuli
« Xystus Cardinalis Riario Sforza Archiepiscopus Neapolitanus
« Dominicus Zelo Episcopus Aversanus
« Iosephus Formisano Episcopus Nolanus
« Francesco Vescovo D'Ischia
« Hyacinthus Magliulo Episcopus Acerrarum
« Ianuarius de Vivo Episc. Theanens. et Coadiutor Puteolanus ».

425. III. Emi ac Rmi Episcopi Perusini, et aliorum Episcoporum Umbriae etc.:

« Beatissime Pater. Ad aures nostras nuper pervenit Emum S. R. E. Cardinalem Archiepiscopum Neapolitanum, aliosque Italiae Episcopos supplicem Beatitudini tuae libellum exhibuisse, petentes ut his temporibus catholicae veritati optimaeque studiorum rationi usque adeo infensis, Angelicum Doctorem Thomam Aquinatem, apostolica qua polles auctoritate, omnibus Scholis studiorumque Universitatibus, quae catholico nomine donantur, Patronum constituas.

« Nihil profecto aptius ad grassantium errorum pestem a religiosa civilique societate avertendam, et ad subversi cuiusque ordinis tranquillitatem restituendam, quam sancti Thomae doctrina, qui non solum Fidei dogmata atque humanae rationis inventa argumentis validissimis communivit et ab hostium oppugnationibus tutatus est, sed etiam contra quarumlibet falsarum opinionum monstra aut strenue per se dimicavit, aut ad dimicandum arma suppeditavit. Atque haec quidem non tantum doctissimorum virorum mens, sed etiam plurium RR. Pontificum, qui sancti Doctoris sapientiam summo in honore habuerunt, tuaque, Beatissime Pater, certa sententia est, quam non semel datis pro opportunitate Litteris, tibi insidere palam professus es. Optimo proinde consilio Athenaea et Scholae, in quibus catholica iuventus ad litteras et scientias instituenda est, in sancti Thomae Aquinatis tutelam ac numen se se recipere satagunt; non in eum tantummodo finem ut eius nomine glorientur, sed potissimum ut humanas divinasque scientias iuxta methodum ac principia ad ipso constituta fideliter excolant et tradant; hinc enim in ipsas disciplinas maximum incrementum, in christianam autem Rempublicam uberem salutaremque fructum derivaturum haud immerito speramus. In id ipsum autem plurimum profecto conferet publicum Sedis apostolicae Decretum; quod praeclaris iis viris, qui sancti Doctoris sapientiam colunt et catholica studiorum domicilia constituunt vel moderantur, vires animumque addet, multosque alumnos veritatis et sanioris scientiae cupidos ad ea frequentanda vehementer impellet. Quapropter nos, qui sanctum Thomam Aquinatem ardenti semper amore prosecuti philosophicas theologicasque disciplinas secundum principia ac rationem ab ipso adhibitam Seminariorum nostrorum alumnis tradi ex animo optamus, vota precesque nostras votis precibusque quamplurium Italiae Episcoporum lubentes coniungimus, instanter obnixeque supplicantes, ut ad Fidei praesidium et decus, ad religiosae civilisque societatis bonum, ad optimam studiorum rationem pene universe collapsam restituendam, ad scientiarum bonarumque artium incrementum, solemni sanctione Angelicum Doctorem omnibus catholicis Scholis et Athenaeis Patronum constituas, et Ducem quem sequantur, proponas.

« Ad Beatitudinis tuae pedes provoluti, apostolicam benedictionem humillimo devotionis sensu imploramus.

« Beatitudinis tuae

« Ioachimus Card. Pecci Episcopus Perusinus
« Dominicus Archiep. Spoletanus
« N. Episcopus Fulginatensis
« Raphaël Episcopus Nursinus
« E. Episcopus Civipleben.
« Ioannes Episcopus Tudertinus
« I. Episcopus Eugubinus
« Nicolaus Episcopus Amerinus
« Hyacinthus Episcopus Narniensis
« Fr. Antonius M. Episcopus Nucerinus
« Antonius Episcopus Interamnensis
« A. Episcopus Urbevetanus
« Ioseph Episcopus Tiphernas
« Fr. Aegidius Episcopus Reatinus
« Paulus Episcopus Assisiensis
« Angelus Episcopus Mandelen.
« Dominicus Episc. Lystren. et Episc. Nursini Auxiliarius.

« Mense iunii 1875 ».

426. IV. Emorum ac Rmorum Patriarchae Venetiarum et Archiepiscoporum Burdigalen., Valentin., Anconitan., et Dublinen.:

« Beatissime Pater. Temporum miseranda conditio postulare videtur quod erroneis principiis occurratur, quibus in publicis scientiarum Athenaeis inficiuntur qui rationalibus disciplinis sese instruendos offerunt. Doc-

trina sancti Thomae Aquinatis universale ac tutissimum praeberet tanti restaurationis operis medium, sicuti olim praedicata fuit a celeberrima ac perantiqua Parisiensi Academia. Ipsa sanctum Doctorem appellavit omnium Universitatum lucidissimum candelabrum, a quo omnes fideles sanctae vitae et sanctae doctrinae lumen accipiunt. Hoc prorsus pacto, nostra quoque aetate, si scientiarum et sacrae imprimis Doctrinae cultores sanctum Thomam etiam in Patronum ac Ducem sibi proponerent, perquam efficax foret veluti scientiarum omnium firmamentum ac robur, ad pestiferam ingruentium errorum depellendam colluviem.

« Beatissime Pater, tu ipse, pro ardenti ac summo tuo puritatem doctrinae servandi studio, tantum Doctorem semel atque iterum praeclare extulisti, admonendo ut eius doctrinae fideliter inhaereant qui scientias edocent; unde omnes tecum sentiunt sapientes. Doctrina igitur sancti Thomae, quam qui tenuerit, teste Innocentio VI praedecessore tuo, nunquam invenitur a veritatis tramite deviasse, hodie etiam, veluti tutissima ad veritatem via, catholicis universim Studiis, supremo tuo magisterio et apostolica auctoritate, opportune proponeretur. Hocce eximio studio Urbanus V, item praedecessor tuus, percelebris Academiae Tolosanae Doctores hortabatur ut Angelici Doctoris doctrinam tanquam veridicam et catholicam sectarentur, eamque studerent totis viribus ampliare.

« Quapropter, Beatissime Pater, hisce temporibus, dum tot undique irruunt " oppositiones falsi nominis scientiae, " atque ubique gentium pseudoprophetae et pseudochristi tam impudenter laudibus extolluntur, ita ut " in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi, " apostolici magisterii tui oraculo nova divi Thomae eiusque doctrinae comparata commendatio, et luxuriantia comprimeret ingenia, et animos adderet iis quotquot in excolendis severioribus disciplinis et sana tuenda doctrina indefesse adlaborant. Unde ad Sanctitatis tuae pedes humiliter provoluti, instanter rogamus ut, solemni Decreto atque apostolicae auctoritatis oraculo, sanctum Thomam Doctorem Angelicum catholicis universim Scholis declarare Patronum benigne digneris.

« Interea, Beatissime Pater, hanc faustissimam occasionem nactus, multum me iuvat apostolicam implorare benedictionem et filiales aperire sensus cum quibus sum ut semper fui

« Burdigalae, die 30 iunii 1875.

« Beatissime Pater,

« Sanctitatis vestrae

« Humillimus Servus et devotissimus Filius

« FERDINANDUS Card. DONNET Arch. Burdigalensis
« I. A. Cardinalis Trevisanato Patriarcha Venetiarum
« Marianus Cardinalis Barrio Archiepiscopus Valentinus
« A. B. Cardinalis Antonucci Arch. Episc. Anconae et Humanae
« Paulus Cardinalis Cullen Arch. Dublin. Primas Hiberniae ».

427. V. Emi ac Rmi Cardinalis Archiepiscopi Mechlinien. et eiusdem Provinciae Episcoporum:

« Beatissime Pater. Ecclesia catholica quos Doctoris titulo et appellatione distinguit, quique " tanquam imbres eloquia sapientiae suae in Ecclesia Dei emiserunt," [1] eorum doctrinam commendare tunc maxime convenit, cum ingruente falsorum dogmatum illuvie Fides catholica et christiani mores periclitantur. [2] Hac vero miserrima aetate qua tot undique Religioni impendent pericula, perquam proficuum tum ad catholicae Fidei tutamen, tum ad christianam morum disciplinam, doctrinae imprimis sancti Thomae, iam tot summorum Pontificum perhonorifico [3] commendatae testimonio, nova quaedam apostolicae tuae auctoritatis Oraculo commendatio pro peculiaris aetatis nostrae necessitate compararetur. Quandoquidem sanctus Pius V ait: " Omnipotentis Dei providentia factum est ut Angelici Doctoris vi et veritate doctrinae, ex eo tempore quo coelestibus civibus adscriptus fuit, multae quae deinceps exortae sunt haereses, confusae et convictae dissiparentur. " Quapropter doctrina sancti Thomae, quam qui tenuerit, " nunquam invenitur a veritatis tramite deviasse," [4] a florentissimis olim Orbis christiani Academiis, cum notabili et Fidei catholicae et scientiae emolumento, in maximo habebatur honore, et cum primis antiquitus apud hanc in Belgio celeberrimam Lovaniensem Universitatem, cuius Doctoribus Alexander VII vehementer est gratulatus, quod sancti Thomae Aquinatis " inconcussa tutissimaque dogmata sequi semper ac impense revereri voluerint. " Quid igitur? Sponsa Christi Ecclesia, ac praesertim qui clavum eius tenet summus Pontifex, quae patiuntur nunc acerba nimis, iis sedandis malis remedium vix fuerit efficacius illo, quod similia passus fortissimus confessor sanctus Gregorius VII sic praeclare innuit: " Concussi periculo et manifesta perditione Dominici gregis, ad sanctorum Patrum decreta doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione nostra statuentes, sed primam et unicam ecclesiasticae disciplinae regulam, et tritam Sanctorum viam, relicto errore, repetendam et sectandam esse censuimus. " Doctrina autem sancti Thomae tantas ideo potissimum meruit laudes, quod scilicet, attestante sancto Pio V, tota procedit " ex certissima christianae regulae doctrina. " Unde ab Urbano V enixe commendatur amplectenda tanquam catholica et veridica. Peropportunum igitur foret, ac rei christianae haud parum afferret utilitatis si apostolica qua polles Auctoritate sanctus Thomas Doctor Angelicus catho-

[1] Sixtus V.
[2] Clemens XII.
[3] Benedictus XIV.
[4] Innocentius VI.

licis universim Scholis Patronus solemniter constitueretur. Quod facere ut benigne digneris, humiliter ac instanter rogamus.

« Mechliniae, 5 iulii 1875.

« V. Aug. Cardinalis Deschamps Arch. Mechlin.
« J. J. Ep. Brugen.
« Henric. Episc. Gandaven.
« Theodorus Ios. Episc. Namurcen.
« Edmundus Ios. Episc. Tornacen. ».

428. VI. Emi ac Rmi Cardinalis Archiep. et Archicancellarii Bononien., necnon Collegii Theologici eiusdem Universitatis Bononiensis:

« Beatissime Pater. Quanta pernicies derivetur in universam rem christianam, in iuventutem praesertim litterarum et scientiarum studiis addictam, ab ingravescente in dies mundanae sapientiae perversitate, qua pestifera cuiusque modi errorum colluvies undequaque diffunditur; atque doctrinae nedum revelatae, sed ipsarum quoque veritatum quae humanis comprehenduntur disciplinis, impio aeque ac insano ausu, subversio intenditur, nemo est qui non videat, nemo cordatus qui non deploret.

« Quod autem in tanta rerum tristitia maxime affligit animum est obcoecata ingeniorum petulantia, qua commenta et fallacias, quae circumferuntur, progredientis philosophiae nomine fucant, et tanquam exquisita scientiarum incrementa iactitant, societati toti decus omne et optatissima commoda inde pollicendo: ita ut prorsus in mala illa tempora ab Apostolo praenunciata incidisse videamur, quibus homines sanam doctrinam non sustinent, sed ad sua desideria coacervant sibi magistros prurientes auribus, a veritate auditum avertunt, et ad fabulas convertuntur; nec spes ferme ulla resipiscendi iam subest.

« Quae cum nos inenarrabili animi dolore recogitemus, et probe videamus unum tot malis ideo superesse remedium quod nempe omnipotentis Dei gratia aspirante, superni sui luminis diffusio fiat super faciem terrae, quo mentes a fallacibus ineptiis, a turpibus sophismatibus, quibus irretiuntur, ad germanam Ecclesiae Patrum et Doctorum sapientiam excolendam tandem revocentur: cumque non dubitemus ad tantum beneficium a divina pietate efficaciter efflagitandum, vim quam maximam nostris votis accessuram ex invocatione Sanctorum, quos Deus, dum in terris degerent, nobis doctores donavit, non possumus non adhaerere ex animo eorum sententiae, quibus visum est ad hanc sanctam Sedem desiderium afferre, ut Universitatibus omnibus, Seminariis, Gymnasiis, Collegiis studiorum, in universa Ecclesia, divus Thomas Aquinas Patronus coelestis et Dux solemni ritu constituatur. Equidem cunctos supernae aulae incolas nostris in necessitatibus auxiliatores invocare nos decet: neminem tamen

effugit titulus, quo praesenti in discrimine, studiorum Patrocinium Angelico Doctori peculiariter adserendum esse censeatur; quod quidem tu, Beatissime Pater, pretiosissimis verbis ad Eminentissimum Virum Neapolitanorum Archiepiscopum datis innuisti, quae huc referre gaudemus: " Nemini certe res litteraria, disciplinaeque altiores, totaque, qua late patet, scientia commendaretur aptius, quam sancto illi Doctori, qui angelico ferme intellectu ditatus, ita scripsit de humanis divinisque rebus, ut ab ipso Domino nostro diserte probari meruerit. "

« Hoc vero, quod modo laeti conspicimus commune fieri omnium fidelium studiosorum votum, nos almi Collegii Theologici Bononiensis Doctores iucundissimum habemus, hac etiam de causa, quod maiores nostri iam huiusce nostrae amplissimae Universitatis tutelam Angelico Doctori concreditam voluere.

« Itaque ad pedes gloriosissimi solii tui provoluti, Pater Sanctissime, integram tibi nostram devotionem profitentes, quidquid sumus, quidquid virium in nobis est, quidquid ex studiis nostris ac laboribus fructus expeti possit, paternae voluntati tuae, cui unice studere cupimus, humiliter dedicamus, enixe postulantes ut pro suprema tua auctoritate exoptatum divo Aquinati honorem solemniter iubere velis: ex quo indubitanter confidimus eximium fore christianae Reipublicae emolumentum, nimirum ut verae sapientiae viae repetantur, ac funestissimi, quibus premimur, errores perimantur: quod quidem, uti tu ipse praeclare monebas, " nec aptius perfici posse patet, nec efficacius quam per sancti Thomae doctrinam, qui scientiam universam, ab inconcussis derivatam principiis, in unum compegit corpus, et lucidissime digestam ita explicavit et exposuit, ut nullum occurrat argumentum rerum quod non attigerit, nullus error cui profligando idonea non suppeditaverit arma ».

« Hoc unum a paterna humanitate tua implorandum restat, Pater Beatissime, ut nos, cunctumque hunc nostrum Clerum tibi addictissimum, iuvenesque curis nostris commissos, benedictione tua apostolica solari atque firmare digneris.

« Bononiae, IV id. augusti, an. MDCCCLXXV.

« C. A. Cardinalis Morichini Archicancellarius
« Petrus Trombetti Decanus
« Caietanus Ratta Doct. Collegii Theol.
« Iosephus Migliori Doct. Collegii Theol.
« Carolus Calateri Doct. Collegii Theol.
« Carolus Biavati Curio ad S. Pauli
« Franciscus C. Battaglini Doct. Collegii Theol.
« Ioseph Canali Prim. Eccl. Bon. et Doct. Collegii Theol.
« Ioseph Rubbini Doct. Collegii Theol. ».

429. VII. Emi ac Rmi Cardinalis Archiepiscopi Beneventani, eiusque Suffraganeorum:

« Beatissime Pater. In suprema Ecclesiae specula constituto, tibi, sapientissime Pontifex, datum est cuncta, quibus in praesenti catholicus Orbis obruitur, mala scrutari, eorumque abditas causas detegere. Tuque ea, qua polles auctoritate, quaque ad Christifidelium tutamen urgeris sollicitudine minime cunctatus es omnia adhibere remedia, ut ab Ecclesiae agro evellantur zizania, bono frumento a spirituali nostro adversario eiusque asseclis superseminata. Idcirco a memorando illo die quo ad Petri Cathedram, arcano divinae Providentiae consilio, totiusque fere Orbis laetitia evectus es, illustriorum Praedecessorum tuorum vestigiis insistens, qua voce, qua scripto, tristissimae nostrae aetatis errores damnare nunquam desinis, eos praesertim qui philosophicorum inventorum specie vulgantur, ex penu deprompti fallacis illius scientiae, de qua monebat Apostolus: " Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum. "

« Cuius pastoralis tuae sollicitudinis duo praecipue exstant monumenta; et apostolicae nimirum Litterae, quas die 8 decembris anno 1864 una cum Syllabo damnatorum errorum ad universos catholici Orbis Antistites misisti, et oecumenici Concilii Vaticani Decretum, quo, toto consentiente Patrum Coetu, rationis et Fidei limites sapienter declarati sunt, earum concordia definita, perniciosissima Naturalismi seu Rationalismi doctrina profligata.

« Verum, ne philosophicae potissimum disciplinae impositos sibi fines transgrediantur, eoque deveniant ut uniuscuiusque capitis commenta seu deliramenta speciem induant scientiae, ac veritatis sibi arrogent auctoritatem, necesse est ut catholicorum Studiis secura proponatur methodus, qua et veram addiscere scientiam ipsi valeant, et ab errorum pernicie illaesi abire. Quaenam autem ea esse possit, nemo est qui nesciat. Tot enim saeculorum experientia docemur, quotiescumque Angelici Doctoris magisterium despectum est, systematum seriem indefinite multiplicari, ex quibus omnigena scatet errorum colluvies. Quare sapientissime apostolica Sedes hortari non desinit ut in philosophicis ac theologicis disciplinis sive tradendis sive addiscendis, mentis acies a beati Thomae magisterio minime avertatur. Quod et Nannetensi et Paderbonensi Ordinariis nuper significatum legimus. Huic enim sacra isthaec Congregatio Concilii, die 4 iunii, sic scribere rata est: " Nolunt vero Emi Patres sine laude abire curas, quas in novo Clero efformando adhibere soles: qua quidem in re eadem certe doctrinae sanctitate ac soliditate, eademque erga apostolicam Petri Cathedram observantia, qua ipse, amplissime Domine, maxime praestas, imbuendum illum atque ornandum curabis, propositis eidem ad penitiorem Philosophiam ac Theologiam hauriendam immortalibus divi Thomae libris, quibus recta ad altissimam speculationem, qua tantopere germanica gens delectatur, via et ratio panditur. " Ad Nannetensem vero Antistitem iisdem ferme sensibus, die 24 februarii superioris anni, praefata sacra Congregatio haec inter alia significavit: " Libentissime etiam audirent Emi Patres, in philosophicis ac theologicis disciplinis tradendis, sancti Thomae vestigiis istic insisti. Doctrina enim huius sanctissimi ac praestantissimi Magistri non solum sana, sed aptissima in primis est ingeniis acuendis, atque erroribus detegendis et convellendis. Nec timendum, quin quousque Clerus ei adhaereat, ' Catholicorum liberalium,' uti vocant, placita sectetur; populus vero a tali Clero excultus avitam Fidem et morum integritatem perpetuo servet. "

« Quae cum ita sint, quid mirum, quod cum in eam devenerimus tempestatem, in qua quidquid est absurdius, tanquam mirabile humanae rationis inventum iactitatur, sapientiores scientiarum institutores Aquinatis doctrinam et sibi et auditoribus suis proponant, ad eiusque tramitem suas praelectiones concinnent? Ex istius enim Doctoris operum studio luculenter patet mirabilis ille nexus, quo et ratio et Fides ad veritatis inquisitionem copulantur, quoque opem sibi mutuam ferunt; cum iuxta memorati Concilii verba " recta ratio Fidei fundamenta demonstret; eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; Fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. " Neque mirum quod infaustis hisce temporibus sanctissimi ipsius Viri auxilium imploretur, ut ab aeternae Sapientiae fonte, quo ipso nunc gaudet, lumen viatoribus obtineat, quo veritatis et salutis semitam agnoscere et sequi valeant.

« Hinc, Beatissime Pater, laudabilis illa contentio, qua nonnulla Collegia, Academiae, Universitates peculiarem sibi Patronum Aquinatem Doctorem elegerunt, atque ab ipsius nomine appellari gestiunt. Hinc quoque mira illa tot Dioecesum aemulatio, quae ab ista apostolica Sede instanter efflagitant, ut omnium Universitatum, Collegiorum, Gymnasiorum, Societatum, quae scientiis excolendis studium praebent, Angelicum Doctorem specialem Patronum suprema sua auctoritate declarare ac decernere dignetur.

« Huiusmodi votis toto animo adhaerentes, easdem nunc iterare postulationes audemus et nos infrascripti, quibus, miseratione divina atque istiusmet apostolicae Sedis gratia, huius Beneventanae Provinciae spirituale regimem commissum est, ea freti fiducia, quod, novo sanctissimi Doctoris auxilio, veritatis lumen caecutientibus clarius effulgeat, et scientiarum studia amissum splendorem recuperent. Te igitur, Pater Beatis-

sime, humillimas has preces benigne excepturum confidimus, faustumque illum exspectamus diem qui angelico adolescenti Aloysio Doctorem Angelicum in studiorum studiosorumque Patrocinio auctoritate tua sociatum annuntiet, ut quomodo ille studiosae iuventutis tutandis moribus praeest, ita et scientias et scientiarum cultores ab ingruentium errorum periculis Angelicus Doctor tueatur.

« Tibi denique fausta omnia ominamur, Sanctissime Pater, tuosque ad pedes humillime provoluti, cupienti devotoque animo apostolicam imploramus benedictionem.

« Beneventi, die 25 februarii 1879.

« DOMINICUS Card. CARAFA Archiepiscopus Beneventanus
« Aloysius Episcopus Thelesin., seu Cerretan.
« Aloysius Episcopus Sinopolitan. Coadiutor, cum futura successione, Episcopo Aliphano
« Antonius Episcopus Asculi et Ceriniolen.
« Vincentius Episcopus Thermularum
« Franciscus Episcopus Larinen.
« Antonius Episcopus S. Severi
« Ioseph Episcopus Lucerin.
« Fr. Alexander Episcopus Bovinensis
« Salvator Maria Episcopus Arianensis
« Franciscus Episcopus Abellinen.
« Dominicus Episcopus Sanctae Agathae Gothorum
« Fr. Anastasius Episcopus Bovianensis ».

430. VIII. Rmi Archiepiscopi Capuani eiusque Suffraganeorum:

« Beatissime Pater. Certe in ea incidimus tempora, de quibus aiebat Apostolus: " In novissimis diebus instabunt tempora periculosa. Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, et voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.[1] Discedent a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis daemoniorum.[2] Sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. "[3]

« Nonne videmus homines a veritate aberrantes in vitia delapsos, et societatem in profundum malorum devenisse? Ipsa recta principia rationis, quibus humana mens regitur, quaeque ipsi gentiles agnoverunt, nunc ubique negantur, ubique Ecclesiae Catholicae contradicitur, eamque a fidelium cordibus eradicare perversi homines conantur, immo Christum ipsum, et ab eo fundatam religionem e medio tollere insudant, atque omnem movent lapidem ut tandem homines et societates ab eo avulsi ruant per omne nefas, nullusque sit ordo, sed ubique perturbatio et tumultus.

« Ast Deus, qui portas inferi contra suam Ecclesiam non praevalituras promisit, firmius Fidem catholicam fidelium animis infigit, novusque ardor Catholicorum corda pervadit, ita ut nec carceres, nec exilia, nec ipsam mortem exhorrescant. Tibi vero, Beatissime Pater, omnipotens Dominus magnam inspirat mentem animumque, ita ut his accisis temporibus firma manu tenens gubernaculum navis Petri, illam inter scopulos, et procellas ac tempestates recta ad portum aeternitatis dirigere non desistas. Non te minae, non fulgura, non spoliationes terrent; vox tua firma sonat qua late patet Orbis, tuosque fratres confirmans mirandum spectaculum factus es non modo Angelis, sed ipsis etiam iniustis hominibus.

« Nos, Beatissime Pater, tuis monitis instructi, tuis exemplis roborati, tuaque virtute suffulti, tecum pro Ecclesia Dei fortiter pugnaturos speramus, nullumque hostium impetum timemus. Te duce, te auspice, auxilium Dei certum, victoria certa.

« Cum autem ipse apostolus Paulus haec nostra tempora annuntians, dicat Timotheo Episcopo: " Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistae, ministerium tuum imple," nos Episcopi huius Campanae Provinciae disceptantes quodnam praecipuum remedium excogitandum sit hoc potissimum tempore, " in quo veritates diminutae sunt a filiis hominum," in eam venimus sententiam ut divus Thomas Aquinas a Beatitudine tua Patronus omnium Universitatum, Academiarum, Gymnasiorum et Scholarum declaretur.

« Certe inter tenebras errorum huius nostri saeculi, et inter caliginem scientiarum nullum maius adiutorium, quam lumen aliquod aspicere quod viam salutis doceat, tenebras ignorantiae dissolvat, atque animum ingerat firmiorem. Et quis aptior Patronus hominibus, qui scientias vel docent, vel discunt, quam divus Thomas Aquinas? Ipse enim refulsit quasi sol, qui tenebras noctis dissolvit in universo Orbe. Nulla fuit veritas sive philosophica, sive theologica, sive politica, quae illum lateret. Ipsius scientia magis infusa quam acquisita fuit. Nullus error ei irrepsit. Ecce post sex saecula illum omnes admirantur, ingenium laudant, modestiam extollunt, et non domestici solum, sed etiam heterodoxi illum venerantur. Eius doctrinam maximi fecit Tridentinum Concilium, nec non Vaticanum cui tu praeesse dignatus es. Illum intuentes homines studiosi intelligent rationem Fidei non opponi, immo a Fide ipsa lumen et orna-

[1] II *Ad Tim.*, cap. III.
[2] I *Ad Tim.*, cap. IV.
[3] II *Ad Tim.*, cap. IV.

mentum accipere, timorem Domini initium sapientiae agnoscent, neotericorum hominum calumnias in religionem respuent, scientiasque ad Deum deducent.

« Nec obstat quod iam alias a tuo praedecessore Benedicto XIII divus Aloysius Gonzaga studiosae iuventuti Patronus sit datus: nam nil vetat plures dari Patronos alicui civitati, vel regno, vel alicui hominum coetui. Ita civitates fere omnes plures Patronos sibi elegerunt. Ita medicorum coetui Patroni sancti Martyres Cosmas et Damianus nec non sancti Cyrus et Lucas Evangelista. Ad hoc accedit Pontificis mentem voluisse potius mores respicere et scholares, quam scientias et antecessores.

« Scimus, Beatissime Pater, has supplicationes tibi fuisse porrectas ab aliis christiani Orbis Episcopis, immo a tota Provincia Ecclesiastica Neapolitana; quapropter nobis Campaniae Episcopis novi inde stimuli sunt additi ad eandem supplicationem tibi porrigendam. In hac Provincia natus est divus Thomas; in hac prima scientiarum rudimenta didicit; in hac suae fidei in Deum et voluntatis propositi tenacis clarissima dedit documenta; in hac demum sui maiores clavum imperii tenuere. En exstat Arx Sancti Ioannis, in qua divus Thomas, biennio inclusus, omnes astus inferni devicit; exstat coenobium Montis Cassini, in quo educatus; exstat Capuae domus sua in ecclesiam conversa; exstat ecclesia Sanctae Mariae Monialium, in qua iacent ossa suae sororis, quam ille Christo lucrifecit. Non effugeremus ingrati animi notam, si nimis pigre eius honori consuleremus, et fidelium bona negligeremus.

« Qua de re, Beatissime Pater, omnes ad tuos pedes provoluti, instanter, instantius, instantissime petimus, ut divum Thomam Aquinatem Patronum omnibus viris litteratis, omnibusque Universitatibus et Gymnasiis assignare digneris, ut eius luce studiosi homines illuminati, a recto tramite non discedant, virtutibus omnibus exornentur, et haereticorum fabulas devitent. Interea nostris gregibus, quos tu nobis adsignasti, nobisque apostolicam benedictionem, bonorum omnium fontem, donare non renuas.

« Datum Capuae, die 1 augusti, in festo sancti Petri ad Vincula, 1875.

« Sanctitatis tuae

« Humillimi, addictissimi Famuli

« Franciscus Xaverius Apuzzo Archiepiscopus Campanus
« Henricus e Marchionibus De Rossi Episcopus Casertanus
« Bartholomaeus D'Avanzo Episcopus Calven. et Theanen.
« Antonius Izzo Episcopus Aeserniensis et Venafranus
« Raphaël Gagliardi Episcopus Suessanus
« Ioseph Spinelli Episcopus Caiacensis

« Pro omnibus, uti ex litteris penes me,

« Franc. Xav. Archiep. Campanus ».

431. IX. Rmi Archiepiscopi Burgensis:

« Beatissime Pater. Erroribus undique in catholicam Ecclesiam serpentibus congruum, immo et necessarium est undequaque etiam arma argumentaque conquirere pro catholicae veritatis defensione. Nemo sane ignorat hoc vetus inter ac recentius aevum notari discrimen, quod olim speciales impetebantur veritates christianae, in praesens vero omnis qua late patet supernationalis veritas atque supernaturalia facta nefario conatu pelluntur. Olim grassabantur errores, hodie ubique alitur atque diffunditur erroris spiritus, qui extremam molitur Religionis christianae perniciem. Qui amore Ecclesiae tenentur, haec pene infanda siccis oculis perspicere nequeunt.

« Sed ad errores omnigenos in theologicis, philosophicis atque etiam socialibus disciplinis compescendos nullum aptius medium adesse putamus praeter rectam mentium institutionem, illorum praesertim qui magistri sunt vel erunt christianae Plebis. Nemo inficias ibit errores quos deflemus expelli tantum posse veritate catholica scientifice proposita atque, ut par est, enucleata. Fides enim populorum Theologia alitur, Theologiae ignoratione in dies tabescit ac minuitur. Hinc sapientia plenam iudicamus illam doctissimi Hispani Gregorii de Valentia animadversionem: "Sicut corpus exstinguitur deficiente alimento, ita constat exstingui Fidem in illis locis in quibus solida Theologia exstincta est."

« At inter Theologos quis Aquinate praestantior? immo quis Angelico Thomae comparandus? Nullus sane. Et mentis acumine, et amplitudine ac profunditate doctrinae, quae omnia scientiarum capita continet, et rerum logica ac prope geometrica concatenatione, caeteris supra modum eminet, ac instar solis inter stellas praefulget. Nullus scivit unquam quod Thomas ignoravit, et in terris degens mortali indutus corpore ipsas angelicas mentes prope attigit. In philosophicis, theologicis, socialibus et politicis disciplinis enucleandis ad normam catholicae veritatis omnium qui retro fuerunt, atque, fidenter dicam, eorum qui futuri sunt Magistrum nunquam superandum agnoscimus.

« Nihil igitur mirum summos Pontifices certatim sanctum Thomam laudibus extulisse. "Tot miracula fecit quot articulos scripsit, quia omnes resolvit lumine plus quam humano." Ioannes XXII. — "Doctrinae sancti Thomae testis est ingens librorum numerus, quos ille brevissimo tempore in omni disciplinarum genere, singulari ordine ac mira perspicuitate sine ullo prorsus errore conscripsit." Clemens VIII. — "Huius doctrina prae caeteris, excepta Canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut nunquam qui eam tenuit inveniatur a veritatis tramite deviasse." Innocentius VI. — "Volumus et tenore praesentium iniungimus ut divi Thomae doctrinam tanquam veram et catholicam sectemini." Urbanus V. — "Ecce plus quam Salomon hic. Huius

doctrina non recedat ab ore, non recedat a corde, quia ipsam sequens non devias, ipsam cogitans non erras, ipsam tenens non corruis, ipsam loquens non mentiris, ipsam studens ad veritatem pervenis. Tenui ergo, nec dimittam." Ita Clemens VI. — Quot et quanta in laudem sancti Thomae doctrinae a vestra Sanctitate dicta sint non semel aut iterum, sed saepissime, norunt omnes. Merito igitur Cardinalis Baronius asserere potuit: "Vix enarrare posse quot sanctissimis atque erudissimis theologorum praeconiis celebretur, quantumque illius illibatae doctrinae a Patribus in oecumenico Tridentino Concilio considentibus fuerit acclamatum."

« Sed qui scientia ad miraculum fulget sanctus Thomas, nitet etiam puritate angelorum aemula, ita ut non in Magistrum solum, sed etiam in exemplar omnibus proponi debeat colendus et imitandus. Sicuti enim sanctus Doctor puritate angelicam intelligentiam assequutus est, ita omnes qui scientiam rerum divinarum consectantur, sancti Thomae volumina perscrutari, eiusque quasi angelicam puritatem imitari pro posse ac modulo oportet. Quod ut feliciter tandem ac prospere fiat, plurimum conferet si sanctum Thomam Patronum adsciscant, qui gratias uberes ipsis adprecetur, quotquot sacris Doctrinis excolendis operam navant. Quapropter, Beatissime Pater, infrascriptus Archiepiscopus Burgensis supplex ac humilis rogat ut solemni vestro Decreto omnibus Academiis ac catholicis Scholis sanctus Thomas Aquinas ut Patronus proponatur ac declaretur.

« Et Deus incolumem diu servet Sanctitatem vestram, prout enixe postulat

« Burgis, 7 iulii 1875.

« Sanctitatis vestrae humillimus ac obsequentissimus Filius
« ANASTASIUS Archiepiscopus Burgensis ».

432. X. Rmi Archiepiscopi Genuensis Magni Cancellarii Collegii Theologici eiusdem civitatis:

« Beatissime Pater, Archiepiscopus Genuensis, tum pro suo pastorali officio tum pro Magni Cancellarii Genuensium Theologorum Collegii, sub auspiciis sancti Thomae Aquinatis, singulari Sanctitatis tuae benignitate restaurati, munere, gravissima studiosae iuventuti impendentia mala ob tot nefarios debacchantes errores secum animo reputans, utque iis quantocius provideatur quam maxime cupiens, in eam sententiam devenit fore ut id optime succedat si omnium catholicarum studiorum Universitatum sanctus Thomas Aquinas, Doctor Angelicus, suprema auctoritate tua Patronus constituatur. Nemo sane ad id muneris aptior, nemo tali appellatione eo dignior, qui in Ecclesiam amore et Fidei zelo morumque admirabili sanctitate praestantissimus Ecclesiam ipsam, Urbano V auctore, doctrina sua illustravit, quam tanquam catholicam, veridicam ab omnibus Scholis suscipiendam idem Pontifex maximus decrevit. Quam igitur recte catholicae Scholae et studiorum Universitates eum Patronum venerabuntur, quem qui docentem sequutus est, a veritatis tramite, teste Innocentio VI P. M. nunquam deviavit, et qui impugnavit semper fuit de veritate suspectus! Quam recte advocatus apud Deum invocabitur qui divino eloquio, coelesti doctrina, ut inquit Clemens VIII, summa christiani nominis laude atque Ecclesiae utilitate, apud remotissimas etiam nationes celebratissimus, non modo praeteritos omnes, sed etiam futuros errores prophetico spiritu refutavit!

« Romanorum igitur Pontificum oraculis innixus humillimus Orator, quibus toto corde in omnibus adhaerere salus et vita est, necnon Episcoporum omnium et catholicarum studiorum Universitatum votis sua vota adiungens, et suo et totius Theologorum Genuensium Collegii nomine, instantissime a Sanctitate tua postulat ut sanctus Thomas Aquinas, Confessor et Doctor Angelicus, omnium studiorum Universitatum Patroni titulo decoretur.

« SALVATOR Arch. Genuensis et Collegii Theol.
Sancti Thomae Magnus Cancellarius ».

433. XI. Rmi Archiepiscopi Pisarum:

« Beatissime Pater. Quia homines elati in cogitationibus suis dilexerunt magis tenebras quam lucem, ideo venit tenebrarum procella efficiens imminutionem charitatis, et iniquitatis abundantiam, supra quam amare flet pusillus grex, Deo eiusque Christo fidelis semper: ab hoc tam magno imperversante malo non alio profecto remedio erunt sanabiles populi, nisi hoc solo, videlicet si revertantur et se convertant ad lucem veram quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, et quemadmodum superbiendo a veritatis semitis recesserunt, ita per humilitatis devotionem aures porrigendo Ecclesiae magisterio ad easdem redire oportet. Quae cum ita sit res, felix mihi visa est et omni commendatione digna illa cogitatio quae in mentem venit plurium Episcoporum, recursum faciendi ad hanc apostolicam Sedem supra quam Beatitudo vestra sedet infallibilis in doctrina Fidei morumque Magister, ut velit Decreto suo declarare beatissimum Thomam Aquinatem Protectorem catholicorum Studiorum, sicque declarando veluti indigitare scripta ab ipso edita ceu promptuarium dives tenenda, unde in theologicis, seu philosophicis disciplinis sive tradendis sive addiscendis et magistri et discipuli sciant haurire se posse doctrinam sanam, qua imbuti potentes evadant ad repercutiendos doctores pene innumeros, Ecclesiae magisterium spernentes, vaniloquos et

seductores, qui universum mundum subvertunt docentes doctrinas hominum, et dogmata falsitatis illaqueantia animas, turpis lucri vel inanis gloriae gratia. Licet enim omnes Ecclesiae Patres et Doctores de catholica doctrina sint optime meriti, et licet de omnium scriptis ab infallibili Magisterio sat dictum reperitur quod inoffenso pede nedum decurri possint, sed cum magno animorum profectu, attamen quia Doctor Aquinas aliis Patribus tempore posterior, aliorum omnium collationes assidue pervolutare in deliciis habuit, ideo scripta ab ipso edita et multitudine, et varietate, et facilitate explicandi res difficiles, aptissima pro opportunitate videntur, ut studiosorum lectioni et meditationi speciatim proponantur. Hisce positis, ego Episcoporum minimus humillimas meas preces validissimis aiorum de quibus supra precibus libenter adiungo, eo vel maxime quod Collegium Theologicum in Seminario meo sub protectione sancti Thomae Aquinatis iam est militans ab annis plurimis, ea fortasse etiam de causa quia in Ecclesia, nunc Seminarii, olim Patrum Praedicatorum, cathedra exstat publicae fidelium venerationi exposita, supra quam, iuxta quod fert antiqua traditio, Angelicus Doctor aliquando sedit docens.

« Ad pedes Sanctitatis vestrae humiliter provolutus, apostolicam interim benedictionem efflagito pro me mihique commissis.

« Romae, ex Conventu Sanctae Mariae in Posterula, die 2 decembris 1876.

« Humlmus et Obmus
« Fr. PAULUS Archiepiscopus Pisarum ».

434. XII. Rmorum Superiorum Ordinum Religiosorum :

« Beatissime Pater. Maiores nostri puritati doctrinae in singulis ipsorum Familiis custodiendae optime consultum iri arbitrati sunt, si alumnis suis pie sancteque servandam praescriberent eam Theologiae rationem, quae Scholastica passim appellatur, cuiusque inter parentes et antesignanos auctoritate princeps est Angelicus Doctor sanctus Thomas Aquinas. Et hoc quidem inscrutabili Dei consilio factum est, qui, ut Sixti V praedecessoris tui verbis utamur, solus dat spiritum scientiae, sapientiae et intellectus, quique Ecclesiam suam per saeculorum aetates, prout opus est, novis beneficiis auget, novis praesidiis instruit. Cunctis ergo Familiis religiosis cum sit sancitum lege ut angelicam sancti Thomae doctrinam studiose sectentur, aut impensius saltem revereantur, hinc Scholarum omnium communis Doctor iure praedicatur Angelicus, ac gloriae eius quidquid accrescit, in religiosas omnes redundat Familias. Eius autem doctrinae, quemadmodum complures romani Pontifices praedecessores tui, teste Benedicto XIV, " perhonorifica dederunt testimonia;" ita nostra aetate profecto non desunt rationes quae suadeant peropportunum, ac rei catholicae utilissimum fore quod plures S. R. E. Cardinales, et ex toto catholico Orbe Episcopi, prout cum sancta cordis nostri laetitia nuper audivimus, a Sanctitate tua enixe petierunt, ut nempe apostolicae auctoritatis tuae oraculo sanctum Thomam Doctorem Angelicum Scholis universim catholicis constituere Patronum benigne dignareris. Ea enimvero Theologia, quam sanctus Thomas mirabili ratione ac claritate dispositam posteris tradidit, ut iterum memorati Sixti verba usurpemus, hisce potissimum " novissimis diebus quibus iam advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta, et homines blasphemi, superbi, seductores proficiunt in peius, errantes et alios in errorem mittentes, sane catholicae Fidei dogmatibus confirmandis, et haeresibus confutandis pernecessaria est." Caeterum qui tanquam imbres eloquia sapientiae suae in Ecclesia Dei emiserunt, eorum doctrinam, ut alter praedecessor tuus Clemens XII admonuit, commendare tunc maxime convenit, cum ingruente falsorum dogmatum illuvie, Fides catholica et christiani mores periclitantur.

« Nihil autem aptius, Beatissime Pater, cum ad catholicam Fidem adserendam, tum ad christianam morum tuendam disciplinam accidere posse censemus, quam si, votis nostris annuens, eam magis ac magis firmes sententiam, nostrae quidem tempestati accommodatissimam, quam olim sanctus Petrus Damianus, Ecclesiae item Doctor ac monastici Ordinis decus et ornamentum, sic effabatur: " Non enim iam licet ultimis Ecclesiae membris quod sibi potissimum videtur eligere, sed necesse est antiquitus ordinata maxime prout Romana tenet Ecclesia conservare. " Ad genuinae igitur Theologiae adiumentum, ac levamen monastici Ordinis, tot hodie tantisque lacerati iniuriis, sancto Thomae Doctori Angelico hunc novum honoris titulum adsciscere, Beatissime Pater, ne gravere, ac nobis, nostrisque Familiis apostolicam tuam impertias benedictionem.

« D. ALBERTUS PASSERI Abbas Vic. Generalis Canonic. Reg. Lateranensium
« D. Franciscus M. Cirino Vic. Gen. CC. RR.
« D. Iosephus M. Albini Praep. Gen. Cleric. Reg. Barnabit.
« Sac. Bernardinus Secundus Sandrini Praep. Gen. Cler. Reg. Somaschensium
« Quiricus Quirici Rector Generalis Congregationis Matris Dei
« D. Vincentius Corneli Ab. Gen. Silvestrinorum
« D. Gregorius Benassai Abbas Generalis Camald.
« D. Placidus M. Schiaffino Abbas Vic. Gen. Congregationis Olivetanae Ord. S. Benedicti
« Fr. Iosephus M. Rodriguez Vicarius Generalis Ord. Beatissimae Virg. Mariae de Mercede
« P. Petrus Beckx Praepositus Generalis Societatis Iesu

« Camillus Guardi Vicarius Generalis Ministrantium Infirmis
« Iosephus Calasanctius Casanovas Praepositus Generalis Scholarum Piarum
« Nicolaus Mauron Superior Generalis Congregationis SSmi Redemptoris
« D. Theobaldus Cesari Abbas Superior Generalis S. O. Cisterciensis
« D. Angelus Pescetelli Abbas Farfensis et Proc. Generalis Ord. S. B. Congregationis Cassinensis
« Fr. Benedictus a Virgine Minister Generalis Ord. Excalceator. SSmae Trinitatis Redemptionis Captivor.
« D. Petrus Casaretto O. S. B. Abbas Generalis
« Fr. Lucas a S. Ioanne a Cruce Praepositus Generalis Carmelitarum Excalceatorum
« Fr. Andreas M. a Venetiis Commissarius et Proc. Generalis Cappucinorum
« Fr. Ioannes Belluomini Ord. Erem. S. Augustini Prior Generalis
« Dominicus a Nomine Mariae Praep. Generalis Congregationis Passionis D. N. I. C.
« Fr. Franciscus Salemi Vic. Generalis Tertii Ordinis S. Francisci
« Fr. Antonius Martin Dieng Vicarius Generalis Ordinis SSmae Trinitatis
« Fr. Ioannes Angelus M. Mondani Prior Generalis Ord. Serv. B. M. V.
« Fr. Antonius M. Adragna Vic. Generalis Min. Conventualium
« Fr. Victorius L. Menghini Gen. Ordinis Poenitentiae a Iesu Nazareno
« Fr. Angelus Savini Vic. Generalis Carmelitarum Antiquae Observiantiae
« Fr. Iosephus Maria Sanvito Vic. Generalis Ordinis Praedicatorum ».

435. XIII. Praesidum Academiae Phil.-medicae Sancti Thomae Aquin.:

« Beatissime Pater. Qua animi fiducia, anno 1874, ad pedes Sanctitatis vestrae accessimus Academiae Philosophico-Medicae approbationem postulaturi, eodem modo accedimus Sanctitatem vestram deprecaturi, ut sanctum Thomam Aquinatem Ecclesiae Doctorem et Ordinis Praedicatorum praeclarissimum decus, studiosae iuventutis Patronum decernere dignetur.

« Neque nobis ea mens est ut sancto Aloysio Gonzagae, iam dudum ab apostolica Sede adolescentium coelesti Patrono constituto, divus Thomas sufficiatur; potius ut Aloysio Thomas amico foedere consocietur, et quemadmodum ille innocentiae servandae, iste scientiae comparandae praeficiatur. Etenim, hisce praesertim temporibus, hominum scelestissimi, collatis consiliis viribusque, iuvenilem aetatem cum perditis moribus, tum

pestiferis doctrinis inficere omni ope, in Orbe universo, satagunt, arbitrantes hac ratione haud aegre posse societatem civilem ad ethnicorum consuetudinem revocare, et Ecclesiam Christi penitus labefactare. Verum enim vero quis munere Patroni, quod ad scientias attinet, melius Angelico Doctore fungi potest? Citra dubium, nemo: eius enim doctrinam maximo honore Sedes apostolica est prosequuta, illam Universitates catholicae, utriusque societatis splendidissima lumina, prosequebantur, ab ipsa deducta sunt " methodus atque principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, quae temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime repugnant, " atque adeo omnino congruunt. Quamobrem Sanctitas vestra in Litteris, quibus Academiam nostram, vivo vocis oraculo approbatam, confirmavit, Aquinatis doctrinam profitendam defendendamque nobis commendabat. Theologiae, Philosophiae, Scientiae medicae et aliarum scientiarum naturalium pene quadringenti Doctores Professoresque, qui academico diplomate sunt donati, qua docendo, qua libris editis, et praesertim ephemeride *La Scienza Italiana*, Aquinatis doctrinam, sapientum plausu, tum in Italia, tum extra Italiam, exhibent atque propugnant veluti scientiarum progressui omnino consonam. Quapropter nil Academiae sociis iucundius quam si Thomas a Sede apostolica studiosae iuventutis coelestis Patronus declaretur. Sanctitatem vestram precamur ut nostris votis flecti patiatur et omnibus Academiae sociis apostolicam benedictionem impertire dignetur.

« Bononiae, die 8 decembris Immaculate Virgini sine labe originali conceptae sacra, A. D. 1876.

« Academiae Philosophico-Medicae Sancti Thomae Aquinatis Praesides

« IOANNES MARIA CORNOLDI S. I., nomine etiam Alphonsi Travaglini Academiae fundatoris.

A Secretis: Marcellinus Venturoli Doctor.

436. XIV. Rmi Vic. Gener. Ord. Praed.:

« Beatissime Pater. Ad pedes Sanctitatis tuae humiliter provolutus, Ordo Praedicatorum, qui sancti Thomae Aquinatis doctrina semper usus est ad sanctitatem catholicae Fidei adserendam, ac iura huius sanctae apostolicae Sedis contuenda, supplicationes suas iis precibus adiungit, quae nuper tibi, Pater Sancte, oblatae fuerunt, ut eundem sanctum Doctorem Universitatum, Academiarum, Studiorumque Patronum ac Ducem auctoritate tua declarare et instituere dignareris. Id quidem a pluribus S. R. E. Cardinalibus, ab Episcopis catholicisque Doctoribus expostulatum fuisse

probe nosti, qui in tanta impiarum opinionum colluvie peropportunum fore arbitrantur, si ad resistendum erroribus, quibus sanam doctrinam non sustinentes philosophicas ac theologicas disciplinas inficere undequaque conantur, divi Thomae Doctoris vere Angelici eximia atque invulnerata doctrina, toties a Praedecessoribus tuis summis laudibus commendata, opponatur, et tanquam tutissima regula in Scholis catholicis habeatur.

« Cum Viris illustrissimis, qui veluti maiori quodam Numinis afflatu perculsi, enixis precibus postularunt ut Sol Aquinas inter catholicos scientiarum cultores purior ac nitidior splendeat, tanquam Patronus ac Dux ex Decreto apostolicae Sedis, Ordo Praedicatorum, qui eundem sanctum Doctorem terrae coeloque dedit, et qui quovis saeculo fidissimus eius exstitit discipulus, idipsum nunc a Sanctitate tua demisse postulat, flagitatque. Quod quidem se obtenturum sibi pollicetur a te, quem erga Angelicum mire affectum esse cognoscit, et devoti animi tui magnifica et non peritura argumenta dedisse gloriatur.

« Supremo igitur oraculo divinitus tibi delato, si Angelicum Doctorem Patronum ac Ducem studiorum dignaberis auctoritate tua declarare, Orbis christianus laetabitur, scientiae reflorebunt, errores dispellentur, atque humilis Ordo Praedicatorum, eiusque posteri grati animi sensus, quos nulla delebit oblivio, erga te enutriet, tuique cordis animique magnitudinem in perpetuum depraedicabit.

« Hac spe delinitus, apostolicam pro se suisque implorat benedictionem

« Fr. IOSEPHUS M. SANVITO
« Vicarius Generalis Ordinis Praedicatorum ».

437. XV. Archiepiscopi et Episcopi, qui suis singularibus Epistolis ab apostolica Sede petierunt, ut Angelicus Doctor Universitatum ac Studiorum omnium Patronus declaretur:

Benvenutus Archiepiscopus Granatensis.
Michaël Angelus Celesia Arch. Panormitanus.
Fr. Benedictus Dusmet Arch. Catanensis.
I. Maria Papardi del Parco Arch. Montis Regalensis.
Ioseph Guarino Arch. Syracusanus.
Rugerius Blundo Episcopus Cephalutensis.
Ioannes Guttadaro Epis. Calatasiadensis.
Carmelus Valenti Epis. Mazariensis.
Melchior Lo Piccolo Epis. Nicasiensis.
Ioannes Cirino Epis. Derbensis i. p. i.
Dominicus Iurano Epis. Agrigentinus.
Xaverius Gerbino Epis. Platiensis.
Fr. Benedictus La Vecchia Epis. Netinus.
Antoninus Morana Epis. Calatayeronen.

Gerlandus M. Genuardi Epis. Iacensis.
Ioannes Bapt. Buongiorno Epis. Drepanensis.
Fr. Ioseph M. Epis. Pactensis.
Vincentius Spaccapietra Arch. Smyrn. Vic. Apost. Asiae Minoris.
Carolus Epis. Tiburtinus.
Fr. Thomas O. P. Epis. Troianus.
Guido Epis. Regien. in Aemilia.
Anacletus Petrus Epis. Albinganensis.
Iosephus Maria Arch. Mutinensis.
Placidus Epis. Monregalensis.
Iosephus Epis. Urgellensis.
Petrus Epis. Anicien. in Gallia.
C. Maria Epis. Anneciensis.
Carolus Arch. Turonensis.
C. A. Arch. Bituricensis.
Ludovicus Anna Arch. Avenionensis.
Godefridus Arch. Rhedonensis.
Iustus Epis. Gratianopolitanus.
Ludovicus Eduardus Epis. Pictaviensis.
Alfridus Epis. Lemovicensis.
Augustinus David Epis. Briocen. et Trecoren.
D. Anselmus S. O. B. Epis. Corisop. et Leonen.
Ioannes M. Epis. Venetensis.
Gaspar Mermillod Epis. Hebron Vicar. Apost. Geben.
Fr. Armandus Epis. Sozopolit. i. p. i.
Franciscus Epis. Bellicensis.
Aloisius Epis. Veronensis.
Petrus Epis. Comensis.
Benedictus Epis. Ovetensis.
Fr. Ioachim Aloisius Arch. Portus Hispaniae O. P.
Fr. Gulielmus Dominicus O' Carroll Epis. Alabandensis O. P.
Antoninus Epis. Giennensis.
Fridericus Epis. Segoviensis.
Salvator Silvestris Epis. Conversan.
Ioannes Marangi Epis. Tenensis nec non Deleg. Apost. in Regno Graeciae.
Ioseph M. Alberti Epis. Syrensis.
Mic. O' Hea Epis. Rossensis in Hibernia.
Fr. Aloisius Epis. Aquilanus.
Franciscus Arch. Barensis.
Fridericus M. Epis. Andriensis.
I. De Bianchi Arch. Tranen. Nasar. et Barolen.
Fr. Ludovicus M. Idéo O. P. Epis. Liparensis.
Antonius Epis. Monopolitanus.
Caietanus Arch. Epis. Molphicti, Iuvenacii et Terlitii.
Vincentius Arch. Ravennae.
Petrus Paulus Epis. Forolivii.
Ioannes Epis. Cerviae.
Alexander Paulus Epis. Comacli.
Paulus Epis. Caesenae.

Aloysius Epis. Arimini.
Tobias Epis. Sarsinae.
Camillus Epis. Brittinorii.
Iosephus Henricus Epis. Forol. et Tolonensis.
Raymundus Epis. Iaccensis.
Franciscus Xaverius Apuzzo Arch. Campanus.
Henricus a Marchionibus De Rossi Epis. Casertanus.
Bartholomaeus D'Avanzo Epis. Calven. et Theanensis.
Antonius Izzo Epis. Aeserniensis et Venafranus.
Raphaël Gagliardi Epis. Suessanus.
Ioseph Spinelli Epis. Caiacensis.
Marianus Arch. Surrentinus.
Franciscus Xaver. Epis. Castrimaris.
Andreas Arch. Utinen.
A. I. Schoepman Arch. Ultraiect.
Henricus Van Beek Epis. Bredan.
I. Zwysen Arch. Epis. Busc.
F. A. Paredis Epis. Ruremond.
G. P. Wilmer Epis. Harlemen.
Camillus Arch. Cosentinus.
Simon Epis. Tricaricen.
Franciscus Arch. Metropolitanus Rhegien.
Franciscus Xaverius Epis. Suffr. Hieracen.
Antonius Arch. Suffr. Boven.
Raphaël Epis. Suffr. Cathacen.
Aloisius Epis. Coad. Suffr. Nicoterien. et Tropien.
Antonius Arch. Suffr. Oppiden.
Raphaël Epis. Suffr. Squillacen.
Alexander M. Epis. Suffr. Cassanen.
Fr. Hyacinthus Epis. Suffr. Neocastrens.
Fr. Aloysius M. Epis. Suffr. Cotronen.
Franciscus Epis. Bellicensis.
Ioannes M. Epis. Veneten.
Anselmus Nouvel Epis. Corisopiten. et Leonen.
Godifridus Arch. Rhedonen.
C. A. Arch. Bituricen.
Franciscus de Paula Epis. Seguntinus.
Raymundus Epis. Tuden.
Matthaeus Epis. Minoricensis.
Laurentius Epis. Cherson.
Nicolaus Epis. Luxemburgen.
Mathias Epis. Treviren.
Laurentius Epis. Vintimilien.
Carolus Philippus Epis. Massilien.
Ludovicus Epis. Castabalensis.
Anastasius Arch. Burgens.
Iosephus Sadoc O. P. Arch. S. Francisci.
Eugenius O' Connell Epis. Vallispraten.
Franciscus Mora Epis. Mossinopolitanus i. p. i.

Paulus Arch. Coloniensis.
Petrus Iucundus Epis. Alexandrinus.
Ioannes Baptista Epis. Savonensis.
Victorianus Epis. Fexulensis.
Franciscus M. Vibert Epis. Maurianen.
Carolus Franciscus Epis. Tarantasiensis.
A. M. M. C. Arch. Colossen. Vic. Patriarc. et Deleg. Ap. Constantinopoleos.
Petrus Anastasius Epis. Camberiensis in Gallia.
Didacus M. Epis. Victoriensis.
Petrus M. Epis. Casolensis.
Ioannes Baptista Swinkels Epis. Amoriens. Vicarius Apost. Surinam.
Coelestinus Arch. Vercellensis.
Ioseph Epis. Lucensis.
Fidelis Abbati Epis. Sanctorinensis.
Fr. Ioachim Epis. Barchinonensis.
Narcisus Epis. Salmantinus et Administrator Apostolicus Civitatensis.
Thaddaeus Epis. Monterey et Angelorum.
Car. Yo Epis. Vancouverien.
Fr. Norbertus Arch. Orogonopolitanus.
Constantinus Epis. Gerunden.
Ioseph M. Epis. Canariensis.
Fr. Ioachim Ludovicus Arch. Portus Hispan.
Iacobus Epis. Toronensis.
Fr. Petrus Van Ewyk O. P. Epis. Camacen. et Vic. Ap. de Curaçao.
Renatus Maria Carolus Epis. Rosensis in Dominica.
Henricus Epis. Wratislaviensis.
I. B. Swinkels Epis. Amoriensis i. p. i. et Vic. Ap. Surin.
Petrus Arch. Acherutin. et Matheranen.
Fr. Antonius M. Fania a Rignano Epis. Marsien. et Potentian.
Ianuarius M. Epis. Anglonensis et Turrinensis.
Fr. Pius Albertus O. P. Epis. Drasen. et Coad. S. Miniat.

438. XVI. Vicarii Capitulares Sede vacante:

D. D. Iosephus a Ianitu Vic. Cap. Calaguritanus et Calceatensis.
» Secundus Valpuesta Vic. Cap. Leonen.
» Ildephonsus Inf. Macias Vic. Cap. Segovien.
» Raymundus a Miranda Vic. Cap. Santaderien.
» Pelagius Gonzales Vic. Cap. Asturicen.
» Raphaël Hern. Camin Vic. Cap. Almeriens.
» Vincentius Carderera Vic. Cap. Oscen.
» Sanctes ab Arciniega Vic. Cap. Toletan.
» Ioannes Bapt. Grace Vic. Cap. Tarraconens.
» Richardus Miguez Vic. Cap. Cordubens.
» Simon Ahina Vic. Cap. Maioricens.
» Emmanuel Gallur Vic. Cap. Segobricens.

Revisa: Agostinus Adv. Caprara S. R. C. Assessor
et S. Fidei Subpromotor.

ADNOTATIONES R. P. D. PROMOTORIS FIDEI.

« Eminentissime ac Rme Domine,

439. « I. Aetas nostra de miris scientiarum naturalium progressibus adeo sibi placuit, ut hoc potissimum nomine divinam revelationem et quidquid humanae rationis captum transcendat recipere detrectet. Ideo venerandam antiquitatem ceu fatuam simplicitatem contemnens, ex novis seu Physicae, seu Physiologiae, seu Palaeontologiae inventis perperam inadaequateque perpensis, novam sibi scientiam procudit, qua Fidem cum ratione, Theologiam cum Philosophia, veluti ad invicem oppositas, committeret. Ita nedum omnium praegressarum aetatum excitavit errores, verum etiam prima illa humanae rationis subvertit principia, quae a sanctis Ecclesiae Patribus "praeambula Fidei" merito appellantur. Iusto scilicet Dei iudicio, dum superbi homines a veritate auditum avertunt, ad fabulas convertuntur; "quaecumque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur." [1]

« II. Quale quantumque praeiudicium tam Fidei quam moribus haec falsa scientia attulerit, magis experientia constat quam verbis exprimi vel pro rei gravitate deplorari valeat. Quapropter Concilii Vaticani Patres, in ea Constitutione quae *De Fide* est, impium hoc novatorum systema, ac renascentes inde Pantheismi, Materialismi, Scepticismi, aliasque id genus pestes iterato anathemate confixere. Errores tamen detexisse atque damnasse non sufficit, nisi illos in posterum praecavere, et illata per eos damna reparare omni ope contendatur. Hoc itaque excitati studio, pii aeque ac docti viri serio cogitare coeperunt de philosophicis disciplinis ad primaeva ac solida principia revocandis; quod si contigerit, haud sane dubitandum quin succrescens aetas, maxima cum sui utilitate, sapiens Baconis effatum sit probatura: " Leviores Philosophiae gustus movere possunt ad atheismum, sed profundiores haustus ad Religionem reducunt." [2]

440. « III. Hanc porro philosophicarum disciplinarum instaurationem nec aptius perfici posse, nec efficacius visum fuit, quam Angelici Doctoris inhaerendo vestigiis, tum quoad tutissimas aeque ac plenissimas ab eo

[1] *Ep. sancti Iudae*, v. 10.
[2] BACO DE VERULAMIO, *De dignitate et augmento Scientiarum*, lib. I.

traditas doctrinas, tum quoad peraptam easdem docendi methodum. Hic enim, prouti SSmus D. N. ad Academiam Philosophico-Theologicam Neapolitanam rescripsit: " Scientiam universam ab inconcussis derivatam principiis in unum compegit corpus, et lucidissime digestam ita explicavit et exposuit, ut nullum occurrat verum quod non attigerit, nullus error cui profligando idonea non suppeditaverit arma." [1] Quo vero, tam in exsistentibus iam catholicis Universitatibus, Academiis et Scholis, quam in iis quae in posterum erigentur, magis magisque Aquinatis doctrinam sequendi excitetur ardor, ab almo Neapolitano Theologico Collegio, quod beatum Thomam ab immemorabili tempore uti sui Patronum colit, humillima ad apostolicam Sedem delata est postulatio, ut suprema, qua pollet, auctoritate eundem " omnium omnino praesentium ac futurorum Collegiorum, Seminariorum, Academiarum et Scholarum cuiuscumque generis, et praesertim catholicarum studiorum Universitatum, Principem Patronum solemniter renunciet." [2] Eiusmodi preces SSmus D. N. benignissime excepit, et meritis laudibus est prosecutus, datis ad illud Collegium litteris die 3 maii 1875; simul tamen rei gravitatem perpendens, adiunxit: "Cum haec vota totum respiciant Orbem... id undique petendum esse, ut res iuxta eorum, ad quos pertinet, suffragium rite decernatur." [3]

441. « IV. Huiusce responsi sapientiam ac prudentiam nemo non videt. Cohaeret enim apprime iuris praescriptioni, quae hoc in negotio a Sede apostolica inconcusse servatur. Decreto siquidem a sacrorum Rituum Congregatione, adprobante Urbano VIII, anno 1630 edito, et ab Alexandro VII, confirmato die 27 septembris anno 1659, cautum est qua forma rite et valide peragi debeant coelestium Patronorum electiones a regnis, civitatibus, oppidis et aliis quibusvis consociationibus, ut singulos, ex quibus coalescunt, comprehendere et obligare valeant. Cautum pariter, hisce iam expletis, " quod Causae electionis novorum Patronorum debeant in sacra Congregatione deduci, et ab ea examinari, ac demum, causa cognita, ab eadem Congregatione approbari et confirmari. " Nec secus iuris nostri peritissimus Benedictus XIV: " Statutum... est ut electiones novorum Patronorum in sacrorum Rituum Congregatione examinentur, nisi aliter summo Pontifici videatur." [4] Decretum videlicet quod a sacra Congregatione, seu a Sede apostolica desuper interponitur, eiusmodi est lex, quae

[1] *Summar.*, p. 8. — Hic et infra remittitur lector ad Vaticanam *Summarii* editionem.
[2] Ibid., p. 7.
[3] Ibid., p. 9.
[4] *De Canoniz.*, lib. IV, part. II, cap. 15, num. 5.

nonnisi ultro volentibus atque expresse flagitantibus datur, iuxta doctrinam laudati Magistri: "Accedat [oportet] consensus eorum qui totum Commune repraesentant atque obligare possunt;"[1] minime imponi solet invitis, nescientibus aut non requirentibus, veluti constat ex titulo ipso "approbationis et confirmationis electionis in Patronum," qui hisce Causis inscribi consuevit. Huiuscemodi sunt exempla omnia hac de re[2] ab eodem auctore allata; in singulis quippe praecesserat electio.

« V. De cuius praescriptae formae observantia, deque omnimoda rei libertate adeo sollicita semper fuit apostolica Sedes, ut siquidem aliter patratum aliquando compertum habuerit, vel ab ipsis suis actis, reclamantibus illis quorum intererat, recedendum duxerit. Ita Benedictus XIV: "Cum Carolus II, Hispaniarum Rex, elegit in Patronum et Protectorem suorum Regnorum sanctum Ioseph, et V. S. D. Innocentius PP. XI electionem praedictam confirmasset, uti colligitur ex Litteris apostolicis ab eo datis die 19 aprilis 1679, ... exorta subinde controversia super dicto Brevi, ipsaque delata ad sacrorum Rituum Congregationem, responsum prodiit, quo dictum est: Breve idem non suffragari, attenta inobservantia Decretorum,"[3] ob defectum scilicet consensus Cleri et Populi, super quo controversiae adhuc movebantur. "Si etenim, ut ibi subdit Pontifex, controversiae non fuissent excitatae, quemadmodum, instantibus Regibus, facta est derogatio Decreti de non eligendis nisi Sanctis in Patronos, ita facta fuisset eiusdem Decreti derogatio super defectu consensus Cleri et Populi: quocirca supplicante Imperatore, die 30 iulii 1689 confirmata fuit electio ab ipso facta sanctae Rosaliae in Patronam Regnorum et Provinciarum haereditariarum, non obstante defectu consensus Cleri et Populi." Item scribit: "Eodemque modo ven. Dei servus Innocentius Papa XI confirmavit electionem sancti Ioseph in Patronum omnium Missionum Sinensium, quae facta fuerat ab Episcopis Vicariis Apostolicis apud Sinas ... praevio consilio Congregationis de Propaganda Fide, absque eo quod in eius Litteris apostolicis mentio fiat consensus Populi aut Cleri."[4] Huc pariter spectat quod ibidem docet "servari [in omnibus] non posse, nec debere formam electionis explendae" in nonnullis Communitatibus ob specialem earum naturam, et adiunctorum rationem. Sed haec licet quoad modum admittant aliqualem Decreti derogationem, minime tamen efficiunt quin aliqua vera praecedere debeat electio, apostolicae Sedis approbationi et confirmationi subiicienda.

[1] *De canoniz.*, lib. IV, part. II, cap. 15, n. 5.
[2] Ibid.
[3] Ibid., n. 11.
[4] Loc. cit., n. 5.

442. « VI. Neque aliud iuris unquam exstitit in re nostra; quocum proinde non minus concordat SSmi Domini responsum. Plures a saeculis exsistunt in catholico Orbe Universitates studiorum, Academiae, Collegia, Scholae, quae aut aliquos e sanctis Ecclesiae Doctoribus, aut ex aliis Sanctis publico et ecclesiastico cultu claris in Patronos sibi delegerunt. Ita Irenaeum Lugdunensis, Pictaviensis Hilarium, Pisana Hieronymum; Catharinam autem Alexandrinam uti studiorum auspicem reverentur quotquot praesertim philosophicis disciplinis operam navant. Praecipue vero, accedente auctoritate apostolicae Sedis, Academiae et Scholae excitatae sunt ab Augustino, Thoma, Bonaventura nuncupatae; quae, ex instituto, horum Sanctorum doctrinas explanare, tueri, et sive in christianis dogmatibus exponendis, sive in refutandis erroribus adhibere sibi religioni habent. Ex praeclara quippe Augustini doctrina nedum sui Asseclae celeberrimam scholam instituere, sed ipse Angelicus Doctor hunc praecipue in ducem ac magistrum sibi delegit; Seraphicus autem Bonaventura, ad enixas postulantium preces, per summos Pontifices florentissimo Collegio, non secus ac Thomas suo, in Patronum et auspicem confirmatus est et constitutus. Et ita quidem, ut sac. mem. Xistus V veluti geminos Thomam ac Bonaventuram reputaverit, "cum tam multa inter eos virtutis, sanctitatis, doctrinae, meritorum coniunctio et similitudo intercedat."[1] Ac Theologiae scholasticae ibidem is elogium texens "inventa est, inquit, a maioribus nostris sapientissimis viris Theologia scholastica, quam duo potissimum gloriosi Doctores Angelicus sanctus Thomas et Seraphicus sanctus Bonaventura clarissimi huius facultatis professores, excellenti ingenio, assiduo studio, magnis laboribus et vigiliis excoluerunt atque ornarunt eamque optime dispositam, multisque modis praeclare explicatam posteris tradiderunt."[2]

« VII. Sive itaque de catholicis studiorum Universitatibus, Lyceis, Collegiis et Academiis utcumque erectis vel erigendis sit sermo, sive de iis scholis catholicis, praesertim religiosorum Ordinum, qui alium iam in Ducem aut Patronum studiorum habeant, omnino necessarium apparet ut rite porrectis ad sanctam Sedem precibus, Aquinatem Doctorem in Patronum, seu Compatronum Principalem sibi dari expostulent. Quod tenendum vel maxime profecto censeas de Scholis catholicis a Thomistica diversis, quas, ut nemo ignorat, ob praeclara in Ecclesiam merita Romani Pontifices, aeque ac illam, plurimis laudibus et honoribus cumularunt. Idcirco in celeberrima controversia "de gratiae divinae efficacia" inter varias theologorum scholas magno cum animorum aestu agitata, ne

[1] In Bulla *Triumphantis Ecclesiae*, § 13.
[2] Ibid., § 10.

exinde cum mutuae caritatis dispendio aemulationes foverentur, postquam Clemens XII in Constitutione *Apostolicae Providentiae* diei 2 octobris anni 1733, sancti Thomae doctrinam etiam ex praedecessorum Pontificum mente summopere commendasset, illico adiecit: "Mentem tamen eorundem Praedecessorum nostrorum compertam habentes, nolumus aut per nostras aut per ipsorum laudes Thomisticae Scholae delatas, quas iterato nostro iudicio comprobamus et confirmamus, quidquam esse detractum caeteris catholicis Scholis diversa ab eadem... sentientibus, quarum etiam erga sanctam Sedem praeclara sunt merita.". Quod etiam in sua Constitutione *Demissas preces*, 14 novembris 1724 sac. mem. Benedictus XIII prudentissime praecaverat. Video equidem commode his responderi posse: sancti Thomae Patronatum minime effecturum ut non liceat amplius sequi opiniones et doctrinas quae libere in Scholis catholicis disceptantur. Ac sane non ista sunt quae deperitura quisque exoptat, instaurato inclyti Angeli Scholarum studio, sed doctrinae pravae et absurdae, erronea ac ridicula systemata philosophica; non hi fructus quos inde catholici homines sibi adpromittunt, sed ut humanae mentes e barathro ementitae sapientiae eductae, ad lucem redeant veritatis quam deseruerunt. At, quaeso, cum ita se res habeat, nonne eo facilius ad vota pro Doctoris Angelici universali Patronatu Sedi apostolicae iam oblata, alia atque alia accedent?

443. « VIII. Ad rem namque quod attinet, haud inficias iverim plures ex Eminentissimis Patribus Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis sanctae Sedi postulationem exhibuisse, quibus etiam accessere Regularium Ordinum supremi Praesides, neque non Collegium Theologicum, ac Philosophico-Medicum Bononiense. Num tamen, iuxta praedictas SS. D. N. Litteras, res eiusmodi "undique," et "ab omnibus" expetita dici valeat, non minima dubitatio suboritur. Purpuratorum quippe Patrum, aliorumque Ecclesiae Praesulum numerus, qui preces porrexere, ad centum octoginta septem pertingit, idcirco nonnisi sextam totius catholici Episcopatus partem constituit. Hisce vero, praesenti in re, Vicarii capitulares haud accenseri possunt; quemadmodum haec sacra Congregatio declaravit die 4 decembris anni 1682.[1] Universitatum porro, Academiarum, Collegiorum, Gymnasiorum postulationes omnino desiderantur; neque iamdiu exsistentium modo, sed etiam earum, quae in praesens Parisiis, Lugduni, Andegavii aliisque in locis tanta cum bonorum gratulatione excitantur. Ad postulatum demum quod attinet a supremis Ordinum religiosorum Praesulibus collective porrectum, animadvertere liceat illud ab omnibus haud fuisse subscriptum, et aliquid quoad formam in eodem desiderari. Cum scilicet lege consul-

[1] Benedictus XIV, *De Canoniz.*, parte IV, lib. IV, cap. 15, n. 15.

tissima ab Urbano VIII lata electio Patronorum fieri debeat "per eorum suffragia, qui speciale mandatum habent illos repraesentandi, quorum tutelae Sancti ipsi praeficiendi exoptantur,"[1] hoc sane mandatum Ordinis Praesides habere censentur si consensus accesserit Capituli Generalis.[2] Quod cum in hac temporum acerbitate omnino foret impossibile, aliquibus ab hinc annis receptum fuit in hoc sacro Ordine, ut in illis negociis, in quibus Capituli Generalis assensus alias requirebatur, nunc ille Definitorii sufficiat. Utrumque tamen in casu desideratur, vel saltem adesse non constat.

« IX. Non omittam negocium eodem ritu absolvi a postulantibus exquiri, quo angelicus iuvenis Aloysius Gonzaga elapso saeculo, studiosae praesertim iuventuti a sac. mem. Benedicto XIII datus fuit. At quomodo res tum processerit, aperte declarat idem Pontifex in sua Constitu[illegible]one *Apostolicae servitutis officium*, data die 21 iunii anni 1725: scilicet [illegible] iuvenes qui Societatis Iesu scholas frequentabant "eundem beatu[illegible] Aloysium uti peculiarem Patronum iam a saeculo et ultra sua spo[illegible]nte privataque auctoritate colere coeperunt." Idcirco Pontifex "ad [illegible]eius vestigia et virtutum, quibus mirifice enituit, exempla sectanda, [illegible]t opem crebris illius intercessione ab Omnipotenti Deo patratis miraculis testatam, in eorum necessitatibus et animarum periculis ferventius exposcendam excitare cupiens," apostolica auctoritate indulsit "omnibus et singulis Universitatibus, Gymnasiis vel Collegiis generalium vel publicorum Studiorum, tam erectis, quam erigendis, quae a Clericis RR. praedictae Societatis Iesu de praesenti reguntur, aut in posterum regentur, ubicumque terrarum exsistentibus, ac scholaribus ibidem litterarum studiis operam nunc et pro tempore navantibus, ut de caetero perpetuis futuris temporibus memoratum beatum Aloysium tanquam suorum liberalium studiorum, atque innocentiae et castitatis in lubrica praesertim invenili aetate diligentius custodiendae, specialem Patronum sibi deligere, habere, colere et venerari." Idipsum confirmavit in Bulla *Christianae virtutes* canonizationis eiusdem angelici Iuvenis, data anno 1726 pridie kalendas ianuarii. Denique post canonizationem secutam "cum multae per Orbem scholae etiam extra Societatem Iesu illum sibi magna cum utilitate imitandum ut exemplar et venerandum ut Patronum proposuerint," ceu legitur in Decreto huius Sacrae Congregationis diei 23 novembris anni 1729, idem summus Pontifex "non solum in omnibus et singulis Universitatibus, Gymnasiis vel Collegiis generalium vel non generalium studiorum Societatis Iesu, verum etiam aliis, si quibus alicubi placuerit, ubicumque exsistentibus vel exstituris eundem sanctum Aloysium principalem constituit Patronum ».

[1] *Summar.*, p. 7.
[2] Benedictus XIV, *De Canoniz.*, parte II, lib. IV, cap. 10, n. 3.

« X. Quibus ex pontificiae auctoritatis solemnibus actibus patet confirmationem in Patronum post eius electionem accessisse, et nonnisi iis deinde concessam " si quibus alicubi placuerit. " Revera quamvis devotissimus Aloysii assecla P. Franciscus Maria Galluzzi, qui Romae obiit anno 1731, universalem hunc Patronatum quam maxime exoptasset, nihilominus " morì ravvolgendo tuttora nell'animo il disegno di ottenere dalla Santa Sede una Bolla per la quale Luigi fosse dato a Protettore di tutta la gioventù studiosa." [1] Neque in posterum quidpiam aliud hac de re actum fuisse novimus.

« XI. Quo itaque votis tot insignium virorum, ac nostris etiam, satis fieri possit, alterutra eligenda via videretur. Vel scilicet, ad eorum tramitem quae modo de sancto Aloysio retulimus, omnibus et singulis Universitatibus, Gymnasiis vel Collegiis, quibus placuerit, eundem beatum Thomam ceu praecipuum Patronum, vel Compatronum, a Sancta Sede assignari; vel adhuc exspectare, donec ipsae postulationes eum impleant numerum, quem SSmus D. N. in laudatis Litteris requirit, et non dubitat accessurum, scribens: " Contentio, quam passim excitatam laeti conspicimus exigendi philosophicas theologicasque disciplinas ad scholasticam methodum, suadere videtur huiusmodi postulata crebriora in dies fieri debere; quod certe assequetur ut honore multo splendidiore sancto Doctori ab omnibus expetito, Patronatus universalis studiorum ab hac Sancta Sede deferatur."

« Sunt haec quae, ut eiusdem SSmi Domini Nostri mandatis obtemperarem, pro mea tenuitate adnotare valui, ut viam aliquo modo sternant Emis Patribus ad iudicium pro sua sapientia in hac Causa ferendum.

« Laurentius Salvati S. C. Adv., S. Fidei Promotor ».

RESPONSIO AD ADNOTATIONES R. P. D. FIDEI PROMOTORIS.

« Eminentissime et Rme Domine.

444. « I. Ea quae circa petitiones in Causa de qua agitur exhibitas docte copioseque Fidei Promotor amplissimus disputavit, partim eo spectant ut aequitas et opportunitas postulationum ipsarum magis eluceat, partim vero, licet obiectionis speciem praeseferant, tamen eo demum intendunt

[1] Tavani, *Vita*, p. 56-57.

ut Decretum ea super re edendum concessivam potius quam praescriptivam formam induat, velut actum fuit a Benedicto XIII, quum sanctum Aloysium Gonzaga iuventuti christianae, studiosae praesertim, Patronum proposuit. Mens Censoris praeclarissimi ex iis quae scripsit in conclusione lucubrationis suae manifesto apparet. " Quo itaque, inquit, votis tot insignium virorum, ac nostris etiam, satisfieri possit, alterutra eligenda via videretur. Vel scilicet ad eorum tramitem quae modo de sancto Aloysio retulimus omnibus et singulis Universitatibus, Gymnasiis, vel Collegiis, quibus placuerit, eundem beatum Thomam ceu praecipuum Patronum vel Compatronum a Sancta Sede assignari, vel adhuc exspectare, donec ipsae postulationes eum impleant numerum, quem Ssmus D. N. laudatis Litteris [nempe ad Collegium Theologico-philosophicum Neapolitanum datis] requirit."

« II. Primum ex duobus consiliis capessendis a clarissimo Viro propositis cum votis postulantium profecto congruit; nulli enim ea mens fuit, ut vellet coelestem Patronum adsignari invitis, qui forte alterius scriptis et exemplis magis delectantur: trahat sua quemque voluptas. Quare nihil prohibet, quominus Sacra Congregatio rescribat " Affirmative iuxta formam a R. P. Fidei Promotore propositam, " atque ita petentium intentioni simul et obiicientis desiderio satisfaciat. Id consonum aequitati est, et maiorum nostrorum sapientia iampridem constitutum, ne inanes et superfluae fierent controversiae; scilicet ut quoties inter disceptantes conveniret de aliqua ratione qua posset quaestio proscindi, hanc iudex sequi et iuxta eam decernere teneretur. " Etenim, ait doctissimus I. Vincentius Gravina, de quibus inter eos [litigatores] convenerat, illa magistratum rata oportebat habere." [1] Ideo quum altera ratio ineunda ab egregio Censore proposita petentium desideriis consentanea non sit, aequum est eam seponi, licet maioris beneficii loco illam Adnotationes ostentent. Idque ob eam causam adamussim fieri decet, quam Censura propugnat, ne scilicet hoc maius quod iactat beneficium volentibus et aegre ferentibus impertiatur. Atque haec profecto causa fuit, si intimam rei substantiam, non extrinsecam formam intueamur, cur circa Patronatum sancti Aloysii confirmationem praecesserit electio, prout acute Censura notavit. Volebat enim Sedes apostolica Patronum ultro cooptatum ratum habere, non insperatum insciis vel nolentibus imponere. Neve obiicias tunc aliquot exstitisse qui Aloysium iam Patronum assumpserant, neque totam causam in solis petitionibus futurae rei fuisse versatam: namque et nunc habemus Neapolitanum Collegium et Scholas Ordinis Praedicatorum, quae sub Thomae patrocinio constitutae sunt: innumeri autem qui postulant, ipso po-

[1] *Origines iuris civil.*, Neapol. 1729, p. 179.

stulationis actu, quod ad se pertinet, Patronum illum ab se electum et cooptatum manifesto affirmant. Res ergo recidit in eundem casum, in quo erat sancti Aloysii Patronatus, quum Benedictus XIII memoratam Constitutionem suam edidit.

445. « III. Ne quis vero morosos nos ac difficiles existimet quod munus magis amplum, serius tamen et sub conditione oblatum, posthabere videamur, breviter rationes afferam quare consilium a Censura primo loco propositum magis arrideat. Scitum est nempe dilationes omnes eiusmodi esse, maxime si expetentibus et valde optantibus proferantur, ut propius ad repulsam quam ad benignam largitionem videantur accedere. Deinde ea res agitur quae praesentibus malis medeatur, per quam nimirum succrescenti prospiciatur iuventuti, velut solertissimus Fidei Vindex optime perspexit. Ait namque: "Errores detexisse atque damnasse non sufficit, nisi illos in posterum praecavere, et illata per eos damna reparare omni ope contendatur. Hoc itaque excitati studio pii aeque ac docti viri serio cogitare coeperunt de philosophicis disciplinis ad primaeva ac solida principia revocandis, quod si contigerit haud sane dubitandum quin succrescens aetas maxima cum sui utilitate sapiens Baconis effatum sit probatura: 'Leviores Philosophiae gustus etc.' Hanc porro philosophicarum disciplinarum instaurationem nec aptius perfici posse, nec efficacius visum fuit, quam Angelici Doctoris inhaerendo vestigiis... Quo vero... magis magisque Aquinatis doctrinam sequendi excitetur ardor, ab almo Neapolitano Theologico Collegio... humillima ad apostolicam Sedem delata est postulatio etc." [1] Ergo postulatio quam defendimus eo pertinet ut studiosi excitentur ad sequendas doctrinas ab Aquinate Magistro traditas, hae vero doctrinae, si plures asseclas nanciscentur, succrescentis iuventutis, quae in gravi versatur discrimine, utilitati prospicient. Ergo necessitas urget medelae praesentibus malis adhibendae. Ecquis autem, quaeso, medicus prudens malo iam saevienti remedia praescribit post plures menses, vel annos forsitan administranda? Huc accedit quod in Galliis modo catholicae Universitates eriguntur, quarum nonnullae die sacra Thomae Aquinati hoc ipso anno studiorum cursus erunt auspicaturae: Tolosae praesertim, qua in civitate primum Thomas docendi munus coepit exercere. Decet profecto, ut ipso Auspice et Patrono, Universitates istae sua capiant exordia: serius indulta concessio sacris Praesulibus, docentibus, discentibusque minus accidet iucunda, ac minus opportuna.

« IV. Insuper animadvertendum est rationem ineundam secundo loco a Censura propositam illusoriam propemodum effecturam sacri huius Ordinis benignitatem. Etenim in §§ 4 et seqq. Adnotationum satis aperuit mentem suam Rev. Fidei Promotor, Decretum absolutum ac praeceptivum non aliter fieri decere, quam si omnes ad quos ea res pertinet postulaverint. Alibi vero non obscure innuit non deesse aetate nostra, inter ipsos catholicos aliquot quibus alia ratio Philosophiae et Theologiae tradendae magis in deliciis sit, quam quae sancti Thomae vestigiis inhaeret. Fac nonnullos esse in petendo negligentiores (nullam enim invidiam aut malignitatem suspicor): quid futurum erit? Longus annorum lapsus intercedet; et antequam malorum remedium proponatur, succrescens iuventus, cui prospicere oportet, inducet rugas, inficietque comas. Denique haec alia ratio suppetit ut consilium alterum a Censura explicatum posthabeamus, quod illud pluribus careat utilitatibus, quas primum exhibet, ceu liquet ex his quae hactenus disserui; istud autem primum quod vestigia terit a Benedicto XIII in alia Causa praesignata, licet minus splendidum videatur, habituque se prodat modestiori, tamen reapse praeter expediendi negotii celeritatem et bona exinde manantia, omnia suppeditat emolumenta, quae in altero illo cogitatu continentur. Nam quum sensim aliis atque aliis desiderium indetur sancti Thomae in Patronum cooptandi, latius hic Patronatus sese protendet. Quum omnes denique eodem studio incendentur, ex facto ipso, ac praecedente apostolico indulto, Doctor Aquinas erit Universitatum, Academiarum, Scholarum, docentium et discentium Patronus constitutus. Quod si studium istud et ardorem, velut inter Censuram et postulantes constat, excitari expedit maximopere ad societatis humanae salutem, nonne igniculos animis iniiciet validiores Decretum quacumque forma ab Sede apostolica editum, quam gelidum et exanimans dilationis Rescriptum?

« V. Quae cum ita sint, alacri spe nitimur fore ut Patres Emi oblatas preces sic excipiant ut nullam moram neque conditionem velint eorum beneficio interponi. Satis ingens numerus est illorum, quorum supplices libellos in *Summarii* tabulis produximus: his alii accesserunt quorum postulationes Emo ac Rmo Causae Relatori tradendas curavimus. Si hisce satisfactum fuerit, et aditus simul aperiatur " etiam aliis, si quibus alicubi placuerit, ubicumque exsistentibus vel exstituris, " dubitandum non est quin multo citius ac certius quam Censura sperat, sanctus Doctor omnium votis expetitus Patronatum Universitatum studiorum in toto Orbe catholico sit habiturus.

« Quare etc.

« HILARIUS ALIBRANDI.

« *Revisa:* Augustinus Adv. Caprara S. R. C. Adsessor et S. Fidei Subpromotor ».

[1] *Adnot.*, § 2, 3.

NOVA POSITIO.

Instantibus plurimis Emis S. R. E. Cardinalibus Rmis Archiepiscopis, Episcopis, etc.

« Eminentissime ac Rme Domine.

446. « I. Cum in ordinariis Comitiis Sacrae Rituum Congregationis habitis die 3 februarii anno 1877 petitio fuisset proposita, ut Angelicus Doctor Academiarum, Universitatum et Scholarum catholicarum Patronus constitueretur, maluit sapienter sacer Ordo paulisper differre id quod plene et ex integro serius, novis adiectis postulationibus, concedi posse prospiciebat, quam ex parte tantum petitionem admittere, et mancum atque imperfectum beneficium indulgere. Sequutus est nimirum mentem gloriosae mem. Pontificis Pii IX, qui preces hac super re oblatas ab almo Neapolitano Collegio Theologico " benignissime excepit [velut scite notavit Fidei Vindex amplissimus in Adnot. § 3 in fine] et meritis laudibus est prosequutus " datis ad illud Collegium litteris die 3 maii 1875; simul tamen rei gravitatem perpendens adiunxit: " Cum haec vota totum respiciant Orbem, id undique petendum esse, ut res iuxta eorum, ad quos pertinet, suffragium rite decernatur. "

« II. Interea tamen Censor lectissimus ultro fatebatur veritati inniti ea quae petitioni quasi fundamenta substernebantur. Agnoscens enim necessitatem instaurandi philosophicas disciplinas, et partim repetens quae Pius IX testatus erat, partim praecinens quodammodo quae sapientissimus Successor eius erat dicturus, aiebat in laudatis Adnot., § 3 princ.: " Hanc porro philosophicarum disciplinarum instaurationem nec aptius perfici posse nec efficacius visum fuit, quam Angelici Doctoris inhaerendo vestigiis, tum quoad tutissimas aeque ac plenissimas ab eo traditas disciplinas, tum quoad peraptam easdem docendi methodum. Hic enim, prouti SSmus D. N. ad Academiam Philosophico-theologicam Neapolitanam rescripsit, scientiam universam ab inconcussis derivatam principiis in unum compegit corpus, et lucidissime digestam ita explicavit et exposuit, ut nullum occurrat verum quod non attigerit, nullus error cui profligando idonea non suppeditaverit arma." Tota igitur quaestio eo redacta fuit non ut de gravibus solidisque rationibus petendi ambigeretur, sed ut ostenderetur apertius tantum esse postulantium numerum, ut vota quae totum respicerent Orbem iure meritoque dici possent undique terrarum exprompta, ad aures venerandi huius Ordinis pervenisse.

« III. Id enimvero praestare sategimus per novas *Summarii* tabulas, quae huic iterato supplici libello adiecimus. Prostant ibi ante omnes novae postulatoriae preces a S. R. E. Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque viris gravissimis sa. me. Pio IX datae.[1] Sequuntur aliae deinde ad gloriosum Pontificem Leonem XIII, quem diu Deus sospitet, porrectae, in quibus pariter nescis utrum petentium et subscribentium numerum magis an dignitatem mireris.[2] Hisce porro adtexere placuit epistolas quamplurimas undique terrarum conscriptas a S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Praesulibus, Moderatoribus generalibus religiosorum Ordinum, Capitulis, Academiis, Universitatibus, Seminariis, Collegiis, doctisque viris e fideli populo, per quas epistolas adhaesionem suam pontificiis Litteris encyclicis, quarum initium *Aeterni Patris*, declararunt.[3] Nulla est pars Orbis unde eiusmodi epistolae profectae non sint, sive Orientis spectes sive Occidentis plagas, sive terras continentes sive insulas circumspicias, sive hemisphaerium ab antiquis agnitum, sive quod posteriori innotuit aetate. Plures quidem e scribentibus urgent manifesto desiderium illud Patroni habendi ad quod supplex hic libellus pertinet;[4] omnes autem ideo nobis suffragari liquet, quia docte, graviter et copiose rationes evolvunt queis prima petitio a nobis Sacrae Congregationi exhibita adstruebatur; omnes pariter se divum Thomam tanquam Ducem et Magistrum in philosophicis ac theologicis disciplinis vel iam habuisse, vel habere se velle palam profitentur.

447. « IV. Quam arcta autem connexio sit inter haec duo studia, dictu quidem diversa, sed revera congruentia in unum, Praeceptoris habendi Aquinatis Doctoris, eiusque in Patronum cooptandi, nemo quem sciam concinnius explicuit vel magis dilucide, quam doctissimus et Sanctissimus Pastor tunc Perusinae, nunc universae Ecclesiae, qui in litteris datis ad Antecessorem suum (quas litteras sancta quadam audacia filialis amoris Sodales Societatis Philosophico-medicae postulationi suae adtexuerunt) sic acutissime animadvertebat: " Optimo proinde consilio Athenaea et Scholae in quibus catholica iuventus ad litteras et scientias instituenda est, in sancti Thomae Aquinatis tutelam ac nomen sese recipere satagunt: non in eum tantummodo finem ut eius nomine glorientur, sed potissimum ut humanas

[1] *Summar.*, p. 1-31. — Hic remittitur iterum lector ad *Summarii* editionem Vaticanam.

[2] Ibid., p. 32-46.

[3] Ibid., p. 47 seq.

[4] Ibid., pp. 59, 74, 80, 121.

divinasque scientias iuxta methodum ac principia ab ipso constituta fideliter excolant et tradant." [1]

« V. Quare ad arctam hanc coniunctionem inter duas res optatissimas spectantes Rmi Archiepiscopi Neapolitanus atque Edessenus, et una cum iis almum Collegium Theologorum Neapolitanum apte haec memorabant in litteris ad supremum Pontificem datis: "Te enim procul dubio non latet nos iam inde ab anno 1875 attente considerantes innumera et gravissima mala quibus humana societas nostris hisce temporibus ubique terrarum opprimitur, non aliam agnovisse eorum malorum causam, nisi eam ipsam quam tu in... Epistola encyclica adsignas, nec aliud iis malis aptius efficaciusque remedium invocasse nisi illud ipsum quod tu afferendum praecipis..... Unde eadem fere argumenta quae tu summa auctoritate et pari doctrina persecutus es attingentes..... a sanctissimo Decessore tuo etiam atque etiam efflagitavimus, ut ad haec studia magis provehenda Angelicum Doctorem... omnium omnino praesentium ac futurorum Collegiorum, Academiarum, Seminariorum, Scholarum cuiuscumque generis et praesertim catholicarum studiorum Universitatum Principem Patronum proclamaret." [2] Merito igitur contendo etiam ea omnia quae in altera *Summarii* parte congesta sunt optime conferre ut amplior sit et cumulatior studii et voti communis demonstratio quam a nobis Fidei Vindex clarissimus flagitabat.

« VI. Denique quid moror? Nonne Sanctos Dei ideo in patronos cooptare solemus ut potentes ac peculiares suffragatores ad aliquid obtinendum nanciscamur? Atqui ii omnes qui unanimi consentione velle se Ducem, Auctorem et Magistrum divum Thomam sequi declarant, id cupiunt et fore sperant, nec reticent, ut frugifera et salutaris sit sana eius solidaque doctrina perturbatis humanae societatis rebus, atque ita ea quae deploramus vulnera consanentur. Eam ergo valere volunt ut alliciantur ad veritatem animi, instituantur recte, ad bonum flectantur. " Ad quod efficiendum, docet ipse Thomas, Spiritus Sanctus utitur lingua hominis quasi instrumento, ipse autem est qui perficit operationem interius." [3] Sed gratiae Sancti Spiritus conciliatrix potior est intercessoris precatio, quam eximia Praeceptoris et exquisita doctrina. Sequitur ergo ut omnes qui in hac studiorum et disciplinarum instauratione curanda ad Angelicum Doctorem quasi ad salutis anchoram confugiunt, non minus in scientiis tradendis eo velint uti Magistro, quam ipsum ad fructus percipiendos Intercessorem et Patronum penes Deum sibi velint adesse.

[1] *Summar.*, p. 33.
[2] Ibid., p. 85, n. 5.
[3] II-IIae, q. 177, a. 1.

« VII. Haec quum ita sint, iterum enixe adprecor sacrum hunc Coetum nomine innumerorum postulantium, quorum praeclaram syllogem utriusque *Summarii* tabulae praeferunt, ut oblatas preces benigne excipiens affirmativum Rescriptum edere " pro gratia " dignetur. Sic profecto fiet ut huius benefacti concessio, provido Dei consilio, ideo dilata intelligatur, quo plenior, iucundior et solemnior esset de eodem impetrato laetitia.

« Quare etc.

« Hilarius Alibrandi.

« *Revisa:* Augustinus Adv. Caprara S. R. C. Adsessor et S. Fidei Subpromotor ».

NOVUM SUMMARIUM.

PARS PRIMA.

§ I.

Aliae postulatoriae Litterae ad sa. me. Pium PP. IX.

448. I. Litterae Emi Cardinalis Archiepiscopi Parisiensis:

« Beatissime Pater. Nuper accepi a reverendis Patribus Ordinis Sancti Dominici, qui, cum benedictione Domini, gnaviter adlaborant in hac Dioecesi Parisiensi, vota supplicia Sanctitati vestrae oblata fuisse a multis Episcopis, ut dignaretur solemni Decreto sanctum Thomam Aquinatem Scholis et Academiis catholicis universim Patronum declarare.

« Nec cunctari volo quin preces meas precibus Fratrum meorum adiiciam, ut decus hoc novum Doctori Angelico addatur; nam in hoc saeculo, ac praecipue in hac civitate Parisiensi, ubi homines tam facile omni vento doctrinae circumferuntur, quidquid Scholis atque Academiis catholicis subsidium novum afferet, valde opportunum erit. Nec in dubium venit quin Doctrina sancti Thomae apud magistros et discipulos celebrata multum iuvet ad Theologiam ac Philosophiam luculenter et tuto pertractandas. Gaudeo quod magis in dies viri ecclesiastici meae Dioecesis tanti Doctoris opera perlegunt ac scrutantur, ut ex iis normam doctrinae hauriant.

CARIT... UNIVERSITY LIBRARY

« Utinam novae Scholae et Academiae quae nunc in Galliis et Parisiis ipsis, curantibus Episcopis instituuntur, crescant sub Patrocinio Doctoris Angelici, et dignae evadant quae Universitatis nomine ac privilegiis a sancta Sede apostolica decorentur!

« Quapropter Sanctitatem vestram rogo ut has meas humillimas preces, post multas alias, acceptas habere et sanctum Thomam Scholis et Academiis nostris catholicis Patronum declarare benigne dignetur.

« Parisiis, 15 decembris 1876.

« Beatissime Pater,

« Sanctitatis vestrae humillimus, obsequentissimus et devotissimus Servus et Filius

« I. HIPP. Cardinalis GUIBERT Arch. Parisiensis ».

449. II. Litterae Rmi, modo Emi Archiep. Ravennatensis aliorumque Episcoporum:

« Beatissime Pater. Neminem latet, Beatissime Pater, hac nostra praesertim miserrima tempestate tot undique irruere oppositiones falsi nominis scientiae, atque ubique gentium pseudoprophetas, et pseudochristos tam impudenter extolli laudibus, ita ut in errorem inducantur, si fieri posset, etiam electi. Ad pestiferam ingruentium errorum depellendam colluviem, ad animum iis addendum, qui in excolendis severioribus disciplinis, et sana doctrina tuenda indefesse adlaborant, ad iuvenum saluti prospiciendum, qui rationalibus disciplinis sese instruendos offerunt, toto pectore, prout est in nobis, intendimus. Et quum divi Thomae Aquinatis doctrina tutissimum praebeat scientiarum omnium firmamentum ac robur, perquam efficax fore putamus tantum Doctorem cunctis scientiarum cultoribus Patronum ac Ducem proponere.

« Quapropter ad Sanctitatis tuae pedes humillime provoluti, instanter rogamus ut solemni Decreto, atque apostolicae auctoritatis oraculo sanctum Doctorem Angelicum catholicis universim Academiis et Scholis declarare Patronum benigne digneris.

« Mense decembris 1875.

« VINCENTIUS Archiepiscopus Ravennae
« Petrus-Paulus Episcopus Forolivii
« Ioannes Episcopus Cerviae
« Alexander Paulus Episcopus Comacli
« Paulus Episcopus Caesenae
« Aloysius Episcopus Arimini
« Tobias Episcopus Sarsinae
« Camillus Episcopus Brittinorii ».

450. III. Litterae Rmi Archiepiscopi Utinensis:

« Beatissime Pater. Quod erat maxime in votis, Beatissime Pater, prohibitus sum quominus complerem. Ardenti siquidem desiderio animae visitationem ad sacra Limina instituere, et ad tuos sanctissimos pedes provulutus eos reverenter osculari, et genibus flexis te coram alloqui praeoptabam. Sed adversa valetudo, qua, Deo sospitatore, nunc levatus sum, et quaedam gravia negotia in Dioecesi noviter ingruentia me a proposito distinuerunt, etc.

« Interim, ut omnia, quae in Domino excogitari possunt, subsidia parentur ad tam salutarem effectum consequendum, humillime supplicationem meam illis plurimorum ven. confratrum Episcoporum adiungo, atque instanter, instantius, instantissime rogo ut, pro tua suprema in universa Ecclesia auctoritate, constituere et decernere digneris sanctum Thomam Aquinatem, Angelicum Doctorem, tanquam Praecipuum Patronum omnium scientiarum et studiorum in Academiis, Universitatibus, Collegiis, Seminariis, Gymnasiis, ut iuventus, eiusdem doctrinae catholicae pabulo enutrita, veritatem et Fidem integerrime contra mundi sophismata et seductiones servare valeat.

« Denique, Sanctissime Pater, ad tuos pedes venerabundus et pronus enixe postulo pro memetipso et pro grege infirmitati meae concredito apostolicam benedictionem.

« Utini, 21 decembris 1875.

« Addictissimus et obsequentissimus Filius
« ANDREAS Archiepiscopus ».

451. IV. Litterae Rmorum Archiepiscoporum Surrentini et Castrimaris:

« Beatissime Pater. Hac nostra tempestate omnimodam pravitatem homines perditissimi adeo disseminavere, ut ubique terrarum et mores increbrescant deteriores, et bonum dicatur malum ac vicissim, et illud stultorum " non est Deus " in usum deducatur. Exinde factum esse late patet ut fere omnes fallacia bona inhiantes, corda sua ad illa apposuerint atque beatum dixerint populum cui haec sunt. Inter peiora autem huius saeculi mala pessimum ac exsecrandum profecto accensetur illud, quo perplures, haec gravissima inique agentes, honorem Deo maximumque bonum humanae societati praestare saepe gloriantur. Undenam tot tantaque mala? Sane a falsis doctrinis atque erroribus in scholas inque earum methodos inductis, tanquam a propria causa proficisci, tu, Pater Beatissime, magna cum sapientia pluries adfirmasti. Quamobrem oculi omnium, qui vere sunt catholici, ad *Syllabum* a te editum sunt conversi, ceu ad auspicatissimum pharum inter tenebras errorum huius aetatis; et omnibus persuasum

est hisce malis opponi remedium efficacius haud posse, praeter quam studium sane Philosophiae ac Theologiae iuxta methodum Scholasticorum.

« Iamvero ad obtinendum istud praestantissimum bonum, nempe quod studiosa iuventus veris scientiarum imbuatur principiis, satius provideri ducimus, si quis e Sanctorum numero, tanquam studiorum Patronus, auctoritate Ecclesiae illi adsignetur. Si enim quisque populus, pro tuenda civitate ac pro bonis facilius impetrandis, peculiarem Patronum ab Ecclesia accepit; studiosa vero iuventus, ut eius mens veris in disciplinis erudiatur, utque Dei sapientia informetur, quae sola est omnium fons veritatum, Protectorem suum specialiter adsignatum non habebit? Plurimum quidem interest ut iuventus, quae ad tuendos mores sanctum Aloysium iam Patronum tenet Ecclesiae auctoritate, teneat simul et Patronum ad veram doctrinam consequendam; nam omnibus certum est tum Religionem, tum societatem ex luce tantum veritatis ordinem, tranquillitatem, atque triumphum exspectare. Interim quo solemnius nuper celebrata sunt ubique inclyta merita divi Thomae,[1] eo magis in viris tam ecclesiasticis quam laicis exarsit studium navandi operam doctrinae tanti Doctoris, atque iam tum ceu Patronum scientiarum fere omnes illum salutaverunt. Revera qui dignior aptiorque ad id munus divo Thoma, qui splendoribus suae doctrinae mentes iuventutis illuminaret non modo, verum etiam suo potenti praesidio a syrtis ac scopulis errorum longe removeret? Is namque titulum Doctoris Angelici iure meritoque adeptus est, cum Christus ipse de eo testari dignatus sit: " Bene scripsisti de me, Thoma."

« Igitur quum nobis sit compertum plures inter Episcopos iam efflagitasse a tua Sanctitate ut apostolica Auctoritate tua Angelicum Doctorem studiorum Patronum per Urbem et Orbem, praesertim pro Seminariis aliisque adolescentium Collegiis, declarares, idem et nos suppliciter exoramus, sperantes te preces nostras benigno favore prosecuturum. Atque hac certa fiducia, ad tuos pedes provoluti, tuam apostolicam benedictionem nobis, nobisque Fidelibus commissis impertiri perardenter exposcimus.

« Datum Surrenti, die 6 augusti 1875.

« MARIANUS Archiep. Surrentinus.
« Franciscus Xav. Archiep. Castrimaris ».

452. V. Litterae Rmi Archiepiscopi Rhegiensis aliorumque Episcoporum suffraganeorum:

« Beatissime Pater. Compertissimum sane est singula quaeque saecula singulares suas quasque calamitates et fortunas, adversa et prospera,

[1] Anno nempe 1874, a morte Angelici sexcentenario.

perturbationes et tranquillitates, bella et paces, ignominias et glorias sibi ineluctabili haereditate impressas computare. Ex quampluribus tamen adhuc usque transactis, nullum nobis videtur sculptiores huiuscemodi alternae vicissitudinis notas praeseferre, quam saeculum in quo tam anxia mente vivimus, et iamdudum exagitamur. Namque una ex parte meditationes inanes, funesta dissidia, diuturna odia, atroces discordias, populorum fremitus, tumultuantes turbas, fraternas caedes, omnigena errorum monstra ex inferis eruta, omnem iustitiae ac honestatis sensum pene restinctum, mores hominum corruptos, fraudes in dies, violatam fidem, iura quaeque divina et humana huc illuc pessumdata, catholicae Religionis, civilisque societatis principia convulsa atque universim labefactata conspicimus. Ast vivat Dominus omnium misericordiarum latex ac pater, qui, parte ex altera, in continuo tui pontificatus miraculo, tuum universo saeculo iam immortale nomen infixit, totique Orbi imperavit, ut suam divinae Providentiae in te veluti vivificam imaginem cerneret ac veneraretur! Te re quidem vera videmus, qui altissima sacra auctoritate, qua polles, superna maiestate comprehensus, impavidus aeternarum iuris et veritatis legum acerrimus vindex, neque minis, neque promissis, neque periculis cedis: qui longaevos annos insimul ac longaeva infortunia aequa serenitatis lance perfers; qui, ut fortissima arx, insidias, arma, obsidiones, ac bellica tormenta haudquaquam extimescis; qui, tanquam insula validissima, frementes fluctus, ventorum rabies, tempestatumque violentia eam incassum invadunt et impetunt. Quod si autem tot tantorumque malorum, quibus miserrime premimur, veram investigandam originem aggredi vellemus, eam potissimum nobis plane faciliorem non inveniendam videmus, quam in abnormi rationis abusu, qua ab infensissimis Ecclesiae humanique generis hostibus in ara perinde ac numen adorandum collocata, Deique ipsius loquentis auctoritati impie et stulte praelata atque opposita, illi insolenti superbia, coecoque tumore subacti sibi eius vi praefidentes, ipsi Deo credendum esse diffitentur, eisque tantummodo, quae cognitionis nostrae sunt, obsequendum. Tam pestiferam, venenatam, exitialemque aberrationem, nemo est qui ignoret nefanda eorum opera tunc temporis serpere coepisse, cum ii callidissimis suggestionibus, perfidisque consiliis Academias, studiorum Universitates, Collegia et Scholas ad id sensim suasionis induxerunt, qua antiquam docendi methodum, utpote dictitabant, non amplius progressui temporum respondentem, e suis septis penitus exturbarent, eamque contra benignis oculis exciperent quam e nordicis regionibus semel exortam, compactis viribus longe lateque iam auspicandam moliebantur: quasi splendida meridiana lux e septemptrionali coelo nubium glacierumque perennitate obretito foret unquam speranda! In eo finis perversitas latebet, quo divina catholicae Fidei auctoritate excussa,

ius magisterii soli rationi attribuentes, omnia quaeque divina et humana suo sensu corrumperent ac prorsus immutarent; quin ea sapientiae Instituta vel minimum animadvertissent, quod nihil magis contra rationem, quam ratione rationem conari transcendere; et ratione insuper cuiusque praevalente, intimae virtutis lumen amitti, et rectum veritatis tramitem perdi. Nos scelestissimum finem, certe a tenebrarum potestate suggestum, indignanter improbantes, nulli labori, nullique studio parcendum esse usque duximus, ut antiqua docendi methodus in naturalibus praesertim, philosophicis, theologicisque disciplinis perample restitueretur, qua cohaerenti nimirum ordine, tenacique argumentorum firmitate et ratione Fidem, uti oportet ac par est, obsequenter famulante, animus excoli, verum a falso distingui, natura investigari, et abditissima quaeque eiusdem arcana in apertam lucem proferri facile valerent. Ecquemnam enimvero autem praeterit hanc utilissimam methodum in disciplinis praefatis, aliisque id genus ab Angelico Aquinate ad summum fastigium elatam atque praelectam esse? Nonne scilicet huiusce methodi virtute, simul ac sagacissimo ingenio, velut aquila robustissimis pennis super erectiore Libani cacumine evolans, humanae coelestisque sapientiae cedros in suis intimis visceribus permeaverit? Hoc haud dubie pacto oculorum aciem veritatibus intus aeternis figere feliciter potuit: hac methodo eius doctrina Europae admiratio fuit, haereseos terror, errorum flagellum, Academiarum phoenix, Summorum Pontificum oraculum: et ita ei prospere contigit, ut in penitioribus vel disciplinis nova inveniret, obscuras illustraret, derelictas coleret, incultas expoliret, steriles locupletaret, mendaces praestigiis ac fallaciis involutas, detecta veste, dirueret ac patefaceret: ex quibus nihil mirum, si viri in litteris et scientiis pollentiores splendidis sui divini intellectus vestigiis firmo securoque pede inhaererent; si illustriores Academiae ad suas cathedras decorandas, eum, dum viveret, certatim requirerent, uti fauste sortitum est Romanae, Lutetiensi, Bononiensi et Neapolitanae; si Catholici omnes velut veritatis prodigium aestimarent; si a supremis Potestatibus magno plausu, intima familiaritate, ac praecipuis honorificentiis honestaretur. Hisce vero si praeterea adiiciatur quod purissima illius doctrina, tanquam aurum electum, in pretiosis voluminibus digesta, cuius omne folium thesaurus est, omne dictum sacrum, omnis calami tractus lucis radium, omnis articulus miraculum, ab ipsa incarnata Sapientia laude atque adprobatione fuerit donata, quidnam remanet amplius ambigendum, quin in praesenti densarum caliginum ac tenebrarum conditione, quibus quaqueversus opprimimur, ea in sua propria methodo universim adhibenda excitaretur? Nonne cuiuslibet generis error in praesentiarum exstat, qui invictissimis illius argumentis iam praevisus non fuerit, ac profligatus? Vel utrum quacumque sub novitatis specie in futuris saeculis forsan comparuerit, illo clypeo, illorum armorum munimine nonne poterit etiam invictissime profligari?

453. « Quum igitur, Beatissime Pater, tuo ipsomet oraculo in responso ad rem, de qua agitur, almo Theologorum Neapolitano Collegio, dato die 3 mensis maii nuperrimi transacti anni, praecelsis verbis confirmasti, Aquinatem Doctorem, angelico ferme intellectu ditatum de re litteraria, disciplinisque altioribus, totaque, qua late patet, scientia quam optime promeritum esse, nos omnes huiusce ecclesiasticae Provinciae Rhegien. in Brutio Praesules, iucundissimas tum eis gratias agentes, qui initium tanti pretii operis perlaudando studio inierunt, tum iis ex nostris dilectissimis in Christo confratribus, qui alacrem promptamque adhaesionem ei adhucusque praestitere, concordi animo, collatisque sensibus et consiliis, humillimas quoque preces, et maiori qua possumus effusione, tibi enixe porrigimus, ut ea circumspecta ac sedula providentia qua uti in omnibus persoles, tam permagno universalis Ecclesiae Doctori, divo Gonzagae Aloysio integerrima vita, inlibata castimonia, ardentique in Deum charitate non dissimili, Principem etiam Patronatum super Academias, studiorum Universitates, Seminaria, Collegia et Scholas, donare lubenter velis: quo retributionis honore adauctus, uti Princeps Patronus pervigili protectione ac tutela tam iis qui docendi munus obeunt, quam iis qui discendi officio incumbunt, e coelesti Sede, qua fruitur, suam methodum ac doctrinam queat pressius insinuandam excitare, quibus ita solum ulteriores pravae aberrationes, peioraque certa damna ac mala a iuventute et societate iam in praeceps ac in ruinam comparatis, valeant securius praecaveri. Ea propter hoc aliud magnificum et solemne tuae munificentiae testimonium, quod tam cupide praestolamur, non modo optimo iure ac merito Angelici Aquinatis Doctoris splendori censemus, verum etiam, quin immo potius Religionis, veritatis, scientiae, litterarum, ac Reipublicae beneficio plane esse impartiendum et proclamandum existimamus.

« Hisce sincerissimis votis humiliter significatis, ad tuos pedes devoto animo provoluti, eosque semel ac iterum deosculantes, te interim exoramus, ut nobis gregibusque nostris in Domino concreditis tuam tam exoptatam apostolicam benedictionem consueta incomparanda magnanimitate, et benigno favore elargiaris.

« Datum Rhegii in Brutio, idibus ianuarii, A. D. MDCCCLXXVI.

« Beatitudinis tuae addictissimi, obedientissimi, humillimi Famuli

« Fr. Franciscus Archiep. Metropolitanus Rhegien.
« Franciscus Xaverius Epis. Suffr. Hieracen.
« Antonius Epis. Suffr. Boven.
« Raphaël Epis. Suffr. Cathacen.

« Aloysius Epis. Coadiutor Suffr. Nicoterien. et Tropien.
« Antonius Epis. Suffr. Oppiden.
« Raphaël Epis. Suffr. Squillacen.
« Alexander M. Epis. Suffr. Capanen.
« Fr. Hyacinthus Epis. Suffr. Neocastren.
« Fr. Aloysius M. Epis. Suffr. Cotronen. ».

454. VI. Litterae Rmi Archiepiscopi Archeruntini aliorumque Episcoporum:

« Beatissime Pater. Satis cognitum perspectumque est, Sanctissime Pater, adversus pravarum doctrinarum fautores et propagatores, qui hac nostra tempestate magis magisque corrupti et abominabiles facti in studiis suis, omnem prorsus humanam disciplinam pestifero errorum veneno inficere adnituntur, aptius efficaciusque remedium esse illud " exigendi philosophicas theologicasque disciplinas ad scholasticam methodum;" quod equidem ipsa Sanctitas tua, in Epistola diei 3 maii proxime elapsi ad Eminentissimum Cardinalem Riarium Sforza, Archiepiscopum Neapolitanum, et ad caeteros Almi Collegii Praesules et Theologos, solemniter commendavit. Siquidem summorum illorum Doctorum Theologia scholastica, uti sanctissimus decessor tuus Xistus V [1] expresse affirmavit: " Catholicae Fidei dogmatibus confirmandis et haeresibus confutandis pernecessaria est: et profecto rem ita se habere, ipsimet veritatis inimici sunt iudices, quibus Theologia scholastica maxime est formidolosa, qui profecto intelligunt apta illa, et inter se nexa rerum et causarum cohaerentia illo ordine et dispositione, tanquam militum in pugnando instructione, illa argumentorum firmitate, et acutissimis disputationibus lucem a tenebris, verum a falso distingui, eorumque mendacia multis praestigiis, atque fallaciis involuta, tanquam veste detecta, patefieri ac denudari."

« Et quoad rationales atque naturales disciplinas, cum necessarium sit ut in illis excolendis et evolvendis dediti divinam revelationem, quam catholica docet Ecclesia veluti rectricem stellam prae oculis habeant, qua perlucente sibi a syrtibus et erroribus cavere valeant, sicut tu ipse, Beatissime Pater, die 21 decembris anni 1863 ad Archiepiscopum Monacensem et Frisingensem perbelle aiebas: cumque praelaudati Ecclesiae Patres et scholae Doctores hanc servantes normam, admirabilem scientiarum progressum, et felicem exitum in devitandis ac refutandis erroribus attigissent, eamque disciplinarum omnium cultoribus imitandam tradidissent, procul dubio est quin ad istorum methodum, atque ad principia communi omnium catholicarum Scholarum consensu sancita, philosophicae theologicaeque disciplinae sint revocandae, ut hac nostra aetate studia

[1] In Const. *Triumphantis*, die 19 martii 1588, 9, 10.

revera et vigeant et florescant, eorumque cultores ipsis novatoribus formidolosi efficiantur.

« Ex quo etiam fit ut ipsae humanae litterae argumentorum dignitatem formaeque splendorem ab iisdem studiis dicto modo reformatis mutuentur. Ad hanc porro disciplinarum omnium restaurationem facilius et ubique assequendam, medium per quam efficax foret si scientiarum et sacrae in primis doctrinae cultores divum Thomam Angelicum veteris Scholae Doctorem in Patronum et Ducem sibi proponant.

« Quocirca nos luctuosis hisce temporibus excitati, zeloque succensi, ad tuos pedes provoluti, maxima qua decet in Christi vices in terris fungentem religiosa observantia, precibusque humillimis haec duo a Beatitudine tua efflagitamus. Primum nempe ut apostolici Magisterii tui oraculo divi Thomae doctrinam disciplinarum omnium cultoribus iterum commendare digneris; quod certo luxuriantia comprimeret ingenia, et animum adderet iis qui ductu Angelici Doctoris in excolendis severioribus disciplinis, et sana tuenda doctrina indefesse adlaborant. Alterum est, ut solemni Decreto ipsum divum Thomam catholicis Seminariis, Gymnasiis, omnibus Palaestris, ludis litterariis, scientiarumque Lyceis, atque studiorum Universitatibus praesentibus et futuris Principem Patronum declares, adeo ut scriptores et docentes omnes, nec non universa studiosa inventus eius doctrinam imitentur, ipsumque summa religione habeant, excolant, celebrent.

« Ita quidem omnes tum ingenuis Pallados artibus, tum severis scientiis operam navantes, vel quidquid scitu dignum, nobile ac praestantissimum addiscentes singulis quoque ecclesiasticae Provinciae Lucaniae Dioecesibus, tuo nomine, tuaque summa munificentia nostrae pastorali sollicitudini concreditis; atque ii potissimum, qui sponte sua ecclesiasticae militiae dato nomine, in sortem Domini vocati ad sacros Ordines ascendere exoptant, sub ductu et auspiciis Aquinatis Magistri veram sapientiam edocti, sanis doctrinis apprime imbuti, bonis integrisque moribus informati, perutiles evadant Ecclesiae, patriae, societati.

« Tandem nos omnes ad unum tibi Pontifici maximo manus obsequentissimi deosculantes, quod petimus studiosae iuventutis in spem Ecclesiae succrescentis commodo atque utilitati, a te hisce nostris precibus comiter annuente, certe quidem impetraturos confidimus, tuam apostolicam benedictionem exposcentes.

« Acheruntiae, die 15 ianuarii anni reparatae salutis 1876.

« Petrus Archiepiscopus Acheruntin. et Matheranen.
« Fr. Antonius M. Fania a Rignano Ep. Marsicen. et Potentin.
« Ianuarius M. Episcopus Anglonensis et Tursiensis ».

455. VII. Litterae Rmi Archiepiscopi Consentini:

« Beatissime Pater. In praesenti hominum ac rerum perturbatione, dum Ecclesia, vera Petri navis, frementibus agitur fluctibus, Beatissime Pater, iuxta splendidum Sanctitatis tuae exemplum, et assiduam operam, universus sacrorum Antistitum coetus pro viribus adnititur, ut studiosa iuventus a crescentium errorum fallaciis, et a depravatae scientiae deliramentis prorsus arceatur. Haec aetas omni vento doctrinae circumlata in impietatis et irreligionis barathrum in dies proruit, siquidem longe lateque pravorum magistrorum cathedrae, et scripta ubique multiplicentur. Curae iam tibi fuit, Beatissime Pater, huic exsecrandae ruinae toto conatu obsistere; quippe qui in *Syllabo* sive docentibus sive discentibus suppeditasti normam, quam teneat oportet quisquis scientias pertractat, et currentis aevi nova excusa dictamina refutare aggreditur. Et huic tuae pastorali sollicitudini iamdiu obsecundant ex animo catholici viri, qui philosophicis et theologicis disciplinis operam navando, Angelici Doctoris Thomae Aquinatis auream et poene divinitus inspiratam doctrinam in catholicis Scholis restaurare et effundere conantur.

« Sed quo res melius ac tutius evadat, et ad speratum exitum perducatur, coeleste etiam et peculiare praesidium est aeque expetendum. Quapropter ego, cui indignissimo huius Consentinae Ecclesiae regendae et gubernandae munus demandatum est, meas etiam sociari audeam illis precibus, quibus iam nunc Ecclesiae Antistites Beatitudinem tuam enixe prosequuntur. Habeat studiosa inventus, habeant Universitates et Gymnasia in divo Thoma non solum Magistrum, sed etiam Protectorem et Angelum tutelarem. Hic a cathedris doceat omnes veram christianae Philosophiae sapientiam; hic simul a coelo faveat, et tam discentibus quam docentibus suum impertiatur Patrocinium. Hoc lumine, etiam coram malevolis et errantibus micante, expergefacta iuventus in hac tum ignorantiae, tum impietatis nocte, rectum scientiarum iter teneat ac perficiat.

« Ubi, Beatissime Pater, Ecclesiae militantis bonum, et praesidium prostant, ibi zelus et sollicitudo tua Pastorum et fidelium preces antevertunt. Idcirco laeta exaudiendae precationis spe, ad tuos pedes provolutus, tuam apostolicam benedictionem imploro super Pastorem et gregem Consentinum, huic sanctae romanae Sedi immutabili obsequio, et firmissimo corde addictissimos.

« Datum Consentiae, die 16 ianuarii 1876.

« Sanctitatis tuae humillimus devotissimus obstmus Servus et in Christo Filius

« CAMILLUS Archiepiscopus Consentinus ».

456. VIII. Litterae Rmi Archiepiscopi Tarentini:

« Beatissime Pater. Cum ad studiosam iuventutem litteris atque scientiis erudiendam, methodus in scholis adoptata processu temporum eo devenit, ut genetica, uti loquuntur, sive scientifica magis in dies augeatur, omnibus scientiarum cultoribus illuxit *Syllabus* praeseferens oracula Sanctitatis tuae, ut in omnibus individuus servaretur nexus inter rationem ac revelationem, quae ex eodem omnium bonorum fonte, Deo, dimanant. At ut haec nostrae Fidei regula adversus acatholicos magistros tam necessarium nexum rationis et Fidei pessime dissociantes magis tueantur, omnes sacrarum rerum Antistites, atque scientiarum rectores ad illos traditionis catholicae testes et traduces, qui Theologi scholastici vocantur, oculos suos converterunt, et praesertim ad Angelum Scholarum divum Thomam Aquinatem, tanquam ad omnium Universitatum, ut Parisiensium perantiquae Academiae verbis utar, lucidissimum candelabrum, a quo omnes fideles sanctae vitae et sanctae doctrinae lumen accipiant.

« Quemadmodum autem ad bonos mores tuendos in discipulis, Decreto Benedicti XIII fel. rec. angelicum iuvenem sanctum Aloysium Gonzagam Patronum omnium Scholarum ab apostolica Sede renunciatum omnes agnoscunt: ita ad sanam doctrinam tuendam in praeceptoribus, hisce novissimis ac periculosis temporibus, Angelicum Doctorem sanctum Thomam Patronum ab ipsa apostolica Sede declarandum super omnia et singula Gymnasia, atque Collegia, et praesertim Seminaria, universus catholicorum praeceptorum simul et scientiarum cultorum coetus exoptat.

« Itaque ut tanti Doctoris Patrocinium apud Deum et Principatus apud viros doctos ab omnibus Scholis rite suscipiatur, necesse est, Beatissime Pater, ut accedat oraculum Sanctitatis tuae; quod ad pedes tuos provolutus instanter rogo, instantissime petens, ut ad profectum studiosae iuventutis, solemni Decreto, atque apostolicae Auctoritatis oraculo, sanctum Thomam Aquinatem Patronum omnibus viris litteratis, omnibusque Universitatibus et Gymnasiis assignare digneris.

« Humillimas denique has preces, meque ipsum apostolicam benedictionem toto corde poscentem, et manus peramanter deosculantem, ut Sanctitas tua benigne excipiat, oro et exopto.

« Tarenti, die sacro Purificationi B. M. Virginis, 1876.

« Addictissimus Filius

« IOSEPH Archiepiscopus Tarent. ».

457. IX. Litterae Rmi Archiepiscopi Vallisoletani, Hispalensis aliorumque Episcoporum, et ecclesiasticorum virorum:

« Beatissime Pater. Cum in comperto sit apud omnes dogmata Theo-

logiae Thomisticae tutissima inconcussaque esse, uti quidam Pontifex declaravit, nihil hisce dogmatis aptius haberi posse arbitramur ad nova iuniorum commenta profliganda. Ea porro dogmata maximam vim habere cognitum perspectumque est ad eorum ingenia coërcenda, qui omni ope nituntur uti sanam doctrinam et Christi Religionem labefactent atque convellant.

« Ad quam sane perniciem avertendam vel plurimum conferre opinamur si per apostolicam Petri Sedem, Doctor Angelicus ad dignitatem evehatur Patroni Scholarum catholicarum. Ea quippe dignitas tum ad laudem doctrinae tum ad opem Doctoris Angelici praesentissimam experiendam pertinere videtur.

« Hac spe fretus, Frater Pius Albertus, Episcopus Drasensis et Coadiutor Episcopi Miniatensis, cum suo Clero Sanctitati vestrae humillimas postulationes offert, ut, quod in votis est, Angelico Doctori novus hic honos accedat, Italiaeque ob id spes aevi melioris affulgeat.

« Faxit Deus ut ope perillustris Pontificis Pii IX, quem tenerrimo omnes prosequimur affectu, Angelicus Thomas qui Guzmanae familiae decus et Italiae splendor et cherubicae scientiae iubar semper est habitus, nova gloria donetur.

« Beatissime Pater, Episcopus Titularis Miniatensium eiusque Coadiutor cum Clero et populo apostolicam benedictionem percupiunt, quam ut permanenter impertias etiam atque etiam rogant.

« Fr. PIUS ALBERTUS Ord. Praed. Episc. Dras. et Coad. Episc. Miniat.

« Die 26 sept. 1876.

« Similibus postulationibus subscripserunt:

« Vallisoleti, die 14 septembris 1877.

« Fr. Ferdinandus Archiep. Vallisoletanus, postulat idem cum Ven. Archiep. Vallisoletano.

« Zamora, 16 septembris 1877.

« Bernardus Episc. Zamorensis, postulat cum ven. Archiep. Vallisoletano Episc. Asturicensis.

« Asturicae 28 septembris 1877.

« Marianus Episc. Asturicensis, postulat cum ven. Metropolitano suo, Archiep. Vallisoletano.

« Narcisus Episc. Salmanticensis et Admin. Apost. Civitatensis, postulat cum ven. Metropolitano suo, Archiep. Vallisoletano.

« Petrus Ioseph Episcopus Abulensis, postulat demum cum ven. Metropolitano suo, Arch. Vallisoletano.

« Segoviae, 11 decembris 1877.

« Antonius, Episcopus Segoviensis.

« Item votis hic expressis libenter subscribunt Fr. Ioachim, Archiep. Hispalensis cum Seminarii Professoribus ».

458. X. Litterae Rmi Archiepiscopi de Manila atque Episcoporum suffraganeorum:

« Beatissime Pater. Frater Petrus Payo, Archiepiscopus huius Metropolitanae Ecclesiae de Manila; Frater Franciscus Gainza, Episcopus Novae Caceres; Frater Marianus Cuartero, senior, Episcopus Sanctae Elisabeth de Iaro, omnes tres ex sacro Ordine Praedicatorum; Frater Marianus Cuartero, iunior, ex Ordine Discalceatorum; Sancti Augustini, Episcopus Novae Segoviae, et demum Frater Benedictus de Madrideios, ex Ordine Discalceatorum Sancti Francisci, Episcopus Sancti Nominis de Iesu de Cebu, qui Provinciam ecclesiasticam insularum Philippinarum constituunt, Sanctitatis vestrae vota, multoties tum viva voce tum scripto manifestata, praesertim in Brevi ad Eminentissimum Cardinalem Archiepiscopum Neapolitanum et ad alios almum Theologorum Collegium constituentes die 3 maii 1875 misso, obsecundare volentes, Sanctitatem vestram humiliter deprecantur, ut Angelicum Doctorem sanctum Thomam Aquinatem, omnium Universitatum, Gymnasiorum et Collegiorum Patronum declarare dignetur, quod quidem in catholicae doctrinae diffusionem, in bonorum studiorum restaurationem, et in Ecclesiae simul ac societatis utilitatem indubitanter vertetur.

« Deus optimus Maximus Sanctitatem vestram quam diutissime incolumem sospitet ac conservet. Datis Manilae in insulis Philippinis, die 7 octobris, in festo SSmi Rosarii anni 1877.

« Beatissime Pater, ad S. V. pedes humiliter provoluti

« Fr. PETRUS Archiepiscopus de Manila
« Fr. Franciscus Episcopus Novae Caceres, O. P.
« Fr. Marianus Episcopus de Iaro
« Fr. Marianus Episcopus Novae Segoviae
« Fr. Benedictus Episcopus de Cebu ».

459. XI. Litterae Rmi Episcopi Liburnensis:

« Beatissime Pater. Teterrimas quas modo Ecclesia Dei angustias persecutionesque patitur, impietatem quae divina omnia contemptui habet,

vitiorum monstra quae humanitatem pessime foedant laniantque, animorum pravitatem quae universam societatem a fundamentis prorsus evertere nititur, in confesso est apud omnes ex impiis pravisque manasse doctrinis quibus iuventus, saeculo iam vertente imbuta est, et miserrimis hisce temporibus magis magisque imbuitur. Causa igitur pro viribus auferenda ut infandi auferantur effectus; erroribus cunctis qui, larvata facie, veritatis iura inique usurparunt e loco deiectis, tum in Academiis, tum in Scholis quae, verbo Dei revelato, Ecclesiae magisterio ac rectae rationi consona sunt principia imperium iterum obtineant oportet, ut fugatis tenebris quae modo operiunt terram, lux denuo oriatur in mentibus hominum, et veritas, quae Iesu Christi Domini nostri Regnum est, toto dominetur in Orbe.

« Ad hoc bonum autem super omne bonum assequendum quaenam facilior securiorque via quam doctrina divi Thomae Aquinatis qui propter eam Angelici Doctoris nomen promeruit? Ipsum perantiqua et celeberrima Parisiensis Academia appellavit omnium Universitatum lucidissimum candelabrum, a quo omnes fideles sanctae vitae et sanctae doctrinae lumen accipiunt; ipsum summi Pontifices, Beatitudinis tuae praedecessores, summis laudibus sunt prosequuti. Innocentius VI edixit ipsius doctrinam prae caeteris, excepta Canonica, habere proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut nunquam qui eam tenuerit inveniatur a veritatis tramite deviasse; Urbanus V ad Tolosanam Academiam, "volumus, ait, et tenore praesentium vobis iniungimus, ut beati Thomae doctrinam, tanquam veridicam et catholicam sectemini, eamque studeatis totis viribus ampliare," Denique, ut caeteros praetermittam, sanctus Pius V, "Factum est, inquit, omnipotentis Dei providentia, ut Angelici Doctoris vi et veritate doctrinae qua Apostolicam Ecclesiam, infinitis confutatis erroribus, illustravit, ex eo tempore, quo coelestibus civibus adscriptus fuit, multae quae deinceps exortae sunt haereses, confusae et convictae dissiparentur."

« Haec praeteritorum historia, nostrorum autem miserrimorum temporum vaticinium fuere, quibus rationis deliramenta fere innumerabilia effecta, doctrinis a Doctore Angelico traditis cuncta prorsus profligantur.

« Quare ne pigeat, quaeso, Beatitudinem tuam et a me Episcoporum novissimo preces excipere quas a Conservis et Fratribus meis iam effusae sunt ut ad luxurantia ingenia comprimenda, animumque addendum iis quotquot sunt, qui in excolendis philosophicis et theologicis disciplinis, et sana tuenda doctrina adlaborant solemni Decreto atque apostolicae auctoritatis oraculo sanctum Thomam Doctorem Angelicum catholicis universim Academiis et Scholis Patronum declarare et constituere benigne digneris.

« Sanctitatis tuae pedibus provolutus, apostolicam super me et super oves mihi creditas benedictionem humiliter imploro, et obedientiae ac devotionis omnimodae sensus iterum gestiens obtestor.

« Liburni, die octava Epiphaniae D. N. Iesu Christi anni 1816.

« Sanctitatis tuae

« Humillimus, addictissimus et obedientissimus Servus et Filius

« Raphael Episcopus Liburnensis ».

460. XII. Litterae Rmi Episcopi Tricaricensis:

« Beatissime Pater. Perspectum et cognitum cuique est Angelicum Doctorem divina Providentia excitatum fuisse ad illos confutandos errores, qui tunc temporis grassabantur, atque tanti praeceptoris doctrinam illam esse quae semper arma ministraverit aptissima quare posteriora commenta in nihilum redigerentur.

« Qua de causa, ego, cui perinde, ac caeteris christiani Orbis Episcopis studiosae iuventutis, clericalis praesertim, recta institutio maxime cordi est, ad tuos pedes provolutus, demississime oro atque obsecro, ut doctrinam Aquinatis a te saepius commendatam, iterum commendes, ipsumque sanctum Thomam omnibus Seminariis, Gymnasiis, Lyceis, Universitatibus omnibus Principem Patronum solemni Decreto confirmes in aevum.

« Hoc profecto efficiet, ut quemadmodum sol post longam noctem atque teterrimam, post copiosissimum aquarum agmen praeruptum nitidior coelo apparet, cunctaque recreat atque vivificat; ita perditissimorum hominum consiliis et conatibus in ventos dissipatis, scientiae omnes et praesertim theologica et philosophica splendidiores vigeant et florescant.

« Quae cum ita sint, in spem adductus sum firmissimam fore ut supplices hasce preces illa qua soles benevolentia, benigne comiterque excipias, meque ovesque meas apostolica roboreris benedictione.

« Tricarici, undecimo kal. februarii 1876.

« Humillimus, addictissimusque Filius

« Fr. Simon Epis. Tricaricen. ».

461. XIII. Litterae Rmi Episcopi Clodiensis:

« Beatissime Pater. Viris pietate ac eruditione praestantissimis miserrima hac aetate iam persuasum est, serpentibus ubique erroneis placitis, quae in tradendis doctrinis disseminantur, meliori profecto ratione occurri non posse, quam si ad germanam puritatem et integritatem scien-

tiae omnino revocentur, atque a vitiis expurgentur. Quod facili assequeretur negotio qui publicis in Scholis scientiarum lectiones habet, si in re philosophica ac theologica sancti Thomae Aquinatis doctrinae penitus inhaereret. Quapropter enixis ac satis validis supplicationibus, quae tibi, Beatissimae Pater, ac universae Ecclesiae Doctori passim proferuntur, humillimae quoque tum meae, tum huius Dioecesis sacerdotum, qui Angelici Doctoris volumina assidua versant manu, quam libentissime accedunt, quatenus, si in Domino Sanctitati tuae videbitur, prospicias ac iubeas ubique terrarum et ab omnibus praeceptoribus nullam in posterum tradi ac edoceri quam sancti Thomae doctrinam, etiam, qua fieri potest, quoad eiusdem methodum ac rationem; ut funditus et apostolica Auctoritate refellantur, quae in Scholasticam, ut dicunt, nunc temporis gratis iactitantur calumniae; et satis superque luce clarius appareat, utrum iure merito doctissimo ac sanctissimo Viro in eius amplissimam doctrinae commendationem a Christo crucifixo divinitus diceretur: " Bene scripsisti de me, Thoma." Nos interim precibus ac votis a Spiritu Sancto super te lumen et gratiam flagitabimus, ut quam citius, si tibi visum fuerit ad christianae Reipublicae bonum, et verum scientiarum incrementum, et praecipue ad maiorem Dei gloriam Decretum huiusmodi apostolicum emanes.

« Ad pedes tuos devotissime provoluti, paternam imploramus benedictionem.

« Clodiae, ex aedibus Seminarii, VI idus decembris MDCCCLXXVI. Mariae sine labe Conceptae sacro die.

« Sanctitatis tuae

« Humillimus addictissimus Filius
« DOMINICUS Epis. Clod. ».

462. XIV. Litterae Rmi Episcopi Belemensis de Para:

« Beatissime Pater. Infallibilem Petri Cathedram veneraturus, atque vivifica incrementa virtutum ab eadem hausturus ex immensitate oceani adveniens, permagno deprehendi animi gaudio quam plurium Episcoporum vota ad Sanctitatem tuam fuisse perlata, ut Angelicum Doctorem Thomam de Aquinate, totius christiani Orbis Academiis, Universitatibus, atque catholicis Scholis Patronum declarares. Quum enim iamdudum a prima vel ipsa mea iuventute speciali animi veneratione atque dilectione beatissimum Doctorem, praeclaramque doctrinam ab illo traditam semper fuerim prosequutus, et quum iam mente absolverem Belemense meum Seminarium, quod ad tramitem Sacrosancti Concilii Tridentini restituere curavi, validissimo illius Patrocinio concredere, nihil idcirco optabilius, nihilque iucundius mihi fuit, quam ut venerabilium ac perillustrium Confratrum votis humillimas quoque supplicationes meas coniungerem.

« Neminem quippe latet, Beatissime Pater, quam impio ac pertinaci studio nostris hisce temporibus humana superbia, errorum omnium altrix et magistra, naturalis ordinis scientias a supernaturali revelationis illustratione ac directione subducere, immo etiam ad superna eadem divinae Sapientiae atque immensae charitatis opera, si unquam foret possibile, profliganda atque subvertenda intendere adnitatur. Dumque proinde pia mater Ecclesia de humanis aberrationibus, ob gravissimum Fidei detrimentum et animarum iacturam graviter condolet, vehementi non minus agone defatigatur societas, quum reiecto religionis et Fidei adiumento, nullam certam, nullam stabilem invenire potest auctoritatis et legum sanctionem, qua effrenum humanarum passionum impetum compescere valeat; ita ut non longe humanis abludit praevisionibus, quod, dissolutis quandoque socialis ordinis vinculis, in supremum universalis ruinae discrimen, cito vel sero, quod Deus avertat! ipsa societas erit irreparabiliter prolapsura.

« Optimum fore videtur consilium, Beatissime Pater, si in hisce gravissimis rerum adiunctis, peculiarem Patronatum Angelici Doctoris in Universitatibus et Academiis, in caeteris quibuscumque catholicis Scholis constituas. Omnes quandoquidem sublimis sui ingenii vires sanctus ille Doctor exacuit, ut Theologiam, scientiarum omnium reginam, atque a supremi Numinis quodammodo gremio prodeuntem, ad inferioris ordinis scientias illustrandas perduceret; unde, arctissimo connubio inter divinam illam magistram et humanas disciplinas instaurato, illam ipsam sapientiam, quam ex supernis charitatis fontibus plenis haustibus ebibit, ad ipsum Deum per creatarum rerum illustrationem, tamque per visibiles ascensionis gradus mirabiliter reportavit. Quumque vero ad naturalis ordinis investigationem applicuisset animum, nedum individuam hominis naturam, verum etiam universam humanae familiae societatem contemplans, tum moralis, tum politici ordinis origine et fundamentis profundissime perscrutatis, aeternas atque immutabiles utriusque ordinis leges et sanctiones in propatulo reposuit.

« Faustissimi igitur auspicii foret, atque tam Ecclesiae quam civili societati, maximi esset momenti, si beatissimo Thoma e supernis sedibus deprecante, humanarum divinarumque disciplinarum cultores, in eiusdem imaginem, tanquam in sidere fulgentissimo, mentis oculos intendentes, praeclaram atque tutissimam haberent doctrinae semitam, atque ita ex copiosis eiusdem sapientiae promptuariis, armis ac defensionibus validissime munitis, ad insurgentes errores profligandos, magna animi alacritate, eodem opitulante, congrederentur.

« Romae, die 20 maii 1877.

« Sanctitatis tuae

« Humillimus et addictissimus Filius et Famulus
« ANTONIUS, Episcopus Belemensis de Para ».

463. XV. Litterae Rmi Fr. Vincentii Leonis Sallua, Ord. Praed. Commissarii Generalis S. R. et Univ. Inquisitionis, modo Archiep. Chalcedonensis:

« Beatissime Pater. Ingens prorsus malum non tantum circa corruptos hominum mores, sed vel maxime in scientiis atque doctrinis pervertendis, totum occupasse Orbem, ut verba usurpemus divi Athanasii, prorsus nostris iis temporibus lugendum patet. Quapropter ad geminum hoc malum ab hominum societate quantum fieri potest arcendum, illius inter sapientes sapientissimi, inter Sanctos pientissimi Viri patrocinium simul et lumen invocandum atque admovendum esse necesse prorsus putatur. Sane " id nec aptius perfici posse patet (ita prorsus ex oraculo tuo, Beatissime Pater) nec efficacius, quam per sancti Thomae doctrinam, qui scientiam universam ab inconcussis derivatam principiis in unum compegit corpus."

« Talem namque esse Doctorem illum, quem non tantum Ecclesia per gloriosos praedecessores tuos Pontifices maximos, verum et divinus ipsius Ecclesiae auctor Iesus Christus, edicunt atque proclamarunt bene de omnibus et scripsisse et docuisse. Etenim Angelici Doctoris praelucente doctrina atque patrocinio, ei mores et scientias sive philosophicas sive theologicas in priorem melioris aevi puritatem, ordinem atque splendorem revocandas fore pro certo teneri potest. Hoc enim a te, Beatissime Pater, iam solemniter proclamatum gaudemus, cum Monacensem et Frisingensem Antistitem sic edocebas: " Scientiarum progressum, et felicem progressum in devitandis, ac refutandis miserrimae nostrae aetatis erroribus, omnino pendere ab intima erga veritates revelatas adhaesione, quas catholica docet Ecclesia." Id vero optime consequi ex divi Thomae Patrocinio atque admirabili doctrina a te etiam, Sanctissime Pater, adsertum fuit, ad Academiam Philosophico-theologicam, sub eiusdem Doctoris Patrocinio Neapoli constitutam, hisce aureis verbis: " Quocirca dum vos huic doctrinae asserendae, tradendae, propagandae sedulam, operam navare decrevistis, non minus acceptum Angelico Doctori honorem detulisse putamus, quam officium Religioni, veritati, scientiae, Reipublicae plane pretiosum."

« Unde nos profunda perculsi admiratione erga tanti Doctoris encomia, quibus eius doctrina merito extollitur in supplicibus libellis ad Sanctitatis tuae thronum depositis per amplissimos purpuratos Patres atque per fere innumeros diversarum nationum Sacrorum Antistites, Academias, Scholas, doctissimosque viros: cum vero nobis vires non suppetant condignas laudes tot ac tantis adiungere encomiis, ardenti animo nostras etiam submittimus humillimas atque instantissimas supplicationes, ut a Sanctitate tua per inerrabile apostolicae istius Sedis oraculum proponatur atque decernatur Angelicus Doctor tanquam universalis omnium Universitatum, Accademiarum atque catholicarum institutionum Protector simul ac Magister.

464. « Beatissime Pater, in decernendo Angelici Doctoris Patrocinio non quid novi aut insoliti, sed quod per gloriosos tuos Praedecessores quibusdam civitatibus, Regnis, Academiis ac Scholis concessum aliis aetatibus accepimus, nunc a Sanctitate tua omnibus concedatur ad societatis universae subveniendum simul et Ecclesiae bono prospiciendum. Caeterum nobis reliquum erit hic tantum subnectere quae per apostolicas Constitutiones omni in aevo a gloriosis Sanctitatis tuae Praedessoribus decreta fuerunt Angelici Doctoris encomia a sa. mem. Ioanne XXII, a quo divus Thomas inter Coelites fuerat adscriptus, usque ad Sanctitatem tuam, Pater Beatissime, qui hisce quam maxime procellosis temporibus Dei Ecclesiam simul ac societatem mira sapientia, apostolica fortitudine atque constantia affatim infrangibili ab extremo exitio eruis, salvas, sustines atque gubernas.

« Sic itaque Ioannes XXII, dum sanctissimum Virum " universae proponit Ecclesiae venerandum, declarat illum opera sua non absque speciali Dei infusione scripsisse," anno 1323 in Bulla canonizationis.

« Anno 1368, Urbanus V, occasione translationis sacri corporis sancti Thomae ex Fossa Nova Tolosam, ad huius civitatis Archiepiscopum universosque Magistros et Doctores Bullam direxit, datam apud Montem Flasconem, II kalend. septembris, pontificatus anno sexto, in qua, postquam testatus est sanctum Thomam " a Deo scientia dotatum Ordinem Fratrum Praedicatorum ac universalem Ecclesiam illustrasse, nec non Ecclesiam eandem doctrinis ac scientiis quamplurimis adornasse; ", denique summus Pontifex concludit Magistros Universitatis Tolosanae sic adhortans: " Volumus insuper et tenore praesentium vobis iniungimus, ut dicti beati Thomae doctrinam tanquam veridicam et catholicam sectemini, eamque studeatis totis viribus ampliare. "

« Pius IV, Indulgentiam elargiendo Salmanticensi Coenobio, in Bulla XLII anni 1564, Thomae doctrinam uberes fructus in Ecclesia Dei produxisse et producere testatur: " ex cuius sacra doctrina quanti fructus Ecclesiae Dei pervenerint et quotidie perveniant, nullus est fere qui nesciat;" atque proinde ut illam assequi omnes studeant summopere exoptat.

« Anno 1567, sanctus Pius V, catalogo Doctorum Ecclesiae sanctum Thomam adscribens, in Bulla quae incipit: *Mirabilis Deus,* hunc in modum loquitur: " Nam et miraculorum signis, quibus servi sui Thomae perpetua verae pietatis opera nobilitare voluit inexhausta Dei benignitas et certissima christianae regula doctrinae, qua sanctus Doctor apostolicam Ecclesiam infinitis confutatis haeresibus illustravit, adductus fel. record. Ioannes XXII praedecessor noster, illo in Sanctorum numero relato, eius diem festum nonis martii, quo die nunc etiam colitur, anniversario honore celebrari iussit. Sed quoniam omnipotentis Dei providentia factum est ut Angelici Doctoris vi et veritate doctrinae, ex eo tempore quo

coelestibus civibus adscriptus fuit, multae quae deinceps exortae sunt haereses, confusae et convictae dissiparentur," etc. Ubi summus Pontifex ipsam doctrinam sancti Thomae dicit "certissimam christianae regulam doctrinae." Hunc esse sensum effati illius facile patet. Scilicet iis verbis indicat Pontifex maximam securitatem doctrinae sancti Thomae. Nullo enim alio modo nisi per propriam doctrinam suam sanctus Thomas potuit "certissima christianae regula doctrinae apostolicam Ecclesiam illustrare, infinitasque confutare haereses," etiam eas, quae post mortem eius sunt exortae; quas quidem diserte dicit sanctus Pius V dissipatas esse "Angelici Doctoris vi et veritate doctrinae."

465. « Anno 1603, Clemens VIII in prima Epistola ad Neapolitanos quae incipit: *In quo nos pastoralis,* de sancto Thoma sic edicit: "Pie prudenterque cogitatis de novo Civitatis Patrono adsciscendo Cive vestro, divinae voluntatis interprete, vitae sanctitate et miraculis claro Thoma Aquinate, cuius doctrinae tantum fuit tributum, ut christianae eruditionis suae divinum etiam illud habeat testimonium: "Bene scripsisti de me, Thoma."

« Porro autem idem Pontifex in secundis litteris eodem item anno ad Neapolitanos datis, quae incipiunt: *Sicut angeli,* de sancto Thoma rursus haec eloquitur: "Hic siquidem honor eius virtutibus cum admirabili doctrina coniunctis habetur. Ac doctrinae quidem testis est ingens librorum numerus, quos ille brevissimo tempore in omni fere disciplinarum genere, singulari ordine ac mira perspicuitate, sine ullo prorsus errore conscripsit. In quibus conscribendis interdum sanctos Apostolos Petrum et Paulum colloquentes, locosque illi quosdam Dei iussu enarrantes habuit." Denique idem Pontifex in Epistola super hoc ipso argumento ad Proregem Neapolitanum data loquens de sancto Thoma "cuius divino eloquio, inquit, et coelesti doctrina, miraculisque ille quidem illustris merito apud remotissimas nationes, summa christiani nominis cum laude, atque Ecclesiae utilitate, celebratur." Postremo confitetur Pontifex: "Et nos solemus, ut decet, semper favere supplicationibus, sed huic [scilicet qua postulabatur constitui sanctum Thomam civitatis Neapolitanae Patronum] certe ardentiore quadam voluntate annuimus, quod et nos ipsi Angelico huic Doctori, et nostro et totius Ecclesiae christianae nomine, plurimum debemus."

« Accedit Paulus V in Bulla ad Neapolitanos de eadem materia anno 1605 transmissa, de sancto Thoma sic pronuntians: "Splendidissimi catholicae Fidei athletae beati Thomae Aquinatis, cuius scriptorum clypeo militans Ecclesia haereticorum tela feliciter elidit, honores et venerationem in dies magis magisque augeri plurimum in Domino gaudemus."

« Deinceps, anno 1660, Alexander VII, cum inter Professores Universitatis Lovaniensis super causa Iansenii haud levis discordia exorta esset, pacandis illic animis nil existimavit efficacius fore, quam si praedictae Universitatis Doctores doctrinam sancti Thomae fideliter amplecterentur. Ad hoc igitur fortiter eos hortatur Breve apostolicum, datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, die 7 augusti, pontificatus anno sexto. Ubi praefatos Professores summus Pontifex sic alloquitur: "De reliquo non dubitamus quin pro singulari scientiae pietatisque studio sanam et incorruptam, qualem tot apostolicae Sedis declarationes et sanctorum Patrum traditiones requirunt doctrinam, semper amplexuri, et adversus orthodoxae Religionis hostes defensuri sitis, nec non praeclarissimorum Ecclesiae catholicae Doctorum Augustini et Thomae Aquinatis inconcussa tutissimaque dogmata sequi semper, ut asseritis, ac impense revereri velitis."

« Rursus eadem causa Ianseniana Innocentio XII occasio exstitit novis laudibus in sanctum Thomam conferendis. Sic enim Pontifex eosdem item Lovanienses exhortatur: "Profitentes, sicut asseritis, doctrinam praeclarissimorum Doctorum Augustini et Thomae, quorum ille tantae scientiae fuit, ut inter Magistros optimos, etiam a nostris Praedecessoribus haberetur, et cuius doctrinam secundum eorundem Praedecessorum statuta Romana sequitur et servat Ecclesia; alter vero mira eruditione eandem Dei Ecclesiam clarificat et sancta operatione fecundat. Hos dum Universitas vestra doctrinae duces secuta fuerit, secure pugnabit contra hostes orthodoxae Fidei, in Ecclesiae gloriam et aedificationem."

« Tandem Benedictus XIII, die 6 novembris 1724, ad Dominicanos ita loquitur: "Magno igitur animo contemnite, dilecti Filii, ca umnias intentatas sententiis vestris de gratia praesertim per se et ab intrinseco efficaci, ac de gratuita praedestinatione ad gloriam sine ulla praevisione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuistis, et quas a sanctis Doctoribus Augustino et Thoma se hausisse, et verbo Dei summorumque Pontificum et Conciliorum decretis et Patrum dictis consonas esse Schola vestra commendabili studio gloriatur." Hoc Brevi *Demissas preces,* quod edixerat romanus Pontifex ad invidorum reprimendas calumnias. Id denuo, die 26 maii 1727, altero Brevi quod incipit: *Pretiosus,* fortius adhuc inculcavit, inquiens scilicet: "Ut autem turbulenti ac pertinaces tranquillitatis Ecclesiae catholicae perturbatores desinant orthodoxam sancti Thomae doctrinam calumniari, ac ne deinceps praeposteris et a veritate alienis interpretationibus apostolicas ipsas Litteras nostras non sine aperta, ut accepimus, verbis nostris ac etiam Decessorum nostrorum irrogata violentia, tam Praedicatorum Ordinem, quam alios veros illius asseclas et sectatores incessere audeant, Const. XCVIII quae incipit: *Pastoralis officii,* fel. rec.

Clementis XI omnibusque in ea contentis firmiter inhaerentes, sub divini interminatione iudicii iterumque sub canonicis poenis, omnibus et singulis Christifidelibus mandamus ne doctrinam memorati Doctoris eiusque insignem in Ecclesia Scholam, praesertim ubi in eadem Schola de divina gratia per se et ab intrinseco efficaci, ac de gratuita praedestinatione ad gloriam sine ulla meritorum praevisione agitur, nullatenus dicto vel scripto contumeliose impetant, ac veluti consentientem cum damnatis ab apostolica Sede et signanter a Const. LXIV fel. rec. Clementis XI incipiente: *Unigenitus*, Iansenii, Quesnellii et aliorum erroribus traducant, a quibus sanctus Thomas et vera Schola Thomistica quam longissime abest et abfuit, universis tam antiquis, quam nunc Christi Ecclesiam vexantibus haeresibus at perniciosis assertis adversans. "

« Splendidissimum hoc testimonium paulo post Clemens XII confirmavit, mense augusti 1733, Constitutione *Verbo Dei*, singularia privilegia concedens iis qui apud Fratres Praedicatores Theologiae operam navarent; ac talia quidem concedi declarat ad amplificandum sub tanto Magistro [divo Thoma] " probae incorruptaeque doctrinae studium inter iuvenes divino famulatui per sacratiores disciplinas addictos. "

« Anno 1756, Benedictus XIV, in Comitiis generalibus Ordinis Praedicatorum, quibus ipse praefuit, oratione habita, haec inter alia pronuntiavit: " Hoc profitemur nullo unquam tempore evenire potuisse, ut a memoria nostra dilaberetur Theologorum Princeps, Scholarum Angelus, Ecclesiae Doctor, praeclarum Ordinis vestri sidus, sanctus Thomas Aquinas, cuius doctrinae complures romani Pontifices Praedecessores nostri perhonorifica dederunt testimonia; quemadmodum etiam nos ipsi in libris quos de variis argumentis conscripsimus, postquam Angelici Doctoris sententiam diligenter scrutando percepimus atque perspeximus, admirabundi semper atque lubentes eidem adhaesimus, atque subscripsimus: candide profitentes, si quid boni in eisdem libris reperitur, id minime nobis, sed tanto Praeceptori totum esse adscribendum. "

« Neque aliter Pius VI de sancto Thoma sensit, scilicet die 20 martii 1791, Litteris datis ad Cardinalem Rupefucaldium [Rochefoucauld] haec verba usurpans: " Duo prima catholicae Ecclesiae lumina, sanctus Augustinus et sanctus Thomas. "

« Ad instar appendicis subiungere iuverit elogium Innocentii VI (1352-1362) in quodam sermone de sancto Thoma sic loquentis: " Huius Doctoris doctrina, excepta Canonica, habet prae caeteris proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut qui eam secutus fuerit, nunquam inveniatur a veritatis tramite deviasse, et qui eam impugnaverit, semper fuerit de falsitate suspectus." Quippe hoc elogium, quia non reperitur in Decretalibus actisque publicis Pontificum, ideo solum per modum appendicis seu coronidis instar hic adducitur. Falluntur autem qui illud supposititium censent. Ei enim longa traditio suffragatur; atque Lambertus de Monte, in libris *De Anima*, anno 1499 Coloniae excusis, se elogium illud ex originali transcripsisse fatetur; ac demum anno 1631 ea ipsa verba posita sunt in Breviario reformato Ordinis Praedicatorum in lectionibus pro die octava sancti Thomae.

« Tot summorum Pontificum testimoniis succedit praeclarissima summae venerationis testificatio, quam Tridentini Patres impertiri sancto Thomae voluerunt. Ad eum scilicet (verba sunt notissima oratoris Concilii) " ut ad lydium lapidem, si quid ambiguitatis aut controversiae fuerit exortum, communibus votis referendum," Patres illi existimarunt.

« Tua igitur, Beatissime Pater, accedat pro coronide suprema sententia, qua Angelicus Doctor scientiarum omnium disciplinis atque universim catholicis Studiorum Ordinibus, duce Immaculata omnisque sapientiae sede Deipara, Protector in perpetuum declaretur.

« Ad pedes igitur Sanctitatis tuae provoluti, apostolicam efflagitant benedictionem

« Fr. VINCENTIUS LEO SALLUA Ord. Praed. Commissarius Generalis S. R. et Univ. Inquisitionis.

« Fr. Henricus Ferraris Ord. Praed. Socius primus S. Off.

« Fr. Marcolinus Cicognani O. Praed. Socius alter ».

466. XVI. Litterae Rmi Archiepiscopi Ephesini Ven. Seminarii Vaticani Praefecti et Professorum:

« Beatissime Pater. Quod precati a Deo aliquando sumus, quodque boni omnes optaverunt, cum his temporibus tam atrox ac periculosum optimis disciplinis bellum indictum sit, ut ad tuendos studiosae iuventutis mores, qui sunt cum illis suapte natura cuniunctissimi, et adolescentulorum ingenium sive in philosophico sive in theologico ludo roborandum, doctrina sancti Thomae Aquinatis in catholicis Scholis traderetur, id nobis primum divino beneficio, id tuo consilio atque auctoritate, Pie IX Pontifex maxime, id industria et virtute sapientum virorum tributum magna ex parte ac donatum esse, quam maxime laetamur.

« Hic sane excelsissimo Ecclesiae Doctori summus honor iure optimo contigit, cum ipse sacrae Theologiae Princeps et catholicae Philosophiae clarissimum lumen, anteactis aetatibus, omnes omnium gentium Academias et sapientiae luce et sanctitatis fulgore illustraverit. Una illa, ait Doctor theologus aevi nostri, a tanto ingenio certe divinitus elaborata, quam vocant, *Summa*, omnium prope voluminum hoc in doctrinae genere sapientissimorum sanctissimorumque virorum iudicio instar est, et merito habetur, in qua quot articuli recensentur, totidem prodigia numerantur. Quare non

est cur miremur si non communi hominis vocabulo appelletur, sed aliud ei, eius ingenio, sapientiae, moribus, sanctitati debitum, Angeli nomen tributum sit, quo tanquam proprio ac singulari nunc indicatur. Nec inconcinne eundem Angelicum Doctorem maiores nostri Soli compararunt, siquidem solis instar, omnia, simul ut exortus est, sua luce collustrantis, Divus Thomas universam Christi Ecclesiam innumeris doctrinae radiis et miro virtutum splendore complevit. Quapropter hoc in genere laudis parem ei neminem vel exstitisse, vel exstare unquam posse multi affirmarunt: certe unum Thomam heterodoxi ipsi maxime suspexerunt, unum reveriti sunt, unum formidarunt: ille vero unus multo tetriores nostrae aetatis haereticos perterret, unus tot pervadentes impiorum dogmatum pestes repellit, unus tot disseminata errorum monstra compescit, unus multas furentium hostium catervas evertit, unus omnium temporum fortissimus pugil appellandus est, philosophorum insanientium et haereticorum malleus, turris David, murus et antemurale Domus Dei.

« Quod itaque nostris luctuosissimis temporibus in tanta ingeniorum pravitate et errorum illuvie, quibus probi etiam adolescentium mores in discrimen vocantur, totque inter pestes atque furias ab humani generis hoste immissas, optime et sapienter in decernenda catholicae doctrinae instauratione sancitum fuit, ut iterum ipsa ductu potissimum sancti Thomae Aquinatis in Scholas inveheretur: id est et rite factum, et praecipua ex parte e sententia perfectum, cum ingenti bonorum omnium gaudio, et incredibili tum religiosae tum civilis societatis emolumento. Verumtamen, ad tantam Doctoris Angelici amplificationem dignitatis cumulandam pari honoris accessione, quo iam nullus amplior in eo exoptari possit, et ad nostra eorumque vota omnibus laetitiis explenda, qui eiusdem Aquinatis doctrinae addictissimi, ac veluti sacramento rogati, eum sibi Imperatorem et Ducem delegerunt; unum restat, Beatissime Pater, ut idem qui non communi hominum conditione natus, sed tanquam coelo demissus, divinarum humanarumque rerum studio admirabilem in omni virtutum genere exercitationem non sine miraculo coniunxit, nunc tandem apostolica auctoritate, uti innocentiae et doctrinae absolutissimum exemplar, catholicis Academiis, Athenaeis, Seminariis, Gymnasiis et Scholis omnibus, in universa Ecclesia, coelestis Patronus et Auspex solemni ritu constituatur.

« Pergratum iam nuncium accepimus, ad supplices hac de re preces, quas primus omnium ad te misit, Beatissime Pater, abhinc biennium, Eminentissimus vir Neapolitanae Ecclesiae Archiepiscopus, innumeras alias a cunctis fere cristiani Orbis Episcopis, a religiosis Sodalitatibus, et Academiis praestantissimis, postulationes accessisse, quibus summo omnes consensu obsecravere, ut tu, supremo quo polles imperio, Thomam Aquinatem Universitatum et Scholarum, quibus catholica iuventus ad litteras et severiores disciplinas instituenda est, principem Patronum renunciares. Quae res nos iam inde ab initio, non modo gaudio affecit, sed adeo permovit, ut in tanti societatem obsequii atque in tam nobilem pietatis contentionem vocari cuperemus.

« Nos igitur ad te, Beatissime Pater, fidenti animo accedere supplici hoc libello non dubitamus, atque ultro preces nostras adiicimus, ut novam dignitatem optatumque honorem Thomae Aquinati iubere velis, quem tu ipse saepius, pro tua singulari erga eum religione, publico praeconio extulisti, divinamque eiusdem doctrinam et virtutem apostolicis tuis Litteris amplificasti. Hoc etiam confidimus e sententia processurum, quod boni omnes ominantur; novamque ad reliquos Angelici Doctoris titulos accessionem eidem maximopere gratulabimur, quam optamus atque enixe oramus, ut non praesentibus tantum, sed posteris; non uni genti, sed terrarum Orbi universo, et praecipue toti christianae Reipublicae contingat salutaris.

« Tibi denique omnia fausta, felicia adprecamur, Beatissime Pater, tuis sanctissimis pedibus advoluti, tuam nobis paternam et apostolicam benedictionem, divini favoris auspicem, imploramus.

« Datum Romae ex aedibus sacri Seminarii Vaticani, festo die sancti Thomae Aquinatis, anno 1877.

« Franciscus Folicaldi Archiep. Ephesinus Ven. Seminarii Vaticani praefectus ».

Sequuntur subscriptiones Professorum Seminarii.

467. XVII. Litterae Rmi Episcopi Sancti Claudii:

« Beatissime Pater. Inter Ecclesiae Doctores, nullus, prae divo Thoma, a romanis Pontificibus, ut qui in Arce summitatis apostolicae constituti, tuendae, explanandae, propagandaeque per universum Orbem, praesertim in Universitatibus Collegiisve studiorum, doctrinae catholicae invigilant, tot tamque splendidis encomiis illustratus est. Ioannes enim XXII in ipsis canonizationis Litteris, ita effatur: " Plurima opera in Dei laudem, Fidei dilatationem eruditionemque studentium, non absque speciali Dei infusione, perfecit tam brevi tempore, ut admirationem ei merito exhiberent, atque illud Psalmi CIII, 13: ' Rigans montes de superioribus suis; de fructu operum tuorum satiabitur terra ,' in eo verissime impleretur. " Non minori commendatione salubrem praestantissimi Viri doctrinam exaltat Clemens VIII, dicens: " Doctrinae divi Thomae testis est ingens librorum numerus, quos ille brevissimo tempore in omni fere disciplinarum genere, singulari ordine ac mira perspicuitate, sine ullo prorsus errore, conscripsit. " Et rursus Innocentius VI videtur scripta Angelici Doctoris tanquam ipsam veritatis normam praedicare: " Huius doctrina, inquit, prae caeteris,

excepta Canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut nunquam qui eam tenuit inveniatur a veritatis tramite deviasse, et qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus." Unde, quotquot disciplinarum humanarum divinarumque magistri, sacrosanctae romanae Ecclesiae, magistrae veritatis, intimis praecordiis docibiles addicti sunt, atque pias romanorum Pontificum Constitutiones Declarationesque tanquam tutissimam universalemque regulam sunt venerati, iidem nihil antiquius habuere, quam ut " splendidissimum catholicae Fidei athletam, cuius scriptorum clypeo militans Ecclesia haereticorum tela feliciter elidit, " ut Papa Pius V habet, Magistrum sibi deligerent, a solidis ipsius et inconcussis dogmatibus nunquam recederent, sed potius, iuxta praeceptum ab Urbano V ad Tolosanam Academiam directum " D. Thomae doctrinam tanquam 'veridicam et catholicam' sectarentur, eamque studerent totis viribus ampliare. " Cum autem, luctuosis hisce temporibus, sancta mater Ecclesia circumquaque grassantium pravarum opinionum tot procellis et tempestatibus agitetur atque vexetur, et, in tanto humanarum sententiarum proflictu, sensim imminuantur veritates a filiis hominum, aptum optandumque multis visum est remedium quod a Sanctitate vestra enixe postularetur nova aliqua et maior in gratiam Doctrinae Angelicae commendatio, nempe quod maximus Doctor a supremo totius Ecclesiae Gubernatore solemniter praepositus et declaratus " Patronus omnium Universitatum Scholarumque Catholicarum " magis exinde cunctorum oculis indigitaretur uti " Universalis Ecclesiae lumen praefulgidum, gemma radians clericorum, fons doctorum, candelabrum insigne ac lucens per quod omnes qui vias vitae et scholas doctrinae sanae ingrediuntur lumen vident," turris Davidica a qua pendentia mille arma sumunt fortes Israël, id est, magistri doctrinae, ut praelientur praelia Domini contra tot errorum catervas. Non sane quidem sine applausu filiorum vestrorum universi Orbis, Beatitudo vestra, quae iam antea, furentibus et trementibus tenebrarum filiis, gaudentibus autem angelis in coelo et piis fidelibus in terra, omnes praesentis aetatis errores, memorandis in aeternum Constitutionibus et Decretis proscripsit, et in specie, approbante sacro Vaticano Concilio, illam tantam rationalismi naturalismive pestem damnavit, et sacrosancta iura summi Pontificis, unde tota vis Ecclesiae, praesertimque infallibile Magisterium definivit, nunc autem divum Thomam universis philosophicas theologicasque scientias docentibus tanquam insignem Protectorem et Magistrum advocabit, ut, dum alumni cunctorum scholasticorum Collegiorum sibi Angelicum iuvenem Aloysium aemulum et Patronum vindicant, et ipsi eorundem professores Angelicum Doctorem Aquinatem tanquam Patronum et Magistrum venerentur, cuius imbuti doctrinis, iisdem teneras christianae iuventutis mentes imbuere incumbant.

« Quapropter, Sanctitatis vestrae Filii devotissimi, nos infrascripti Rector et Moderatores maioris Seminarii Laedonensis, ab beatissimos pedes provolvimur, atque supplices et humillimas preces offerimus ut Sanctitas vestra benignissime dignetur nostro Sodalitio universisque catholicis Gymnasiis et Universitatibus solemni Decreto sanctum Thomam Aquinatem uti Patronum praeponere ac declarare.

« Et adprecamur ut Deus incolumem diu servet Sanctitatem vestram, prout requirunt instantes undique Ecclesiae necessitates.

« Sanctitatis Vestrae humillimi ac obsequentissimi Filii ».

Sequuntur Professorum subscriptiones.

« Episcopus Sancti Claudii ad Beatitudinis vestrae pedes devotissime provolutus, preces humillimas offert ut suprascripta vota apostolica benignitate dignetur exaudire.

« Sancti Claudii, 30 aprilis A. D. 1877.

« LUDOVICUS ANNA ».

468. XVIII. Litterae Rev. Praepositi Generalis Instituti Charitatis:

« Beatissime Pater. Cum nobis serius preces innotuerint, quae a cunctis fere religiosis Communitatibus ad solium tuae Beatitudinis delatae sunt, ut magnum illud Italiae lumen et sanctitatis exemplar, ac totius chatholicae doctrinae propugnaculum, divus Thomas Aquinas, catholicarum Patronus Scholarum declaretur, nec proinde nobis facultas oblata fuerit, cum tot illustrium virorum ac Sodalitatum votis, etiam huius nostrae tam parvae Sodalitatis vota consociandi, nunc audemus singuli, et saltem eo quo nobis licet modo, coram tua Beatitudine humiliter adstare, tibi preces nostras eundem in finem magno cum affectu exhibere. Quamvis enim nobis satis perspectum sit hanc nostram Societatem, utpote omium minimam, magis decere in secessu conticescere, et cordis auribus placita Ecclesiae humiliter haurire ac diligenter recolere, quam suam sententiam, nullius fere ponderis, in medium afferre: cogitantes tamen hic potissimum agi de veritatis amore, qui cum amore humilitatis in divo Aquinate coniunctissimus fuit, in eam spem adducimur, ut nobis ad tua genua provolutis beatus ille Doctor, e coeli sedibus, non tanquam temerariis iactatoribus succenseat, sed potius tanquam piis discipulis benigne indulgeat atque arrideat.

« Nec sane in hac re desunt rationes, quae etiam ad nos propius ac singulariter pertineant. Antonius Rosminius (da nobis veniam hunc nostri Instituti Patrem atque Auctorem commemorandi), quem inclytus ille tuus praecessor Gregorius XVI " divinarum atque humanarum rerum scientia illustrem " appellavit, miro Aquinatis amore incensus, non modo illius nomen ac sententias singulis suis scriptis, immo singulis fere pa-

gellis inseruit atque illustravit, sed primus, ni fallimur, inter omnes huius saeculi philosophos, quinquaginta abhinc annis, eius methodum veritatis inquirendae iterum revocare in Italia aggressus, Philosophiam caeterasque scientias omnes cum Theologia ita coniunxit, ut illas tanquam Theologiae administras atque ancillas haberet, ideoque nobis Divum Thomam ut praecipuum exemplar in rebus philosophicis pertractandis proposuit et commendavit.

« Praeterea adsidue nobis in auribus sonant praeclara illius tui antecessoris Pii VIII ad Rosminium verba: " hac aetate ad hominum animos utiliter permovendos, nil aliud auxilii superesse nisi eos rationis vi arripere, atque ita ad Religionem perducere; " neque nos novimus quinam alius Ecclesiae Doctor " rationis vi " (ea scilicet ratione, quae aeque modesta ac firma quam longissime abest ab illa tam superba tamque inani ratione, quam hodie iactant Rationalistae) strictius ac praestantius usus fuerit quam divus Thomas, ad sanctissima catholicae Religionis dogmata tuenda, erroresque omnes profligandos.

« Itaque etsi iuxta illius qui te praecessit excellentissimi Pontificis Alexandri VII verba, beatus Aquinas " novi praeconii commendatione non egeat," attamen, cum catholicae Scholae hac aetate tot erroribus ac periculis exagitatae, novum quoddam validiusque munimentum postulare videantur, neque ullus firmior pro eis Patronus nobis occurrat, quam ille, quem magnus tuus antecessor Benedictus XIV, " Scholarum Angelum " cognominavit, ne graveris, quaesumus, Beatissime Pater, cum tot tantisque Orbis catholici rogationibus etiam humiles nostras postulationes benigne excipere; ne graveris solemni vocis Tuae oraculo sancire ut divum Thomam Aquinatem catholicae Scholae praecipuum sibi Patronum adsciscant ac salutent; ne graveris denique nos, quam maxime tibi tuisque rebus addictos famulos, discipulos et filios amantissimos, apostolicae tuae benedictionis praesidio ac solatio communire atque confovere.

« Stresiae in Novariensibus, die 7 martii sancto Thomae Aquinati dicato, anno 1877.

« Sacerdos Ioseph Ioachim Cappa
Praepositus Generalis Instituti Caritatis.
« Sacerdos Ioseph Aimo a Secretis ».

469. XIX. Litterae Rev. Rectoris Universitatis catholicae Andegavensis:

« Beatissime Pater. Apprime noscens quanti intersit ad recte promovendas philosophicas theologicasque disciplinas ut in lumine horum utique inconcussorum principiorum quae divus Thomas Aquinas in suis nunquam

satis laudandis operibus sapientissime stabilivit et doctissime elucidavit, magistri et eorum alumni securius ambulent, ego Henricus Sauvé, Rector Universitatis catholicae Andegavensis, ad pedes Sanctitatis tuae humillime provolutus post plurimos Antistites atque illustriores viros, instanter expostulo quatenus Sanctitas tua eundem divum Thomam Universitatum, Collegiorum et aliorum huiusmodi Institutorum catholicorum Protectorem et Patronum auctoritate tua apostolica nominare et declarare dignetur, ita ut eiusdem Doctoris non solum precibus et meritis, sed et ipsius scriptorum lectione et intellectu ii omnes qui Philosophiae vel Theologiae studio incumbunt errores tam novos quam veteres facilius detegere, efficaciusque evertere, veritates quoque rationales etiamque supernaturales distinctius atque ordinatius exponere, divinas Scripturas melius elucidare ac penitius introspicere, necnon saniorem solidioremque doctrinam sive in Scholis, sive in Aedibus sacris tradere valeant.

« Hisce meis et plurimorum aliorum votis obsecundando, Beatissime Pater, quem Doctori Angelico ex corde et animo addictissimum utique scio, eundem tibimet peculiarem protectorem indubitanter adscisces, cuius ope erroris tenebras citius dissipans veritatem nova vividiorique luce illustrabis.

« Sanctitatis tuae

« Humillimus et devotissimus servus
« Henricus Sauvé
« Rector Universitatis catholicae Andegavensis ».

§ II.

Similes postulatoriae Litterae ad SS. Dominum Nostrum Leonem PP. XIII.

470. XX. Litterae Sodalium Societatis Philosophico-Medicae:

« Beatissime Pater. Postquam nobis renuntiatum est te ad sacrum Principatum esse elatum, non communi modo Orbis catholici gaudio, verum etiam proprio exsultavimus, quod tu christiani nominis Parens publicus creatus sis, qui iam nostrae Societati dare nomen, praetereaque illam hortatibus confirmare, consiliisque iuvare dignatus es. Nunc ad Beatitudinis tuae pedes procumbentes tibi puram integramque pollicemur obedientiam, atque in te beati Petri vero successore auctoritatem veneramur nesciam falli tum in dogmate tum in morum doctrina, profitemurque a

tua suprema auctoritate nunquam velle deflectere, dum sancti Thomae Doctoris philosophicam et theologicam doctrinam illa tueri pergemus modo ratione, quam ex libello naturam Societatis nostrae exponente cognoscis. Sed ut ad veritatis lucem, quae in sancti Doctoris scriptis nitide effulget, supremae auctoritatis validum addatur praesidium, abs te, Beatissime Pater, petimus, ut auctoritate, qua polles, sanctum Thomam Doctorem iuventutis Patronum, quoad scientiam, constituas asserasque, quomodo Aloysius Gonzaga iuventutis Patronus, quoad vitae innocentiam, a ven. rec. Benedicto XIII decessore tuo constitutus et assertus fuit. Idcirco petitionem tibi, Beatissime Pater, obferimus qualem Pio IX antecessori tuo iam tu ipse obtulisti, immo etiam iisdem tuis verbis, ut, sic rectius exposita, et potioribus argumentis communita, sit accepta libentius. Natura porro Societatis nostrae, cui adnumerantur et Patres Cardinales, et Episcopi, et Rectores quamplurimi Doctoresque sacrorum Seminariorum, talis est revera, ut, quae petitio summo Pontifici a te oblata fuit, nobis omnino conveniat. Quare illam ad verbum descriptam flexis genibus ad tuos pedes obferimus.

471. « XXI. Litterae Emi Card. Perusini, modo SS. D. N. Leonis PP. XIII:

« Beatissime Pater. Ad aures nostras nuper pervenit Eminentissimum S. R. E. Cardinalem Archiepiscopum Neapolitanum aliosque plures Italiae Episcopos supplicem Beatitudini tuae libellum exhibuisse, petentes, ut his temporibus, catholicae veritati optimaeque studiorum rationi usque adeo infensis, Angelicum Doctorem Thomam Aquinatem, apostolica, qua polles, auctoritate, omnibus Scholis studiorumque Universitatibus, quae catholico nomine donantur, Patronum constituas.

« Nihil profecto aptius ad grassantium errorum pestem a religiosa civilique societate avertendam, et ad subversi cuiusque ordinis tranquillitatem restituendam, quam sancti Thomae doctrina; qui non solum Fidei dogmata atque humanae rationis inventa argumentis validissimis communivit et ab hostium oppugnationibus tutatus est, sed etiam contra quarumlibet falsarum opinionum monstra aut strenue per se dimicavit, aut ad dimicandum arma suppeditavit. Atque haec quidem non tantum doctissimorum virorum mens, sed etiam plurium romanorum Pontificum, qui sancti Doctoris sapientiam summo in honore habuerunt, tuaque, Beatissime Pater, certa sententia est, quam non semel datis pro opportunitate Litteris, tibi insidere palam professus es. Optimo proinde consilio Athenaea et Scholae, in quibus catholica iuventus ad litteras et scientias instituenda est, in sancti Thomae Aquinatis tutelam ac numen se se recipere satagunt: non in eum tantummodo finem ut eius nomine glorientur, sed potissimum ut humanas divinasque scientias iuxta methodum ac principia ab ipso constituta fideliter excolant et tradant: hinc enim in ipsas disciplinas maximum incrementum, in christianam autem rempublicam uberem salutaremque fructum derivaturum haud immerito speramus. In idipsum autem plurimum profecto conferet publicum Sedis apostolicae Decretum; quod praeclaris iis viris, qui sancti Doctoris sapientiam colunt et catholica studiorum domicilia constituunt vel moderantur, vires animumque addet; multosque alumnos veritatis et sanioris scientiae cupidos ad ea frequentanda vehementer impellet. Quapropter nos, qui sanctum Thomam Aquinatem ardenti semper amore prosecuti, philosophicas theologicasque disciplinas secundum principia ac rationem ab ipso adhibitam Seminariorum nostrorum alumnis tradi ex animo optamus, vota precesque nostras votis precibusque quamplurium Italiae Episcoporum lubentes coniungimus, instanter obnixeque supplicantes, ut ad Fidei praesidium et decus, ad religiosae civilisque societatis bonum, ad optimam studiorum rationem pene universe collapsam restituendam, solemni sanctione Angelicum Doctorem omnibus catholicis Scholis et Athenaeis Patronum constituas, et Ducem quem sequantur proponas.

« Ad Beatitudinis tuae pedes provoluti apostolicam benedictionem humillimo devotionis sensu imploramus.

« III id. apr. die sancto Leoni Magno sacra, a. D. MDCCCLXXVIII.

« Sodales Societatis Philosophico-Medicae.

« Sanctae R. E. Eminentissimi Cardinales:

« Philippus Maria Guidi O. P. Arch. Tusculanus
« Carolus Aloysius Morichini Epis. Albanensis
« Flavius Chigi Archiep. Lateranensis
« Aloysius De Canossa Epis. Veronensis
« Emmanuel Gargia Gil O. P. Arch. Caesaraug.
« Lucidus Maria Parocchi Arch. Bouoniensis
« Vincentius Moretti Archiep. Ravennatensis.

« Revmi Archiepiscopi et Episcopi:

« Cattani Caietanus Arch. Ang. N. A. Matriti
« Filippi Aloysius Arch. Aquilanus
« Ghilardi Nicolaus Arch. Lucanus
« Guidelli Ioseph M. Arch. Mutinensis
« La Vecchia Guarnieri Ben. Arch. Syracus.
« Petrarca Franciscus M. Arch. Lancianensis
« Ruffo Scilla Aloysius Arch. Teatinatensis
« Salzano Michael Thomas Arch. Edessensis
« Bolognesi Salvator Episc. Bellunensis
« Chaulot Hector Alb. d'Outremont Ep. Cenomanensis
« Del Corona Albertus Epis. Drasensis C. S. Mini
« De Leonard Baro Franc. Leop. Episc. Eisteltensis
« Fosco Antonius Ios. Epis. Sebenicensis

« Magnasco Salvator Archiep. Genuensis
« Mermillod Gasp. Ep. Hebron. Coad. Genevensis
« Petroni Tobias Episc. Valvensis et Sulmonensis,
« Sozzi Placidus Episc. Montis Regalis
« Riboldi Augustinus Episc. Papiensis
« Sclabrini Ioannes Bapt. Epis. Placentinus
« Sciandra Ioseph Epis. Aquensis
« Speranza Petrus Epis. Bergomensis
« Valsecchi Alexander Epis. Tiber. Coad. Bergom.
« Villa Dominicus Maria Epis. Parmensis
« Le Hardy du Marais Iul. Epis. Vallis Guidonensis
« Zola comes Salvator Aloys. Epis. Lyciensis
« Massani Tobias Epis. Sarsinensis
« Berengo Ioan. Maria Epis. Adriensis ».

Sequuntur subscriptiones Doctorum ac Professorum Theologiae Philosophiae, Scientiarumque medicarum ac naturalium.

De solemniis Bononiae peractis in honorem divi Thomae Aquinatis.

472. XXII. Excerpta ex *Actis* Academiae Bononiensis, ab a. 1824 ad a. 1828:

« Li 7 marzo 1825.

« Essendosi pigliato in Protettore di questa Università l'Angelico Dottore san Tommaso d'Aquino, lunedì scorso giorno a lui dedicato se ne fece per la prima volta la festa solenne nell'Oratorio posto in Santo Ignazio. Per tutta la mattina si celebrarono messe continuamente, ed alle ore undici fuvvi la cantata con musica. A questa in bell'ordine disposti assistettero S. E. R. il sig. Canc. Arciv. come Arcicancelliere, S. E. il sig. Senatore insieme agli Eccmi Conservatori, l'Illmo Monsig. Rettore, il Sig. Vice-Presidente dell'Accademia delle Belle Arti, il sig. Colonnello divisionario, i quattro Collegi coi signori Professori delle corrispondenti quattro Facoltà, i signori Professori delle Belle Arti, e finalmente gl'Impiegati primari dell'Università, oltre a buon numero di scolari ed altri divoti accorsi alla funzione, la quale per la gravità di tanti personaggi insieme raccolti, e per la modesta e nobile pompa dell'apparato riuscì di gloria al beato Patrono, e di edificazione agli intervenuti ».

473. XXIII. Excerpta ex ephemeride *La Gazzetta di Bologna*, die 12 martii 1825:

« Nell'oratorio di questa pontificia Università fu celebrata con devota pompa la festa dell'Angelico Dottore san Tommaso d'Aquino, Protettore degli Studi, come viene prescritto dalla Costituzione di nostro Signore Leone XII. Perciò alla messa solenne assistettero l'Emo Sig. Cardinale Arcicancelliere, l'Illmo e Revmo Monsig. Rettore, i Membri collegiati delle quattro Facoltà, preceduti dai rispettivi loro Presidenti, i Professori e gli Impiegati primari dell'Università medesima. Gli Studenti pure adempirono religiosamente un tale dovere. Si accrebbe decoro alla sacra funzione per l'intervento della Magistratura comunale, dell'Autorità militare, nonchè del Presidente e dei Professori ed Accademici di Belle Arti ».

Societas Philosophico-Medica cui a Sancto Thoma nomen est.

474. XXIV. Nomina Emorum Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque praestantium virorum, Sodalium Societatis Philosophico-Medicae, qui peculiares postulatorias litteras de eadem re subscripsere:

Eminentissimi Cardinales.

Emus Cardinalis Guidi O. P. Episcopus Tusculanus
» » Morichini Episcopus Albanensis
» » de Canossa Episcopus Veronensis
» » Parocchi Archiepiscopus Bononiensis
» » Flavius Chisius
» » Moretti Archiepiscopus Ravennatensis
» » Archiepiscopus Caesaraugustanus.

Reverendissimi Archiepiscopi.

Rmus Dominicus Agostini Patriarcha Venetiarum
» Archiepiscopus Edessenus
» » Aquilanus
» » Mutinensis
» » Lancianensis et Ortonensis
» » Lucanus
» » Chalcedonensis
» » Syracusarum
» » Genuensis
» » Utinensis
» » Ferrariae
» » Teatinus
» » Ancryensis.

Reverendissimi Episcopi.

Rmus Episcopus Lyciensis
» » Gebennensis
» » Placentinus
» » Sulmonensis
» » Montis Regalis
» » Bellunensis et Feltrensis
» » Cenomanensis
» » Vallis Guidonensis
» » Cyrenensis
» » Parmensis
» » Sarsinensis
» » Tiberiadensis
» » Drasensis
» » Sebenicensis
» » Bergomensis
» » Aquensis
» » Papiensis
» » Adriensis
» » Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii in Brasilia
» » Portus Gratiae.

Religiosi et Ecclesiastici Viri.

R. Fr. Angelus Maria Gatti Abbas et Visitator Generalis Canonicorum Reg. Lateranensium
» Fr. Ferdinandus Babini Provincial. Ord. Praed.
» Fr. Marcolinus Ciccognani Ord. Praed. Theolog. Magist.
» Fr. Raymundus Martinez Visit. Ord. Praed.
» D. Petrus Bertapelle in Patavino Seminario Theologiae moralis Prof.
» D. Chaeremon Cremonensis Cubicul. int. SS. D. N.
» D. Canon. Aloysius d'Adamo
» D. Donatus Dell'Olio
» Fr. Damasus sacrae Theol. Mag. De Marchi M. Conv.
» D. Iulius Didiot Decanus sacrae Facult. Theolog. in Univ. cath. Insulen.
» D. Franciscus Battaglini in venerabili Bononiae Seminario Philosophiae Praecept. et Cath. Eccles. Canon. honor.
» D. Petrus Dubino Ord. Sancti Benedicti Congr. Camaldulensis
» D. Philippus Can. Durso Doctor sacrae Theolog. et Moderator Seminarii Andriensis
» D. Andreas Muzzarelli sacrae Theologiae Doctor
» D. Fridericus Fagotti Archidiaconus
» P. Ludovicus Ferrara S. I.
» D. Fabius Can. Ferrini
» Fr. Thomas a Foro Livii Capuccinus sacrae Theol. Prof.
» D. Bonifacius D. Fracaro Theol. dogm. Prof. Patavii
» D. Antonius Maria Franchini Can. Metropolitanae Ferrariensis

R. P. D. Can. Paroch. Foschi Praelat. Domest. SS. D. N. et Perusini Seminarii Rector
» D. Canon. Theol. Franciscus Gasoni
» Fr. Mag. Thomas Gaudenzi O. P.
» D. Aloysius Can. Gavioli
» D. Laurentius Ginnasi Prof.
» D. Vincentius Giorgi Can. Poenitent. Cath. Sarsinae Philosophiae rationalis in Seminario Prof. et sacrae Theol. Doct. Acad.
» Fr. Gabriel de Guarcino Vicarius Provincialis Capuccinus
» D. Can. Fegatelli Pro-Vic. Gen. et sacrae Theol. Doct.
» D. E. Hautcoeur Domus Pontificalis Antistes et Rector Univer. Cath. Insulensis
» D. D. Ioannes Bapt. Heinrich Decan. Capit. eccles. Moguntinae et in Semin. episc. Theol. dogm. Prof.
» D. Christophorus Monfang sacrae Theologiae Doct. Canon. eccl. cath. Moguntinae et Seminar. Rector
» P. Matthaeus Liberatore Soc. Iesu
» D. Ioseph Prof. Lisi
» Fr. Vincentius I. Lombardo Ord. Praed. Baccalaureus Ordinarius
» D. Georgius De Lucchi sacrae Theologiae dogm. in Semin. Vicentino Prof.
» Fr. Ioannes Bapt. Embriaco Ord. Praed. sacrae Theologiae Magister
» D. Antonius Bernardinus De Menez Doct. in sacra Theologia et in Conimbricensi Universit. Prof.
» D. Sac. Iacobus Margotti
» D. Canon. Emmanuel Morra
» P. Antonius De Sancta Maria Nova Lect. Iub. Ord. Min. de Observantia
» D. Ioseph Masnini Can. et Deleg. episcopalis Casalensis
» Fr. Raymundus Massini Ord. Praed. sacrae Theologiae Lect.
» D. Henricus Sac. Massara Direct. ephemeridis *Osservatore Cattolico* Mediolani
» D. Ioachim Marré Parochus Sancti Stephani
» D. Iacobus Canon. Memes Archip. Paroch. Eccl. Cath. Andriae
» D. Ioseph Can. Migliori Theologiae Prof.
» D. Franciscus Ostacchini Primicerius
» Fr. Ferdinandus Romanengo Ord. Praed. ex-Provinc., sacrae Theologiae Magister
» Fr. Hyacinthus Agnesi Ord. Praed. sacrae Theologiae Magister
» Fr. Thomas Bonora Ord. Praed. sacrae Theologiae Magister
» P. Raphaël Pius D'Angelo Ord. Praed. Laur. Magist. in sacra Theologia
» Fr. Dominicus Pace sacrae Theol. Prof. Ord. Praed.
» D. Ioseph Canon. Pagella Vicar. General. Dioeces. Aquensis
» Fr. Henricus Siccardi Ord. Praed. sacrae Theologiae Magister et Parochus Mutinensis.
» P. D. Franciscus Mercurelli SS. D. N. a Secretis Epist. ad principes
» D. Richardus Palombella
» D. Alexander Parlati Canon. Theol. Cath. Andriae

R. D. Vincentius Piacente Canon. Theol. sacrae Theologiae Lect.
» P. Salvator Pinelli Soc. Iesu
» D. Caietanus Primic. Ratta Prof. sacrae Theologiae moral.
» D. Ioan. Bapt. Rossi Prof. Placentinus
» D. Aloisius Rotelli Archid. Praelatus domest. S. S.
» Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord. Praed. sacrae Indicis Congr. a Secretis
» D. Carolus Sartori Sacerd. Prof. in Seminario Patavino
» D. Theodorus Scolari a Magiate sacrae Theologiae Doct.
» P. Sanctes Schiffini Soc. Iesu
» D. Andreas Scotton Canon. honor. Eccl. Cath. Vicentinae Prof. emerit.
» D. Iacobus Scotton Prael. Dom. SS. D. N.
» D. Nicolaus M. Prof. Troya Canon. honor. Cath. Andriensis
» D. Nicolaus Zoccolus sacrae Theologiae Doctor, Curio ad Sanctissimae Trinitatis Bononiae.
» D. Antonius Sebastianus Valente sacrae Theologiae in Univers. Conimbricensi Prof. Ord.
» D. Bartolomaeus Talice-Blesi sacrae Theologiae Doctor
» D. Canonicus Petrus Tarino Prof. Philosoph.
» D. Antonius Tessarin Plebanus ad Sanctae Mariae Gloriosae [vulgo «i Frari»] Venetiarum, Canon. honor. Patriarch. Metropol. Sancti Marci, Prot. Apost.
» D. Aloysius Tinti Canon. et Vic. Gen. Concordiensis
» D. Petrus Doct. Thomasin Concionat. in Tergestina Eccl. Sancti Antonii
» D. Ioann. Bapt. Tornatore Prof. sacrae Theologiae
» Fr. Bonfilius Troscia Prior Serv. B. M. V. Bononiae
» D. Petrus Antonius Uccellius sacrae Theologiae Doct.
» D. Ioan. Bapt. Valdameri Doct. Prof. sacrae Theologiae
» D. Iacobus Valsecchi Can. Cathed. Alexandrin. et sacrae Theol. Prof.
» Fr. Andreas Maria e Venetiis Definit. et Proc. Gen. Capuccinus
» D. Petrus Zamburlini sacrae Theologiae Doctor et Can. Cath. Patavinae
» D. Nicolaus Zimarino sacrae Theologiae Doct.
» D. Camillus Mazzella Theologiae dogm. Prof.
» D. Ioseph Maria Berardinelli Can. Theol. Triventinus
» D. Paschalis Bernardinelli Primicerius Cath. Triventinae
» D. Paulus Bellagarda Theol.
» D. Dominicus Arnaldi Antistes urbanus et domesticus summi pontificis et Protonot. apost. Doctor Theologiae Collegialis Genuensis
» D. Leopoldus Borelli Prof.
» D. Carolus Alphonsus Benati Prof.
» D. Orestes Bodoyra Can. sacrae Theologiae et Iuris utr. Doctor et Prof.
» D. Gratianus Can. Bonacci Examinator prosynodalis
» D. Carolus Borgognoni Prof.
» D. Antonius Boveri Prof. Theologiae dogm.
» D. Antonius Bozzo Can.
» D. S. Burlenghi Can. et Vicar. gener. Parmae
» Fr. Clemens Buscaglia sac. August. Excalceatus

R. D. Canon. Theologus Buttini Florentinus
» D. Iacobus Victor Carettoni Doct.
» D. Ioseph Carcelli Prof. Theol. dioec.
» P. Valerianus Cardella Soc. Iesu
» Fr. Ioseph Maria a Theate Ord. Capuccinorum Definitor generalis
» Fr. Saturninus a Diva Clara ex-Gener.
» D. I. Pulong de Rosnay Vicar. gen.
» D. Ioannes Bapt. Gobbi Ab. Insul.
» D. Emmanuel de Iesu Lino, Prof. Theologiae in Univer. Conimbricae
» D. Bernardus Augustus de Madurcira sacrae Facult. Theol. in Conimbricensi Univers. Prof. ordin.
» D. I. Fernandes Montaña de la R. Academia de la Historia, Madrid
» D. Ludovicus Maria de Silva Raim. sacrae Theologiae in Conimbricensi Academia Prof.
» P. Ioannes Bapt. Rostagno S. I.
» D. Henricus Sauvé Praelat. dom. S. S. et Rector Univers. cath. Andegav.
» D. L. Moigno Canon. eccl. St-Denis
» Ioannes Antonius Bessone a Monteregali in Pedemonte
» D. Clodovaeus Guoin sacrae Theol. et Iuris Can. Doctor in min. Sem. Priscianensi Prof.
» D. Iulius Abadie sacerd. in minor. Sem. Priscianensi scientiarum Prof.
» D. Canon. A. Anger comm. Sancti Sepulchr. etc.
» D. Canon. Antonius Attanasio
» D. Franciscus Ioseph Antonius Barone Prof.
» D. Ludovicus Barré Prof., Valleguid.
» D. Iulius Beney Prof.
» P. Magister Dominicus Borgognoni M. C. Philosophiae Prof.
» D. Aloysius Breventani Theol. Doct.
» D. Ioseph Bucci Auditor Camerariatus Urbis
» D. Ioannes Bruni Prof.
» P. Hippolytus Bussotti S. I.
» P. Augustinus Camurri S. I.
» D. Doct. Gherardus Casella
» D. Doct. Eq. Vincentius Castellani
» D. Benvenutus Colasanto sacrae Theol. Doct. Capellanus honor. extra Urbem
» D. E. Daldini Philosophiae Prof.
» D. Leo Dervillé sacrae Theologiae nec non Iuris canon. in maior. Sem. Rhemensi Prof.
» D. Florentius des Hayes sacrae Theologiae Doct. et Iuris canon. Lic.
» Fr. Vincentius de Pascal sacrae Theologiae Lector ex Ord. PP. Praed.
» D. A. Dupont Universitatis Lovaniensis Prof. sacrae Theologiae et Philosophiae Doct.
» D. Ioseph Elice a Logdano Albin. Dioec.
» D. Ernestus Fontana Studiorum Praef. in Sem. Mediolanensi
» Fr. Peregrinus a Forolivi Def. gen. Capuccinus
» D. Franciscus Gasparini Archipresbyter
» D. Franciscus Gregori Theologiae dogm. Lect.

CAMPTI ... LIBRARIES

R. D. Can. A. Gouin sacrae Theologiae Prof.
» P. Henricus Heggen S. I. Philosophiae et sacrae Theologiae Doct. Prof. in Seminario Mariascheinensi in Boemia
» D. Emmanuel Ioseph de Lama Prof. in Semin. Caesaraugustano
» P. Lecoq Presb. a Sancto Sulpitio.
» D. Nicolaus de Lerna Can. regul. Later.
» D. Caietanus Levizzani Cirelli Can.
» D. Benedictus Doct. Lorenzelli
» D. Andreas Mondello-Nestler Doct.
» D. Dominicus Mannaioli
» P. Guidus Mattiussi S. I.
» D. Petrus Merighi Can. archipresb. Metropolitanae Ferrarien.
» D. Raphaël Can. Marcelli
» D. Raphaël Mareggiani
» P. Mauri S. I.
» D. Petrus Montagnani Archipresb.
» D. Franciscus de Paula Morgott Canon. Cath. Eyst. et Prof. Theologiae.
» D. Ioseph Pecci.
» Fr. Salvator a Murrovallium Philosophiae Prof.
» D. Antonius dell'Orto
» D. Ioseph Patroni sacrae Theologiae Iurisque utrius. ac Philosophiae Doct.
» D. Petrus Luilici Archid. Prof. et Vic. gen.
» D. Franciscus sac. Randi
» D. Ioannes Bapt. Rastero prof. Philosophiae in Sem. Aquensi
» D. Can. Savinus Rocca Semin. Placentini Rector
» D. Can. Ioseph Rubbini
» D. Matthias Schneid Philosophiae Prof.
» D. Dominicus Selvaticci Prof.
» D. Nuntius Can. Signoriello
» D. Doctor Ioannes Silvestro Subdiaconus
» D. Can. Iosephus Soldano
» D. Caietanus Sotis Archipr.
» Fr. Franciscus Sulis Ord. de Mercede Philosophiae Prof. in Sem. Calaritano
» Fr. Bonaventura a Sorrento Capuccinus Rector ephemeridis *Eco di San Francesco*
» D. Doct. Dominicus Svampa sacerd. Firmanus
» D. Salvatòr Talamo Philosophiae Prof.
» D. Canonicus Primus Tamba
» D. Ioannes Archid. Traversari Violani Philosophiae ac Physices Prof.
» D. Io. Bapt. Tescari Can. Parmensis Philosophiae Prof.
» D. A. Valdameri Rector Seminarii Cremensis
» D. Nicodarius Vampa Archid.
» P. Franciscus Venanzi S. I.
» P. Ioachim M. Vioni S. I.
» P. Alexius de Villeneuve S. I. Prof. in Universitate Berytensi.
» P. Secundus Franco S. I.
» D. Antonius Can. Vicentini

R. P. Caietanus Zocchi S. I.
» D. Carolus Ballarini
» D. Eq. Hermes Prof. Binzecher
» D. Aloysius Tripepi

Medicinae Professores.

Ill. D. Doct. Vitalis Berardinelli
» Florianus Bianchi Cagliesi
» Ioan. Bapt. Botto
» Aloysius Brajon
» Dominicus Castagna
» Centamori Cubicularius honoris in ense et lacerna S. S. Leonis XIII
» Maturinus De Menant des Chesnais
» Dominicus Dini
» Vincentius Ferrari
» Ioannes Finco
» Marcellus Gardini
» Petrus Paulinus Gimigliano
» Ioannes Gualandi
» Iulius Guermonprez
» Ioannes Felix Inglott
» Ioannes Favé
» Aloysius Maschi
» Osti y Lara
» Ioan. Bapt. Iantorni
» Vincentius Virili
» Eq. Antonius Larber
» Vincentius Liverani
» Com. Ioseph Manfredonia
» Eq. Ioseph Martino
» Alexander Massari
» Napoleon Fridericus Melotti
» Hector Montefoschi
» Alexius Murino
» Ioachim Pompili
» Iacobus Rizzi
» Ignatius Ronchi
» Antonius Rota
» Victor Rozza
» Napoleon Salaghi
» Vincentius Santi
» Gerardus Seganti
» Petrus Eq. Schilling
» Ioachim Silvano
» Caietanus Tancioni
» Alexander Solivetti

Ill. D. Doct. Franciscus Tani
» Alphonsus Travaglini Fundat. et Praes. Acad. Philosophico-Medicae Sancti Thomae Aquinatis.
» Ioseph Troyer
» Ioseph Bonanno Vinci
» Ioannes Benedetti
» Raphaël Battistini
» Antonius Battistini
» Ioannes Pauliezek
» B. Marcellinus Venturoli
» Alexander Bacchi

Professores, Doctores, Advocati, aliique.

Ill. D. Prof. Bartolomaeus Veratti
» » Aloysius Turchetti
» » Eg. Ioann. Bapt. Testera
» » Albertus Sthoccke
» » Henricus Signorini
» » Ioannes Rossignoli
» Doct. Ioseph Rossi Comm.
» » Ludovicus Rangoni Eq.
» Prof. Franciscus Randi
» Adv. Ioann. Bapt. Raffaghelli
» Doct. Ianuarius Portanova
» Prof. Ioann. Bapt. Peretti
» » Eq. Gustavus Milani
» » Ferdinandus Martone
» Doct. Ioseph Loss. I. R. Comm.
» Prof. Raphaël Ferrara
» Adv. Ioann. Bapt. Fabri
» Prof. B. D'Ondes Reggio
» » Ioseph Blin
» March. Augustus di Baviera Direct. ephemer. *Osservatore Romano.*
» Prof. Henricus Baudré
» Doct. Carolus Bassani
» » Maximilianus Anselmi
» » Com. Eugenius Alberi
» » Adami Princeps Pacheci
» Ioannes Bapt. Aquaderni Comm.
» Ioannes Bapt. Casoni Advoc.
» Achilles Sassoli Tomba Marchio
» Prof. Ioan. Bapt. Deligault
» » Antonius d'Este
» Doct. Thomas Maria Granello
» Adv. Angelus Gessi
» Doct. Henricus Giovannini

Ill. D. Doct. Andreas Ighina
» Prof. Laurentius Schiavi
» Doct. Aloysius Zerbi
» » Petrus Balan
» » Comes Franciscus Viancino a Viancino
» » Franciscus Lucci
» Prof. Alexander Bennati
» Doct. Gustavus Bukell
» Prof. Petrus Bouvier
» Doct. Laurentius Casimirus Bourquard.

475. XXV. Litterae Rmi Archiepiscopi Quebecensis:

« Beatissime Pater. Ad pedes Sanctitatis vestrae provoluti, nos, humillimi et addictissimi eius Filii, Cancellarius apostolicus, Rector, Moderatores et Professores Universitatis Lavallensis, in Ditione Canadensi, peroptamus, in ipsa anniversaria die Exaltationis vestrae ad Cathedram beati Petri, ei luculenta obedientiae filialisque pietatis indicia iterum exhibere necnon vota patefacere, quibus toto corde a Deo exposcimus ipsius felicitatem vitamque diuturnam, et exaltationem sanctae Catholicae Apostolicae et Romanae Ecclesiae, cuius Sanctitas vestra, favente divina Providentia, constituta est, hac misera nostra aetate, supremum, visibile et infallibile Caput.

« Noluimus, Beatissime Pater, faustissimam hanc occasionem praetermittere, quin Sanctitati vestrae supplicem libellum, qui profecto ei pergratus erit, exhibeamus.

« Summa cum diligentia et iucunditate non omisimus suscipere ac in mentibus nostris defigere ea omnia quae Sanctitas vestra, hoc primo felicissimi sui pontificatus anno, peregit ad promovendum studium scientiarum litterarumque cum profanarum tum sacrarum; at summopere praesertim nobis laetitiam attulerunt propositum susceptumque consilium ac impensa cura Sanctitatis vestrae, ut in universo Orbe catholico efficiatur unitas in theologicis ac philosophicis disciplinis, quatenus nempe ipsa enixe hortatur magistros ac discipulos ut toto animo incumbant in studia operum longe omnibus ingenio praestantium Doctoris Angelici, atque ut eius doctrina, quae ob sublimitatem, soliditatem methodumque divinitus data videtur, fiat veluti inconcussum erudiendae iuventutis fundamentum, in omnibus christianis scientiarum cathedris.

« Maxima huius nostrae Universitatis cura ac felicitas in eo semper erunt ut in posterum sicuti a principio agere non destitit, semper ad arbitrium nutumque centri unitatis se fingat, et suum ad indefectibilis Cathedrae Petri consilium accommodet, quae sapientia tantopere eminet in rebus vel mere disciplinaribus, quamque, gratificante nobis bonitate

Dei infinita, videmus tam laudabiliter occupatam a Sanctitate vestra, cui benigne donavit Deus illum fortitudinis, animi firmitatis ac ingenii thesaurum malis quibus opprimitur Ecclesia omnino parem.

« Speciale nobis gaudium est quod in nostra Universitate Angelicus Doctor sanctus Thomas Aquinas semper in singulari honore exstiterit, non modo propter gloriam et auctoritatem qua apud Deum omnipotentem fruitur, sed etiam propter lumen ex eius praeclara eruditione doctrina ac methodo in sacris disciplinis praelatum, necnon propter arma quae adversus omnes errores suppeditavit. Quapropter eo splendidissimo quo potuimus apparatu sextum centenarium Doctoris Angelici anno millesimo octigentesimo septuagesimo quarto celebravimus.

« Humilem ergo hodie petitionem nostram coniungere audemus precibus tot Universitatum Scholarumque catholicarum ac tot illustrium virorum, ut Sanctitas vestra benigne dignetur Doctorem Angelicum solemniter proclamare ac declarare Patronum omnium Universitatum et Scholarum quibus in Ecclesia catholica iuventus sacris disciplinis imbuenda traditur.

« Interim ad pedes Beatitudinis vestrae provoluti, humiliter imploramus, tam pro nobis quam pro discipulis nostrae curae commissis apostolicam benedictionem.

« Quebeci, die 20 februarii 1879.

« E. A. Archiepiscopus Quebecen. Cancell. Apostolicus ».

Sequuntur subscriptiones Rectoris, Moderatorum et Professorum Universitatis Lavallensis.

PARS ALTERA

§ I.

Adhaesiones Emorum Cardinalium Litteris encyclicis SS. D. N. Leonis PP. XIII quarum initium: « Aeterni Patris ».

476. I. Litterae Emi ac Reymi Cardinalis Praenestini, ac S. Congr. Studiorum Praefecti:

« Beatissime Pater. Immortales " scientiarum Deo " agendae sunt gratiae, quod ipse, in tantis temporum fluctibus, cum optimae disciplinae praecipites abripi, vel in summum certe discrimem vocari, atque extrema iam spe pendere viderentur, eam mentem, quam dedit tibi, Leo Pontifex maxime, vixdum sapientiae tuae regimen totius Ecclesiae concredidit, ut nempe christianam Philosophiam ubique gentium penitus instaurandam susciperes, celerius omnium opinione, universisque ordinibus adclamantibus, ad optatum exitum perduxerit. Divino sane consilio factum est, ut maxima inter ingenii tui atque apostolici muneris monumenta, illa a te etiam, tanta ac tam commemorabili sapientia praedita, Encyclica, ederentur, quorum initium *Aeterni Patris;* quae ingenti catholici Orbis laetitia ac plausu propemodum incredibili pervulgata, omnium simul in tui admirationem animos erexerunt; digna illa quidem, ut non modo mortalium laude, sed et Superum praeconio celebrentur, utpote quae in summo tempore permagnum in christiani nominis provincias, immo vero in totum hominum genus, beneficium contulerint. Opem omnino tuam imminens Philosophiae calamitas postulabat; ea siquidem ab illo fonte et capite, unde divinitus orta est, longe semota, et per infinitos pene anfractus a primaevo instituto et antiqua religione nefariis perditissimorum hominum ausis abducta, quotidie in praeceps ferebatur. Tantum autem aberat, ut ipsa, reiectis pravarum opinionum commentis, supremam rerum bonorumque omnium originem spectaret, eorumque contemplatione ad omnipotentis Numinis cultum obsequiumque se reciperet, ut contra, scelus in dies anhelans et freni impatiens, in ipsum Deum contumax, coelestia cuncta aspernari, atque iis, quae hominum captum vimque naturae exsuperant, aeternum incutere bellum auderet. Neque aliud fortasse fuit belli genus tam scelestum, tamque atrox aut per-

niciosum, quo impii errorum magistri certius sibi ad divinam ipsam Religionem funditus evertendam iter sternerent; de quibus nunquam verius idem, quod olim regius Psaltes, dici potest: " Posuerunt in coelum os suum. Superbia eorum qui te [Deum] oderunt, ascendit semper." [1]

« Ergo in tam praecipiti tempore opus omnino erat, ut, abiecta omni cunctatione, tum incolumitati, tum gloriae catholicae Fidei consuleretur, contra quam improba et conscelerata Novatorum turba, furore atque armis metuenda, omnibus praeliis dimicabat. Tu huiusmodi officio deesse non poteras, optime maxime Pontifex, quem sapientia, fortitudo, prudentia, caeteraeque virtutes omnibus numeris absolutae commendant. Gravissimum, teque plane dignum negotium maturo admodum consilio suscepisti, cum atroces illos belli impetus contundere aggressus es, ductu auspiciisque praepotentis Numinis, quod te adsertorem Religionis, propugnatorem generis humani, tutorem optimarum disciplinarum, restitutorem ac vindicem veteris doctrinae adoptavit. Coelesti prorsus voce, quae instar oraculi ad extremas mundi plagas insonuit, ingens edixisti christianam Rempublicam periculum manere, nisi pugnax tot amentium sophorum audacia, eorumque perfurentes undique impiorum dogmatum pestes ex continenti coërcerentur. Deploratis prope iam rebus, optimis nempe labentibus in diem et ad interitum ruentibus disciplinis, verum illud remedium adhibuisti, quo iisdem salubrius, et ad repellendos hostium conatus accommodatius, quisquam non solum non exoptare, sed ne cogitando quidem informare posset. Constituisti nimirum ut Philosophia christiana, quae a priscis Ecclesiae Patribus orta, studioque Scholasticorum illustrata et aucta, per tot aetates maximis beneficiis et gloria floruit, in Gymnasia et Lycea catholici Orbis, atque in antiquum praecipue huius Urbis domicilium, ex quo tanquam de sede sua deturbata fuerat, summo cum honore revocaretur. Insuper, quo uberrimos non modo, sed iuges et plane coelestes omnibus recluderes disciplinarum fontes, suprema idem auctoritate decrevisti ut omnis philosophicae institutionis ratio, esset secundum mentem et principia sancti Thomae Aquinatis, summi Scholasticorum Magistri, in cuius quidem libris divinitus elaboratis, quot articuli exhibentur totidem prodigia numerantur, in iisque et Philosophiae propugnaculum et christianae rei firmamentum situm esse, omnes ad unum fatentur. Ut autem divinum a te susceptum consilium plane cumulateque perficeres, et nobili quodam certamine atque aemula virtute sapientum studia commoveres, qui alibi iam doctorum hominum Collegia sive Academias magno cum scientiarum incremento excitaveras, idem auctor fuisti, ut in Urbe omnium principe et honestissimarum disciplinarum arce munitissima, praeclara haec ingeniorum

[1] *Ps.*, LXXII, 9, et LXXIII, 23.

palaestra vitam quamprimum, custode Doctore Angelico, auspicaretur. Multa enim sunt quae publicis ex hisce Academiis emolumenta habentur, cum in his homines ingenio et eruditione praediti in quoddam veluti certamen descendant, et quisque cum caeteris scientiae gloria dimicans, singularis doctrinae palmam referre contendat; singuli autem inexplebili quadam sciendi cupiditate flagrantes, mutuo et plura et uberiora ad discendum subsidia suppeditent, suorumque studiorum fructus in communem utilitatem proferant: quapropter mirum non est si in huiusmodi Collegiis iter facile et expeditum ad optimas disciplinas excolendas maioribus nostris semper pateret, eaque semper praestantissimorum Doctorum frequentia celebrarentur. Hac itaque in re tibi, quemadmodum legitur in sapientissimis Litteris tuis ad me amantissime et honorificentissime datis, ea fuit proposita sententia: " Ut Coetus academicus in Urbe Roma instituatur, qui sancti Thomae Aquinatis nomine et patronatu insignis, eo studia industriamque convertat ut eius opera explanet, illustret; placita exponat et cum aliorum philosophorum sive veterum sive recentium placitis conferat; vim sententiarum earumque rationes demonstret; salutarem doctrinam propagare, et ad grassantium errorum refutationem recensque inventorum illustrationem adhibere contendat. "

« Iam vero quae hac super re, Pater sanctissime, in mandatis habui, confecta sunt. Nobilissima haec Urbs, catholici Orbis caput, id de se gloriosum praedicare optimo iure potest, quod solers et obsequentissima Pontificis maximi imperio sit in exemplum perfuncta. Ipse, ob regiam humanitatem tuam atque indulgentiam, Pater et Princeps providentissime, exorientis Academiae romanae leges, iam conditas iudicioque auctoritatique tuae permissas, ratas habuisti. Eas proinde exponi ad imitandum posse arbitror, et ab aliis huiusmodi sophorum societatibus ad normam et exemplar acceptum iri confido. Cum autem hominum industria salutares fructus ex se parere nullos queat, omnes, ideo conscii officii, opem divini Spiritus flagitamus, ut lumine ipse suo mentes perfundat, et vehementi gloriae suae studio corda eorum incendat, qui novum in hoc eruditorum Collegium cooptati, vitam ipsi roburque praebere, et quantum in cuiusque animo virtutis inest, mutuam in id operam conferre debent, ut omnia ex sententia Patris ac Magistri catholici nominis feliciter cedant. Itaque laetandum nobis magnopere, quod iam parata sint omnia, quae opus sunt nobis ad ineundam, felici sane et auspicato principio, pulcherrimam scholasticarum concertationum viam; laetandum quod illorum qui nobilissimae Doctoris Angelici disciplinae sacramentum dixere, ad ardua eiusdem studia complectenda sit voluntas, ardensque omnium alacritas, et nemo certe committet ut tanto muneri ea ullo tempore defuisse videatur. Exercitationum ratio et institutio pertinet omnino ad interpretanda, illustranda,

tuenda Doctoris Aquinatis cogitata, quae continentur in utraque, uti vocant, *Summa*, quae omnium ferme doctissimorum hoc in doctrinae genere voluminum instar est; quam quidem decet auro expendi, cum ab ea, tanquam a perenni uberrimoque fonte, novae in dies sapientiae opes hauriantur, nova item arma ad omnes Religionis humanique convictus hostium assultus reiiciendos, omnesque oppugnatorum catervas profligandas accommodata. Fateor equidem nobis provinciam laboris aleaeque plenam esse suscipiendam, et cum terrificis saepe hostibus decertandum: at cum talem habeamus ingentis pugnae Ducem, mora nulla est, quin ab ipso in certam triumphi spem erecti, strenue congrediamur.

477. « Nostrae modo rei haud alienum esse videtur, si quid leviter attingamus de praestantissimis commodis, quae nobiliorum scientiarum studiis obventura sunt ex Scholasticae disciplinae instauratione in his sophorum coetibus, qui nomine Doctoris Angelici instituuntur. Primum vero ingensque beneficium situm esse arbitror in maxima tum praeceptorum, tum Scholasticae, quam vocant, methodi consensione atque unitate; praeter quam spei nihil foret firmiores habendi perpetuoque permansuros in Theologiae et Philosophiae studio progressus. Ad conquirendas rerum origines ac leges, vel ad earundem convenientiam atque ordinem perscrutandum, nihil Doctoris Angelici alumnis profuerit magis, quam si una mente animoque eius vestigiis ingressi, omnia examussim studia componant ad certissimam philosophandi normam, quam Magister ille eximius et extra omnem ingenii aleam positus, nobis exhibuit. Eo auctore, omnibus disputandi considerata et provisa via est: omnes itaque capiant ex ipso documentum, quo Philosophiae studium acrius haurire, veritatem tueri, controversias componere, fallacias refellere, captiones discutere, oppugnatores conficere nullo negotio poterunt. Eo duce atque auspice, fas est ut quos eadem Societas tanquam concordi germanitate complectitur, eadem quoque et voluntatum et iudiciorum conspiratio coniungat; propositamque unitatem Sodales in posterum non modo magna cum cura servaturos, sed et mirifice aucturos pro certo habeo. Ea gratia, cum philosophandi rationes multae hactenus fuerint, maximeque diversae, omnis modo sententiarum discrepatio ex catholicis scholis concedet, etiam quoad ea in quibus, Ecclesiae concessu, est apud doctores disputandi optio quam libera. Nec exinde quisquam frustra tempus insumet in recrepandis veterum quorumdam aut iuniorum sophorum cogitatis plerumque per ambages diuturnasque lites propositis, vel in quibusdam recudendis quaestionibus, quae alio tempore aliisque forte hominibus perpulchrae visae sunt, quaeque tamen hac aetate inutiles, immo fraternae Doctorum benevolentiae ac concordiae, quae in catholicis Athenaeis vigere aeternum debet, perniciosae censentur. Indecorum

est, atque a tota scientiae natura et dignitate alienum, doctos viros, ad unam vel alteram philosophorum sectam veluti autoratos, aut andabatarum more depraeliantes, magnis plerumque clamoribus contentionibusque inanem aucupari famam; eorumque vitio gravissimam disciplinam, garrulam usque in disserendo, inverecundam pugnacemque videri, magnamque saepe invidiam subire et ad irrisionem traduci.

« Praeterea omnium illa, quae in votis est, inter alumnos Aquinatis sententiarum consensio, et universae Philosophiae aequabilitas, magno nobis usui erit in rerum difficillimarum tractatione, praecipue autem cum explicandum sit problema illud scopulosum atque arduum, quod ad idearum originem, ad mentis facultates atque actus, ad moralem hominum naturam, pluraque ad alia pertinet abdita et retrusa, molestisque interdum difficultatibus obstructa: quorum tamen necessaria cognitio est, perniciosa ignoratio; quaeque disputationum admirabilitate et fructuum copia, quam pollicentur, eruditorum ingenia prolectant. Dum philosophicae provinciae velificari instituimus, salebrosum profundumque tentamus per brevia et syrtes oceanum: sed nihil erit negotii placidum tutumque portum occupare duce Thoma, qui tanto in discrimine certum spei et salutis signum extollet, cunctisque opem suaeque doctrinae partem plusquam satis pro cuiusque necessitate suppeditabit. Quocirca uno ictu multa et multiformiter compicta systemata corruent, quibus veteres recentioresque philosophi se debellato triumphare confisi sunt, totque illa sua passim crepare placita, quae scioli mirificas eruditiones, docti viri mirifica monstra appellant. Huc accedit quod, cum Romana Academia adeo instituta sit ut caeteras sibi comites adiungens, iisque facem veluti quandam praeferens, omnes inter se iungi et foederi adscribi iubeat, fructuosa apud earundem sodales exstabunt, ut ita dicam, scientiarum commercia, praeclara non tantum officiorum, sed studiorum sententiarumque vicissitudo, perpetua tandem beneficia ultro citroque data et accepta. Ob eam rem quidquid insolens perniciosumque homines rebus novis studentes scriptis mandaverint, quotque errores et prava opinionum commenta circumferantur, confestim accepto nuncio poterunt innotescere atque e vestigio refelli. Dirum eorum pus atque venenum praesentissimo remedio extinguetur, et subita antidoti virtus luem omnem praevertet. Nostrum insuper erit mentem potissimum appellere ad nova, sicubi forte prodierint, inventa ex Physicorum scientia; quod si eorum nonnulla prima fronte contra res arcanas divinitus patefactas niti videantur, Sodales omnem curam atque operam in eo conferent, ut huiusmodi recens inventa cum rebus Fidei scite componantur, iuxta effatum illud certum exploratumque, quo monemur rationem, non secus ac Fidem, Dei munere nobis datam esse, nec ullum inter utramque certamen aut dissidium exstare posse, nisi quis ineptissime Deum contra veritatem repugnare atque a se

ipso dissentire, animo praesumat. Alia hoc in genere multa properanti omittenda sunt quae opportunissime proferri possent, nisi copia vel ipsae temporis angustiae obstarent. Veruntamen quae capita rerum attigi, satis ostendunt quot quantaque Philosophiae aeque ac Theologiae suppeditentur praesidia ex solidiorum studiorum instauratione, quae auspicia capit ab huiusmodi Academiis nomine Doctoris Angelici nuncupatis. Praestat modo ea innuere quae eluctanda sunt impedimenta, antequam secundus nostris rebus seu optato scientiarum incremento, exitus contingat.

« Compertum est omnibus quam prava et multorum animo constet praeiudicata opinio in scholasticam methodum, ideoque in optimam eam arguendi et refellendi rationem, seu pressam et acutam argumentandi formam, quam Syllogismum vocant. In hoc Dialecticorum adstrictum loquendi genus, in quo ars mira ratiocinandi sita est, quum nudis per eam brevibusque argumentis acres et concisi disputatores veritatem inquirere atque occupare, adversariosque urgere, captiosaque omnia evertere perfacile possint, invidiam potissimum et despicationem ad omnes auxere tres illi celebratissimi olim coryphaei, qui per fas et nefas Philosophiam instaurare, hoc est pessumdare aggressi sunt: Baco de Verulamio in Anglia, Cartesius in Gallia, Kantius in Germania. Istiusmodi philosophi, aliique minutuli quidam declamatores, qui incredibili armati audacia, passim obtrectando inclarescere studuere, cum fastidirent omnia et pessimis modis despicata haberent, quae nobis a maioribus tradita sunt, nec secum ipsi reputarent quanta semper gratia, auctoritate ac veneratione apud cuncta sapientum collegia per Europam constituta, summus ille Scholarum Princeps floruerit; veterem disputandi modum, qui Thomae ipsi in deliciis fuit, magno supercilio improbarunt, illumque nihil aliud esse quam perridiculam atque abiectissimam Stagiritae imitationem contenderunt. Cum plus illi hac saltem in re iudicarent quam intelligerent, eandem aptissimam oppugnandi et repugnandi rationem, qua mirificis subtilitatibus veritas firmatur, et fallaciae omnes traduntur, monstruosam quandam blaterandi formam, strigosam, frigidam, frugis expertem; voces vero et Dialecticorum formulas insulse confictas, nugatorias, barbaras esse dixerunt. Diuturnis horum conviciis mordacique garrulitate factum est ut Scholasticorum methodus obsolesceret: et frustra tristem eius vicem duo illa scientiarum lumina, Bossuetus et Leibnitius, conquesti sunt, atque inconsultum adversantium facinus incusarunt. Effrena Novatorum audacia, Veterum methodis nequissime et flagitiosissime reiectis, ad nova monstra vim suam adiecit; unde portentifica, quae omnes norunt, systemata orta sunt, atque uno foetu illae errorum furiae, quae non modo sanctiores disciplinas, sed rem christianam civilemque societatem conturbarunt. Minima et perniciosa pro maximis obtrusa sunt; cessit clamosis hostibus victoria; tota avorum canities, tota patrum

sapientia ludibrio habita; immortale ipsum Aquinatis nomen proculcatum, eiusque proiecta auctoritas, quae magna apud universas gentes et quotidiano auctu maior viguit. Laus denique omnis subrepta omnisque contumelia illata maximo omnium Doctori, qui post praeclarissima Damasceni atque Anselmi incoepta, longe cunctis ingenio ac doctrina praestans, absolutissime et admirabili quadam perspicuitate, etiam iis in rebus quae magis involutae et prope inenodabiles sunt, tum germanae Philosophiae principia, tum orthodoxae Theologiae dogmata explicavit. Quamobrem, qui summum scientiarum verticem attigit, earundem veluti parens beneficentissimus habitus est, et tanquam sol ingenti omnia luce perfundens, unumque et nos Principem altioribus disciplinis ab interitu vindicandis et ad pristinum gloriae fastigium revocandis quasi coelitus demissum veneramur.

478. « Verumtamen, quo infestior percrebuit eorum hominum calamitas, qui tam iniquum bellum scholasticis Doctoribus indicere ausi sunt, eo facilior divina clementia omnia nobilioribus disciplinis propitiavit, quae eisdem et universae Reipublicae christianae futura essent salutaria. Constat inter omnes quantae eisdem labes factae fuerint ab sectatoribus praecipue perniciosissimi illius systematis quod Rationalismus audit: lethifer hic sane morbus, qui sensim in dies gliscens, multorum ab sua origine mentes in Germania ita corripuit, ut in catholicas etiam Scholas pervaserit, et quorundam hominum acerrima ingenii vi praestantium, qui Doctorum munere fungebantur, iudicium perverterit. Quos inter satis heic sit duos tantum commemorare fama notissimos, Hermesium et Güntherum, ecclesiasticos viros, qui in philosophico et theologico ludo aperte et Ontologismum et Rationalismum profitebantur: quorum idcirco exitiosa commenta et opera, quae in vulgus prodierant, sanctissima haec Sedes apostolica proscripsit. Caeterum, ut ad rem nostram revertamur, abhinc annos non multos, cum maxima in rerum publicarum conversione et luctuosa ingeniorum licentia, falsa sophorum placita ad omnem impietatem effrenamque libidinem proiectissima, divina atque humana permiscerent, hanc nacti causam, sapientissimi viri iidemque forti et erecto animo praestantes, nec pugnae insolentes, tempestive in bacchantem pestem arma sumpserunt. Horum heroum nomina, vivis ipsis, silentio praetereunda mihi sunt: fas tamen est summas de his laudes habere, qui in tuendis scientiae et religionis iuribus omnem vim artis et doctrinae suae adhibuerunt, atque, ut Philosophiam praesertim sartam inviolatamque praestarent, nullam sibi dimicationem refugiendam, nullumque periculum detrectandum existimarunt. Hi nullum aliud visi sunt vehementiori animi contentione urgere propositum, quam de inferendo impiis christianae sapientiae hostibus acri ac perpetuo bello;

atque opus quisque suum ad vires exigere aggressus est, ut potissimum Scholasticorum doctrina ab iteratis osorum assultibus et criminationibus praesidium haberet, et vetus eorum Philosophiae tradendae ratio, ad pulcherrimas disputationes concertationesque traducta, acuendisque ingeniis mirifice accommodata, denuo in scholis vigeret. Licet enim in his summa semper fuerit auctoritas magnumque Stagiritae nomen, publici tamen usus anteacta aetate fuit eiusdem tantummodo Logices aut Dialectices disciplina, non ratio philosophandi universa: totam hanc laudem nostri huius aevi doctores adepti sunt. Quorum studio ea insuper propulsata est inconditae barbariae nota, iampridem vocibus formulisque Scholasticorum inusta: quae quidem formulae plurimum valent non solum ad nectendas et solvendas difficultates, sed, quod caput est, ad nostra cogitata strictim et acute significanda, caeterisque perspicue apteque communicanda: ex quo procul dubio idiomatum utilitas et praestantia aestimatur.

« Ex tanta igitur ac tam vivida excellentium in unaquaque arte virorum aemulatione, qui pro virili parte christianae Philosophiae rationibus consulere, nequissimorum hominum audaciam frenare, flagitiosasque eorum opiniones abolere conati sunt, praeclarissimum scientiarum studiis decus atque emolumentum accessit. Verum enimvero deerat his omnium voluntatum et ingeniorum consensio, deerat maxima incrementorum causa, deerant stabilitatis praesidia, praeter quae optima adhuc studia iacerent, tot undique hostilibus armis perculsa, tantis tamque diuturnis dissensionibus prostrata. Ea nemo in spem salutis atque fortunae vocare poterat, nisi Princeps optimus providentissimus, cuius voluntas omnibus pro lege, vox pro oraculo, virtus et sapientia pro exemplo esset. Ergo unus, Pater sanctissime et beatissime, spes optimas redintegrasti, omniumque animos erexisti; unus ob eximiam mentis celsitudinem, ob inexplebile propugnandae religionis studium, ob incredibilem cunctisque saeculis depraedicandam erga omnigenas disciplinas beneficentiam, de veteri sapientia ubicumque terrarum restituenda cogitasti; unus tale ac tantum facinus, non scientiarum modo studiis, sed catholicae Fidei universisque gentibus salutare ad exitum usque inaudita felicitate perduxisti. Per te Doctoribus scholasticis honor amplissimus habitus est, et laesa diu fama vindicata; sanctissimus vero eorum Ductor atque Antistes, denuo per te ad celsissimum suae dignitatis et gloriae fastigium evectus praeter omnem spem atque exspectationem, cunctis passim ordinibus laetitia gestientibus, celeberrimum et in hac Urbe et toto Orbe triumphum duxit, cuius quidem memoriam nulla temporis diuturnitas poterit abolere. O faustae semper ac laetificae idus illae martiae, quae tibi, Pontifex optime et sanctissime, quae Doctori Angelico, quae Ecclesiae universae tam illustres ac iucundae affulserunt. Ullo idus illae non tempore nostris excident animis: siquidem in iis praestan-

tissimi scientiarum cultores ex repositis terris ad sacram hanc Vaticani arcem confertissimo agmine confluxerunt, tuisque pedibus provoluti, tibi, Pater et Magister catholici nominis, suam fidem atque obsequium solemni ritu testati sunt. Te autem omnes ingenti adhuc plausu prosequuntur; te restitutorem cultioris antiquitatis veraeque doctrinae quae Fidei sancto foedere iuncta est, coelitus datum salutant; te patronum sibi munificentissimum, adiutorem, ducem divinitus oblatum agnoscunt, laetantur.

« Inter plaudentium et gratulantium officia, quae iure te undique circumstant, insonat quoque laus ea longe honorificentissima, quae tibi communi eruditorum hominum consensu sententiaque defertur, quod tuo nomine et auspiciis novam sancti Thomae operum editionem ornari iussisti. Facis hoc nempe ad immortale alumnorum eius doctorumque omnium beneficium, tuaque illa munificentia plane romana, providentia ista plane tua, non solum huic nostrae consulis aetati, verum etiam posteritatis rationem habes, ac tale tamque absolutum exornatumque opus edendum curas, quod Europae universae, non uni dumtaxat civitati vel nationi, usui et decori esse debeat. Iamque, cum nulla interiecta mora ingenia excitaveris, multumque iis ad opus illud subsidii contuleris, complures ubique docti homines in huius contentionem laudis venerunt; nec modo vulgata Thomae exemplaria, et clarissimorum interpretum lucubrationes excutiunt, sed per Europae bibliothecas ac tabularia praesertim codices manu scriptos diligenter pervolutant, severioris critices iudicio expendunt, sedulo undequaque omnia comparant, quae ad editionem accommodata sint adeo expoliendam et perficiendam, ut nullum prorsus eidem sancti Doctoris scriptum desit, nullum verbum aut sententia, nec ulla quidem eius particula laboret. Cum primum coelestis illius doctrinae thesaurus, nova quadam luce restitutus, prodierit, nemo ex sapientibus ad illum non ocissime properabit, nemo non hauriet quantum velit; nemo non meritam tibi gratiam memori mente persolvet, quod divino instinctu tantas sapientiae opes de integro proferri, et ad communem litterarum utilitatem, ad sempiternam christiani nominis gloriam, ad plenissimam Scholasticorum disciplinae instaurationem, propagari mandaveris.

« Si tempus unquam de huiusmodi instauratione bene sperandi oblatum nobis fuit, hoc profecto est, Beatissime Pater, cum tibi ob maximas virtutes tuas Ecclesiae gubernatio, iubente Deo, fuerit delata, et nihil ipse non sis praestiturus quod ad summum catholici Orbis commodum pertineat. Magnam quidem spem virtus ipsa tua nobis facit, quae tot eruditorum coetus recreat, tot Athenaeorum studia fovet, tot populorum vota sustentat. In huius tam praeclarae rei conficiendae spem nos etiam adducit concors Episcoporum caeterorumque ecclesiastici ordinis virorum industria atque studium, qui tibi dicto audientes, unanimi erga hanc sanctam et apo-

stolicam Sedem observantia, omnia consilia conferunt ad populos ab errorum lue purgandos, cunctasque ab iis calamitates, adhibitis christianae Sapientiae adiumentis, avertendas. O nos beatos, cum omnia, ut speramus, fausta et prospera contigerint, debitumque Deus tuae virtuti fructum attulerit! Hoc addatur annalibus nostris decus, ut ex iis tota posteritas accipiat, te inclytis magni Thomae signis sublatis, plane beatam atque auream doctrinarum studiis condidisse aetatem; te, qui ad benemerendum de infinita humani generis societate natus es, publicae omnium gentium felicitatis ac tranquillitatis auctorem exstitisse.

« Haec habui, Beatissime Pater, quae responderem ad perhonorificas, quas memoravi, Litteras tuas idibus octobris anno superiore ad me scriptas. Iam quod ad me attinet, cum, ut proposui, pro viribus iniunctum per eas mihi tua auctoritate munus obierim, dederimque certe operam, ne vel mihi ipsi, vel omnino Sanctitati tuae defuisse viderer, te, ut apostolicam benedictionem mihi impertias, rogo atque oro. Illud demum enixis a Deo precibus peto, ut omnia et coepta et consulta Sanctitatis tuae perficiat, teque perpetuo incolumem praestet, quemadmodum et omnes apprecantur, et Reipublicae tempora postulant.

« Romae, III nonas maii, MDCCCLXXX, festo die sancti Pii V Pont. Max.

« Humillimus et deditissimus in Christo Famulus
« ANTONIUS Epis. Praenestinus ».

479. II. Litterae Emi ac Rmi Cardinalis Archiepiscopi Campani aliorumque Archiepiscoporum et Episcoporum:

« Beatissime Pater. Non sine mirabili divinae Providentiae dispositione factum esse, ut tu, Beatissime Pater, adeo adversis Ecclesiae temporibus, opinione celerius, ad summum Pontificatum evectus fueris, quae usque adhuc humanae societatis, et universae rei christianae bono viriliter peregisti, locupletissime testantur. Cum enim humanae societatis fundamenta diutinis hostium ictibus debilitata, et quasi convulsa fuerint, ac ideo ipsum illius aedificium undique quassatum fatisceret, quae in eo firmando tua mens fuerit, qui tuus animus, quae tua virtus pluribus ostendisti, praesertim Litteris encyclicis semel atque iterum ats.id Imprimisque tibi maximae curae fuit Ecclesiae Christi iura sarta tectaque tueri, praesentissimam illius opem atque innumera in hominum societatem beneficia propugnare, civilemque culturam non iis, quibus saeculum est decipere et decipi, sed uni veritati vindicare, cuius Ecclesia est columna et firmamentum. Malorum insuper, quibus undique premimur, tu sciens ac prudens non gravitatem modo et causas indigitasti, sed ea remedia praebuisti

efficacissima, quibus humana societas ad salutem revocari, et incolumis servari possit. Verbo tuo commota est terra. Hostium plerosque contremiscentes, et animo labantes vidimus, quique antehac summi Pontificis monita et scita aut negligere, aut aspernari per summum nefas consueverant, dein sapere, utinam non sero! visi sunt. Quid plura? multos habemus se confitentes reos, etiam inter saeculi potentes, qui vel inviti te humanae societatis servatorem salutant.

« Cum vero tibi perspectum esset eiusmodi homines eo audaciae ac malorum ideo praesertim devenisse, quia falsae philosophiae doctrinis imbuti, insanientem sapientiam sectati, a veritate, immo a natura ipsa desciverant, nuperrima Epistola encyclica *Aeterni Patris* philosophicas disciplinas instaurare constituisti, ut praecipuis malorum causis hinc remotis, prava effecta facilius a nobis removere liceret. Quo nil utilius aut efficacius te efficere potuisse putamus, eo potissimum quod philosophicam Scholasticorum rationem, veluti regulam, quam omnes sequantur, proposuisti. Quod tuum consilium eo maioris faciendum ducimus, quo vehementius illud horruerunt veritatis inimici. Omnes enim norunt, nedum Protestantes, et sectas ab illis prognatas, sed et recentes Rationalistas philosophicam Scholasticorum rationem sanguine viperino canticis vitare: scilicet arma, quae et maxime nocent, horret hostis. Eapropter maxima ipsis cura fuit Scholasticorum Philosophiam a Gymnasiis et Lyceis ablegare, animos iuvenum illorum studiis divertere, et ipsum divum Thomam, qui instar solis radios suae sapientiae quocumque diffundit, suis dicteriis, sannis et calumniis obnubilare. Vere dolendum homines huiusmodi in tanta veritatis luce veluti noctuas coecutire in pleno meridie. Nec effraenatae libidini pravae philosophiae ullus modus fuit, simul ac ipsi a recta philosophandi ratione erraverunt, cum ubi tuto pedem figere non haberent, in absurda quaeque prolapsi sunt, et ex profunda errorum abysso in aliam profundiorem devenere. Nunc vero temporis eo res deducta est, praesertim apud Germaniae philosophos, ut eos docentes audiens ipsos somniari aut insanire potius quam ratiocinari dixeris. Nec eos puduit, ut fucum facerent imperitis, praeclarum philosophi nomen sibi adsciscere, qui ea absurda protulerunt, quae si e vulgo quis primum dicere auderet, rudis ac bardus haberetur.

« Quae exinde mala tum caeteris scientiis, tum hominum agendi rationi provenerint, vel ex hoc intelligi potest quod erroneas doctrinas ex Philosophia speculativa in caeteras scientias, praesertim in Philosophiam moralem et Theologiam, facili admodum brachio ipsi invexerunt. Quare eo fucato falsae doctrinae apparatu ab illis instructa iuventus, quid integrum aut intactum reliquit? Undenam manus cohibuit vitiosior parentibus progenies? Omnia iura divina humanaque sus deque vertit, in omne nefas

ruit praeceps, ut nulla ipsi pietas, nulla fides, nullus Deus, nulla superfuerit religio.

« Dignum igitur tua sapientia opus perfecisti, Beatissime Pater, qui tantae malorum congeriei occurrens, Scholasticae Philosophiae studia apud nonnullos intermortua excitasti, eo vel maxime quod divum Thomam omnium Principem proposuisti, ut uno Aquinate duce, nos, veluti acies bello instructa, unius ducis imperata facientes, stricto agmine, maiore nisu, certa spe victoriae, hostes cominus eminus impetere possemus. Qua in re te nostro desiderio satisfecisse testamur. Pluribus enim abhinc annis eo nos divi Thomae doctrinis indivulse adhaesimus, et non parum operae et laboris insumpsimus, ut haec studia in nostris Seminariis proveherentur. Siquidem illustre Theologorum Collegium Neapolitanum quinque abhinc saeculis doctrinas divi Thomae excoluit, easque veluti ignes sub cinere tantisper delitescentes e cinere sublevavit, quorum scintillae in has omnes provincias a nobis inductae nova incendia in iuvenum animis suscitarunt.

« Meminisse etiam iuvat, cum tu, Beatissime Pater, Ecclesiae Perusinae praeesses, ibique Academiam Divi Thomae, magno studiosae iuventutis fructu, instituendam curares, Neapoli quoque duce et auspice fel. record. Xisto Riario Sfortia, eminentissimo Cardinali Archiepiscopo, tuis vestigiis insistente, Academiam viguisse, quae a divo Thoma nomen et virtutem mutuata, illud sibi proposuit, ut errores in diem gliscentes, doctrinis, ex uno Aquinate depromptis, refelleret. Fixum insuper nobis, destinatumque in animo fuit eos Professores eaque instituta legere, quibus quasi rivulis a divi Thomae fonte manantibus, illius doctrinam adolescentes in sortem Domini vocati, nedum summis labiis suaviter degustarent, sed pleno ore combiberent. Nil ideo mirum, si heic divi Thomae Schola tantum existimationis nacta sit, ut superbissimi iudicii viri in difficilibus quaestionibus illius sententiae adsciverint. Ut alios omittamus, exemplo sit Guntherus, qui cum nonnulla digna censura edidisset, et ideo Romam accitus suae doctrinae rationem redditurus, Neapolim petit consultum Caietanum Sanseverinum (qui Neapolitani Capituli et Collegii Theologorum lumen et ornamentum exstitit) cuius iudicium quanti fecerit, ipsemet ostendit, cum Decreto Sanctae Congregationis Indicis se laudabiliter subiecit.

« Itaque nos tibi, Beatissime Pater, dicto audientes, tuisque iussis obtemperantes, maiore animi alacritate praestabimus, ut divi Thomae Philosophia ab omnibus ea qua par est diligentia excolatur. Faxit Deus, ut quem Ducem ac Magistrum nos sequi iubes, quamprimum et Patronum Scholis omnibus concedere digneris. Inde fiet ut et ipsi veritatis osores, tanti Doctoris sapientiae robore et suavitate allecti, quem teme-

rario ausu aspernati sunt, Magistrum, Ducem, ac Patronum ambabus ulnis amplectantur, et nobis dicere liceat: " Uno Aquinate vicimus omnes. "

« Ad Beatitudinis tuae pedes provoluti, apostolicam benedictionem humillimo devotionis sensu imploramus.

« Datum Neap., pridie kal. oct., MDCCCLXXIX.

« Addictissimi in Christo Filii

« Franciscus Xav. Archiep. Card. Campanus
« Gulielmus O. S. B. Archiep. Neapolitanus
« Fr. Th. Michaël Ord. Praed. Archiep. Edessenus
« Philippus Archiep. Patracen.
« Vincentius Episcopus Rubensis et Bituntinus
« Rosarius Ep. Callipolensis i. p. i.
« Antonius O. S. F. Conventualium Ep. Benden.
« Salvator M. Nisio Ep. Amoriensis
« Salvator Archiep. Compsanus
« Valerius Archiep. Salernitanus
« Leopoldus Archiep. Surrentinus
« Fr. Franciscus Archiep. Rheginensis
« Petrus Archiep. Rossannensis
« Franciscus Archiep. Barensis
« Alexius a SS. R. Archiep. Sanctae Severinae
« Aloysius Archiep. Brundusinus
« Camillus Archiep. Consentinus
« Vincentius Archiep. Sipontinus
« Ioseph Archiep. Tarentinus
« Fr. Ioseph Archiep. Hydruntinus
« Aloysius Archiep. Teatinus
« Ioseph Archiep. Tranensis
« Franciscus Archiep. Amalphitanus
« Nicolaus Archiep. Caietanus
« Franciscus Archiep. Lancianensis
« Caietanus Archiep. Melphitensis
« Ioseph Episcopus Nolanus
« Franciscus Ep. Isclanensis
« Hyacinthus Ep. Acerrarum
« Ianuarius Ep. Puteolanus
« Dominicus Ep. Aversanus
« Fr. Hieremias Ep. Iodianus
« Dominicus Ep. S. Agatae Gothorum
« Ioseph Ep. Cavensis et Sarnensis
« Raphaël a SSmo R. Ep. Coad. Muranus
« Franciscus Ep. Abellinensis
« Antonius Ep. Sancti Severi
« Fr. Alexander Ep. Bovinensis
« Dominicus Ep. Dianensis
« Aloysius Ep. Telesinus et Cerretanus
« Antonius Ep. Monopolitanus

« Vincentius Ep. Stabianus
« Michaël Ep. Neritonensis
« Ioseph Ep. S. Angeli de Lombardis et Bisaciensis
« Fridericus Ep. Marsorum
« Vincentius Ep. Thermolarum
« Raphaël Ep. Suessanus
« Fr. Iesualdus Ep. Gellipolitanus
« Franciscus Ep. Arianensis
« Tobias Ep. Valven. et Sulmonensis
« Raphaël Ep. Nucerin. Paganorum
« Raphaël Ep. Catacensis
« Aloysius Ep. Coad. Pennen. et Atrientis
« Ignatius Ep. Melph. et Rapollensis
« Fr. Ianuarius Ep. Ugentinus
« Ioseph Ep. Lucerinus
« Livius Ep. S. Marci et Bisinianensis
« Fr. Hieronymus Ep. Venusinus
« Fr. Michaël Ep. Theramensis
« Fr. Aloysius Ep. Triventinus
« Fr. Aloysius M. Episcopus Cotronensis
« Franciscus Xaverius Ep. Hieracensis
« Franciscus Ep. Larinensis
« Philippus Ep. Miletensis
« Henricus Ep. Casertanus
« Fr. Hyacintus M. Ep. Neocastrensis
« Raphaël Ep. Squillacensis
« Augustus Ep. Conversanensis
« Antonius Ep. Oppidensis
« Ignatius Ep. Aquinat. Soran. et Pontis Curvi
« Fr. Ioseph Antonius Ep. Cariatensis
« Benedictus Ep. Laquedoniensis
« Marianus Ep. Castellanetensis
« Antonius Ep. Asculan. et Ceriniolensis
« Fr. Thoma Ep. Troianus
« Salvator Ep. Liciensis
« Aloysius Ep. Nicot. et Tropien. Coad.
« Philippus Ep. Tit. Nicot. et Tropien.
« Ioseph Ep. Caiacensis
« Franciscus Ep. Boianensis
« Vincentius Ep. Gravinen. et Montis Pelusii
« Ioannes Ep. Nuscanus
« Ioseph M. Ep. Policastrensis
« Petrus Ep. Caputaquen. et Vallensis
« Aloysius M. Pellegrini Praelatus Ordinarius Altamuren. et Acquaviven.
« Nicolaus Abbas Ordinarius Montis Cassini
« Michaël Abbas SSmae Trinit. Caven.
« Antonius Archid. Palumbo Vic. Capit. Acheruntinus
« Salvator Archid. Cafarelli Pro Vic. General. Tricarien.
« *Pro veritate etc.*: Gulielmus Archiep. Neapolitanus ».

480. III. Litterae Emi ac Rmi Cardinalis Archiepiscopi Bononiensis aliorumque Episcoporum:

« Beatissime Pater. Qua nos laetitia perfuderint encyclicae Litterae Sanctitatis tuae ad universi Orbis Episcopos datae "de Philosophia christiana ad mentem sancti Thomae Aquinatis Doctoris Angelici in Scholis catholicis instauranda," tibi, Pater beatissime, quem cordis nostri desiderium non latuit, explicandum relinquimus. Verum postquam gestientis animi sensus palam protulimus, postquam sacerdotes nostros, praesertim Seminarii magistros, Angelici Patris doctrinae iussimus adstipulari, quam insuper pro temporum tempestate vel ipsis laicis enixe commendare non erubuimus, ad Sanctitatem tuam, cum meritis gratiarum actionibus deferre quoque statuimus amplissimas, pro viribus, promissiones, nullis nos unquam laboribus parcituros, ut summi Religionis Antistitis iusta vota optato demum exitu potiantur.

« Sane iamdiu cum lacrymis querebamur, ingentem inter catholicos circa Philosophiam irrepsisse discordiam, in ea videlicet disciplina, quae arctissimis vinculis cum Fide continetur, qua ancipite, Theologiam ipsam, utpote scientiam, labare quadamtenus necesse est, quod ea logicam artem, scientiarum omnium moderatricem, e Philosophiae penu, nemine diffitente, depromat. Accedebant piorum etiam hominum commenta, quae ipsi praepostera Aquinatis interpretatione suffulti (hunc nimirum in Aristotelis et in veritatis alumnum dispertiri consueverunt, armis inter se congredientem) tanquam germana viri sanctissimi cogitata obtrudebant. Animam hominis autumabant non ex se atque intrinsecus rationalem esse, sed ab extrinseco lumine divinitus demisso, quo ens possibile seu commune scilicet "idealitatem" quam vocant, Dei, valeat intueri. Porro propositionem eiusmodi hinc dogmati de anima rationali ex nihilo condita adversari, inde vero ad Ontologismum deflectere, aequissimi iudicii homines pro comperto habuerunt. Praeterea rationalem animam immediate et per se formam humani corporis substantialem inficiabantur, absurdis hypothesibus innixi post Cartesium late insinuatis, de foedere animam inter et corpus ab origine inito, perinde ac si perfecta utrique inesset substantia, adeoque non una, sed multiplex hominis natura censenda. Quem errorem necessario inferri ex negatis materiae et formae principiis in unam rerum materialium essentiam coalescentibus, te, Pater sancte, non fugit, utpote praeter caetera, et studiorum eiusmodi peritissimum. Unitatem insuper atque identitatem τοῦ "esse," tum in reali, tum in ideali ordine positam effinxerunt, ideoque creaturarum "esse" ad divinam essentiam, ceu partes ad totum, ceu radios ad centrum pertinere arbitrati sunt, quod non sine ontologici Pantheismi crimine defendi potest. Quae omnia cum a liquidissimis divi Thomae testimoniis toto coelo discedant, confidimus fore ut

viri ingenua fide praediti, sanctissimo Parenti, quo auctore, quo duce hactenus immerito gloriati sunt, ex animo adhaereant, Sanctitatis tuae paternas equidem sollicitudines docili obsequio rependentes.

« Caeterum, Beatissime Pater, sapientiam Thomae ex eius fontibus potissimum hauriemus, deinde " ex iis rivis, quos ab ipso fonte deductos, adhuc integros et illimes decurrere certa et concors doctorum hominum sententia est: " ab iis vero, " qui exinde fluxisse dicuntur, re autem alienis et non salubribus aquis creverunt, adolescentium animos arcendos omnino curabimus. "

« Quod dum pro nobis proque ephebis praecipue Ecclesiae instituendis ex corde spondemus, ad pedes Beatitudinis tuae humillime provoluti apostolicam benedictionem, in greges nostros uberrime propagandam, flagrantissime postulamus.

« Beatitudinis tuae

« Bononiae, die XXI septembris, MDCCCLXXIX.

« Addictissimi, obsequentissimi Famuli ac Filii

« LUCIDUS MARIA Card. PAROCCHI Bonon. Archiep.
« Aloisius Tesorieri Episcopus Imolensis
« Fr. Angelus Pianori Episc. Faventinus
« Caietanus Episc. Termien. Auxil. et Vicar. gen. Bononiensis ».

481. IV. Litterae Emi ac Rmi Cardinalis Episcopi Veronensis, Rmi Patriarchae Venetiarum aliorumque Episcoporum:

« Beatissime Pater. Quod iampridem receptum in Ecclesia est, inter caeteros Doctores, qui christianam sapientiam via et ratione illustrarunt, magnum sancti Thomae Aquinatis sidus velut solem inter micantes stellas emicare; quod vel ipsa sacrosancta Tridentina Synodus praeclare asseruit cum, positis hinc inde in synodalis aulae altari ante Christi Crucifixi imaginem sacris Bibliis et *Theologica* Aquinatis *Summa*, hanc veluti alteram catholicae Fidei tesseram indigitare quodammodo visa est; illud tibi potissimum, Pater sanctissime, divina Providentia calamitosis hisce diebus solemni tuo oraculo confirmandum merito reservavit. Scilicet oportebat ut qui iamdudum nobilissimus Aquinatis discipulus ingenii acie polles, omnigenae doctrinae ubertate praestas, magni animi coelestia tranquillo oculo intuentis celsitudine commendaris, idem nunc ex isto apostolicae Sedis culmine Doctoris Angelici vindex exsisteres amplissimus. Porro ad teterrima errorum monstra refellenda, quae per offusas superbissimae aetatis tenebras digladiando, catholicae Fidei dogmata rectae hominum rationi adversari vanissime contendunt, maxime congruum erat, ut, inanium systematum reiecta fatuitate, probatissima illa sancti Thomae methodus feliciter excitaretur, quae ad intellectum in obsequium Fidei captivandum

tam apte conducit, atque Fidem rationemque ex eodem divinitus fonte ortas, sororio inter se veluti vinculo contineri, sibique invicem suffragari luculentissime demonstrat. Immortales igitur tibi, Pater sanctissime, gratiae et agendae et habendae sunt pro admirabili illa Encyclica *Aeterni Patris*, quae bonorum plausu undique per Orbem excepta, vel una ad nomen tuum aeternitati commendandum abunde sufficeret. In qua tam erudite, sapienter, diserte de Angelici Magistri doctrina disseris, tam efficaciter ad eam atque ad scholasticam methodum philosophicas theologicasque disciplinas revocas, ut per recens hoc, non minus quam per caetera apostolicae sapientiae in hisce auspicatissimi pontificatus tui initiis edita documenta, lumen vere de coelo effulgescere visum sit. En igitur in exorti huius luminis claritate nos quoque Venetae provinciae Antistites laeti iucundamur: en omnia, quae doces, praecipis, suades, reverenti lubentique animo excipimus; en una tecum laudatae Encyclicae tuae adamussim subscribentes, profitemur, quo philosophicae theologicaeque disciplinae instaurentur et vigeant, studiorum rationem ad Aquinatis doctrinam et methodum esse reducendam atque in id pro viribus, qua late patent pastoralis sollicitudinis nostrae fines, sedulam nos daturos operam firmissime promittimus. Ita Clerus ad praelia Domini praelianda validioribus instructus armis procedet; ita nequissima in hostem tela secure retorquebit, atque in fidelem populum ab errorum contagione servatum purissimos veritatis latices abunde diffundet. O utinam cito fiat, ut unica scientiae christianae ratione restituta, exoptatissimus tandem aliquando dies elucescat, quo Fidei Charitatisque concordia Ecclesia Christi pacificetur, coadunetur atque unum in Orbe terrarum ovile exsistat sub uno Pastore!.

« Haec animorum nostrorum sensa benigno vultu excipias, Beatissime Pater, atque ad pedum tuorum osculum humillime provolutis, nobis gregibusque nostrae curae concreditis benedicere ne dedigneris.

« Datum Venetiis, VIII kalendas novembris MDCCCLXXIX.

« Sanctitatis Tuae

« Addictissimi, obsequentissimi Servi et Filii

« ALOISIUS Card. DE CANOSSA Episcopus Veronensis
« Dominicus Patriarcha Venetiarum, Metropolita
« Fridericus Episcopus Patavinus
« Ioannes Antonius Episcopus Vicentinus
« Fridericus Maria Episcopus Tarvisinus
« Conradinus Maria Episcopus Cenedensis
« Salvator Episcopus Bellunensis et Feltriensis
« Petrus Episcopus Concordiensis
« Fr. Ludovicus Episcopus Clodiensis
« Ioseph Episcopus Adriensis
« Antonius Polin Episc. Milten. Dep. Auxil. Patavii
« Sigismund. Brandolini Episc. Oropae Coad. Cenedae ».

482. V. Litterae Emi ac Rmi Cardinalis Archiepiscopi Ravennatensis aliorumque Episcoporum.

« Beatissime Pater. Iampridem doctis sapientibusque viris in votis erat ut Philosophiae institutio ad male derelicta Scholasticorum Doctorum vestigia revocaretur, multique etiam ad hoc ingenium, laborem, strenuamque operam contulerant, magna quidem cum laude, nec absque uberi studiosae iuventutis fructu. Ast alii quam plurimi alias prorsus terentes vias, philosophicas disciplinas eo adduxerant, ut iam pestiferos errores pro veritate obtruderent, ipsumque " scientiarum Dominum " aspernantes, temerario ausu rationem cum Fide, scientiam cum Revelatione componi haud posse proclamarent. Nec defuere, qui potiusquam luculentis inhaerere christianorum philosophorum vestigiis, maxime vero eorum Principis, Angelici scilicet Doctoris divi Thomae, speciosa amplexati sunt Philosophiae systemata, quae eorum auctores, novitatis forsan studio abrepti, suoque ingenio nimium confisi excogitaverant, et mendicata Ecclesiae Doctorum auctoritate cohonestari praesumpserant, licet revera a genuina ipsorum doctrina toto coelo aberrarent. Hinc perniciosum vel in Scholis catholicis dissidium exortum; institutio philosophica non recta, aut eiusmodi ut nec opportunae propedeuticae ad Theologiae studium esset Ecclesiae alumnis, nec laicam iuventutem iis documentis doctrinisque imbuere posset et communire, quibus errores innumeros naturalium divinarumque scientiarum provinciam invadentes repellere et oppugnare valeret: proindeque magis magisque in dies falsae propagari doctrinae, et exitiales errores quaquaversus diffundi ac dominari, quin opportunum et efficax adhiberetur remedium.

« Perspectum quidem et plane exploratum erat apud sapientes viros, e Philosophia vel male vel leviter tradita repetendas esse magna ex parte pestiferas doctrinas, quas longe lateque disseminatas, et tum scientiis speculativis, tum practicis applicata, divina humanaque omnia pessumdare cernimus exitiumque societati ipsi civili minitari. At consilia, conatus et exemplum privatorum hominum, doctrina licet et sapientia praestantium, erant quidem magnis efferenda laudibus, sed impari vi praedita, ut nedum veri remedii cognitionem mentibus ingerere valerent, at multo minus id consequi ut ubique ac firmiter ipsum adhiberetur, remedium, inquam, quod est verae ac solidae Philosophiae instauratio, duce magno Aquinate. Voce augusta ac omnibus verenda auctoritate pollenti opus erat, voce, inquam, totius catholici Orbis Magistri, divi Petri successoris, sapientis Pontificis, qui modo Christi Ecclesiam regit; voce tua, Beatissime Pater, quae iam pluries in Orbe insonuit, nunc civilitatis matrem et altricem Ecclesiam proclamando, nunc morborum malorumque, quibus corpus sociale laborat ac divexatur, radice et origine detecta, fortiter suaviterque hortando populorum Rectores, ut opportunis remediis tandem manum admoveant, maxime vero oblata Ecclesiae ope ac subsidio alacriter utantur. Quia tamen nunquam fieri poterit ut materialis ordo restituatur, nisi idearum ordo instauretur, tu, sapientia sane coelesti ductus, nuperrime ad purissimos veri rectique fontes revocasti illius scientiae magisterium, quae circa nobilissima isthaec obiecta versatur, per admirandam encyclicam Epistolam *Aeterni Patris,* quae modo in lucem edita iam ubique gentium celebritatem adepta est, praeconiis et plausibus elata tum a viris doctissimis, tum praecipue catholicis Episcopis universis, quaeque minime ambigendum quin Ecclesiae Christi civilique societati uberrimos latura sit fructus.

« Nos equidem, Beatissime Pater, licet fortasse inter ultimos una simul publice ac solemniter tuae voci adhaeremus et plaudimus, non ultimi tamen, immo nemini ex venerabilibus Confratribus nostris Episcopis secundi in hoc erimus, ut nostris in Seminariis (ubi tamen declarare gloriamur magno in honore sapientiam Aquinatis haberi, eaque ut imbuant alumnos satagere Praeceptores) philosophicae aeque ac theologicae disciplinae ad eiusdem Doctoris mentem omnino ac diligentissime tradantur. Pro viribus enim curabimus, ne supposita pro vera, corrupta pro sincera illius doctrina bibatur, ac propterea ut « ex ipsis eius fontibus hauriatur, vel saltem ab iis rivis quos ab ipso fonte deductos adhuc integros et illimes decurrere certa et concors doctorum hominum sententia est ».

« Reliquum est, Beatissime Pater, ut Deus consiliis studiisque tuis ac optime coeptis faveat, eaque ad felicem exitum perducat. Id sane ab ipso vehementer petimus, auspice Beatissima Virgine, in Ecclesiae et totius civilis societatis bonum, tuique ipsius decus ac gloriae coronam.

« Ad sanctissimos pedes tuos provoluti, illos deosculamur, et apostolicam benedictionem nobis, populisque nostris, ac praecipue studiosae iuventuti in spem nostram et Ecclesiae succrescenti imploramus.

« Beatitudinis tuae

« Ravennae, die 28 octobris 1879.

« Humillimi ac obsequentissimi Filii et Famuli

« V. Card. Moretti Admin. Apost. Ravennae et Comacli
« Petrus Paulus Episcopus Foroliviensis
« Paulus Episcopus Caesenae
« Tobias Episcopus Sarsinae
« Camillus Episcopus Brittinorii
« Fridericus Episcopus Cerviensis
« Franciscus Episcopus Ariminensis
« Aloisius Episcopus Comaclensis ».

483. VI. Litterae Emi ac Rmi Card. Episcopi Viterbiensis et Tuscanensis aliorumque Episcoporum :

« Beatissime Pater. Quamvis scientiarum quae experientiae innituntur cultores, de progressu quotidiano in physicis inventis glorientur, Metaphysica tamen, quae caeteris facultatibus ordine, lumine ac extensione praestat, miserrimis hisce temporibus negligitur, et paene oblivione conteritur. Immo loco eiusdem pluribus in scholis systemata illa invaluerunt, quae dum rectae rationi adversantur, iuvenum corda depravant, ac mentium eorundem oculis erroris et confusionis tenebras offundunt.

« Cum autem tot mala opportunum postularent remedium, tu, Beatissime Pater, per admirabiles Litteras encyclicas *Aeterni Patris*, id provide praestitisti: per eas enim nationes doces tutam ac rectam ad sana principia remeandi viam, philosophicas esse disciplinas iuxta methodum ab Angelico Doctore traditam excolendas.

« Episcopi, quibus pars tui gregis in Patrimonio divi Petri concreditur, ea qua par est veneratione et observantia talibus Litteris acceptis, unanimiter et quamlibenter iisdem adhaerent, et sapientissima consilia ac adhortationes Beatitudinis tuae, quoad vires ferent, in Ecclesiae et civilis societatis bonum implere satagent.

« Quae vota dum sincero ex animo depromunt, ut apostolica benedictione roborentur, ad pedes tuos provoluti, humiliter implorant.

« Aloysius Card. Episcopus Viterbien. et Tuscanen.
« Franciscus Episc. Corneti et Centumcellarum
« Conceptus Episc. Aquipendiensis
« Fr. Raphaël Episc. Balneoregiensis
« Dominicus Episc. Civit. Castellanae, Hortae et Gallesii
« Aloysius Episc. Montisfalisci
« Iosephus Maria Episc. Nepesinus et Sutrinus ».

484. VII. Litterae Emi ac Rmi Cardinalis Archiepisc. Westmonasteriensis aliorumque Episcoporum :

« Beatissime Pater. Infrascripti Westmonasteriensis Provinciae Episcopi, ad Episcopi Medioburgensis consecrationem aggregati, occasionem laetanter arripimus Beatitudini tuae ex imo corde gratias agendi pro encyclicis Litteris nuperrime editis de sacra catholicae Philosophiae traditione instauranda. Singula enim Ecclesiae praeterita saecula haeretico aliquo charactere sibi proprio designantur: saeculum autem decimum nonum nulla prorsus speciali haeresi distinctum, omnibus omnino intellectus humani aberrationibus distrahitur. Ratio ipsa hominum scepticismo perculsa, paralysi laborat: attamen dum de sensuum illusionibus et de intellectus fallaciis arroganter conqueritur, de omnium supremae Philosophiae veritatum incertitudine tanquam de absoluta scientia insolenter gloriatur. Nihil scire philosophorum istiusmodi scientia. Hisce igitur diebus nostris non pro Revelationis veritate, sed pro ipsa humanae rationis firmitate dimicandum. Humani generis intellectuale systema, quo omnes lumine naturali conspicuae veritates continentur a pseudo-philosophis in dubium vocatum, in dies evanescit. Ipsa firmamenti lumina obscurantur. Quod Platoni, quod Aristoteli, quod philosophis romanis, quod denique omnibus in omni tempore et in omni regione hominibus meridiana luce clarius videbatur, ab affectata hodierna agnosi reiicitur, et inter humanae mentis idola relegatur. " Eritis sicut dii; " sed dii qui oculos habent et non vident, qui aures habent et non audiunt. Incredula nostri temporis philosophia nihil nisi vera hominis deificatio est. Ab omnibus quae facta sunt eliminata divina Creatoris intelligentia, ecce homo supremum ens, atque suprema, quae omnia contemplatur et gubernat, intelligentia eius.

« Vesaniae istiusmodi remedium, neque in doctrinis theologicis, neque in tribus " Anticyris " reperiendum. De lumine hominum rationi indito, de veritatis omnimodae criteriis adlaborandum. Ad hominis naturam ante redeant, quam ad fidem possint reverti necesse est: sed ad humanae rationis praerogativas, nisi sana mediante Philosophia, nullatenus redeundum. Vulnera ergo decimi noni saeculi, Beatissime Pater, tu medicus peritus scite et humaniter tetigisti, nosque filii et servi tui voce suprema corroborati, ut sanae et sacrae Philosophiae traditio iuxta Angelici Doctoris auctoritatem in omnibus Seminariis, Collegiis et Academiis nostris accuratissime excolatur, omni diligentia omnibusque viribus curabimus. Omnia sanctissimi Natalis festi gaudia tibi exoptantes, humillime benedictionem apostolicam imploramus.

« Beatitudinis tuae

« Humillimi, observantissimi, amantissimi Servi et Filii

« Henricus Eduardus Card. Manning Archiep. Westmonasteriensis,
« Robertus Episc. Loidensis,
« Bernardus Episc. Liverpolitanus,
« Eduardus Episc. Nottinghamiensis,
« Riccardus Episc. Medioburgensis,

« Medioburgae, in festo Exspectationis Partus B. V. Mariae 1879 ».

485. VIII. Litterae Emi ac Rmi Cardinalis Newman:

« Beatissimo Padre. Spero di non esser importuno alla vostra Santità nell'esprimere la riconoscenza profondissima che sentiamo tutti della Lettera enciclica, così opportuna, e di tanta importanza, che si è degnato indirizzarci.

« I buoni Cattolici tutti sentono che è cosa di primiera necessità di stabilire sopra principii larghi e saldi i progressi intellettuali, senza i quali non potrebbe la santa Chiesa compire perfettamente la sua missione soprannaturale. Tutte le ricerche dei Teologi, tutte le dimostrazioni dei controversisti, tutte le istruzioni dei Pastori s'innestano nella vera tradizione filosofica cattolica, e sono in sostanza conformi alla dottrina di sant'Atanasio, di sant'Agostino, di sant'Anselmo, di san Tommaso, come sono concordi fra sè questi grandissimi Dottori. In questo nostro secolo, in cui si vede tanta coltivazione della mente, tanta agitazione e tanto eccitamento dell'intelletto, tante speculazioni, o vere o false, e per conseguenza, tentazioni tanto grandi d'oltrepassare i limiti dell'antico sentiero, vi abbisognava appunto ciò che la vostra Santità nella vostra Lettera enciclica si è degnato provvederci.

« Bacio i ssmi piedi, implorando la sua paterna benedizione.

« Dall'Oratorio di San Filippo Neri, ai 14 di dicembre 1879.

« Di Vostra Santità

« Umilissimo, devotissimo, obbligatissimo
« Servitore e Creatura
GIOVANNI E. Cardinale NEWMAN.

486. IX. Litterae Emi ac Rmi Cardinalis Archiepisc. Neo-Eboracensis aliorumque Episcoporum:

« Beatissime Pater. Litteras tuas, mense augusto superioris anni datas, non sine maxima animi laetitia perlegimus. Iis enim, quod iampridem bonorum omnium vota postulabant, Episcopos hortaris ac mones ut Clericorum aliorumque doctorum virorum in theologicis ac philosophicis disciplinis ad divi Thomae normam tradendis studium excitent, atque auream sanctissimi huius Magistri doctrinam, sicubi neglecta fuerit, revocandam ac restituendam, et quam latissime propagandam curent. Quod non solum maximas Ecclesiae utilitates pariet, sed etiam scientiis omnibus quotquot apud homines excoluntur haud parum profuturum esse arbitramur. Omnes enim arctissimo quodam inter se vinculo colligantur, neque sine rectae Philosophiae principiis atque usu satis intelligi aut apte doceri possunt. Quamobrem, si saperent suaeque mentis essent, tibi gratias et haberent et agerent maximas etiam illi homines qui, neglecto rerum divinarum studio, iis potissimum scientiis quae ex naturae pervestigatione humanoque ingenio hauriuntur, sese totos tradiderunt. Certissimam enim viam et rationem etiam ipsis ostendisti, qua una veros optabilesque progressus humana quoque scientia sit habitura.

« Nos vero, Beatissime Pater, qui Principis Apostolorum haeredem ac summum Fidei Magistrum in te veneramur, cum Litteras tuas pervolveremus, non solum vim ac gravitatem orationis tuae, qualis profecto Petrum in monendis atque erudiendis fratribus decet, admirati sumus; sed etiam singularem providentiam sapientissimumque consilium quod in iisdem Litteris elucet. Perspexisti enim et dilucide docuisti ingruentibus undique erroribus occurri omnino non posse, nisi denuo ad veterem philosophandi normam Catholicorum Scholae dirigantur. Sane, quod ipse, Beatissime Pater, sapientissime commemorasti, ex quo homines petulanti ingenio effrenisque in disputando licentiae cupidi vetera Patrum instituta ducemque tutissimum Doctorem Angelicum deseruerunt, dici vix potest quam multa ac teterrima errorum monstra quasi agmine facto in philosophorum scholas irruperint. Hinc oppugnari ac labefactari doctrinae praeteritorum saeculorum, non eae tantum quae captum rationis excedunt quasque nobis Deus per Filium suum sponte revelaverat, sed illae quoque quae apud omnes etiam barbaros vigent, quas ratio ipsa avide excipit comprobatque, quae denique in omnium animis ita inhaerent, ut eas vel natura quasi inditas habeamus, vel pene cum lacte nutricis hausisse videamur.

« Atque huius quidem miserrimae rerum conditionis, Beatissime Pater, quod non sine lacrymis fateri cogimur, exempla domestica non desunt. Cum enim apud eos qui in hac regione maximo catholicae unitatis beneficio infeliciter carent, Philosophia aut fere nulla aut omnino perversa ratione pertractetur, plurimos videre licet qui in dies prima illa religionis ac morum principia dediscunt, quae vel feri ac silvestres homines natura duce agnoscunt. Pauci quidem adhuc sunt, quod uni clementissimi Dei misericordiae acceptum referimus, qui impietatem hanc suam in vulgus propalare aliosque docere audeant. Sed valde urget nos timor, ne horum numerus paulatim augeatur. Dum hoc vident, dolent animoque anguntur caeteri qui a scelere impietatis in Deum morumque corruptela abhorrent. Sed nullum, eheu! habet in sua aut religione aut philosophia tanti mali remedium. Immo licentiae et impietati haud obscure patrocinantur ea ipsa principia, quibus utrique adversus Ecclesiam Dei et catholicam veritatem tueri se solent. Utinam Petrum apostolorum Principem lapidemque christianae veritatis angularem, in te, Beatissime Pater, loquentem et docentem audire vellent! Secus enim in arcendo errore inermes perpetuo sint oportet. Neque unquam certis argumentis potientur quibus, quasi validissimis telis, Dei humanaeque societatis hostium crescentem in dies audaciam et furorem retundant.

Quod autem ad nos attinet, Beatissime Pater, promittimus nos omni quo possumus studio tuis hortatibus obsecundaturos. Iam quidem plurimis in scholis apud nos praeclara divi Thomae volumina eam obtinuere

auctoritatem, ut ad ea quasi normam doctores omnia exigant discipulisque tradant. Curabimus vero, iuvante Deo, ut nulla sit in posterum nostrarum dioeceseon Schola, nullum Seminarium ad iuvenes in disciplinis philosophicis et theologicis instituendos, in quo divi Thomae doctrina, non ex rivulis sed ex ipso fonte derivata non plenissime imbuantur.

« Gratulamur igitur tibi, Leo Pontifex maxime, quod antecessorum tuorum vestigiis insistens gravissimis ac magnificentissimis verbis Thomam Aquinatem, sanctissimum ac doctissimum virum, in pristinum honorem revocasti, atque adeo tam Philosophiae quam Theologiae catholicae, immo etiam scientiarum omnium profectui et augmento sapienter consuluisti. Iterumque pollicemur nos monitis et hortamentis tuis hac in re nullo unquam tempore defuturos.

« Quod pium voluntatis nostrae propositum ut ratum habeas tuaque apostolica benedictione benigne confirmes enixe obsecramus.

« Sanctitatis tuae addictissimi obsequentissimi Servi et Filii

« IOANNES Card. Mac CLOSKEY Archiep. Neo-Eboracensis
« Ioannes Iosephus, Archiep. Bostoniensis
« Iacobus Fridericus, Archiep. Philadelphien.

« E Provincia Neo-Eboracensi:

« Ioannes Loughlin, Episc. Brooklynensis
« Bernardus, Episc. Roffensis
« Stephanus Vincentius, Episc. Buffalensis
« Franciscus, Episc. Albanensis
« Edgarus P. Wadhams, Episc. Ogdensburgensis
« Michaël Augustinus, Episc. Novarcensis

« E Provincia Bostoniensi:

« Patricius I. O'Reilly, Episc. Campifontis
« Thomas F. Hendricken, Episc. Providentiae
« Iacobus Augustinus, Episc. Postlanden.
« Laurentius S. M. Mahon, Episc. Hastfordiensis
« Thomas Lynch Vic. Gen. Adm. Burlingtonensis, absente Episc.

« E Provincia Philadelphiensi:

« Guillelmus O'Hara, Episc. Scrantoniensis
« Ieremias F. Shanahan, Episc. Harrisburgensis
« Tobias Mullen, Episc. Eriensis
« Ioannes Zuigg, Episc. Pittsburgensis et Administr. Alleganensis

« Neo-Eboraci, die 20 februarii anno 1880 ».

487. X. Litterae Emi ac Rmi Cardinalis Guibert Archiepisc. Parisiensis:

« Très Saint Père. Je n'ai point encore exprimé à votre Sainteté les sentiments de sincère admiration et de profonde gratitude avec lesquels j'ai lu et recueilli les enseignements contenus dans la Lettre encyclique *Aeterni Patris* du 4 août de la présente année. J'avais eu la pensée de proposer aux vénérables Prélats qui se sont unis à moi pour la fondation de l'Université Catholique de Paris, d'adresser à votre Sainteté notre commune adhésion, dans la première Assemblée, qui aurait lieu. Mais déjà plusieurs d'entre eux se sont empressés, par des lettres particulières, d'exprimer à votre Sainteté avec quelle filiale soumission ils veulent suivre la direction tracée par l'Encyclique dans les études philosophiques et théologiques.

« Je veux, très saint Père, à l'occasion des saintes fêtes de Noël, apporter avec mes vœux le même témoignage d'affectueuse obéissance aux pieds de votre Sainteté.

« Au milieu du mouvement scientifique qui agite les esprits dans cette grande capitale, je sens plus qu'un autre le prix que nous devons attacher à la direction forte et sûre que votre sagesse apostolique imprime aux travaux de l'intelligence. Aussi suis-je heureux de dire à votre Sainteté que nous avions en quelque sorte prévenu ses désirs en ce qui concerne l'enseignement de la Philosophie dans le Séminaire de la Compagnie de Saint-Sulpice, qui est en même temps mon Séminaire diocésain.

« Abandonnant les ouvrages, qui tout en gardant la forme scolastique, n'avaient pas conservé les doctrines de saint Thomas, les Professeurs ont repris et mis entre les mains des élèves les auteurs qui ont suivi avec le plus de fidélité les traditions et la méthode de l'Ange de l'Ecole.

« C'est le même esprit qui a présidé à la fondation de notre Université catholique.

« L'Encyclique *Aeterni Patris* nomme aux premiers rangs, parmi les grandes écoles du moyen-âge, l'antique et célèbre Université de Paris, qui eut la gloire de compter saint Thomas parmi ses Professeurs. En voyant croître l'humble Ecole que nous avons fondée, il y a quatre ans, nos cœurs ressentent quelque chose qui ressemble aux sentiments des Israëlites lorsque, au retour de la captivité, ils jetaient les fondements du nouveau Temple. Ils se réjouissaient dans l'espérance des bénédictions que Dieu devait répandre dans le saint édifice, mais ils ne pouvaient se défendre d'une vive douleur en se souvenant de la gloire du premier Temple, que le nouveau était loin d'égaler. Nous éprouvons la même joie et les mêmes regrets.

« Et cependant, très saint Père, nous avons commencé avec courage.

Après la bienheureuse Vierge Marie, que nous avons choisie pour Patronne de notre Université, après saint Pierre, que nous avons voulu avoir pour Protecteur afin de témoigner de notre compłète soumission au Vicaire de Jésus-Christ, nous avons mis sous la protection spéciale de saint Thomas l'Ecole des sciences théologiques et philosophiques.

« Depuis deux ans, cette Ecole donne l'enseignement plus approfondi de la Théologie dogmatique, de l'Ecriture sainte, de l'Histoire de l'Eglise. Nous n'avons rien négligé pour que les leçons soient données d'après la doctrine de saint Thomas et la méthode scolastique.

« De plus, chaque semaine a lieu, sous le titre d'Académie de Saint-Thomas, une conférence, à laquelle le Clergé de Paris est invité. On y expose les enseignements du grand Docteur sur les questions principales de la science théologique.

« Les Statuts de notre Université, déposés à la Sacrée Congrégation des Etudes, montrent assez que nous voulons réaliser la pensée de votre Sainteté pour l'enseignement de la Philosophie, en y rattachant par une juste subordination les Sciences physiques, cultivées de nos jours avec tant d'ardeur. Notre plus vif désir est que sous ce rapport notre Université s'applique à rétablir entre la Foi et la Science cette harmonie qui a fait l'honneur de nos écoles du moyen-âge.

« Je suis entré dans ces détails, très saint Père, pour assurer votre Sainteté que nous suivrons toujours et en toutes choses vos enseignements. Daignez nous bénir, nous avertir, nous diriger toujours. La semence que nous répandons aujourd'hui au milieu de tant de difficultés et des sollicitudes quotidiennes produira, je l'espère, dans l'avenir une riche moisson pour la gloire de notre divin Maître et pour le salut des âmes.

« Que votre Sainteté me permette de lui demander une bénédiction particulière pour moi, qui suis averti par mon grand âge du compte que j'aurai bientôt à rendre à Dieu, et qu'Elle daigne agréer l'hommage du profond respect et de l'entier dévouement, avec lequel je suis

« Paris le 22 décembre 1879.

« De votre Sainteté

« Le très humble et obéissant Serviteur et Fils

« I. Hipp. Cardinal Guibert Arch. de Paris ».

488. XI. Litterae Emi ac Rmi Card. Donnet Archiepiscopi Burdigalensis:

« Très saint Père. J'ai lu attentivement et patiemment medité la mémorable Encyclique *Aeterni Patris*, que votre Sainteté donnait naguère

au monde. Ce monument d'un zèle que la sollicitude de toutes les Eglises ne décourage pas et qui sait, au milieu d'un débordement d'occupations accablant pour la nature, trouver le temps d'écrire, dans le style des grands apologistes, des pages immortelles, demeurera comme un phare allumé, au milieu des ténèbres qui nous entourent, pour montrer le chemin de la verité à ceux qui la cherchent avec sincérité et amour.

« Du sommet où la divine Providence, dans un dessein de miséricorde sur son Eglise, vous a placé, il y aura bientôt deux ans, votre Sainteté a parcouru, d'un regard, la voie suivie par l'intelligence humaine, depuis qu'elle a fait divorce avec la Foi, et Elle a jeté un cri d'alarme. Il n'y a pas de milieu: ou il faut que la Philosophie rebrousse chemin et entre de nouveau dans le sentier qui la doit conduire à la Foi, ou il faut qu'elle cesse d'exister. Sa mission, sa gloire et son honneur sont de mener l'homme des vérités que la raison découvre à ces autres vérités d'un ordre supérieur que Dieu nous a révélées et dont la Philosophie véritable peut admirer les harmonies, avec tout ce qui est incontestablement beau et vrai.

« " De claritate in claritatem „ voilà la devise de la Philosophie chrétienne si éloquemment préconisée par votre Sainteté. De même qu'avec la lumière qu'elle procure, l'homme, par des ascensions sagement ménagées, monte jusqu'aux sommets éclairés par Dieu lui-même et acquiert, pour le bien commun et le bonheur de ses semblables, toutes les perfections compatibles avec sa nature, de même, sans cette lumière, il descend et déchoit chaque jour. Le poids de son infirmité l'entraînant, bientôt il ne marche plus, il se précipite; un abîme appelle un autre abîme, et, à la fin, pendant que la vérité, la dignité, la vertu subissent une éclipse totale, la société elle-même, comme cela se voit aujourd'hui, se trouve à la veille de périr.

« Oh! soyez béni, très saint Père, d'avoir fait entendre un si solennel avertissement. Ceux qui savaient déjà les dangers que court le monde, les connaissent mieux aujourd'hui. A l'éclair qui a jailli de votre parole, ils ont pu mesurer les effrayantes profondeurs où nous sommes descendus et celles où nous pouvons descendre encore. Ceux qui ont mis leur confiance dans les systèmes changeants qui tour à tour ont exercé leur funeste influence sur l'esprit humain, ont été saisis d'étonnement. S'ils ne sont pas tous convertis, ils ont été frappés de la lumineuse clarté de vos enseignements et touchés de la noble et légitime part que votre Sainteté fait à la Philosophie.

« Chose étrange! Pendant que la raison pure est arrivée, de négation en négation, à ne plus croire qu'au fait tangible, au chiffre brutal, à l'expérience scientifique, que tout ce qui est Philosophie ou Métaphy-

sique est traité de chimère, qu'il n'y a plus que la matière à étudier et à analyser, la religion prend en mains la défense de l'intelligence, lui rappelle sa noblesse, lui montre les vastes horizons ouverts aux investigations de la sagesse naturelle et l'excite ensuite à s'élancer dans le champ sans limites des vérités révélées.

« Qui eût pu prévoir un pareil retour des choses, lorsqu'il y a plus de trois siècles la Philosophie, se séparant de la Foi, abandonna, sous prétexte de routine scolastique, les méthodes acceptées et les voies pratiquées par le génie, et où l'Ange de l'Ecole attendait l'intelligence chrétienne pour la conduire à la Foi? Qui eût pu présumer, lorsque les sciences expérimentales, il y a un siècle, se mettaient en campagne pour prendre en défaut l'enseignement révélé, qu'elles n'aboutiraient qu'à la constatation de leur propre impuissance, et que Thomas d'Aquin, en qui se résume si admirablement la Philosophie catholique, se trouverait avoir parlé plus sûrement qu'elles sur la matière, la forme substantielle, l'essence et la composition des corps et surtout le composé humain? C'est bien le cas de s'écrier ici, avec la Sagesse increée: " O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius."

« Il vous appartenait, très saint Père, de constater le résultat des vaines agitations de la pensée humaine d'une part, et, d'autre part, la victoire remportée par la Philosophie catholique, victoire qui n'est que le prélude de celles qu'elle doit remporter encore. Il nous appartient, à nous, Pasteurs des peuples, d'entrer dans les vues de votre Sainteté, en mettant de plus en plus en honneur, dans nos Ecoles, nos Collèges et nos Séminaires, la méthode et la doctrine philosophique de saint Thomas. Là, en effet, se trouvent la virilité de l'intelligence, la véritable préparation à la Foi, la sécurité des âmes, la force de l'Eglise et l'avenir de la société. Saint Thomas est le grand maître; sa *Somme Théologique*, en particulier, est une citadelle, " Turris fortitudinis, " où la vérité a trouvé un asile inexpugnable. Là sont entassées des armes pour tous les combats: " Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium." Pourquoi donc l'enseignement catholique a-t-il abandonné, pendant trop longtemps, une position comme celle-là, d'où il dominait tous les champs de bataille possibles, d'où il commandait toutes les avenues, d'où il pouvait semer si aisément la mort dans les rangs de ses ennemis?

« Grâce à vous, très saint Père, l'Eglise va reprendre possession de ses avantages. La citadelle élevée par Thomas d'Aquin pour défendre les abords de la Cité sainte, va être réoccupée. Quelques-uns s'y étaient déjà établis et y faisaient briller leur courage, mais l'armée n'y était pas. Elle y sera désormais, et c'est de là qu'elle se précipitera sur l'ennemi,

pour le mettre en déroute. La victoire est certaine, mais le mérite en reviendra à votre Sainteté.

« En finissant, très saint Père, permettez-moi de me réjouir de ce que, à l'apparition de l'Encyclique *Aeterni Patris*, a répondu immédiatement un admirable travail de l'Archevêque de Perga, mon bien-aimé Coadjuteur, sur *L'homme, sa nature, son âme, ses facultés et sa fin, d'après la doctrine de saint Thomas*. Cet ouvrage, que votre Sainteté connaît et apprécie, puisqu'Elle a bien voulu répondre à l'envoi qui lui en a été fait par la lettre la plus flatteuse, est une gloire pour mon Diocèse. Il a été accueilli avec la plus grande faveur, et rendra à la cause dont votre Sainteté a pris la défense, d'incontestables services. Ce n'est pas tout de savoir où se trouve un trésor, il faut de plus en avoir la clé. Or pour me servir d'une parole dite ces jours derniers, le livre sur *L'homme, sa nature et sa fin* est cette clé et une clé de l'or le plus pur.

« Je laisse, très saint Père, à Monseigneur de Perga le mérite considérable de ses études et de ses investigations philosophiques; mais j'en veux triompher aussi, parce que le livre en question a été une cause de joie pour votre Sainteté et demeurera un éternel honneur pour l'Eglise de Bordeaux.

« Prosterné à vos pieds, très saint Père, j'implore, pour mon Diocèse et pour moi, la bénédiction apostolique et je vous prie de me croire toujours

« Bordeaux, le 11 novembre 1875, fête de saint Martin de Tour.

« Très saint Père, de votre Sainteté

« Le très humble et très dévot Fils

« FERDINAND Card. DONNET Arch. de Bordeaux ».

§ II.

LITTERAE REVERENDISSIMORUM PATRIARCHARUM ET ARCHIEPISCOPORUM.

489. I. Litterae Rmi Patriarchae Antiochiae ac totius Orientis:

« Beatissime Pater. Aurea, quam de christiana Philosophia in Scholis catholicis iuxta Angelici Doctoris doctrinam instauranda, nuper edidisti *Aeterni Patris* Encyclica, magnum omnibus veritatem diligentibus attulit

gaudium, atque omnes, qui sana mente, et sine falsis praeconceptis ideis, illam considerant, nequeunt non agnoscere ipsam ceu a Patre luminum inspiratam prodiisse, et temporibus hisce nostris peropportunam se obtulisse. Intellectualis namque corruptio, quae magna ex parte, a defectu recti ordinis in philosophicis disciplinis tradendis, in hoc saeculo hominum mentes pervasit, immutabiles veri ac iusti notiones ita obnubilavit, ut veritas et iustitia veluti peregrinae in terris a plerisque despicerentur. Ad has autem Orientales plagas quod spectat, testes sumus varios Novatorum errores, qui in Occidente iamdiu invaluerant, maiori quidem impetu ad incautas mentes novitatum illecebris seducendas et sua caligine pedetentim involvendas, novissimis hisce diebus huc irrumpere coepisse. Tempus utique aderat ut vox clamantis audiretur in deserto, et viam veritatis in solitudine demonstraret. Hominum enim societas, tanti sui discriminis conscia, opportunum expetebat auxilium, planamque ac securam ad salutem exposcebat viam, nec ad alium clamare, neque in alium in terris convertere poterat oculos, nisi in eum, qui, divina disponente Providentia, super veritatis sedens Cathedram, lumen mundo afferre est praenuntiatus, Vicarius Christi, de quo praedixit Isaias dicens, capite LX: " Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui." Ad te procul dubio, Beatissime Pater, universalem christianorum Magistrum, atque infallibilem catholicae Ecclesiae Doctorem, oculos et animos dirigebant omnes veritatis amatores, tot malorum remedium a te exspectantes. Tu autem, sapientissime Pontifex, exspectationem omnium plane vicisti, admirandam ac perpetua veneratione dignam promulgando Encyclicam, qua veritatis viam, inter diversas errorum semitas, planam, tutam et luce clariore perfusam palam ostendisti. Doctoris quippe Angelici doctrina, quam in normam christianae Philosophiae constituisti, excelsi luminis radios, qui per sapientum dicta et scripta diffusi inveniuntur, coalescentes in unum veluti centrum, fatentibus ipsis eiusdem detractoribus, miro quodam ordine comprehendit. Quam autem opportune haec tua venerit dispositio, iam fremitus insipientium et plausus eorum qui veritatem diligunt plane demonstrat. Oriens vero, antiquorum philosophorum patria, non poterat in tanta contentione anceps manere, sed communi bonorum laetitia et plausu resonans, in illis, in quibus catholica Fides praevalet partibus, summopere gaudere videtur antiquam sanamque Philosophiam ad pristinum decus, te auspice, restitui. Imprimis gens nostra Maronitica, quae tota catholicae Fidei semper tenacissima, quodlibet Romanae Sedis oraculum, ceu divinum veritatis nuncium quovis tempore venerata est, atque nunquam a recto huiusmodi tramite declinavit, vocem tuam, summe ac bone Pastor, docilis hic ovium grex audire atque alacriter sequi pro maxima gloria habuit, votaque Deo persolvit ut incolumem diu Sanctitati tuae vitam, ad maiorem Ecclesiae bonum, elargiri dignetur. Ad me denique quod attinet, omnibus et singulis sententiis tuis, in praestantissima illa Encyclica expressis ex animo iam adhaesisse et constanter adhaerere profiteor, ideoque, ubi primum eandem excepi, statim illis qui meae iurisdictioni subsunt, Collegiorum moderatoribus ac praeceptoribus mandavi, ut dehinc Philosophiae studium ad mentem sancti Thomae fideliter conformarent: atque nunc meo et Episcoporum meorum nomine declaro omnes nos tuis consiliis inhaerentes, semper, et quantum in nobis est, curaturos ut philosophica sancti Thomae doctrina in Collegiis nostris tradatur, et quemadmodum recte edixisti, " ex ipsis eiusdem fontibus hauriatur, vel etiam ex iis rivis quos ab ipso fonte deductos adhuc integros et illimes decurrere certa et concors doctorum hominum sententia est; " simul adprecantes Deum ut optatos tuae dispositionis fructus, catholicae nempe Fidei tutelam et decus, societatis bonum et scientiarum omnium incrementum, pro votis evenire, te vivente et gaudente concedere dignetur.

« Interim apostolicam benedictionem a paterna benignitate tua, pro me, meis Episcopis, meoque Clero et populo Maronitico humillime atque instanter imploro.

« Sanctitatis tuae

« In Monte Libano, die 23 decembris, anno Domini 1879.

« Addictissimus et obsequentissimus Famulus et Filius

« PAULUS PETRUS Patriarcha Antiochiae ac totius Orientis ».

490. II. Litterae Rmi Patriarchae Alexandrini, Archiepisc. Carthaginensis, Epis. Papiensis aliorumque Ecclesiasticorum Virorum:

« Beatissime Pater. Dum ex omnibus Europae regionibus catholicarum ephemeridum scriptores aliique non pauci scientiarum cultores ad pedes tuos convolant, ut ea die quam Ecclesia Angelici Doctoris laudibus concinendis ac praesidio invocando dicat, Sanctitati tuae suos grati animi sensus solemniter proferant pro sapientissimo consilio, quo per miram *Aeterni Patris* Encyclicam ad divi Thomae, scholasticorum Principis, philosophica dictamina sequenda mundum revocare aggressa est, fas minime esset ut qui libellis statis temporibus evulgandis utcumque operam navant *Scholae catholicae* titulum in fronte gerentibus, ab eo conventu abstinerent, ubi maxime erga germanam catholicam doctrinam studium enitebit, omnesque impensae huius erga saniores philosophicas disciplinas propensionis assertores veluti consociato coram Beatitudine tua foedere se mutuo devincient ad eas alacrius in dies fovendas, tuendas, promovendas. Equidem non ita pagellas nostras a *Schola catholica* inscribere

arbitrati sumus, quasi ipsi omnibus nos praeberemus purissimae catholicae doctrinae tam in philosophicis quam in theologicis disciplinis magistros; sed ut mentem nostram et studia proderemus in nostris lucubrationibus eas amplectendi, evolvendi ac firmandi sententias, quae catholicae traditioni, " catholico " qui dicitur " sensui," ac praesertim sanctae Sedis oraculis in iis etiam quae infallibilibus Ecclesiae decretis nondum definita essent, pressius congruere viderentur. Unde per se liquet nostram *Scholam catholicam* scholasticos Philosophos ac Theologos, a quibus nomen est mutuata, suos iam ab initio duces constituisse atque patronos, ac prae primis illum utriusque scientiae nitidissimum solem Thomam Aquinatem. Ideo ex quo Sanctitas tua ad scholasticas disciplinas, veluti ad labentis societatis columen, caecutientia ingenia revocavit, et Thomae volumina sana mente digesta ut saluberrimae sapientiae thesauros, ad Praedecessorum exemplum, oblivioso mundo iterum commonstravit, mirum quantum prae laetitia gestiat animus noster, et incoeptis firmius insistere constituerit. Quare si quos gratias Sanctitati tuae agendi pro tanto munere officium urgebat, si quos ad pedes tuos se prosternendi necessitas impellebat ut sua nunquam retractanda panderent vota omnes ingenii sui vires sedulo impendendi ut viam persequantur sapientissimis tuis monitis stratam, id potissimum nobis obtigit, atque implere per hanc nostrorum sensuum declarationem libentissime pergimus, simulque per eum qui singulari tuae clementiae gratia nuper insignitus, ipsam nostrum omnium nomine ante pedes tuos humiliter ponet.

« Igitur dum ipsi Thomam suspicimus ac veneramur ut illum qui, iuxta cardinalem Caietanum, " doctores sacros quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est; "[1] ut illum cuius doctrina, teste pontifice Urbano IV, " catholica [est], veridica atque admiranda," ac de qua Clemens VI edixit: " Nunquam qui eam tenuit invenitur a veritatis tramite deviasse, et qui eam impugnaverit, semper fuit de veritate suspectus; " sanctus vero Pius V testatus est per eam haereses victas atque confusas ut nebulam dispergi, et Orbem universum ab errorum peste indesinenter servari: ab illis eius interpretationibus recentius excogitatis refugimus, quibus ipse Thomas patronus asseritur placiti de idea entis nobis innata, cui et aliae sententiae consociantur, quae animae humanae unitatem ac simplicitatem, absolutam a divina natura distinctionem, in singulis hominibus singularitatem, individualem immortalitatem in discrimen adducunt.

« Velit autem Sanctitas tua haec proposita nostra, quae menti tuae atque Episcoporum sensibus consona nobis videntur, apostolica benedic-

[1] In IIam-IIae, q. 148. a. 4.

tione firmare, quam ad pedes tuos provoluti maxima veneratione efflagitamus.

« Beatitudinis tuae

« Mediolani, mense ineunte martio, 1880.

« Humillimi, obsequentissimi, addictissimi Filii ac Famuli

« Paulus Angelus Ballerini, Patriarcha Alexandrinus R. L.

« Petrus Rota, Archiep. Carthaginensis

« Augustinus Caietanus Riboldi, Episc. Papiensis. »

Sequuntur plures virorum ecclesiasticorum, et quorundam laicorum subscriptiones.

491. III. Litterae Rmi Patriarchae Venetiarum:

« Beatissime Pater. Quod iampridem a praestantissimis viris pluries audieram, valde interesse ut, systematibus quae difficultates ingeminant posthabitis, magni Aquinatis doctrina ad sophismata perstringenda erroresque nervose retorquendos perquam aptissima in Scholas induceretur, ipsemet expertus sum. Et sane quum, Clodiensis Seminarii dogmaticae Theologiae lectore praerepto, eam provinciam, auspice Pii fel. rec. PP. IX benedictione, pertractandam susciperem, alumnos praeambula quasi exercitatione ad Institutiones philosophicas in annum recolendas adducere utilissimum reputavi; quapropter lectiones ad caeterarum scientiarum studium accommodatas, auctore praeclarissimo P. Ioanne Maria Cornoldi S. I., qui Angelici Doctoris vestigiis presse inhaeret, alumnis tradere curavi. Quanta vero animi voluptate affectus sim, quum subtiles adeo quaestiones tam dilucida methodo explanatas pervolverem, quanta non modo discipulorum verum etiam mea utilitate id fecerim, lectiones illas ex italico in latinum sermonem vertens, vix dicendo parem esse me sentio. Propositum finem assecutus, opus per me susceptum perpetuae oblivioni addixeram, at insignis auctoris votis indulgens, versionem ipsam praelo committi non renui, quum tamen ad hoc me potissimum, lubenter fateor, allexerit, quod anno superiore te coram veneratus, ex ore tuo didicerim te firmiter constituisse et velle ut philosophica doctrina ad mentem sancti Thomae, per quam errores qui lumen rationis obnubilant, moresque passim depravant, potentissime refelluntur, in scholis tradatur. Quapropter obsequentissimi filii officium ratus Patris vota pro viribus explere, opus cui auctoritatem et firmamentum tuo suffragio ipse adiunxeras, in studiosae iuventutis commodum evulgari non dubitavi, quin immo gavisus sum. Quod autem gestienti animo ex ore tuo acceperam, modo per sapientissimam tuam Encyclicam *Aeterni Patris*, Orbi catholico innotescit. Verba prorsus sibi deesse sentit, Beatissime Pater, quicumque recens istud sapientiae tuae monumentum dignis laudibus prosequi aggrediatur, quatenus penes omnes compertum sit de proposita a te Scholastica studiorum ratione te adeo sapienter ac erudite disseruisse, ut

nihil amplius sit quod desiderari possit. Mihi autem summopere gaudeo quod paucis abhinc mensibus versionis per me elaboratae exemplar accipere non sis dedignatus, in cuius quidem praefatione quidquid de hac re sentirem candide exposui; unde nullis profecto meritis meis, sed divinae unius Providentiae dispositione factum est ut summas illas laudes quas tibi omnes communiter tribuunt propter huiusmodi coeptum, quod vel unum abunde sufficeret ad nomen tuum immortalitate donandum, antevenire mihi licuerit. Nemo profecto mirabitur te huiusmodi studiorum rationem in tanto pretio habere, si vel leviter consideret eorum Principem ac Ducem Angelicum Doctorem exstitisse, qui in firmamento Ecclesiae tanquam sol inter stellas elucens, universum Orbem sapientiae suae radiis collustravit; nihil enim ex humanae rationis thesauro, aut divinae Revelationis fonte tam sublime et arduum, tam subtile et acutum haurire est, quod vir ille maximus ad veritatem vel illustrandam vel tuendam omni ex parte comprehendere, dilucide exponere, sapienterque enodare non valuerit. Haec insuper quicumque mente revolvat, aequum omnino fatebitur, ut quae olim philosophica ac theologica disciplina coelesti lumine perfusa, atque omni pulchritudine, honore et gloria per Aquinatem ornata resplenduit, et immaculatam Christi Sponsam ab haereticorum telis defendere eiusque imperium nullo non tempore amplificare valuit, eadem, hac potissimum aetate, qua scelestissimi et haeretici homines Fidem et mores iniquo conatu aggrediuntur, in suas sedes novis meritis collustranda novisque coronis augenda restitueretur. Sed iam satis de huiusmodi praestantissima ac sublimi studiorum ratione: superest nunc ut maximas grati animi significationes tibi exhibeam ob tam insigne et singulare beneficium, quod in rem omnem litterariam ad utriusque Reipublicae utilitatem contulisti; insuper quod per tuas Literas cum Episcopis tum universo clericorum coetui ardentissimos scientiae stimulos addas, eamque simul viam sternas atque munias, qua ad perlucidos verae sapientiae fontes accedere vel facillime possumus. Te insuper etiam atque etiam rogo, Beatissime Pater, ut has litteras in signum excipias singularis meae erga te reverentiae quam profiteor, non modo quatenus ut Vicarius Christi Dominicum gregem imperio regas, sed etiam quatenus te Pastorem et Patrem amantissimum numeris omnibus absolutum exhibeas. Memor denique illius benevolentiae qua praesentem afficere voluisti me tuo patrocinio fidens commendo; et ad tuae Sanctitatis pedes humillime provolutus, apostolicam benedictionem mihi et gregi sollicitudini meae concredito enixe imploro.

« Sanctitatis tuae

« Obsequentissimus, addictissimus, humillimus Filius

« Dominicus Agostini Patriarcha Venetiarum.

« Venetiis, pridie kalendas novembris 1879 ».

492. IV. Litterae Rmi Patriarchae Ciliciae Armenorum:

« Beatissimo Padre. Ricevuta l'augusta Enciclica di vostra Santità del 4 agosto p. p. *Aeterni Patris Unigenitus Filius*, m'era fatto un dovere di esprimere umilmente all'eminentissimo Sig. Card. Prefetto della Sacra Congregatione di Propaganda Fide l'alta mia riconoscenza, e obbligazione a così provvida sollecitudine della Santità vostra. Or ora però conosciuto ancora l'alta impressione fatta in proposito nell'animo dei reverendissimi miei Colleghi suffraganei di questo Patriarcato, vengo a nome ancor dei medesimi ad umiliare direttamente al Trono apostolico di vostra Santità i sentimenti della più alta nostra ammirazione, e della più profonda nostra soddisfazione per la celeste sapienza, con cui la Santità vostra nell'instaurazione della Filosofia cristiana trova ben giustamente l'efficace rimedio nell'adottare il metodo dell'Angelico Dottore san Tommaso nelle Scuole cattoliche, onde così liberare l'Universo dagli errori che lo ingombrano, e ridurlo a quei salutari principî, che ordinando l'uomo nei suoi rapporti verso Iddio, sè medesimo e la società, formano quell'armonioso adempimento dei doveri di ciascuno, che soddisfacendo ai bisogni della natura umana, la solleva e la conforta in questa vita, e le prepara l'avvenire il più lieto dell'eternità.

« Animato da tali sentimenti vado a prendere le necessarie disposizioni in proposito pel Seminario che esiste in Monte Libano, e lo farò poi ancora pel Seminario qui a Costantinopoli, appena sarò al caso di rimontarlo, trovandosi ora questo chiuso in conseguenza delle note tristi vicende di questa Chiesa, e vi si adotterà da qui avanti il sistema filosofico insinuato dalla Santità vostra: tanto più che nuova lena viene ad infondermi l'apostolica sollecitudine, con cui vostra Santità viene a stabilire nella Città eterna una Società Accademica sotto il nome e la protezione del medesimo Angelico Dottore san Tommaso, e si degna indicare una ristampa completa di tutte le opere dello stesso santo Dottore.

« Per cui prostrato innanzi l'apostolico Trono di vostra Santità, le ripeto unitamente ai reverendissimi miei suffraganei Vescovi la più profonda gratitudine nostra per l'encomiata augusta sua Enciclica, e per le provvide misure, con cui la Santità vostra conduce ai suoi fini quanto mai può concorrere per lo stabilimento dell'ordine, e quindi della pace, tanto sospirata nell'Universo.

« Come tutti i Vescovi dell'Orbe cattolico, così questo Patriarcato, Beatissimo Padre, camminerà sulle traccie indicate dalla Santità vostra, e son bene persuaso che, mediante le paterne sollecitudini di vostra Santità, arriveremo a vedere pur risarcite le cicatrici che il neoscisma armeno ha lasciato nel seno del Patriarcato medesimo, e sempre meglio riorganizzato prospererà a gloria e ad onore dell'infallibile Cattedra di san Pietro.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

« Per l'adempimento dei comuni voti imploro l'apostolica benedizione dalla Santità vostra su di me, e sopra tutti i reverendissimi Vescovi suffraganei di questa Sede Patriarcale, e loro Cleri e popoli, mentre, chinato al bacio dei santi suoi piedi, con inalterabil attaccamento alla sacra sua Persona, e con figlial ossequio e venerazione mi confermo

« Di vostra Santità

« Costantinopoli, 29 novembre 1879.

« Umo dmo obbmo Oblmo Figlio e Servo

« ANTONIO PIETRO IX HASSUN Patr. Arm. Catt. di Cilicia ».

493. V. Litterae Rmi Archiepiscopi Neapolitani et Rmi Archiepiscopi Edesseni una cum almo Neapolitano Theologorum Collegio:

« Beatissime Pater. Ex quo, Beatissime Pater, Petri Cathedram conscendisti tot ac tanta altissimae sapientiae documenta, tuis praesertim Epistolis encyclicis praebuisti, ut quam de te conciveras apud homines exspectationem non aequaveris solum, sed longo etiam intervallo superaveris. At inter huiusmodi Epistolas nulla alia tantum Catholicorum animos commovit, quantum nuperrima, quae incipit: *Aeterni Patris.* Hac enim tu non modo malorum omnium, quibus undique premimur, primam causam et supremum eorum remedium indigitasti, sed et catholicae Fidei nativam dignitatem ab omnibus superbientium rationalistarum calumniis admirabilem plane in modum adseruisti.

« Hinc minime miramur, si ob hanc praesertim Epistolam cum universi sacrorum Antistites, tum omnes doctorum virorum Academiae et Collegia uno animo unaque voce tibi plaudere certent. In quo plaudentium certamine sine, Beatissime Pater, nos praecipuam Collegio nostro partem vindicare. Te enim procul dubio non latet, nos iam inde ab MDCCCLXXV attente considerantes innumera et gravissima mala, quibus humana societas nostris hisce temporibus ubique terrarum opprimitur, non aliam agnovisse eorum malorum causam, nisi eam ipsam quam tu in memorata Epistola encyclica adsignas, nec aliud iis malis aptius efficaciusque remedium invocasse, nisi illud ipsum, quod tu afferendum praecipis, nimirum ut Doctorum Scholasticorum et praecipue eorum Principis sancti Thomae Philosophia in maximum qui fieri possit honorem restituatur. Unde eadem fere argumenta, quae tu summa auctoritate et pari doctrina persecutus es, attingentes, nos omnium primi a sanctissimo Decessore tuo etiam atque etiam efflagitavimus, ut ad haec studia magis provehenda Angelicum Doctorem, quem nos ab immemorabili Collegii nostri Ducem, Auspicem et Patronum venerabamur, omnium omnino praesentium ac futurorum Collegiorum, Academiarum, Seminariorum, Scholarum cuiuscumque generis et praesertim catholicarum studiorum Universitatum principem Patronum proclamares. Porro immortalis ille Pontifex hoc nostrum desiderium non modo benigne excepit, sed et diserte laudavit, atque omnibus aliis doctorum virorum conventibus in exemplum proponere dignatus est.

« Quae cum ita sint, Beatissime Pater, nos qui Angelici Doctoris gloriamur esse municipes, clientes et sectatores addictissimi, quique olim in ea ipsa studiorum Universitate sedem habebamus, in qua ille tanta sui nominis laude theologicam cathedram rexit, dum tibi, quam qui maxime gratulamur et plaudimus, nobismetipsis simul ex animo gaudemus, dumque tibi pro Epistola iam data gratias quamplurimas rependimus, vota iterum iterumque renovamus, ut Decretum, quo universalis studiorum Patronatus sancto Thomae Aquinati defertur quam citissime emittas.

« Interea in nostrae fidei, pietatis, observantiae signum, ad tuos pedes in spiritu procumbimus, eosque peramanter deosculati, apostolicam benedictionem enixis precibus imploramus.

« Datum Neapoli, idib. octobris, anno MDCCCLXXV.

« Sanctitatis tuae

« Devotissimi, addictissimique in Christo Filii et Famuli

« GULIELMUS SANFELICIUS Archiep. et Magnus Cancellarius
« Fr. Michael Salzano O. P. Archiep. Edessenus decanus
« Philippus Archiep. Patracen.
« Valerius Archiep. Salernit.
« Fr. Ioseph. Archiep. Hydrunt.
« Ianuarius Episc. Anglonen. et Bursens.
« Enricus Episc. Casertan.
« Franciscus Episc. Cidonien.
« Nicolaus Episc. Sarnen. ».

Sequuntur plurium Neapolitani Cleri et alumni Collegii theologici Professorum subscriptiones.

494. VI. Litterae aliae Rmi Archiepiscopi Neapolitani una cum Canonicis et Professoribus:

« Beatissime Pater. Obediendi Pastori nostro romano Pontifici, Vicario Iesu Christi, et successori Petri Apostolorum Principis, atque huic sanctae petrae Ecclesiae fundamento firmiter adhaerendi propositum nostrum fuit constantissimum. Petra ista nobis " fuit refugium sicut erinaceis; " et quemadmodum isti, ut a venatoribus se defendant, in cavernis petrarum habitant, ita nos in huius petrae stabilitate mansimus, ut nus-

quam ab inimico " in oppositione falsi nominis scientiae decepti sumus," illud Cyrilli Alexandrini memoria repetentes: " Ad nos pertinet de Throno apostolico quid credendum, quid opinandum, quid tenendum sit, quaerere."

At vero vox tua, quae per sapientissimam Epistolam encyclicam in universo terrarum Orbe fortiter suaviterque resonuit, ut ad instaurandas philosophicas disciplinas in Academiis et Scholis sanior et Ecclesiae magisterio conformior Philosophia traderetur, quam nempe Aquinatis volumina complectuntur, non solum " statuit supra petram pedes nostros, et direxit gressus nostros, sed etiam exaltavit nos.".

« Quanti enim ob sui praestantiam sancti Thomae Aquinatis Philosophia existimanda sit, multiplici argumentorum genere luculenter doces. Tu enimvero nobis in memoriam redigis Academias illas celeberrimas, quae Angelici Doctoris magisterium et auctoritatem summa coluerunt observantia; conditores et legiferos Ordinum religiosorum, qui sodales suos iusserunt doctrinis sancti Thomae studere eisque religiose adhaerescere; eximia laudum praeconia et testimonia gravissima, quibus romani Pontifices decessores tui sapientiam Thomae Aquinatis cohonestarunt atque confirmarunt; singularem honorem, quem Concilia oecumenica tanto Doctori tribuere perpetuo studuerunt; obsequia et praeconia, quibus vel ipsi catholici nominis adversarii incomparabilem virum honorare coacti sunt. Nec omittis illos hodiernos nebulones merito obiurgare, qui propterea nutantem ac levem Philosophiam reddiderunt, quod Scholasticorum doctrinam temere repudiarunt, ac per summam stultitiam contempserunt. Quapropter sapienter praecipis, ut ad catholicae Fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum aurea sancti Thomae sapientia restituatur, et quam latissime propagetur.

« Iam vero quid iucundius nobis potuit accidere, quid acceptius? Ut enim theologicas disciplinas silentio praetereamus, in quibus tradendis maiorum nostrorum exemplo, scholastica methodo cum religione institimus, atque Thoma magistro nunquam nos erraturos existimavimus, videtur nobis posse affirmare philosophiam studio et labore Caietani Sanseverino, qui nostrum Archiepiscopale Lycaeum insigni ornatu cumulavit, eiusque praeclara merita et Pio IX decessori tuo iam explorata fuerunt, et tu singulari benignitate memorare dignatus es, adamussim ad mentem tuam sub nomine *Philosophiae Christianae* iampridem restitutam fuisse.

« Itaque auctoritate tua confirmati alacriori animo vestigia mortui Collegae nostri prememus; atque, duce sollicito nostro Archiepiscopo, qui in iuvenibus, praesertim in sortem Domini vocatis, ad sanae religiosaeque scientiae principia fingendis maximam impendit curam, in eo diligentiorem operam collocabimus, ut philosophicae disciplinae in clericales, quibus praeficimur, Scholas iam invectae perstante methodo, secundum sancti Thomae placita tradantur, et ad nostrae aetatis pessimos refellendos errores quam maxime accommodentur.

« Interea, ut quae sanctus Thomas docuit intelligere, et quae egit imitatione complere valeamus, ad sanctissimos, quos toto cordis affectu deosculamur, pedes provoluti, apostolicam benedictionem tuam humillime imploramus. Deum autem enixe assidueque comprecamur, ut te, qui vix pontificatum auspicatus tot tantaque sapientiae documenta praebuisti, ut omnium ora oculosque in te converteres, universae Ecclesiae semper ac societati quam diutissime servet incolumem.

« Neapoli, die festo Circumcisionis D. N. I. C., anno 1880.

« GULIELMUS SANFELICE Archiep. Neapolit.
« Raphaël Canonicus de Ianuario Lycaei Rector ».

Sequuntur Canonicorum ac Professorum subscriptiones.

495. VII. Litterae Rmi Archiepisc. Vercellensis aliorumque Episcoporum.

« Beatissime Pater. Vices gerens divini Unigeniti, qui lux est, via et veritas, ex indefectibili tua Cathedra lumen praebes errantibus, et praestas quaerentibus veritatem. Encyclicas tuas Epistolas sapientia plenas admiratur Orbis; quam nuper edidisti de restauranda Philosophia per studium Angelici Doctoris, tanto sacrorum Antistitum plausu exceptam, nedum maxime profuturam verae scientiae incremento, sed magna parituram bona in Ecclesia et societate, quotquot sapiunt uti veritatem habent exploratissimam. Divus Thomas inter sapientes ut sol est: per tuam Epistolam fiet ut tanta lux omnibus mentibus splendeat.

« Mala, quae nunc lugemus, quemadmodum et monemur tua Epistola, ex scientia quae contra omne ius philosophiae nomine gloriatur, dimanant. Inter inanem et exitialem philosophiam etiam recentiorum systemata merito adnumerandam, quae licet magni nominis habeant patronos, et uti Angelici Praeceptoris doctrinae consona traducantur, attamen quam immerito horum systematum defensores, tanto praesidio glorientur, ex eo liquet, ut caetera sileamus, quod eorum auctorum nomine et placitis utantur quoque infestissimi Ecclesiae hostes, ad evertendam ecclesiasticam disciplinam, atque ut omni pene iure destituatur Christi Ecclesia.

« Nos ex animo, prout ratio muneris nostri expostulat, te sequentes, divum Thomam philosophorum et scholasticae Theologiae Principem ac Praeceptorem colemus; omnem curam collocabimus ut Seminarii antecessores Angelici doctrinam fideliter et constanter evolvant; alia philosophia Clericorum mentes imbui haud patiemur; genuinos divi Thomae sensus ex ipso et ex actibus tuis colligemus.

« Uti pastoralis nostrae sollicitudinis officium habebimus in nostris Dioecesibus, meliori qua fieri potest ratione, et sub nostris auspiciis Academias vel scholasticas exercitationes instituere, quorum membra, et studio Angelici Praeceptoris enixe incumbant, ac interdum publica studiorum praebeant specimina, ut hoc modo impleamus vota tua flagrantissima, quae in epistola tua ad eminentissimum Cardinalem Studiorum Praefectum significasti.

« Excipe, Beatissime Pater, hoc nostrae devotionis, venerationis, grati animi et fidelitatis obsequium. Servet Deus tot tantaque bona semina, quae in agrum Dominicum admiranda solertia iacis, eaque fecundare dignetur, ut potiri valeas uberrimis fructuum manipulis.

« Humiliter deosculantes tuos sanctissimos pedes, apostolicam benedictionem super nos et super greges nobis commissos, fidenter efflagitamus.

« Vercellis, die 15 novembris anno 1879.

« CAELESTINUS FISSORE Archiepiscopus Vercellensis
« Petrus Ioseph Epis. Viglebanensis
« Petrus Iucundus Epis. Alexandrinus
« Basilius Epis. Bugellensis
« Stanislaus Epis. Novariensis ».

496. VIII. Litterae Rmi Archiepiscopi Taurinensis aliorumque Episcoporum:

« Beatissime Pater. Convenientibus nobis ex quatuor ecclesiasticis Provinciis, ut Mariae Virginis, quae sub nomine " Matris Providentiae " Cussanii apud Folsanum honoratur, perantiquus cultus magis magisque promoveatur, optimum visum est ad pedes tuos nos, datis litteris, obsequentissime provolvi, tibique ex animo vota depromere. Equidem didicimus cupere te, cuius munus et gaudium est fratres confirmare, ut nostros, quibus premi contingit, dolores paterno cordi tuo pandamus, utque, si quibus forte consolationibus in munere implendo occurramus, earum te, tuos ad luctus leniendos, certiorem faciamus. Quum itaque nobiscum per hos dies quamplurimos convenire, eosque devotissime " Providentiae Matrem " rogare viderimus, ut pro te, Beatissime Pater, pro ista sancta Romana Ecclesia et pro omnibus ubique fidelibus suum Providentiae munus quam citissime exerceat ac impleat, quumque hinc non mediocris spes nobis effulserit frequentiores fore ad hoc Sanctuarium peregrinos, ferventioresque preces, hoc tibi gaudium nuntiare placuit eo vel magis quod tu illud nobis apostolica benedictione, datis huic Fossanensi Episcopo Aemiliano venerandis Litteris, augere dignatus fueris.

« Illud etiam nobis laetandum fuit quod, huc ex dissitis Dioecesibus congressi, quantum commodi catholica unio pariat experti didicerimus;

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

unio scilicet qua nos, tibi omnino adhaerentes continemur, et ex qua contra hostes discerpere conantes tantus splendor Ecclesiae exsurgit et emicat. Equidem tibi, praestantissime Pater, corde et opere adhaeremus, ac ut tua consilia et vota per nos omnino impleantur firmissima mens est. Atque hinc animus noster eo lubentissime fertur, ut tibi maximas gratias agat, quod nuperis encyclicis Litteris viam nobis tutissimam muniveris, qua tum ipsi magis ecclesiasticis studiis prodesse, tum adolescentes sacra praesertim doctrina imbuendos securius ac felicius perducere valeamus. Sanctum itaque Thomam Aquinatem maiore posthac studio et amore prosequemur, eumque illo prorsus sensu quo tu suades ac cupis, prout permulti iam Fratres nostri ex Italia atque Hispania professi sunt, Magistrum suscipimus, eoque Doctore ita ab ecclesiasticis iuvenibus ac viris nobis concreditis uti curabimus. Tua siquidem vox, optatissime Pater, norma est, quam in theologicis non solum, sed etiam in philosophicis ac politicis ac in omnibus denique rebus sequi prorsus volumus. Hinc vis, haec gloria nostra.

« Hoc animo obsequentissimi et devotissimi ad sacros pedes tuos exosculandos provolvimur, dum nobis, nostrisque gregibus apostolicam benedictionem enixe adprecamur.

« Cussanii apud Fossanum, die 12 octobris 1879.

« Sanctitatis tuae

« Obedientissimi ac devotissimi Filii

« LAURENTIUS Archiepiscopus Taurinensis
« Salvator Archiep. Genuensis
« Petrus Ioseph Episcopus Viglebanensis
« Placidus Epis. Montis-Regalis
« Petrus Iucundus Epis. Alexandrinus
« Vincentius Epis. Derthonensis
« Eduardus Iosephus Epis. Segusiensis
« Caelestinus Archiep. Vercellensis
« Andreas Epis. Cuneensis
« Aemilianus Epis. Fossanensis
« Basilius Epis. Bugellensis.
« Augustinus Epis. Papiensis
« Ioannes Dominicus Epis. Pinerolii
« David Epis. Eporediensis ».

497. IX. Litterae aliae Rmi Archiepiscopi Taurinensis aliorumque Episcoporum:

« Beatissime Pater. Etsi nihil antiquius iucundiusque animarum Pastoribus esse debet quam tibi, qui es Pastor Pastorum, in omnibus adhaerere, vocemque tuam falli nesciam humili veneratione audire eique fideliter

obtemperare, ad hoc tamen praestandum specialis quaedam causa nos Archiepiscopum et Episcopos Provinciae Taurinensis impellit: singularis scilicet benignitas tua, qua praeclarissimam Epistolam sub die Pentecostes 1ª iunii anni currentis, de natura et sanctitate christiani Matrimonii ad nos nominatim dare voluisti in signum apostolicae tuae approbationis collectivae nostrae postulationis ad Italica Comitia, cum de iniqua lege agebatur, qua prohibetur ne Sacramentum matrimonii celebretur antequam matrimonium quod vocant civile fuerit absolutum. Dum itaque pro tanta erga nos benignitate humillimi ex intimo cordis affectu gratias agimus, ardentioris nostrae in te devotionis testimonium exhibere percupientes, opportunam arripimus occasionem quam nobis praebet admirabilis tua Epistola encyclica *Aeterni Patris*, quam de christiana Philosophia, eaque restituenda ad normam doctrinae sancti Thomae Aquinatis, qui splendidissimum illius lumen est, edidisti.

« Quamvis enim nonnulli ex nobis vel singulatim vel una cum aliis hac de re epistolas ad Sanctitatem tuam dedimus, officium tamen esse nostrum ducimus, una simul omnes coniunctim tibi significare Epistolam illam maxima animi laetitia ac singulari gratulatione nos omnes excepisse. Persuasum siquidem nobis est te, Pater sanctissime, ea Epistola maximis quae Religio et humana societas patiuntur malis remedium efficacissimum ac maxime opportunum attulisse. Compertum est enim ea mala potissimum ex Rationalismo hac nostra aetate longe lateque grassante ac pene ubique dominante originem ducere, qui obtentu novae scientiae rationi abutendo, nedum Fidei sanctissimae dogmata, sed ipsa humanae rationis principia evertere omni ope nititur. Ad hanc porro malorum radicem e hominum cordibus evellendam nihil efficacius esse potest quam christiana Philosophia quae recto rationis usu et illuminatae Fidei radiis illustrata per tutas veritatis semitas hominum mentem ducit in iis quae ratione attingere fas est, et viam parat ad ea suscipienda quae misericors Deus supernaturaliter revelare voluit. Id autem praestat scholastica Philosophia quae in aureis Angelici Doctoris voluminibus continetur: quo factum est ut Ecclesia ac romani Pontifices illam semper maximis laudibus commendaverint, et in suis Decretis eam passim sectati fuerint.

« Hoc porro Ecclesiae iudicium, cui parum attendere non pauci nostrae aetatis homines videntur, tu Beatissime Pater, confirmare et in memoriam revocare apostolica sollicitudine voluisti, utque ex salutifero e fonte uberes aquae ad irrigandas hominum mentes deriventur, angelicam divi Thomae doctrinam propagari ac in Scholis praesertim tradi augustissima tua auctoritate suades et praecipis.

« Hoc igitur nostrum erit officium, haec nostra pastoralis sollicitudo ut tua hortamenta et iussa sectando iuvenes clericos superrima sancti

Thomae doctrina probe imbuamus. Insuper, ut tu sapientissime mones, ne supposita pro vera, corrupta pro sincera exinde bibatur, sedulo curabimus, ut ex ipsis eius fontibus hauriantur, aut saltem ex iis rivis, quos ex ipso fonte deductos adhuc integros et illimes decurrere certa et concors doctorum hominum sententia est.

« Tutissimam hanc regulam sectando quam tu, Pater beatissime, tradis, una erit omnium nostrum mens, unum studium et concors opera in restituenda iuxta sapientissimam mentem tuam sincera sancti Thomae doctrina, quod potissimum in Seminariis nostris praestabimus, et in Scholis et etiam in Academiis quae sub nostra sunt auctoritate.

« Neque prae oculis habere omittemus sapientissima tua monita in Epistola ad eminentissimum et reverendissimum Cardinalem sacro Consilio Studiis regundis Praefectum data de coetibus coëundis, in quibus docti homines sub nomine et patronatu sancti Thomae eo studia, industriamque convertant, ut eius opera explanent, illustrent, placita exponant, et cum aliorum philosophorum sive veterum, sive recentium placitis conferant; vim sententiarum earumque rationes demonstrent, salutarem doctrinam propagare, et ad grassantium errorum refutationem, recensque inventorum adhibere contendant: nam in hisce quibus valde premimur angustiis curabimus praestare quidquid in nostra est potestate ut salutaribus tuis monitis obtemperemus.

« Interim Deum O. M. enixe deprecamur ut sanctissimis hisce votis tuis omnia prospere feliciterque arrideant, teque diu incolumem servet. A te uno, Pater beatissime, ut apostolica benedictione nos operamque nostram, et gregem nobis commissum tueri digneris ad tuos provoluti omnes suppliciter petimus.

« Tuae Beatitudini addictissimi Filii

« Laurentius Archiepiscopus
« Ioseph Augustus Episcopus Augustensis
« David Episcopus Eporediensis
« Eduardus Ioseph Episcopus Segusiensis
« Ioannes Dominicus Episcopus Pinerolensis
« Alphonsus Episcopus Salutiarum
« Andreas Episcopus Cuneensis
« Placidus Episcopus Montis Regalis
« Aemilianus Episcopus Fossanensis
« Ioseph Maria Episcopus Aquensis
« Carolus Episcopus Astensis
« Ab. Sismonda Vincentius Vic. Cap. Albensis.

« Taurini, die 18 novembris, anno 1879 ».

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

498. X. Litterae Rmi Archiepiscopi Hadrianopolitani, Archiepiscopi Spoletani aliorumque Episcoporum:

« Beatissimo Padre. È ben giusto e torna sommamente utile alla Religione e alla scienza, che da quella Sede, onde dimana l'unità della Fede e della comunione, derivi pure nella Chiesa l'unità del pratico insegnamento. A questo scopo importantissimo il Vostro glorioso Predecessore istituiva presso la Cattedra di verità Seminari e Collegi di giovani ecclesiastici, destinati a propagare poi nelle Provincie il metodo e le dottrine della Scuola romana; e perciò ogni dì promoveva di altri la fondazione, sempre fermo di volere estendere così gran beneficio a tutte le nazioni cattoliche.

« Voi, Beatissimo Padre, coronando le imprese del santo Pontefice Pio IX, nell'ammirabile Enciclica *Aeterni Patris* avete all'uopo pronunciato un nome, "Tommaso di Aquino," e questo nome dice di per sè solo la dottrina di cui dobbiamo far tesoro, e quale insieme sia l'ordine e il metodo da seguitar nelle scuole. A noi pare che l'autorevole vostra voce abbia troncato ogni questione, abbia vinto ogni titubanza, e che sia tempo omai di ripetere le antiche parole: "Ogni controversia è finita; chi non raccoglie con voi, disperde."

« A voler dire il vero, dai Licei e dalle Università dei nostri paesi per poco non può dirsi bandito lo studio di quella che propriamente appellasi Filosofia; e quello che se ne insegna, è, generalmente parlando, manco e corrotto di perniciosi errori così da cagionare quel disordine intellettuale che alla sua volta guasta tutta quanta la società. Beatissimo Padre, i tempi e gli uomini spesso si rassomigliano; e come tra le fitte tenebre del basso evo la scienza e la civiltà ripararono all'ombra del santuario, nei monasteri e presso le basiliche cattedrali, così oggi che i più assurdi sistemi e la più grande confusione delle idee minacciano di riportar nell'Europa l'antica ignoranza, presso il Santuario arderà la face della scienza e il sacro fuoco delle utili discipline. Lo sappiamo pur troppo: si mena oggidì gran vanto del nostro secolo, e secolo dei lumi e del progresso si appella; ma se l'avanzamento è grande nelle discipline sperimentali e nelle fisiche invenzioni, è vero altresì che la Metafisica, la scienza cioè propriamente detta, come quella che tutte le altre coordina, illumina, e ne' suoi generali concetti comprende, è rimasta abbandonata, negletta; sicchè di essa può ben dirsi "che non andare innanzi è tornare indietro."

« Ritorniamo adunque coraggiosi alla Filosofia di Tommaso di Aquino a quella Filosofia che è veramente italiana per origine, per metodo, per fermezza di principî; a quella che spiegò le ali ad inarrivabili speculazioni, e tutta raccolse in una sintesi meravigliosa la sapienza degli antichi filosofi e dei Padri della Chiesa.

« Ma alle genuine sorgenti noi vogliamo cercare questa vena purissima di angelica sapienza, non a rivoli impuri o lontani; vogliamo cioè studiare sopra i grandi volumi dell'Aquinate, e a quelli adusare le giovani menti degli alunni dei nostri Seminari. Quei volumi immortali saranno i nostri maestri, e quella pleiade gloriosa d'interpreti fidi e sicuri che la scienza ben conosce col nome di Scolastici, nonchè i valorosi che li seguitarono anche a' dì nostri. Ma voi, Padre santo, voi stesso ci additaste sapientemente le tracce per riconoscere le germane dottrine dell'Angelico, e noi terremo dietro ai vostri insegnamenti e cammineremo nell'arringo, illuminati dalla face della vostra Enciclica e del vostro splendido esempio. Chè voi in mezzo all'Umbria, nella vostra Perugia fondaste un'Accademia, che nel nome di san Tommaso s'intitola, e deste acconcie regole perchè gli alunni la mente e la sapienza del Santo pienamente e sicuramente asseguissero.

« Oh! fortunati quelli uomini di Chiesa che sudarono per tempo sui libri dell'Aquinate! A quella scuola si forma il filosofo ed il teologo, a quella l'oratore e il direttore di spirito; da quella le norme per ogni specie di ministero sacerdotale; da quella si apre la via alla perfezione ed alla santità. Non basta, no, nelle scuole la pura esposizione delle cattoliche verità; non basta la prova delle bibliche e tradizionali testimonianze: a formare lo scienziato è necessaria l'acutezza della speculazione, la elevatezza dei generali concetti, con cui s'intende quanto è possibile e per noi si feconda il tesoro delle rivelate dottrine.

« Beatissimo Padre, la vostra Enciclica rivela sì la sapienza della vostra mente, informata a forti e nobil studi; ma rivela altresì una speciale divina ispirazione, perchè essa provvede ad un bisogno troppo omai sentito nella Chiesa e nella civil società.

« Noi nel professarvi la nostra perfetta sommessione e l'obbedienza illimitata, facciamo voti perchè tutti i nostri confratelli nell'Episcopato si affrettino ad assecondare le vostre intenzioni, e consolino la vostra canizie e tutta la Chiesa di una eletta copia di frutti cresciuti nel campo dell'antica sapienza, vivificati dai raggi fecondatori del Sole di Aquino.

« La vostra apostolica benedizione ci conforti ed avvalori in questi propositi, che deponiamo ai vostri santissimi piedi.

« Della Santità vostra

« Perugia, 5 ottobre, festa del SSmo Rosario, 1879.

« Umilissimi, devotissimi, obbligatissimi Sudditi
e Figli obbedientissimi

« Gio-Battista Arcivescovo di Adrianopoli Amministratore Apostolico di Perugia

« Elvezio Mariano Arcivescovo di Spoleto
« Raffaele Vescovo di Norcia
« Giovanni Vescovo di Todi
« Emidio Vescovo di Città della Pieve
« Innocenzo Vescovo di Gubbio
« Niccola Vescovo di Amelia
« F. Antonio Maria Vescovo di Nocera
« Antonio Vescovo di Terni
« Antonio Vescovo di Orvieto
« Giuseppe Vescovo di Città di Castello
« F. Egidio Vescovo di Rieti
« Paolo Vescovo di Assisi
« Angelo Vescovo di Poggio Mirteto
« Vitale Vescovo di Narni
« Vincenzo Vescovo di Foligno
« Domenico Vescovo di Listri Ausiliare di Norcia ».

499. XI. Litterae aliae Rmi Archiepiscopi Hadrianopolitani, et Sociorum Academiae a Sancto Thoma nuncupatae:

« Beatissimo Padre. Fra il plauso che da ogni parte dell'Orbe cattolico a voi si leva per l'ammirabile Enciclica testè pubblicata sul ristoramento degli studi filosofici giusta la mente e le genuine dottrine dell'Angelico, non vi giunga discara la voce di umili vostri figli, cui voi già con tanto amore educaste a sì nobili studi, e ai quali dalla sublime Cattedra di san Pietro continuate il vostro paterno favore, e fate animo nel nobile arringo.

« Sì, o Padre santo, tutto quel guasto terribile che oggi minaccia travolgere la società nell'ultimo esterminio, ha avuto origine dall'infausto pervertimento d'idee, che rei principî predicati lungamente dalle cattedre, necessariamente operarono, sconvolgendo ogni ordine umano e divino; i quali, se non vengano ripudiati, e non si faccia ritorno all'antica sapienza, vanto e felicità di tanti secoli e popoli, è vano sperar la salute. Voi, o Padre santo, con sguardo penetrante e sicuro avete misurata tutta la profondità di questo abisso di disordine e di errori, e considerati i mali nella loro vera natura, ne apprestate il rimedio per ripararli e cessarli durevolmente.

« La vostra Enciclica, se si riguarda dal lato religioso e scientifico, è tutta volta a comporre il funesto dissidio voluto introdurre fra la ragione umana e divina, fra la Teologia e la Filosofia, richiamando questa alla dovuta sudditanza di quella; sudditanza che lungi dall'inceppare la umana ragione, le veste l'ale per levarsi più alto e internarsi nelle più sublimi speculazioni. Chè la Filosofia subordinata alla Fede non s'oppone al progresso delle scienze naturali, come maliziosamente si va dicendo

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

per accattarle biasimo e mala voce, mentre là invece comincia la Metafisica, ove cessano gli esperimenti di quelle; anzi ne caldeggia e desidera l'avanzamento, certa che tutte le esperienze e scoperte non possono far altro che convincere sempre più le sane menti degl'immutabili veri ontologici dei quali ella è maestra. Nè manco ubertosi sono i frutti che porterà nel campo sociale, poichè essendo per la dottrina da voi richiamata in onore, fissata l'origine divina dell'autorità, inculcato il rispetto che si deve alle leggi ed al principe, definiti i termini dell'umana libertà, infrenata la licenza, avete per questo modo d'un sol colpo atterrati i principî del così detto " diritto nuovo," vera peste della civil società, divenuta per esso un accozzamento forzato e scomposto di uomini non più viventi secondo ragione, ma, a similitudine di bestie selvagge, anelanti alle rapine, agli incendi, al sangue e alla totale rovina gli uni degli altri. Nè a voi sfugge il vantaggio che ne verrà alle arti sorelle, nelle quali solo in allora gli uomini furon veramente grandi, che le menti di forti e severi studi furon nudrite.

« E qui si pare veramente ammirabile la vostra sapienza, o Padre santo, e la prudente coordinazione dei vostri atti pontificali. Perchè come voi nella prima vostra Lettera enciclica *Inscrutabili Dei consilio* proclamaste, con la storia alla mano, la Chiesa madre e altrice di civiltà; e con l'altra *Quod apostolici muneris*, nell'insegnamento della Chiesa e nella religiosa professione additaste l'unico rimedio contro l'irrompente barbarie del Socialismo e del Comunismo, coll'Enciclica *Aeterni Patris* entrate nel campo delle intelligenze, e visto che tutta la piena dei mali sociali è sgorgata da una leggiera o falsa filosofia, voleste rimessa nel suo posto di onore quella profonda e vera, che un dì sillogizzò nelle scuole cattoliche, specialmente d'Italia, e contenne e popoli e principi dentro i termini del giusto e dell'onesto. Quindi la prima Enciclica occupò meritamente tutti quelli che pubblicisti si appellano, la seconda gli uomini di Stato, questa terza forma l'oggetto dell'ammirazione e degli studi dei pensatori e delle più elette intelligenze.

« Son questi i nobili intendimenti de' vostri atti pontificali, e specialmente dell'Enciclica sul ristoramento della cristiana Filosofia; del quale bene a ragione ponete a duce e maestro l'Angelico san Tommaso, che in sè compendiando tutta la dottrina de' Padri e Dottori della Chiesa, e tutto quanto di vero e di buono aveva fino ai tempi suoi pronunziato la umana ragione, compose quella stupenda Enciclopedia, nella quale mettendo in pieno accordo la ragione umana colla rivelazione, per vastità e grandezza di principî abbracciò tutto lo scibile umano in una sintesi maravigliosa; onde a ragione san Tommaso fu da tutte le età salutato per l'Aquila degl'ingegni, il Sole delle intelligenze, ed insieme l'Angelo delle Scuole cattoliche.

« Noi, o Padre santo, vostra mercè, non abbiam duopo di fare ora atto di adesione alle dottrine di san Tommaso, alle quali voi con tanto impegno ci educaste, fondando già la nostra Accademia di San Tommaso, affinchè ricercando con amore i suoi volumi, le nostre menti si informassero a quei principî di sapienza verace, pei quali brilla di tanta luce sull'orizzonte cattolico il Sol di Aquino.

« Piuttosto, nel mentre confortati dalla vostra parola di Pontefice sommo, vi facciamo solenne promessa che quinc'innanzi anche con lena maggiore ci dedicheremo allo studio di San Tommaso; sentiamo il dovere di porgere a voi le più sincere congratulazioni ed azioni di grazie, che per divino consiglio elevato alla Cattedra di san Pietro, a vantaggio di tutta la società spiegate la vostra sollecitudine per recare negli studi filosofici riforma sì importante e salutare.

« Questa fia una delle glorie più belle del vostro già glorioso pontificato: e noi facciamo i voti più ardenti, che i vostri nobili sforzi sieno di felice esito coronati, sicchè, messi da banda i vecchi pregiudizi, le viete calunnie, tanti eletti ingegni tornino con nobile gara a dissetarsi a quelle onde purissime di cristiana sapienza, onde san Tommaso di Aquino ci appresta sì larga fonte. Così raddrizzate le menti, tolti di mezzo i funesti dissidi, risplenderanno giorni più lieti e felici a bene della Religione e della Società.

« Inchinati al bacio de' santissimi piedi, implorando per tutti i Soci l'apostolica benedizione, ci protestiamo

« Della Santità Vostra,

« Perugia, 10 ottobre 1879.

« Umilissimi, devotissimi, obbligatissimi Sudditi e Figli

« G. Battista Arciv. di Adrianopoli Amministr. Apost. Presidente dell'Accademia

« D. Francesco dott. Satolli Direttore

« Prof. D. Tommaso Contini Segretario ».

500. XII. Litterae Rmi Archiepiscopi Montis Regalis, Canonicorum et ecclesiasticorum Virorum:

« Beatissime Pater. Tot inter plausus, quibus ab universa Republica christiana excepta fuit Epistola encyclica cuius initium *Aeterni Patris*, a te data die 4 augusti nuper elapsi, non possum quin meam quoque exeram vocem, et cum caeteris dissitarum etiam regionum Episcopis Sanctitati tuae grates rependam pro sapientissimis consiliis et adhortationibus, quibus per illas Litteras et Ecclesiae et civilis Societatis saluti providentissime consuluisti. Et re quidem vera, hisce difficillimis temporibus, queis male feriati homines omne auctoritatis divinae et humanae iugum excutere conantur, atque ut lascivienti libidini pronius indulgeant, affulgentem veritatis splendorem repellunt, et verum falsum, falsum verum perfricta fronte pronuntiant, nihil optabilius quam sanctum Thomam sequi Praeceptorem et Ducem, qui humanam rationem et scientias omnes rationales obsequio Fidei mancipavit, ac aeterna auctoritatis iura sarta tecta servavit; nihil consultius quam methodum amplecti ab Angelico Doctore in Scholas invectam, qua ad veritatem discutiendam nulla aptior, ad catholicam doctrinam defendendam solidior, ad mores probe informandos securior esse potest.

« Ego autem, Beatissime Pater, eo maiori laetitia tuas Litteras excepi, quo impensius huius Seminarii alumni pluribus abhinc annis Scholae Thomisticae documenta sectantur; et nedum Philosophiae tirones, sed illi etiam qui sacris disciplinis operam dant, nihil prius aut antiquius habent, quam scholastico in pulvere, quasi in palaestra, ingenia exercere iuxta sapientissimam methodum a sancto Thoma traditam, quae haereticorum errores presso pede insequitur, nodos subtiliter explicat, offusas veritati tenebras dissipat, atque involutas adversariorum fraudes in medium diem producit. Probe enim norunt ipsi quod sanctus Clemens Alexandrinus docet in lib. I *Stromatum* de utilitate quam christiana Philosophia affert studiis etiam rerum divinarum: " Est quidem per se perfecta Servatoris doctrina et nullius indiga, cum sit Dei virtus et sapientia; accedens autem Philosophia non veritatem facit potentiorem, sed debilem adversus eam efficit sophisticam argumentationem, et propulsans dolosas adversus veritatem insidias, vineae est sepes et vallum. " Quam sapientissimam sancti Clementis sententiam Sanctitas tua suprema et infallibili auctoritate in memorata Epistola encyclica passim confirmavit et sanxit.

« Quod autem ad me attinet, omnem operam, divina opitulante gratia, adhibebo, ut Clerici meae fidei commissi a Scholastica disciplina ne latum quidem unguem desciscant, eaque penitus imbuantur, et puro sancti Thomae doctrinae lacte potati in Ecclesiae decus feliciter succrescant. Et quo facilius haec consequi valeam, a te, sanctissime Pater, apostolicam benedictionem pro me et populo mihi concredito suppliciter exposco, dum enixis precibus Deum O. M. oro et obtestor ut talem Pontificem ad sui nominis gloriam Ecclesiaeque catholicae firmamentum, quam diutissime tueatur incolumem.

« Monte Regali, die 5 octobris 1879.

« Beatitudinis tuae

« Humillimus et obsequentissimus Subditus

« Ioseph Maria Archiepiscopus Montis Regalis ».

Sequuntur Cleri subscriptiones.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

501. XIII. Litterae Rmi Archiepiscopi Ianuensis:

« Beatissime Pater. Ubi primum supremae Beati Petri Apostolorum Principis Cathedrae fastigium, divina Providentia disponente, ascendisti, solertissimam pastoralis tuae sollicitudinis operam universus Orbis miratus est illis in Litteris encyclicis, coelesti sapientia refertis, quibus praesentissimis catholicae Ecclesiae necnon civilis Societatis necessitatibus providere studuisti.

« Novissime vero, Pater sanctissime, in ipsam tot malorum radicem, quae utramque impetunt, convertisti oculos, modernam scilicet philosophiam, quae disrupto cum Fide vinculo, ac divinae auctoritatis excusso plane iugo, hominum mentes in omnium paene errorum barathrum pertrahit; in eamque apostolicam falcem mittere non dubitasti mirabili sane illa Epistola encyclica, qua catholicae Philosophiae dignitatem et praestantiam, adductis sanctorum Patrum et Doctorum, qui de divinis scripserunt, exemplis, sapientissime vindicasti, et doctrinae sancti Thomae Aquinatis, qui eam suis in scriptis incomparabili prorsus ingenio exponit et illustrat, studium commendasti.

« Quo cum nihil utilius sive Religioni, sive civili Societati, nihilque praesentium temporum malis medendis magis accommodatum, omnes verae scientiae amatores Sanctitatem tuam praestare potuisse fatentur, tum pari vitati meae id iucundissimum accidit, cui ab iuventute ea inerat persuasio, philosophicas et theologicas disciplinas diligenti doctrinae Sancti Thomae studio, praesertim in Scholis, instaurari omnino oportere, ut addiscentes ex Angelici Doctoris fontibus saluberrimas verae sapientiae aquas haurire possent.

« Hinc scholam Theologiae speculativae ipse adeptus in id maxime incubui, ut alumnorum mentes in Angelica Doctrina erudirem. Quod ad hanc Genuensem sedem, gratuita prorsus fel. rec. Pii Papae IX benignitate evectus, in hisce Seminariis fieri pariter in scholis Philosophiae et Theologiae sollicite curavi.

« Sane, ut Epistola Sanctitatis tuae sapientissime et cumulatissime evincit, tanta est doctrinae sancti Thomae praestantia, ut nulla cum ipsa comparari ullo modo possit. Mira siquidem tum verborum proprietate, sobrietate et perspicuitate, tum logica processione ac syllogistica methodo, qua vera scientia paritur, ipsa pollet. Principiorum vero amplitudine, et altissimarum rerum pene omnium causarum investigatione et comprehensione, cunctarum scientiarum semina menti inserit, atque arctissimo inter Fidem et rationem inito foedere, universos plane errores, qui vel rectae Fidei, vel sanae rationi opponuntur, aut ipsa conterit, aut eos conterendi facilem viam praebet.

« Id experti sunt Reformatores saeculi XVI, qui impias novitates suas

a scholasticis Doctoribus, ac praecipue ab eorum Principe sancto Thoma Aquinate iam praeoccupatas a sui ortu, et validissime refutatas invenerunt. Quod causae fuit cur Lutherus eiusque asseclae in sanctum Thomam et Scholasticos ira et odio exarserint, iisque implacabile bellum indixerint, dicteriis et calumniis eos appetentes, quasi homines qui divinis Scripturis posthabitis et rationis dictamine abdicato, se caece Aristoteli mancipaverint, et barbaro eloquio usi, subtilitates et argutias peripateticas, non Fidei simplicitatem veramque scientiam fuerint prosequuti.

« Hac arte non solum Fidem, sed et catholicam Philosophiam quam suis erroribus adversam deprehendebant, demoliri, et arctissimum illud foedus solvere quod inter utramque, sancti Thomae et Scholasticorum praesertim studio et opera, feliciter initum fuerat, omni ope nisi sunt. Quod iis ad votum cessit cum magno tum divinae tum humanae scientiae detrimento. Plurimi enim etiam Catholici, partim amore novitatis ac praetextu libertatis rationis ac scientiae, partim ut dicteria et calumnias quae in Scholasticos iaciebantur, effugerent, aliam viam aggressi sunt. Unde, facto divortio, Fides sanae Philosophiae praesidio destituta, tanquam rationi et scientiae contraria facile traduci potuit; ratio vero et philosophia humanae imbecillitati plane dimissae, adversus Fidem impie insurrexerunt, et in turpissimos errores sese iniecerunt.

« Deum igitur O. M., qui sanabiles fecit nationes, easque in extremam ruinam labi non patitur, quique suum in terris Vicarium romanum Pontificem constituit, ut salutis viam gentes omnes doceret, supremo suo afflatu te, Pater sanctissime, ad instaurandam catholicam Philosophiam, sapientissima ac prorsus mirabili tua Epistola encyclica, qua sancti Thomae doctrinam commendas, impulisse dubitari non potest. Faxit Deus, ut non modo Ecclesiae filii, sed etiam filii huius saeculi vocem tuam audiant, eique debitam obedientiam praestent.

« Interim mihi filiorum tuorum postremo apostolicam benedictionem largiri pro tua benignitate dignare.

« Genuae, XVI kal. octobr. MDCCCLXXIX.

« Ad sacros pedes provolutus

« SALVATOR Archiep. ».

502. XIV. Litterae aliae Rmi Archiepiscopi Ianuensis aliorumque Episcoporum eiusdem Provinciae:

« Beatissimo Padre. Un sacro dovere di profonda venerazione e di vivissima gratitudine spinge i sottoscritti Arcivescovi e Vescovi della Provincia di Genova a deporre ai piedi della Santità vostra l'omaggio dei

loro più umili e devoti ringraziamenti a riguardo della venerabile Lettera del 28 ottobre inviata da Sua eminenza reverendissima il Sig. Cardinale Nina Segretario di Stato al prefato Arcivescovo; nella quale si dice, che dalla lettera scritta dal santo Padre all'eminentissimo Cardinale De Luca " la S. V. reverendissima avrà conosciuto quanto il santo Padre abbia apprezzato la piena adesione di lei, e de' suoi Suffraganei all'Enciclica *Aeterni Patris*, e quanto sia stato consolato nel leggere i sentimenti nobili e riverenti con cui quella adesione veniva espressa. "

« Sì, Padre santissimo, noi tutti siamo persuasi che il beato Pietro, cui da nostro Signore fu dato l'ufficio e la podestà di confermare i fratelli, e di pascere tutto il suo gregge, agnelli e pecore, parla per bocca di Leone XIII, che tiene il suo luogo: ondechè tutti insieme rinnoviamo la protesta già fatta da alcuni di noi in particolare, di riconoscere nella prefata Enciclica le parole del Pastore supremo, del Maestro infallibile, che allontana i fedeli dalle acque velenose di malvagie o pericolose dottrine, e li conduce alle fonti salutari di quella celeste verità e sapienza che illumina la ragione, e insegna le cose di Fede, e cui il Figliuolo di Dio Gesù Cristo venne ad insegnare agli uomini, e di cui lasciò depositaria e custode la Chiesa cattolica da lui fondata, a benefizio di tutti gli uomini. Le quali acque di Verità e sapienza cristiana, non solo teologica riguardante la Fede, ma eziandio filosofica spettante alle razionali discipline, raccolte si trovano in immensa copia nelle opere ammirabili e immortali del gran Dottore san Tommaso d'Aquino, siccome la Santità vostra sì luminosamente dimostra in quella prestantissima Enciclica, e sempre riconobbe la Chiesa la quale nell'orazione della festa del santo Dottore, prega Iddio " il quale illumina la sua Chiesa coll'ammirabile erudizione di lui, che ci dia di comprendere coll'intelletto le sue dottrine."

« Or siccome l'abbandono di queste dottrine, le quali armonizzano mirabilmente la ragione umana colla Fede divina, abbandono cominciato e promosso dai novatori del secolo XVI, ha condotto l'umana ragione a ribellarsi all'autorità della Rivelazione e della Chiesa, per cui la Filosofia venne a cadere ne' mostruosi errori del moderno razionalismo, sì rovinosi alla Religione, alla morale e alla società; così il ritorno che voi, Padre santissimo, comandate, alle dottrine del Dottore Angelico, segnatamente filosofiche, in cui i predetti errori, e quelli di più che può mettere innanzi la ragion filosofica, son prevenuti, e vittoriosamente in sè, o nei loro principi confutati, riesce ad un potente e necessario mezzo per sanare le menti, ridurle sulla buona via, e in tal guisa ad un efficace rimedio alla radice di que' medesimi mali.

« In conseguenza, Padre santissimo, quantunque pressochè in tutti i nostri Seminari nelle teologiche e filosofiche discipline tengasi a norma

la dottrina dell'Angelico Dottore; in ossequio ai sapientissimi insegnamenti di vostra Santità porremo ogni maggior cura che in essa si insista " e si beva pura e sincera, cavandola dai propri suoi fonti, o per lo meno da quei rivi, che usciti dallo stesso fonte, scorrono ancora puri e limpidi, secondo il sicuro e concorde giudizio dei dotti; " ed evitando accuratamente quelle nuove e singolari interpretazioni, che le tolgono la sua semplicità e chiarezza, e rendono oggetto di disputa la sua stessa intelligenza.

« Ed affinchè quella Enciclica abbia la più vasta applicazione possibile, giusta le intenzioni della Santità vostra espresse nella sua lettera all'eminentissimo Card. De Luca, e ripetute nella prefata lettera di sua Eminenza il Cardinal Nina all'Arcivescovo sottoscritto, noi metteremo ogni impegno perchè venga istituita un' Accademia Tomistica nelle singole nostre Diocesi. A Genova per cura dell'Arcivescovo già venne prima d'ora fondata; ma una grande difficoltà s'incontra nella scarsezza del Clero che va di giorno in giorno mancando, il quale occupato negli uffizi necessari del ministero, e privo anche di mezzi, non ha tempo e comodo di attendere a severi studi. Nondimeno non ometteremo di far ciò che per noi si potrà col divino aiuto.

« E voi, Beatissimo Padre, ad avvalorarci nell'arduo cómpito, degnatevi d'impartire a noi e a tutti i nostri amati diocesani l'apostolica vostra benedizione che umilissimamente e instantemente imploriamo.

« Salvatore Arcivescovo di Genova
« Fr. Enrico Vescovo di Bobbio
« Vincenzo Vescovo di Tortona
« Tommaso Vescovo di Ventimiglia
« Giuseppe Vescovo di Savona e Nolis
« Filippo Vescovo di Albenga ».

503. XV. Litterae Rmi Archiepiscopi Mutinensis aliorumque Episcoporum:

« Beatissime Pater. Inter rerum philosophicarum scriptores eminere prorsus ac caeteris quibusquam praecellere sanctum Thomam Aquinatem, mirabili mentis perspicacitate atque acumine Scholarum Angelum iure merito nuncupatum, adeo cuique exploratum est, ut vel ipsi quibus scholasticis, ut aiunt, doctrinis adhaerere non libet, nihilominus tanti viri nomine et auctoritate gaudere et muniri studeant; illi autem qui Ecclesiam a Christo Iesu constitutam ausu sacrilego oppugnare adlaborant, eas ab Aquinate sapientissime traditas aggredi undequaque, ac, si fieri posset, demoliri pertentent, eo quod catholicam veritatem strenue confirment et invicte tueantur. Factum exinde est ut satis longo abhinc tempore apud nos Ecclesiae alumni iis praecipue documentis imbuerentur, quae apprime Thomisticis consonant: itidemque ea mens est ut in spem Ecclesiae adlecti,

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

praeeuntibus Seminariorum Professoribus, iisdem doctrinis animum omnino impendere satagant.

« Nunc vero auctoritate tua, Beatissime Pater, per Epistolam encyclicam *Aeterni Patris* exorsam, quam profusa laetitia et maximo excepimus obsequio, roborati, eo vel magis amplissimi Doctoris Philosophiam commendabimus, adeo ut alumni sacri, et, quantum in nobis est, laici ipsi nostris curis concrediti eam intimo amore et alacriori studio omnimode prosequantur.

« Interim dum enixis precibus Deum adprecamur, uti fausta quaeque tibi, Pater beatissime, concedat, teque diu incolumem Ecclesiae, quam tanta gubernas sapientia, et Christifidelium venerationi sospitare dignetur, humillime ad pedes tuos provoluti apostolicam benedictionem super nos nostrosque populos exoramus.

« Kal. septemb. anno MDCCCLXXIX.

« Iosephus M

« Iosephus Mª Archiep. Mutinensis
« Franciscus Episc. Guastallensis
« Gherardus Episc. Carpensis.
« Io. Baptista Episc. Massanensis
« Guido Episc. Reginensis ».

504. XVI. Litterae Rmi Archiepiscopi Urbini:

« Beatissime Pater. Perfectae in omnibus obedientiae, nec non profundissimae venerationis significationes, quas nuper et ego et meus Clerus tuis sanctissimis pedibus, Pater sanctissime, deposuimus, et pro quibus dignatus es grati tui animi sensus aperire, de nostro quoque studio in sapientissima tua Encyclica *Aeterni Patris* exsequenda certum te faciunt.

« Sed quoniam in nuperrimis tuis ad Eminentissimum sacrae Congregationis Studiorum Praefectum Litteris animi tui laetitiam aperis ob etiam expressum omnium assensum, ex quo una fit vox et una sententia, ne dedigneris hinc, Pater sanctissime, ut caeteris meis Confratribus mea quoque vox expresse consocietur, et per hanc meam certiorem insuper te faciam quod Angelici Doctoris Philosophia iam a triginta et insuper annis in meo Seminario fuit a me praescripta, et fideliter traditur. Caeteris vero in Scholis ab Episcoporum vigilantia et directione penitus avulsis, si quid forte obtinere mihi dabitur, omnem certe curam adhibere non omittam.

« Excipe, Beatissime Pater, ea qua soles benignitate hos quoque meos devotissimi et obedientissimi animi sensus, dum apostolicam benedictionem ad sacros pedes tuos provolutus expostulo.

« Sanctitatis tuae

« Urbini, 30 octobris 1879.

« Humillimus addictissimus fidelissimus Servus et Subditus

« Alexander Archiepiscopus Urbini ».

505. XVII. Litterae Rmi Archiepiscopi Pisani, Florentini, aliorumque Archiepiscoporum et Episcoporum Hetruriae:

« Beatissime Pater. Praeclarum quidem bonitatis divinae erga humanum genus testimonium ac iucundissimum ad bene sperandam socialis ordinis restaurationem argumentum habendum est, Deum O. M. turbulentissimis hisce temporibus Ecclesiae suae dedisse Pastorem, qui ad vigilem universi Dominici gregis custodiam sedulo incumbens, potentem suam ad Orbem universum vocem identidem immittit, quae et pravorum morum corruptelas ac blateratarum doctrinarum fallacias detegit, ostenditque mortalibus qua sit incedendum via ut salvi fiant, et ad agnitionem veritatis tuto perveniant. Huiusmodi profecto est Epistola encyclica, quam nuper, Beatissime Pater, ad universos catholici Orbis Episcopos dedisti. Etenim ex eminenti Sedis apostolicae fastigio perniciosam illam doctrinarum linguarumque confusionem circumspectans, doctissima pressaque argumentatione necessitatem Philosophiae ad Fidei catholicae normam instaurandae luculenter evincis, ut et bono Fidei et ipsi humanarum scientiarum dignitati provideatur. Fecunda enim, ut scitissime ipse animadvertis, malorum causa, cum eorum quae premunt, tum eorum quae pertimescimus, in eo consistit, quod prava de divinis humanisque rebus scita e scholis philosophorum iampridem profecta in omnes Civitatis ordines irrepserint communi plurimorum suffragio recepta. Gravissimo igitur huic morbo radicitus curando oportet omnino ut falsae scholarum illarum doctrinae profligentur, periculosae suspectaeque opiniones reformentur, atque sana Philosophia, a qua magna ex parte pendet caeterarum scientiarum nec non humanarum actionum ratio, ubique in Scholis iterum efflorescat.

« Quae autem huiusmodi sana sit Philosophia, cuius instauratio tantopere interest, Catholicorum nullum sanae mentis virum latet. Illa sane Philosophia, quae ab eo tramite nunquam deflexit quem veneranda Patrum antiquitas ingressa est, quam exinde mediae aetatis Doctores, quos Scholasticos vocant, a Patribus derivarunt, et in aptiorem commodioremque scientiae formam redegerunt, quamque omnium Scholasticorum Princeps et Magister Thomas Aquinas eo perfectionis provexit, ut ratio, quemadmodum ipse perbelle loqueris, ad humanum fastigium Thomae pennis evecta iam fere nequeat sublimius assurgere. Haec scilicet Philosophia est, quam tu Praedecessorum tuorum in romana Cathedra vestigiis inhaerens, Catholicis universis vehementer commendatam cupis, cuiusque fontes ut studiosae iuventuti large copioseque recludamus, nos Episcopos etiam atque etiam urges.

« Nos itaque, Beatissime Pater, sincero gratoque animo voluntati huic tuae libentissime obsequentes, omni ope adlaborabimus ut idipsum quod tantopere tibi cordi est, in nostris quoque Dioecesibus ubi summo Aqui-

natis nomen in honore habetur, ampliorem effectum sortiatur. Conabimur scilicet, ut Philosophia scholastica, quocumque auctoritas nostra protenditur, ad mentem divi Thomae, in iis nominatim quae scholasticae Philosophiae systema ac methodum spectant, tradatur, ipsaque sacra Theologia, gravi Scholasticorum more tractata, Revelationis et rationis coniunctis viribus, iure meritoque "invictum Fidei propugnaculum" haberi valeat.

« Ne autem, supposita pro vera, seu corrupta pro sincera bibatur, in eo erimus toti, quemadmodum tu quam opportune postulas, ut sapientia Thomae "ex ipsis eius fontibus" hauriatur, aut saltem "ex iis rivis, quos ab ipso fonte deductos adhuc integros et illimes decurrere certa et concors doctorum hominum sententia est:" ab iis vero, qui exinde fluxisse dicuntur, re autem alienis et non salubribus aquis creverunt, adolescentium animos arcendos curabimus. Ex alia vero parte, ne indoctis ac malevolis detur ansa ad hanc nostram erga auream sancti Doctoris sapientiam existimationem perperam calumniandam, palam aperteque tecum edicimus nos, dum sapientiam Angelici Doctoris extollimus, non eos esse profecto qui, si quid a Doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum, si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile, id in animo habeamus aetati nostrae ad imitandum proponere. E contra libenti gratoque animo excipiendum esse putamus quidquid sapienter dictum, quidquid utiliter fuerit a quopiam inventum atque excogitatum.

« Caeterum nos, summo in pretio habentes sancti Thomae sapientiam, sapientiae tuae praeclarissimae obsecundare pariter gestimus, id rati tibi Parenti optatissimo infallibilique Duci nostro gratissimum facturos. Qua quidem ratione, uti in tua admirabili Encyclica invicte demonstras, ad catholicae Fidei tutelam et decus, ad Societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum pariter consuluisse ac providisse, quantum in nobis est, arbitramur. Ex quo luculentius adhuc universis constabit Episcopos catholicos, dum ad Fidei tutelam ac incrementum impense, ut par est, incumbunt, de Societatis quoque ordine veroque scientiarum progressu optime mereri.

« Haec sunt, Beatissime Pater, quae ad animi tui solatium, ad aedificationem gregis nobis concrediti promere iamdiu optabamus. Interea ad apostolicam Cathedram provoluti, nobis nostraeque curae Christifidelibus commissis paternam benedictionem imploramus, filialemque nostram erga te reverentiam et obedientiam pariter profitemur.

« Novembr., anno 1879.

« Fr. PAULUS Archiep. Pisan.
« Eugenius Archiep. Florentin.
« Nicolaus Archiep. Lucan.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

« Ioannes Archiep. Senen.
« Fr. Seraphinus Archiep. Ep. Apuan.
« Ioannes Episc. Piscien.
« Ioseph Episc. Aretin.
« Nicolaus Episc. Pistorien. et Praten.
« Antonius Episc. Soanen. et Pitilianen.
« Fr. Leonardus Episc. Mutilan.
« Ioannes Baptista Episc. Cortonen.
« Raphaël Episc. Clusin. et Pientin.
« Fr. Ioseph. Massanem. Populonien.
« Ferdinandus Episc. Volaterran.
« Aloysius Episc. Fesulan.
« Raphaël Episc. Liburnen.
« Iustinus Episc. Burgi S. Sepulchri.
« Ioannes Baptista Episc. Grossetan.
« Marcellus Episc. Collen.
« Fr. Pius Albertus Episc. Drasen i. p. i., Coad. Episc. S. Miniatis.
« Felix Episc. Dioclen. i. p. i., Coad. Episc. Politian.
« Dominicus Episc. Ilcinen. ».

506. XVIII. Litterae Rmi Archiepiscopi Utinensis:

« Beatissime Pater. Quanto cordis gaudio et laetitia, quanta animi iucunditate me perfusum senserim statim ac novi in lucem prodiisse tuas encyclicas Litteras ad universi Orbis sacros Antistites datas: "De Philosophia christiana ad mentem sancti Thomae, Doctoris Angelici, in Scholis catholicis instauranda;" quanto mentis et voluntatis affectu ac veneratione eas perlegerim, sim meditatus, atque degustaverim, verbis exprimere haud valeo.

« Quis enim nostrum non admirabitur quanta cum sapientia in praefatis Litteris te singularem laudem et praeclara encomia solidissimis divi Thomae doctrinis merito tribuisse; qui prae Sanctis sanctus, prae Doctis doctus, Gentium vera, sanctorum Patrum testimonia, Scholasticorum sententias in unum coëgit ac perlucide ad primam veritatem per Ecclesiae doctrinam manifestatam, et ad ultimum hominis supernaturalem finem ita ordinavit, ut nedum catholicae veritatis et iustitiae et genuinae hominis libertatis atque omnis boni ac sancti invictus fuerit assertor: verum etiam acutissime et fortissime ad omnium modernorum misere errantium cavillationes et fallacias diluendas ac refellendas clavem praebuerit? Quis non recognoscet te Philosophiae christianae, divo Thoma auspice, duce, magistro, praestantiam, excellentiam, utilitatem clara maximaque perspicuitate explanasse, eiusdemque necessitatem demonstrasse; unam certo ad tantam errorum hodie grassantium colluviem ac malorum congeriem e-

medio Societatis tollendam; quae per syrtes dolosas exagitata raptatur, suaeque destructionis occultum fremitum persentit, quin tamen suorum originem malorum cognoscere velit ex ea Philosophia derivatam, quae a saeculis cum Fide suavia fregit vincula, supernaturalis revelationis lumen infallibile reiecit, atque in ipso homine, humanae rationis voluntatisque immemor imbellicitatis, normam ultimam omnis veri et boni posuit, prima veritate aeterna et immutabili repulsa, ac superbe dulci divinae auctoritatis iugo excusso?

« Beatissime Pater! De vaticana Sede mala omnia, quibus toto terrarum Orbe afflictatur et impetitur Ecclesia et humanum consortium, tu prospicis, fallique nescius medicinam porrigis: et nos, ceu filios docibiles laetabundos discere et remedia accipere oportet; tu de tenebris lumen splendescere facis: et nos mentis oculos aperire debemus; tu in via veritatis et iustitiae impavidus et securus incedis: et nos sancta tua vestigia premere opus est: consilia tua suffragari postulas: et nos consilia tua, veluti sancta praecepta aestimare et perficere pro viribus debemus.

« Haec mens mea, haec mea fides, quae ab oraculo Petri in sua Cathedra semper viventis, praesidentis, ac quaerentibus veritatem praebentis, Deo opitulante, non deficiet.

« Ita affectus ex intimo corde ad thronum tuum venerabundus pronusque accedens, paternis tuis monitis atque exhortationibus animi mei assensum plenissime praebere gestio, obsequium integramque submissionem tibi, qui es sancta Sedes, praestare festino; et ita me cum sacris Orbis Antistitibus, licet omnium in scientia minimus, non tamen ultimus in devotione, coniungens, tibi, pro consilio a Padre luminum, cuius Verbi incarnati verus es Vicarius in terris, inspirato, Philosophiam scilicet hisce tempestosissimis temporibus reformandi, et quidem ad modum a sapientia tua opportunissime propositum, gratias quam maximas ex imo pectoris agere gaudeo.

« Ego vel ab initio mei episcopatus, cum nempe, divina Providentia sic disponente, et Pii fel. rec. Papae IX expressa voluntate ad sedem Concordiensem evectus, Dioeceseos gubernaculum gererem, philosophandi diverso a mente Angelici Doctoris systemati pro alumnis praecipue Ecclesiae instituendis in illo Seminario aditum omnino praeclusi. Cum autem ad hanc archiepiscopalem sedem Utinensem, quam indigne recepi et occupo, fui promotus, non mediocri cordis exsultatione in Seminario archidioecesano doctum Philosophiae lectorem inveni alumnos imbuentem philosophicis doctrinis ex divi Thomae voluminibus tantummodo excerptis, et in compendium conlatis iam typis impressum.

« Quocirca, ut verbis utar Guillelmi Abbatis sancti Theodorici:[1] "Attendens divinae laudis mirificam materiam omnibus se offerentem... non vanitate praesumentis, sed fiducia diligentis" pro viribus spondeo me omnem vigilantiam curamque solertem adhibiturum, ut philosophicam doctrinam, quae ad mentem Doctoris vere Angelici hic traditur, continenter in posterum impartiatur; quinimmo, sicut tu, Pater sancte, in aeque sapientissimis Litteris ad eminentissimum Cardinalem De Luca recens datis praecipis, ego satagam, ut de die in diem suavius fortiusque explicetur ac dilatetur.

[1] In Praef. ad Vitam sancti Bernardi.

« Faxit Deus omnipotens, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, ut Leo de tribu Iuda rursus hostes superare valeat! Faxit Dominus noster Iesus Christus, ut per vocem infallibilis Vicarii sui, quae terrae Orbem commovit, Scholastica doctrina, quam mortuam volunt et vellent veritatis et iustitiae osores, in pristinum decus quantocius vindicentur: " est etenim ea, ut nuper aiebat perillustris Talamo, quae sola hominum necessitatibus satisfacit, conscientiae humanae sensibus respondet, omnibusque nobis in mundo militantibus solamen affert ea in spe quod vitae nostrae afflictiones et aerumnae praemium aeternum sint consecuturae. "

« Interim ad tuos sanctissimos pedes, Beatissime Pater, provolutus eosque sincera devotione deosculans, humillime rogo ac deprecor, ut pro me et grege infirmitati meae fidei concredito apostolicam benedictionem benigne largiri digneris.

« Utini, XI kal. novembris MDCCCLXXIX.

« Sanctitatis Tuae

« Humillimus, obsequentissimus, addictissimus Filius

« ANDREAS Archiepiscopus ».

507. XIX. Litterae Rmi Archiepiscopi Camerinensis, una cum Canonicis Metropolitanae Ecclesiae Camerinen., et Cathedralis Treiae.

« Beatissime Pater. Piissima mater Ecclesia, quam Iesus Cristus acquisivit sanguine suo, quovis sane tempore infensissimos plurimorum hostium debuit retundere conatus, qui impie immaculatam doctrinam, sive saluberrimam disciplinam, sive sapientissimas leges detrectantes omnia pessumdare ausi sunt, quae tum Religionis tum Societatis bono sedulo et optime cedunt. Sed miserrimis hisce diebus tam effrenata prodiit impietas eorum, ut nomine et sanctitate scientiae plurium Catholicorum etiam abuterentur, rationis iura nimia securitate efflagitantes, eiusque principatum in rebus Fidei et morum extollentes: ita ut et mysteria et quidquid aliud rationi impervium optime queat auxiliis tantummodo humanis et comprehendi et explicari. Quisque videt, sui compos, huiusmodi rationalistarum delirii fallaciam et perniciem: quo fit ut rationis autonomia semel in medium allata Religionis revelatae mysteriis ea tantum fides adhibeatur quam sug-

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

gerit ratio: et non amplius ratio ipsa Fidei, sed potius Fides rationi famuletur. Id inter alia evincunt principia quae doctrinis et elucubrationibus in lucem editis pseudophilosophi proferunt, quaeque ita disparata exhibentur tam in secundariis quam in fundamentalibus veritatibus, ut gentilium philosophorum operibus comparari queant, qui revelationis lumine miserrime destituti, quae sursum sunt sapere omnino nequiverunt.

« Damno tam gravi huiusce saeculi quis, Beatissime Pater, occurrere poterat, nisi tu, qui supremo et irreformabili Magisterio polles, qui Ecclesiae catholicae gubernacula sapientissime dirigis, qui humilia respicis ut fortia quaeque confundas, et quidquid confert ad viam virtutis Christifidelibus tute terendam vigilantissime provides, nisi tu, cui uni commissa est omnium cura ab eo qui sanabiles facit nationes?

« Verum fatear oportet, Beatissime Pater, me in diuturno pastoralis mei muneris exercitio summa qua potui diligentia curasse, ut fideles mihi concrediti a peregrinis fallacibusque doctrinis arcerentur, et sapientissimis institutionibus Doctoris Angelici imbuerentur, praesertim iuvenes in sortem Domini vocati. Nunc vero et in posterum id magis magisque efficiam plenissime adhaerens Litteris tuis quae incipiunt: *Aeterni Patris;* queis, sive spectentur sapientia ac prudentia in eis refulgentes, sive apostolicus zelus et ardens charitas veram diffundendi scientiam, scientiarum omnium fundamentum, sive amor veri progressus et ordinis socialis, pares nunquam vidit Orbis terrarum: in posterum, inquam, magis magisque efficiam ut una cum Clero Archidioecesis Camerinensis et Dioecesis Treiae mandatis et votis respondeam tuis, quae tu damnas damnando, vindicando quae vindicas.

« Pro tanto igitur munere ego praecipue, et totus Clerus utriusque Dioecesis innumeras gratias agimus Beatitudini tuae, omnimode confidentes quod huiusmodi Encyclicae universae Societatis et christianae Religionis iura vindicent, devios reducant, apostolicae Sedi gloriam adiiciant, eiusdemque Capiti supremo obedientiam et fidelitatem polliceantur.

« Appetentibus autem Domini nostri Iesu Christi Natalitiis nostrum esse duximus Sanctitati tuae fausta omnia ominari, vota Deo persolventes, ut multa per quinquennia in Petri Sede catholicae Ecclesiae bono eo usque consulas, et sapientia qua caeteris antecellis, Societatem ubique ruentem quasi ab interitu eripias.

« Talibus ominibus ad genua provoluti, et tuos sacratissimos pedes deosculantes, apostolicam benedictionem super nos, et super populum universum utriusque Dioecesis enixe imploramus.

« Fulginii, die 8 decembris, sacra Virgini labis nesciae, 1879.

« FELICISSIMUS Archiepiscopus Camerinensis
Admin. Ecclesiae Epis. Treiensis »

Sequuntur utriusque praefati Capituli subscriptiones.

508. XX. Litterae Rmi Archiepiscopi Firmani aliorumque Episcoporum provinciae Firmanae.

« Beatissime Pater. Inter sacrorum totius Orbis Antistitum, virorumque doctrina praestantium gratulationes et plausus, quibus excepta est sapientissima ac prorsus mirabilis Epistola tua *Aeterni Patris,* nos quoque, Episcoporum humillimi, Beatitudini tuae addictissimi, occasionem nacti proximae solemnitatis Immaculatae Virginis, malorum daemonum cunctarumque haeresum cervices proterentis, fateri laetamur nil melius, satius nil misera hac temporum conditione a te fieri potuisse, quo scientiarum dignitati, ac religionis emolumento magis provideretur, et aberrantes ad rectum sapientiae tramitem quantocius reducerentur. Exerens enim supremam illam qua divinitus potiris auctoritatem docendi omnes gentes, innisus coelesti numine tibi in Petro solemniter promisso, et acri ac subtilissimo quo natura polles ingenio usus, quae Ecclesiam civilemque Societatem pessumdant mala collacrymaris, eorum funestam causam scrutaris et invenis, ac vere salubria porrigis remedia, quorum vi et ea quae hodie patimur, et horribiliora quae in proximum formidamus ad irritum resolvantur, atque hoc tandem pacto sanae fiant nationes et iamdiu concupita Ecclesiae pax restituatur. Quae quidem remedia tibi divinitus adiuto pronum fuit ictu oculi invenire in aurea beati Thomae doctrina restituenda et propaganda: quam ad catholicae Fidei tutelam et decus, ad Societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum omnino redintegrandam, atque uti rectam philosophandi normam omnibus exhibendam curavisti. Hanc regulam nos adamussim secuturos tibi, Pater beatissime, ultro libenterque promittimus, sive in nostrarum Ecclesiarum alumnis philosophica ac theologica doctrina imbuendis, uti iam coeptum est, sive in Academiis quoad fieri poterit instituendis, quae Doctoris Angelici doctrinam servent, tueantur, propugnent iuxta methodum Principi illi Academiae praestituendam, quae in urbe, te duce et auspice providentissimo, caeterarum veluti norma ac moderatrix exsistet.

« Satis haec sint, Beatissime Pater, ad ostendendum animum nostrum summopere tibi obsequentem, ac intimo prorsus adhaesionis vinculo adstrictum. Interim Virginem labis nesciam enixe obsecramus ut tibi sapientissime incoeptam studiorum instaurationem ubique terrarum fortunet, et in genua provoluti tuosque sanctissimos pedes deosculati nobis et gregibus nostrae curae concreditis benedictionem apostolicam praestolamur.

« Beatitudinis tuae

« Dabamus ex Ecclesiastica Provincia Firmana, mense novembris 1879.

« Humillimi, addictissimi, obsequentissimi Famuli ac Subditi

« HAMILCAR Archiep. Firmanus
« Eleonorus Episc. Montis Alti

« Franciscus Episc. S. Severini
« Caietanus Episc. Maceratae et Tolentini
« Franciscus Episc. Ripanus
« Bartholomaeus Episc. Asculi Picentium sanctae Sedi immediate subiectus ».

509. XXI. Litterae Rmi Archiepiscopi Panormitani:

« Beatissimo Padre. Con l'animo compreso da ammirazione insieme e da profonda riverenza ho meditato sulla stupenda Enciclica *Aeterni Patris*, con cui la Santità Vostra ha mirato a fare rifiorire nel terreno della Chiesa la Filosofia dei santi Padri, e massime dell'Angelico Dottore san Tommaso, che è la sola valevole a rimettere l'ordine e la necessaria attinenza tra la Scienza e la Fede, tra la ragione e l'autorità, dal che dipende in gran parte il buon indirizzo allo studio della Teologia.

« Sì, Beatissimo Padre: sull'autorità del vostro supremo Magistero, e per l'ossequio dovuto alla vostra augusta parola, parto di sapiente intelletto, e di un amore immenso per risanare dalle piaghe che la desolano, l'attuale Società, io riconosco nella stessa pochezza della mia mente, che la rivolta contro l'autorità della Chiesa ha rovinato in uno la Scienza e la Società: e che gli errori in Filosofia, i quali preparano sempre i sociali rivolgimenti, sono stati la sorgente dei più grandi traviamenti della ragione a discapito delle verità soprannaturali.

« Voi l'avete proclamato dall'alto della Cattedra apostolica, ed io pienamente il riconosco, che l'uomo cristiano non può andare per la retta via senza la guida dell'autorità: il che importa che la vera scienza non può far senza della Fede. Dalla separazione, anzi dall'indipendenza dell'una dall'altra, ne vennero, come conseguenze immediate, l'Ateismo rispetto all'ordine religioso, il Fatalismo e la immoralità in quanto ai principi della vita pubblica o privata, il Socialismo ed il Comunismo nell'ordine della civile convivenza. Si è creata insomma una Filosofia, che inaridendo le pure fonti del vero e del buono, è finita col negare Religione, Famiglia e Società. Si è osato dire, che la Fede è la negazione del pensiero, e che la ragione non può essere libera quando è schiava dell'autorità. Nulla di più strano, nè di più contrario al fatto. E voi, Beatissimo Padre, siete venuto a dimostrarcelo chiaramente nella vostra Enciclica. I Padri della Chiesa e con la Fede e con l'autorità coltivarono e promossero con tanto frutto anche lo studio della sana Filosofia. Essi non disprezzarono la Filosofia dei Greci: invece la tennero in conto, e la credettero utile ai Greci stessi innanzi che Dio li avessi chiamati alla Fede, affinchè vi pervenissero per via di argomentazioni. Così la sana filosofia conduceva ad acquistare la sapienza, ed i Padri della Chiesa confortavano ad accettare per vero tutto ciò che di vero poteva rinvenirsi

nei filosofi. " Quaecumque ab iis dicta sunt, quae docent iustitiam cum pia scientia, hoc totum selectum philosophiam dico " scriveva san Clemente Alessandrino, il primo tra i Padri che abbia parlato delle attinenze della ragione con la Fede.

« I Padri in somma non ripudiavano il retto uso della ragione: se ne avvalevano invece per rendere più sicuro l'ossequio alla Fede. Ragionavano in ciò che era accessibile alla umana ragione, e sottostavano senza offesa della ragione all'autorità divina in ciò che oltrepassava il confine naturale della ragione: cioè procedeano con la ragione nella esplicazione delle verità umane; riparavano alla Fede per la credibilità dei dommi e delle soprannaturali verità. Così ragionando e credendo manteneano in onore il diritto della libera speculazione, impedendola a fuorviare, e quello altresì dell'autorità, che non contrariava la ragione. Era da un lato il " non plus sapere quam oportet sapere " di san Paolo, e dall'altro il " rationabile obsequium " del medesimo Apostolo. E sant'Agostino, che può riguardarsi come il fondatore della cristiana Filosofia, confermava tutto ciò dicendo: " È assai bella la distinta gradazione, con cui la Provvidenza di Dio porge la medicina all'anima, perciocchè Egli adopera l'autorità e la ragione; l'autorità richiede la Fede, e spiana la via alla ragione."

« San Tommaso d'Aquino poi, che in sè compendia tutta quanta la dottrina dei Padri riducendola a forma scolastica e scientifica, non ha seguito altro metodo che quello stesso dei Padri. Svolgendo una Filosofia, che per la grandezza ed estensione dei principi raccoglie quanto di vero e di buono aveva detto la ragione innanzi il Cristianesimo, gettò le basi di quel sodo e novello sapere filosofico, che armonizzando colla Rivelazione abbraccia tutto lo scibile umano in modo da destare la più alta maraviglia. Epperò a buon dritto per la di lui canonizzazione non furono richiesti dei miracoli, dicendosi " che tanti miracoli aveva egli operato, quanti articoli di dottrina aveva scritto." Basterà leggere i primi capitoli della Verità della Fede cattolica contro i Gentili, e le prime questioni della *Summa* per rimanere convinti che l'autorità non esclude, anzi richiede il retto uso della ragione, ed invece di essere la negazione del pensiero, lo guida pel suo libero e pieno svolgimento. La mente e la Fede fecero di san Tommaso l'Aquila degli ingegni, ed il Sole delle intelligenze, ed insieme l'Angelo delle Scuole. E questo grande Maestro, il più santo tra i Dotti, come il più dotto tra i Santi, ha in sè quanto si richiede per provare col suo esempio, che la Fede e l'autorità non sono contrarie al pensiero ed alla ragione filosofica, invece l'indirizzano, l'affermano, e le sono di aiuto per la sua libera esplicazione.

« Voi ci mostraste ad evidenza, o Beatissimo Padre, che l'essersi la Filosofia dei tempi nuovi scostata dalle norme sinora discusse, generò

una scienza vana e fallace, di che si sono lamentate le funeste conseguenze. Epperò ad ovviare a tutti i traviamenti degli intelletti a causa di questo falso indirizzo, dato dall'epoca della Riforma agli studi filosofici, qual rimedio più valevole e più sicuro di quello che voi ci inculcate, cioè di rifare il cammino, tornando alla Filosofia dei santi Padri, e massime dell'Angelo delle Scuole, nelle cui dottrine non avvi questione filosofica o teologica, che non sia stata trattata con libero uso di una sana ragione manocondotta ed illustrata dalla Fede?

« A questo restauro della Filosofia cristiana " ad mentem divi Thomae " voi intendeste con la sapientissima Enciclica *Aeterni Patris*. Ed in questo campo noi, custodi di una porzione del Gregge universale di cui voi siete il supremo ed infallibile Maestro e Pastore, sì in questo campo noi vi seguiremo con quell'ardore, che può inspirarci l'amore alla più nobile tra le umane scienze, e con quella sicurezza di felice successo, che non può mancarci dopo l'autorità della vostra parola.

« Ed io debbo in particolar modo attestarvi, o Padre Santo, che i conforti e le benedizioni vostre, che nella fine dell'anno scorso a voce implorai ed ottenni sulla riforma degli Studi filosofici " ad mentem divi Thomae " in questo mio Seminario arcivescovile, mi hanno potentemente sostenuto nella difficile impresa, coronata oggi, la Dio mercè, e la mercè delle vostre benedizioni, di buoni risultamenti. E non debbo più dubitarne per l'avvenire, quando quei paterni conforti, e quelle carissime e desideratissime benedizioni sono avvalorate ora con le sollecitudini della Santità vostra manifestate a tutta la Chiesa per mezzo dell'ammiranda Enciclica.

« Degnatevi pertanto, o Beatissimo Padre, di accogliere i ringraziamenti che io sento il dovere di rendervi per così segnalato benefizio, e di accogliere insieme le proteste mie, e quelle altresì dei Professori delle Scienze filosofiche e sacre, ed eziandio degli Alunni di questo mio Seminario, di non volerci neppure per un istante allontanare dalla buona via, in cui voi ci avete messo. Ed è con questa protesta che io prostrato ai vostri piedi imploro novella benedizione per me, per i Professori e per gli Alunni del Seminario, e per tutta questa mia Palermitana Diocesi.

« Della Santità vostra

« Palermo, li 15 settembre 1879.

« Umo Servo, e Figlio ubbmo in G. C.

« MICHELANGELO CELESIA Arcivescovo ».

510. XXII. Litterae Rmi Archiepiscopi Calaritani aliorumque Archiepiscoporum et Episcoporum Provinciae:

« Beatissime Pater. Admirationis gratique animi sensa, quae Litteris encyclicis tuis *Aeterni Patris*, in universo terrarum Orbe excitata sunt, haud poterant non excitari in Archiepiscoporum ac Episcoporum huius Insulae mentibus, quibus nihil unquam antiquius fuit, quam bonorum studiorum incrementum sollicitissime promovere. Opus tua sapientia plane dignum et rebus christianis maxime opportunum absolvisti, quippe qui huiusce tempestatis omnium malorum germanam originem prospexisti, ac damna inde provenientia, quantum in te est, penitus reparasti. Sane cum mala gravissima quibus hominum genus nunc undequaque premitur ex intellectualium conceptionum pertubatione oriantur, tu mentes ipsas viam quam percurrere, nec non principia et methodum iuxta quae in veritatis inquisitione se gerere debeant, sapientissime docuisti. Cum enim tibi in comperto sit ex studiorum severiorum despectu societatem et scientiam in horribili anarchia versari, utriusque salutem ex genuina verae doctrinae instauratione merito tibi polliceris: quandoquidem intellectum semper operatio sequitur. Atque dein est quod animos adeo exagitatos et discordes ad illius scientiae cultum vocas, qua reliquae nituntur omnino, quaque cognoscendi agendique principia unice instaurari possunt. Recte itaque asseruisti veram Philosophiae restaurationem scientiis omnibus, humanioribus litteris, bonis artibus, civili christianaeque Reipublicae plurimo emolumento futuram. Quoniam vero philosophica documenta in operibus Divi Thomae ita cumulate ac verissime tractantur, ut Philosophiae ipsemet personam sustinere in scribendo ferme videatur, et in suis operibus totam sanctorum Patrum totiusque retro antiquitatis sapientiam collegerit, iure merito ipsum omnibus proposuisti Magistrum, qui propriae aliorum doctrinam addens, stupendum humanarum cognitionum systema scientificum exhibuit. Experientiae quoque argumentum, quod tanti est recentioribus, stat pro te, Beatissime Pater: ex quo enim philosophi Aquinatis principia posthabita, novaque systemata invecta fuere, scientia eo usque a Fide descivit, ut Societati christianae inimica fere implacabilis evaserit. In hoc rerum statu nullum melius consilium ad finem consequendum, quam ut homines tandem eo revertantur, unde tot tantaque mala sibi illaturi insipienter aberrarunt: scientiae enim et societatis conditio eadem quae omnium creaturarum est, ut iisdem, quibus constant, principiis recreentur.

« Equidem in utroque Sardiniae Athenaeo, dum Auctoritati ecclesiasticae subiiciebatur, adolescentium animi semper principiis methodisque Aquinatis imbuebantur; cumque ad deplorandam temporum acerbitatem, tibi plane perspectam, Theologia in sacras Seminariorum aedes sese recipere debuit, unus divus Thomas Magister est habitus. Nunc vero post tuum summae apud nos auctoritatis documentum, quod quidem omnibus periucundum obvenit, utpote huius aetatis praecipuae necessitati apprime

respondens vehementiori animorum nisu incumbemus, ut cultus fulgidissimi huius scientiarum Solis magis magisque in dies augescat. Interea coniunctis tecum viribus, in id assidue contendemus, ut iuvenum mentes, qui tam parvo, proh dolor! numero in praesens apud nos sacrae militiae nomen dant, iuxta vota a te emissa excolantur. Ita ipsorum mentes amore illectae illius aetatis, qua praeclarissimi maiores nostri ex severioribus studiis nomen posteris memorabile reliquerunt, plurimum tanto exemplo proficient: discent ad veram rerum scientiam obtinendam gravibus opus esse studiis, et iuxta mentem tuam fecundanda esse semina latissime insita in Doctoris Angelici operibus, semina quae Deo O. M. favente opimam gignent messem: atque hinc scientia virtutibusque instructi adolescentes tum Patriae tum Religioni ornamento erunt.

« Ad pedes interim Beatitudinis tuae humillime provoluti, apostolicam benedictionem nobis ipsis nostrisque gregibus vehementer imploramus.

« Beatitudinis tuae

« Mense novembris, anno 1879.

« Humillimi, obsequentissimi Filii

« Ioannes Archiep. Calaritanus.
« Didacus Archiep. Turritanus
« Fr. Bonfilius Archiep. Arborensis
« Ioannes Bapt. Episc. Ecclesiensis
« Fr. Salvator Angelus M.ª Episc. Galtellinen. Nugoren.
« Franciscus Episc. Uxellensis et Terralbensis
« Ioannes Maria Episc., Algarensis
« Philippus Episc. Ampurien. et Templen.
« Paulus Episc. Oleastrensis
« Seraphinus Episc. Bisarchiensis
« Eugenius Episc. Bosanensis ».

511. XXIII. Litterae Rmi Archiepiscopi Lucensis una cum Canonicis et Professoribus:

« Beatissime Pater. Novum pignus nimiae illius charitatis qua Deus diligit mundum, nobis exhibet, Beatissime Pater, Epistola encyclica quam de instauranda Philosophia ad catholicae Ecclesiae Episcopos dare dignatus es. Innumera enim atque exitialia, quibus undique premimur mala, religioso ac sociali aedificio iamdiu super Evangelium extructo, ruinam parare nemo non videt. Unde autem haec mala? Proh dolor! ex abusu illius nobilissimae facultatis quam communem cum Angelis habemus, quaeque nos increatae intelligentiae similes reddit. Multi quippe sunt qui pseudophilosophorum superioris saeculi vestigiis inhaerentes a vera luce quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, oculos amovere

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

non reformidant, et antiquo illo mendacio: " Eritis sicut dii scientes bonum et malum," decepti ac decipientes, novam eamque infandam humanarum actionum normam tradere, novumque fundamentum praeter id quod positum est, ponere praesumunt. Inde fit ut populi sanam doctrinam amplius non sustineant, sed ad sua desideria coacervent sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertant, ad fabulas autem convertantur. Inde fit ut de miseris hisce temporibus illud prophetae dictum impleatur: " Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit." [1]

« Ast Deus infinite bonus qui hominem creavit, ut declinans a malo et faciens bonum ad vitam ingrederetur, ac pro eo in profundum malorum prolapso Filium suum unigenitum dedit, adhuc hominem diligit, et quia ipsum, veritate despecta, denuo in erroris tenebris ambulare videt, lumen vultus sui, quod super eum signare dignatus est, nativa et superaddita luce denuo effulgere desiderat. En sane quod ipse per te, Beatissime Pater, eorum qui scientia pollent intelligentias alloquitur, ut ad rectum rationis usum tandem aliquando redeuntes videant " tantum abesse ut superaddita Fidei lux intelligentiae virtutem extinguat aut imminuat, ut potius perficiat, auctisque viribus, habilem ad maiora reddat. " [2] O utinam te audiant tum ii omnes qui novatorum vestigia sectantes, liberum quemque esse dictitant quaelibet pro lubito excogitandi et docendi; tum qui " per Philosophiam et inanem fallaciam " Fidem oppugnare haud verentur; tum qui, posthabita Revelatione, atque illud usurpantes: " In coelum conscendam super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo, " unicum ac supremum in humana ratione magisterium constituere non dubitant, tum qui sicut equus et mulus quibus non est intellectus, in materialismi coeno volutari non erubescunt; tum qui domesticam ac civilem Societatem, citra quempiam ad Religionem respectum, regi posse stulte contendunt; tum qui humanas disciplinas, quaecumque eae demum sint, solis proprii ingenii viribus excolentes, magnum quod ex christiana Philosophia sibi polliceri possent, praesidium respuunt... Utinam te audiant, et intelligant, ut aliquando sapiant.

« Uberiores tamen ex Epistola tua, Beatissime Pater, fructus percipiet Ecclesia. Istaurata enim ubique gentium in catholicis Scholis vera Philosophia, illa scilicet per quam angelicum Thomae ingenium humanam rationem ad fastigium veritatis evexit, ut Revelatione illustrata, vices rependens Revelationis praesidium fieret, ecquis non videt eos ad quos pertinet, ministerium docendi homines esse facilius feliciusque impleturos?

[1] *Is.*, IV, 3.
[2] Encycl. *Aeterni Patris.*

Deus vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire; sed quia eos libertate donavit, ut, consummato cursu, donare eos posset corona iustitiae, Ministris salutis non cogendos, sed trahendos eosdem homines tradidit. Thomae autem doctrina, per quam cuncti debellantur errores, dubia tolluntur, fugantur tenebrae, et sole clarior lux veritatis effulget, quaeque " firmissima Fidei fundamenta, divinam illius originem, certam veritatem, argumenta quibus suadetur, beneficia in humanum genus collata perfectamque cum ratione concordiam tanta evidentia et vi commonstrat, quanta flectendis mentibus, vel maxime invitis et repugnantibus, abunde sufficiat "[1] homines profecto trahentur, rationabiliter trahentur, fortiter suaviterque trahentur ad Eum qui est via, veritas et vita, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivant in hoc saeculo.

« Deo igitur et tibi, Beatissime Pater, qui eo afflante, locutus es, sint grates perennes. Nos docili obsequio ac lubenti animo dicto parentes, ut studium in doctrinam sancti Thomae magis magisque augeatur pro viribus adlaborare nullo unquam tempore desinemus, ac proinde iuvenum mentes, eorum praesertim qui in sortem Domini vocantur, " sapientia Thomae ex ipsis eius fontibus hausta, aut saltem ex iis rivis quos ab ipso fonte deductos adhuc integros et illimes decurrere certa et concors doctorum hominum sententia est, imbuendas; ab iis vero qui exinde fluxisse dicuntur, re autem alienis et non salubribus aquis creverunt, arcendas, " sedulo curabimus.

« Faxit Deus, beata Virgine Maria et purissimo eius sponso beato Ioseph, ac beatis apostolis Petro et Paulo intercedentibus, ut vota tua, quae et nostra sunt, optato potiantur effectu, dum nos ad pedes Beatitudinis tuae provoluti apostolicam benedictionem enixe imploramus.

« Beatitudinis tuae

« Lucae, hac die 2 martii 1880.

« Humill. addictiss. Filii

« NICOLAUS Archiepiscopus Praeses ».

Sequuntur Praesidis ac Professorum Seminarii subscriptiones.

512. XXIV. Litterae Rmi Archiepiscopi Episcopi Melitae:

« Beatissime Pater. Encyclicae litterae, quas Sanctitas tua de Philosophia christiana ad mentem Angelici Doctoris instauranda nuper dedit, haud potuere quin obtemperationem et plausus, quibus ubique sunt exceptae,

[1] Encycl. *Aeterni Patris*.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

maxima in me nanciscerentur. Nam caeteris alia concedens, quod est catholici Episcopi proprium, Iesu Christi Vicarii auctoritatem vereri, iudicia sequi, si id mihi assumo, non arroganter mihi facere videor. Atque etiam illud accedit, quod Melitensis Clerus cum in philosophicis, tum in theologicis disciplinis sancti Thomae praeceptionibus potissimum institutus, Aquinatem Doctorum Principem colere, suum Ducem sequi, in summo denique honore et auctoritate habere semper assuevit.

« Quid itaque mihi aut iucundius aut honorificentius obtingere poterat, quam quod studiorum ratio, qua ipse sum usus et Melitensis iuventus in spem Ecclesiae succrescens utitur, apostolico probaretur oraculo, meque Sanctitatis tuae laudibus non indignum invenirem?

« Quapropter, Sanctissime Pater, caeterorum praesulum vocibus lubenter meam commisceo, ut diligentissimae observantiae et obsequii sensus, qui mihi in Epistolam encyclicam *Aeterni Patris* animo insunt, Sanctitati tuae etiam verbis patefaciam atque obtester, simulque pollicear me omni ope conaturum ut qui apud nos erga sancti Thomae nomen et doctrinas amor ardescit, ardentior in dies evadat.

« Divino autem auxilio, quo ut id efficiam egeo, copiosius me fruiturum confido, si Sanctitas tua apostolicam benedictionem, quam ad pedes provolutus enixe peto, mihi dignata fuerit impertiri.

« Sanctitatis tuae

« Melitae, die 24 novembris 1879.

« Humillimus, obsequiosissimus Filius et Servus

« CARMELUS Archiep. Epis. Melitae ».

Sequuntur Litterae Professorum Seminarii.

513. XXV. Litterae Rmi Archiepiscopi Iadrensis una cum Professoribus Seminarii;

« Beatissimo Padre. V'ha come è noto alla Santità vostra, nella città di mia residenza, Zara, capitale della Dalmazia, un Seminario Teologico provinciale, nel quale vengono accolti per ragioni di studio, tutti i chierici delle altre cinque diocesi dalmate.

« Dacchè or sono varî anni, lo studio delle scienze filosofiche è andato quasi a cessare nei pubblici ginnasi, si trovò necessario di dare maggiore estensione nel Seminario Teologico allo studio della Filosofia, come amminicolo indispensabile per intendere e sviluppare convenientemente le Dottrine sacre.

« In tale studio i principî dell'Angelico Dottore san Tommaso fedelmente interpretati da dottissimi scrittori anche recenti, furono sempre

guida e norma dei Professori del Seminario Teologico, i quali negli ultimi tempi del glorioso pontificato del vostro Predecessore, l'immortale Pio IX, aveano meco fervidamente implorato che agli Istituti Teologici della cristianità fosse assegnato quale Patrono il Santo che avea dettata la *Somma*, giudicata degna dai Padri del sacrosanto Concilio Tridentino di stare aperta in sull'altare nel mezzo dell'aula delle adunanze insieme coi codici della sacra Scrittura e coi Decreti dei romani Pontefici.

« E quasi anticipando la realizzazione di quel voto ardente, dal 7 marzo dell'anno corrente, ad onorare il giorno sacro all'Angelo della Scuola, si tiene nel Seminario una pubblica Dissertazione teologica su tesi proposte a guisa di concorso alla studiosa ecclesiastica gioventù, al cui progresso scientifico volle provvedere un benemerito sacerdote diocesano, con un premio assicurato da apposita fondazione.

« Ma un impulso più efficace allo studio indefesso delle dottrine dell'Aquinate si ebbero i Professori del Seminario dall'ammirabile Lettera enciclica *Aeterni Patris*, che voi, in mezzo al plauso universale e riconoscente del mondo cattolico nel p. p. agosto vi siete compiaciuto di emanare; Lettera, nella quale avvisaste di indicare la via più sicura per raggiungere la verità, oggetto dell'umana ragione e della celeste sapienza.

« Che se voi, Beatissimo Padre, avete voluto additare come fonte di sane dottrine i principî di san Tommaso, e dichiaraste che la ragione sulle ali dell'Angelico Dottore, quasi disperando di salire più in alto, era stata portata al sommo della sua grandezza, e la Fede difficilmente potea ripromettersi dalla ragione aiuti maggiori e più potenti di quelli che oramai, in grazia di san Tommaso, avea ottenuti: io ed i Professori ai quali ogni vostro desiderio è sacro, ci faremo dovere, di dargli espressione colla piena adesione delle nostre intelligenze, dalla vostra autorevolissima parola avvalorate.

« E questo cómpito riescirà più grato nei tempi che corrono: tempi di sofismi e di errori mai abbastanza deplorati, pell'abbandono appunto di quei veri filosofici che congiunti in santa armonia colla Fede, finchè dominavano nelle Scuole, aveano tenuto lontana la società cristiana dalle aberrazioni, che ora funestano le varie scienze sociali; aberrazioni, a cui togliere è ora mai unanime il grido di restaurare sulle basi delle dottrine, che in san Tommaso ebbero il più cospicuo rappresentante, le scienze sacre e profane.

« Nelle opere perciò dell'insigne Filosofo cristiano i Professori del Seminario Teologico intendono di attingere nell'avvenire con miglior lena le dottrine, che comunicheranno indi ai loro discepoli, ai quali col principio dell'anno scolastico p. v. verranno esposti in ispeciali corsi d'istruzione i principî razionali professati dal Santo, e ciò allo scopo della più soda cultura scientifica, e per andar, in questo modo, incontro con figliale obbedienza alla vostra paterna parola.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

« Così operando sono persuasi eziandio di far cosa desideratissima a tutti i venerabili Vescovi delle Diocesi Dalmate, ai quali la sapiente Enciclica del loro Padre e Pastore ha recato grande consolazione; sicuri che i Chierici delle loro Diocesi troveranno nello studio più approfondito delle dottrine propugnate da san Tommaso un aiuto efficacissimo in difesa della verità. Piacciavi, Beatissimo Padre, di accogliere cogli umilissimi sentimenti della mia profonda e figliale venerazione, anche quelli dei sottoscritti Professori, mentre nel bacio dei sacri piedi imploriamo tutti con effusione di cuore assieme agli allievi del Seminario la vostra apostolica benedizione.

« Zara, li 20 novembre 1879.

« Della Santità vostra

« Umilissimi Figli e Servi

« Pietro Daimo Arcivescovo ».

Sequuntur Rectoris et Professorum subscriptiones.

514. XXVI. Litterae Rmi Archiepiscopi Antibarensis et Scodrensis aliorumque Episcoporum provinciae Albanensis:

« Beatissime Pater. Quam nuper dedisti, Beatissime Pater, encyclicam Epistolam ad omnes catholicae Ecclesiae Episcopos de Philosophia christiana ad mentem sancti Thomae Aquinatis in Scholis catholicis instauranda, nos Albanensis provinciae Antistites profusis gaudiis, et maximo, ut par erat, excepimus obsequio. Ex ea quippe intelleximus nihil tibi antiquius, nihil optabilius esse quam ut sapientiae rivos purissimos ex iugi ac praedivite vena tanti Doctoris dimanantes, studiosae nostrae iuventuti large copioseque praebeamus. Et licet in Seminario nostro Scodrensi, quod Collegii Pontificii Albanensis nomine gloriatur, iam inde ab eius exordio adolescentes, qui in spem Ecclesiae crescunt, iis praecipue documentis imbuantur, quae thomisticis apprime consonant, auctoritate tamen tua roborati, eo vel magis Aquinatis Philosophiam commendabimus, adeo ut Alumni sacri, praeeuntibus Professoribus, eam intimo amore et alacriori studio in dies prosequantur. Eius quippe doctrina est, quam summi Pontifices, generalia Concilia, eximii philosophi effusis laudibus commendarunt, quique ideo non communi hominis vocabulo, sed Angelici, quod eius ingenio, sapientiae, moribus, sanctitati debetur, tanquam proprio et singulari appelletur.

« Interim dum enixis precibus Deum adprecamur uti te diu, Beatissime Pater, incolumem Ecclesiae et Fidelium bono sospitare dignetur, humillime in genua provoluti super nos nostrosque populos apostolicam benedictionem exoramus.

« Datum Scodrae, die 15 octobris 1879.

« Sanctitatis tuae

« Humillimi, obseq. Filii

« CAROLUS Archiep. Antibaren. et Scodrensis
« Franciscus Episc. Alexiensis
« Fr. Albertus Episc. Pulatensis
« Fr. Iulius Episc. Sappensis
« Paschalis Guerrini Episc. Paphensis i. p. i. Auxiliaris Archiep. Antib. et Scodren ».

515. XXVII. Litterae Rmi Archiepiscopi Atheniensis et Rmi Archiepiscopi Naxiensis:

« Beatissimo Padre. L'ammirazione ed il plauso, la riverenza ed il giubilo con cui l'Orbe cattolico accolse l'imperitura Enciclica *Aeterni Patris Unigenitus,* chiaro addimostrano, Beatissimo Padre, che la vostra sapienza viene dall'alto, e che il divin Paracleto coi celesti suoi doni illustra e feconda l'elevatezza della vostra mente, per modo che tutti debbano riconoscere oggi come allora che " Petrus per Leonem locutus est; " e che la divina autorità del Principe degli Apostoli, come nel Magno Leone, così in voi suo degnissimo erede, mirabilmente si manifesta e risplende.

« Minimi nell'onor dell'episcopato, ma a nessuno secondi nell'ossequioso attaccamento, e nella perfettissima sommissione a codesta Cattedra infallibile di verità, noi sentiamo il bisogno di unirci concordi ed unanimi agli illustri nostri Confratelli dello Universo, onde venire riverenti ai piedi dell'augusto vostro Trono, e deporvi l'omaggio della figlial nostra venerazione, l'espressione sincera della profonda nostra gratitudine, e della più perfetta adesione.

« Dall'eminente specola in cui Iddio nella infinita sua sapienza vi ha collocato, costituendovi reggitore supremo della sua Chiesa e depositario infallibile delle verità rivelate, vedeste, Beatissimo Padre, con sagacissimo sguardo, in tutta la mostruosa sua ampiezza, la piena degli errori e dei mali, la corruzione ed il guasto che a guisa d'impetuoso strabocchevol torrente invadono e allagano il mondo, minacciando di rovesciare e conquidere ogni ordine, e sulle rovine della cattolica Chiesa e della cristiana civiltà, innalzare a divinità la turpitudine e la menzogna!

« Ma coll'accertare il male, vedeste ancora con occhio sicuro la funesta sua origine; e nell'additarla all'Episcopato ed al mondo, suggeriste ancora l'antidoto ristoratore!

« Voi lo diceste, Beatissimo Padre, lo sconsiderato abbandono dei certi razionali criteri e della sana Filosofia, quale si insegna negli immortali volumi dell'Angelo delle Scuole san Tommaso d'Aquino, fu la causa precipua dello scadimento e delle aberrazioni di questa nobile disciplina, e la funesta cagione dei mali che affliggono e contristano il mondo.

« Ed è perciò manifesto che solamente il pronto e sincero ritorno al metodo ed alle ammirabili dottrine filosofiche dell'Aquinate, coi temperamenti ed aggiunte da voi suggerite, può arrestar il cammino trionfale dell'errore e della depravazione, ristorare i danni patiti, e dischiuder la via ad un'èra novella di verace sapienza e di fede: d'ordine e di morigeratezza!

« Educati per divina clemenza in codesto venerabile vostro Collegio di " Propaganda Fide," noi apprendemmo fino da giovanetti a riverir ossequiosi nel grande dottor san Tommaso, un maestro sagace, un duce agguerrito e sicuro, un oracolo infine, non meno nelle teologiche, che nelle filosofiche discipline, e ad attingere con avidità negli inesauribili tesori che il potente suo genio ha accumulato.

« Sarà adunque per noi cómpito giocondissimo e caro l'ottemperare ai venerati comandi della Santità vostra, sia col propugnare e difendere, sia col diffondere, quanto sta in noi, quelle auree ed immortali dottrine.

« Il che, giova sperare in Dio, ci sarà dato compiere in più larga misura tra breve, quando finalmente si effettuerà a Naxos la sospirata fondazione del Seminario comune alle Diocesi greche, onde provvederle di un Clero nazionale dotto e zelante, e nel quale ogni cura sarà da noi impiegata, affinchè l'insegnamento delle filosofiche discipline si faccia, " secundum mentem et secundum principia " di San Tommaso, come pei Seminari e Collegi di Roma la Santità vostra ha ordinato...

« Confidando nella sapienza e nella paterna benignità di vostra Beatitudine, preghiamo fervorosamente Iddio Signor nostro, perchè le conceda lunghi e felicissimi anni, e la grazia di veder coronato da lieto e splendido successo ogni suo divisamento ed intrapresa.

« Prostrati quindi al bacio dei santissimi piedi, imploriamo per noi e pel rispettivo nostro Clero e Gregge l'apostolica benedizione, e ci protestiamo

« Della Santità vostra

« Il dì 25 novembre 1879, festa di santa Caterina V. M.

« Umi dmi obbmi Servi e Figli

« Giov. MARANGÒ Arciv. d'Atene Deleg. Apostolico
« Giuseppe Zaffino Arciv. di Naxos Metropolitano ».

516. XXVIII. Litterae Rmi Archiepiscopi Rhemensis:

« Très-saint Père. Que votre Sainteté permette à l'Archevêque de Reims de mêler sa voix au concert de louanges et de reconnaissance qui accueille, dans l'Eglise catholique, l'admirable Lettre encyclique *Aeterni Patris*, du 4 août dernier.

« Si j'avais écouté la première inspiration de mon cœur, je serais venu, il y a déjà longtemps, remercier votre Sainteté, et la prier de croire à la plus complète obéissance du Clergé de Reims non seulement à ses volontés, mais à ses désirs.

« J'ai cru devoir attendre la reprise des cours scolaires de nos établissements d'éducation ecclésiastique, afin de faire entendre à tous nos Professeurs, particulièrement à ceux qui sont chargés de l'enseignement de la Philosophie et de la Théologie, votre parole et vos exhortations.

« C'est avec bonheur, très saint Père, que nous avons lu les encouragements que vous daignez accorder à ceux qui sont entrés dans la voie d'une restauration de la Philosophie en s'appliquant à remettre en honneur la belle doctrine de saint Thomas d'Aquin.

« Il y a quelques années, en effet, que, nous souvenant des graves enseignements donnés par les Pontifes romains, vos prédécesseurs, nous avons abandonné cette philosophie moderne, dont, par le malheur de notre siècle, nous nous sommes trouvés involontairement imbus; et que nous sommes revenus à celle qui a fait, de tout temps, l'honneur de l'Eglise, et, en particulier, la gloire de notre Diocèse qui compte, parmi ses illustres enfants, le P. Billuart, du monastère de Reims, l'un des meilleurs commentateurs de saint Thomas. Si bien, très saint Père, que depuis deux ans, afin d'accentuer davantage le progrès commencé sous l'épiscopat de mon vénérable prédecesseur, et pour inspirer à tous l'amour de la vraie doctrine, j'ai mis entre les mains des Elèves et des Professeurs de nos trois Séminaires, pour être étudiée et expliquée, la *Somme philosophique* de l'Eminentissime P. Zigliara, que dernièrement Votre sainteté honorait de la pourpre romaine.

« Ce changement fut accepté avec d'autant plus de joie et d'empressement, que déjà les saines doctrines philosophiques, recommandées par votre Sainteté, étaient expressément et chaleureusement propagées dans notre grand Séminaire.

« L'année dernière, malgré la pénurie de prêtres dont souffre le Diocèse et le surcroît de dépense qui résulte de cette mesure, j'ai ajouté une année d'étude aux quatre qui se faisaient déjà au grand Séminaire, afin de pouvoir en consacrer deux complètement à la Philosophie Scolastique, et relever ainsi le niveau général des études.

« Tels sont, très saint Père, les efforts que j'ai tentés pour rendre,

à la Philosophie catholique, la place qu'elle n'eût jamais dû perdre, et qu'un siècle léger ne lui a pas enlevée impunément dans notre pays. Car, qui pourrait compter le nombre d'erreurs engendrées par la philosophie moderne?

« Aussi, très saint Père, est-ce pour nous tous une grande joie et le sujet d'une grande espérance de connaître si clairement vos nobles desseins, et de recevoir, avec vos exhortations, vos précieux encouragements; nous sommes persuadés, qu'en y répondant avec toute l'ardeur de notre dévouement à votre Personne sacrée, nous accomplirons, pour le salut d'un grand nombre, une œuvre de conversion et de sanctification.

« Fasse le Dieu des sciences, par l'intercession de la glorieuse Vierge Marie et du Docteur Angélique saint Thomas, que nous soyons fidèles, selon notre désir, aux conseils de votre Sainteté; et puissions-nous, par là, vous témoigner, très saint Père, notre profonde reconnaissance et notre entière soumission.

« C'est la grâce que nous attendons de votre bénédiction apostolique. Je prie humblement votre Sainteté de daigner la répandre, à cet effet, spécialement sur l'Archevêque, les Directeurs et Professeurs de nos trois Séminaires et sur leurs élèves.

« Je suis, très saint Père, avec le plus profond respect

« De votre Sainteté

« Le très humble et très obéissant Serviteur et Fils

« Benoît Marie Archevêque de Reims ».

517. XXIX. Litterae Rmi Archiepiscopi Senonensis:

« Beatissime Pater. Litteras encyclicas de Philosophiae studiis ad omnes catholici Orbis Antistites a Sanctitate vestra directas admiratione pari ac veneratione accepimus. In sublimi namque Principis apostolorum Cathedra sedens et e summa illa specula tot tantaque prospiciens mala, quibus hodiernis temporibus Religio premitur necnon civilis Societas, horum esse praecipuam causam malorum inanem fallacemque philosophiam probe Sanctitas vestra intellexit. Et re quidem vera non aliunde nisi e falsi nominis philosophia prodeunt tot opiniones impiae, tot perversa systemata non solum adversus christianae Religionis mysteria sese extollentia, verum etiam adversus illas veritates quas homines apertissime docet ratio naturalis. Non aliunde etiam nisi ex illa pravarum doctrinarum congerie oritur iniquissimum quod adversus Ecclesiam ipsamque Societatem humanam incessanter geritur bellum.

« Itaque cum haec Sanctitati vestrae mens saluberrima fuerit, malis quibus affligimur, remedia praestare et futuris occurrere, ipsa necesse habuit veram sanamque Philosophiam sua suprema auctoritate commendare. Sed ea non est sana philosophia quae Fidei contradicit, non enim veritas contradicit veritati, nec lumini naturali lumen supernaturale. Ratio namque

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

et Fides ab uno eodemque Deo qui summa ratio, summa veritas est, hominibus, etsi non eodem modo, infunduntur. Ea porro sana est Philosophia, quae vim rationis et simul debilitatem limitesque agnoscens, etiam confitetur divinam revelationem magno rationi humanae adiumento esse, sive ad investigandam veritatem, sive ad vitandos et revincendos errores.

« Haec est autem Philosophia Scholastica.

« Ipsa sanctorum Patrum doctrinis insistens novit iura rationis Fideique conciliare, viresque suas ad Fidem gignendam, nutriendam, defendendam et roborandam vertere. Huius vero Philosophiae Scholasticae principia doctrinasque copiose Doctor Angelicus explanavit. Nulla de his quae circa Ontologiam, Theodicaeam, Anthropologiam gravissimis moventur quaestionibus, non pertractata reliquit, atque ea doctrinae integritate et veritate, ut nihil in eius operibus inveniatur quod catholico dogmati repugnet. Testes sunt Pontifices romani, ipsaque Concilia oecumenica, quae toties divi Thomae doctrinam approbarunt, summis laudibus extulerunt, ac instanter commendarunt.

« Quae cum ita sint, Beatissime Pater, nihil opportunius, nihil utilius ad scientiae philosophicae instaurationem Sanctitati vestrae perficere fas erat, quam ipsam diutius neglectam divi Thomae Philosophiam Scholis catholicis redonare, et in sede honoris pristini collocare. Quod si praecellens Sanctitatis vestrae coeptum felici exitu contigerit, uti fidenter a Domino speramus, mirabilis quidem eveniet hominum rerumque conversio. Novus, si licet ita loqui, nascetur ordo, nova nascetur aetas, reflorescet religio, cessabunt adversus Ecclesiam catholicam calumniae, praeiudicatae iniustaeque opiniones; innumera quae humano generi contulit beneficia nemo non agnoscet, ipsamque veritatis magistram, et omnis veri nominis civilitatis verique progressus originem cuncti venerabuntur. Pax itaque humanae Societati renascetur, securitas, prosperaque felicitas.

« Quapropter Sanctitatis vestrae gloriose coepta iuvare in votis habemus, et maxime nobis curae erit, ut in scholis auctoritati nostrae obnoxiis philosophicae disciplinae secundum Doctoris Angelici methodum et principia tradantur, eiusque saluberrimam doctrinam commendare haudquaquam praetermittemus.

« Interea, Beatissime Pater, instantes ad Deum, scientiarum Dominum, preces fundimus ut vestrae Sanctitatis incoeptum ad optatissimum finem in catholicae Religionis et Societatis humanae bonum feliciter perducat.

« Sanctitatis vestrae

« Obsequentissimi ac devotissimi Servi et Filii

« Victor Felix Archiep. Senonensis, Metropolitanus
« Petrus Simon Ludovicus Maria Epis. Molinensis
« Petrus Ludovicus Maria Cortet Epis. Trecensis
« Stephanus Antonius Alfridus Lelong Epis. Nivernensis ».

518. XXX. Litterae Rmi Archiepiscopi Rhedonensis:

« Très saint Père. Permettez-moi d'offrir à votre Sainteté le religieux hommage de ma profonde reconnaissance et de mes plus respectueuses félicitations au sujet de l'Encyclique qu'elle vient de publier sur la restauration de la Philosophie chrétienne.

« La seule annonce de son apparition prochaine avait ému l'opinion, mais si grande que fût l'attente de tous, elle a été dépassée. Je ne prendrai pas la liberté de louer cette œuvre magistrale, qu'on ne saurait lire sans admirer, avec la beauté du langage, la profondeur de la doctrine, l'ampleur des vues, la richesse de l'érudition, la vigueur calme et sereine du raisonnement, la douceur du Père commun unie à la fermeté du Docteur universel.

« J'accomplis un devoir et j'obéis au mouvement de mon cœur en venant sans tarder, pour mon humble part, vous remercier, très saint Père, non seulement du service signalé que vous rendez aux bonnes études et à la vraie science, mais aussi du puissant secours que vous apportez à l'Eglise entière, et en particulier aux Evêques et aux catholiques de France dans la guerre violente que la haine et l'ignorance liguées leur déclarent. Jamais on ne fit plus éclatante justice des griefs mensongers que, malgré d'incessantes réfutationes, on ne se lasse pas de formuler contre la Religion, qui seule garde à l'homme sa dignité, alors que l'erreur l'amoindrit et le déshonore. Cette éloquente et victorieuse revendication des droits de la fonction et de la puissance de la raison humaine, qu'on nous accuse de méconnaître, dissipera un grand nombre de préjugés et fera tomber de funestes préventions: elle aura ainsi, même dans le monde politique, la plus salutaire influence.

« Quand votre choix, très saint Père, m'a appelé à recueillir, sur le siège de Rennes, l'héritage de l'éminentissime Cardinal Saint-Marc, je me suis réjoui de trouver aux mains des élèves de mon Grand-Séminaire le livre excellent du professeur Sanseverino, qui marche fidèlement sur les pas du Docteur Angélique. Je n'ai donc pas le mérite d'avoir en ce point prévenu le désir si motivé de votre Sainteté, mais je serai heureux d'y répondre, en insistant, dans toute occasion, pour que la doctrine et la méthode de saint Thomas soient de plus en plus dans mon clergé, dans mes Séminaires et mes maisons d'éducation diocésaines, la règle des études et la base de l'enseignement.

« Il m'est impossible d'oublier qu'après-demain est le jour, particulièrement cher désormais aux cœurs catholiques, où l'Eglise célèbre la fête de saint Joachim. Il m'a été bien doux, dans les solennités de sainte Anne que j'ai présidées à Auray, d'inviter nos bons Bretons à prier pour votre Sainteté, en même temps que leur glorieuse Patronne, son très saint

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

Epoux. Je déposerai de nouveau après-demain mes vœux les plus fervents aux pieds de Notre-Seigneur, en le suppliant d'accorder à votre Sainteté de nombreuses années, de la combler de bonheur et d'exaucer tous ses saints désirs.

« Daignez agréer, très saint Père, l'hommage du profond et filial respect avec lequel je suis

« De Votre Sainteté

« Le très humble, très obéissant et très dévoué
« Serviteur et Fils

« CHARLES PHILIPPE Arch. de Rennes.

« Rennes, le 15 août 1879 ».

519. XXXI. Litterae Rmi Archiepiscopi Bisuntini:

« Très saint Père. Je ne veux pas différer plus longtemps de vous exprimer mon admiration pour votre Lettre encyclique *Aeterni Patris*, et de remercier votre Sainteté du service qu'elle vient de rendre à l'Eglise et à chacun de nos Diocèses, en publiant ce magnifique travail.

« Comme j'ai eu la consolation de le dire à votre Sainteté, à l'occasion de mon voyage *ad limina*, j'ai déjà introduit depuis deux ans l'enseignement de saint Thomas dans mon école ecclésiastique de Philosophie, en mettant entre les mains de nos Séminaristes le Manuel du R. P. Zigliara, dont vous avez récompensé si noblement le mérite par son élévation à la dignité cardinalice. Cette innovation a produit les plus excellents résultats. Elle a préparé merveilleusement les jeunes élèves à la méthode théologique du Docteur Angélique en vigueur dans mon Grand Séminaire, et j'ai pu constater, aux derniers examens, les progrès qui ont dépassé toutes mes espérances.

« Mon Clergé et mes Professeurs en particulier n'ont donc qu'une voix pour exalter votre belle Encyclique, et nous bénissons tous Dieu de nous avoir donné un Pontife dont l'intelligence et le nom sont à la hauteur des besoins actuels de l'Eglise, et qui sait si bien trouver les moyens de remédier à toutes les plaies de nos sociétés contemporaines.

« Daignez, très saint Père, répandre sur moi et sur le troupeau confié à ma sollicitude votre bénédiction apostolique, et agréez l'hommage de la profonde vénération

« De votre dévoué Serviteur et Fils

« JUSTIN Archev. de Besançon.

« Besançon, le 31 octobre 1879 ».

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

520. XXXII. Litterae Rmi Archiepiscopi Aquensis aliorumque Episcoporum:

« Très saint Père. L'Archevêque et les Evêques soussignés de la province d'Aix, se trouvant heureusement réunis, saisissent cette occasion pour témoigner humblement à votre Sainteté les sentiments de respectueuse et profonde reconnaissance que leur inspirent les lumineux enseignements de son Encyclique *Aeterni Patris*.

« Jamais, peut-être, très saint Père, la science n'a été plus qu'à notre époque hautement préconisée. Un trop grand nombre d'hommes de cette génération l'exaltent jusqu'à prétendre éteindre, avec la pâle lueur de son flambeau, les éclatantes lumières de la Révélation. Cependant grâce à ces apôtres " falsi nominis scientiae," il n'y eut jamais moins de vraie science parmi nous.

« Et comment pourrait-il en être autrement, très saint Père, alors qu'on ignore si généralement les éléments mêmes de la Philosophie, premier principe et source unique de toutes les sciences humaines?

« En nous remettant à l'école du Docteur Angélique pour la Philosophie, comme pour la Théologie, l'infaillible Gardien de la science divine s'est fait le restaurateur incomparable de la science humaine, et il nous est maintenant permis de dire de notre Maître sur la terre ce qui s'est toujours dit de notre Maître dans les cieux: " Scientiarum Dominus est."

« Fils obéissants du Pasteur des Pasteurs, nous nous empressons, très saint Père, de nous conformer en tout et pour tout aux intentions de votre Sainteté, et nous ne négligerons aucun moyen de remettre en honneur dans l'enseignement de nos Séminaires cette *Somme* de saint Thomas, qui semblait depuis longtemps le livre fermé de sept sceaux, et que seul pouvait rouvrir en nos jours l'auguste Représentant du Lion de Juda: " Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula eius. "

« Nous nous prosternons à vos pieds, très saint Père, en vous priant de nous bénir avec nos Diocèses, et en vous offrant l'hommage du très profond respect, avec lequel nous avons l'honneur d'être:

« Aix, le 21 octobre 1879.

« De Votre Béatitude,

« Les très humbles, très obéissants
et très fidèles Serviteurs et Fils

« AUGUSTIN Arch. d'Aix, Arles et Embrun
« Julien Ev. de Digne
« Ferdinand Ev. de Fréjus et Toulon
« Paul Ev. d'Ajaccio
« Louis Ev. de Marseille ».

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

521. XXXIII. Litterae Rmi Archiepiscopi Avenionensis:

« Très saint Père. Je veux avec mon Clergé et mon peuple, vous témoigner ma reconnaissance et mon admiration pour l'Encyclique *Aeterni Patris*, où vous nous avez parlé de saint Thomas de manière à ce que nous avons cru que c'était lui qui nous parlait, que c'était lui qui était venu s'expliquer et se commenter lui-même.

« Tous les siècles ont eu des Docteurs chargés de rendre plus visibles par leur enseignement les vérités saintes, et le nôtre, à qui il est donné d'entendre de si belles choses, paraît déjà pressentir le sien.

« Dieu devait, ce semble, une faveur particulière pour le siècle qui avait défendu le saint tombeau, qui avait donné tant de sang pour la Cause sainte, qui avait saint Louis pour un de ses rois.

« A ceux qui avaient précédé, il avait donné une lumière, à celui-ci il a voulu donner davantage, il a donné un soleil, il a donné saint Thomas, génie immense, qui s'étendit à tout, qui mit toutes choses dans l'unité de son livre, comme Dieu a mis toutes choses dans l'unité du sien; qui, dans ses heures de méditation, mettait dans sa Théologie profonde et compréhensive les questions les plus ardues de la Politique, de la Philosophie et du Droit; qui, dans ses heures d'extase, y mettait une Poésie, dont l'Eglise a fait une de ses prières, et dont le secret sans doute était venu du ciel, puisqu'il n'a pas été retrouvé.

« Génie immense qui, après avoir mis toutes choses dans son œuvre, sut y mettre tous les temps... Homme du passé qui sut recueillir au milieu des erreurs de l'antiquité ce que la Providence, qui fut toujours chrétienne, qui n'a jamais permis que la vérité disparût de la terre, y avait soigneusement conservé, qui, avec la Dialectique d'Aristote, avec les pensées des anciens Philosophes, avec les siennes, sut, aussi puissant à s'assimiler qu'à créer, bâtir cet arsenal incomparable d'où il a tiré, après les avoir retrempées, des armes puissantes, étonnées d'être devenues chrétiennes, étonnées de servir de démonstration, de défense à des principes nouveaux, à des sociétés nouvelles, étonnées de défendre une Religion, qu'elles avaient sous d'autres formes et en d'autres mains longtemps combattue.

« Homme du présent: homme surtout de l'avenir, père des siècles futurs comme Jésus-Christ son maître, ainsi que vous l'avez montré d'une manière si profonde dans cet enseignement sublime, qui semble être le commencement de la régénération de notre Société, de celles qui vont venir!

« Des esprits frivoles avaient pensé que cette doctrine dont il reconnaissaient d'ailleurs l'élévation, mais dont ils niaient la fécondité, était un livre fermé pour nous, qu'elle avait fait son temps au temps du moyen-âge, et vous venez de nous montrer avec une supériorité de vues, qui n'a d'égale que celle de saint Thomas, tout ce que cette doctrine va faire pour le nôtre.

« Encore une fois soyez remercié, ô saint Père, de ce grand bienfait; fidèles à votre exemple, nous irons après vous puiser à cette source pleine de trésors et de lumière où vous nous appelez, nous irons avec nos lévites qui sont notre espérance, nous suivrons tous la voie que vous venez de nous tracer, et nous la suivrons avec confiance, parceque nous la suivrons avec vous, parceque nous la suivrons avec les guides que vous nous avez donnés, avec ceux de saint Thomas, avec les vôtres, avec les guides auprès desquels on ne s'égare jamais quand il marchent ensemble, quand ils demeurent unis sous la main de Dieu qui les a faits: la Raison et la Foi.

« Puisque nous vous arrivons aux jours de nos bonnes Fêtes, daignez nous permettre, ô saint et bien aimé Père, de vous les souhaiter heureuses. Que Dieu veille sur votre vie, que vous employez pour sa gloire; qu'il vous la fasse longue, afin qu'il vous soit donné de réaliser tous les projets de votre noble cœur, de nous réveler tout ce qu'il a mis dans votre haute intelligence; qu'il vous donne assez de force pour continuer ces admirables travaux où la science s'éclaire, et dont nous sommes si fiers.

« Je me prosterne humblement, implorant votre bénédiction pour mon Clergé, pour mon peuple, et pour celui qui se glorifiera toujours d'être avec une vénération profonde

« De Votre Sainteté, très saint Père,

« Le Fils soumis

« Louis Archevêque d'Avignon.

« Avignon, le 1 janvier 1880 ».

522. XXXIV. Litterae Rmi Archiepiscopi Hispalensis una cum Canonicis et Professoribus:

« Beatissime Pater. Ab antiquis temporibus studia philosophica et theologica ad scholasticam methodum exacta nostris in Hispaniis maxime floruisse, nemo quidem ignorabit, qui patriam historiam vel a limine salutaverit. Ipsa enim aureis litteris exarata retinet nostrarum Universitatum, Salmaticensis praesertim et Complutensis nomina, ex quibus, velut ex totidem sapientiae domibus, verique ac germani Scholasticismi seminariis, praestantissimi exiere viri, qui non modo Philosophiam, sed et sacram Theologiam methodo illa mirifice illustrarunt. In his sane, ut alii quamplurimi praetermittantur, non parum eminent Soto, Bannez, Victoria, Lainez, Salmeron,

Toletus et Suarez, qui omnes divinam Scientiam ex sapientissima Doctoris sancti Thomae Aquinatis schola haurientes, eam copiosis in voluminibus hac ipsa methodo exornatam, haud sine magna ingenii laude, atque totius christianae Reipublicae utilitate, posteris tradiderunt.

« Praeclaris vero tantorum magistrorum vestigiis adeo fideliter Hispania institit, ut, vel sub initium saeculi labentis, cum nempe, recentiore inducta Philosophia, ratio scholastica in disciplinis tradendis e cunctis ferme exterarum regionum Academiis iam penitus exsularet, eadem nostris in Universitatibus summo honore coleretur: immo etiam decurrente anno millesimo octingentesimo trigesimo quinto diversi regularium Ordines tum in aulis, tum in publicis conclusionibus scholasticam methodum, eodem plane vigore ac in florentiore ipsius aetate, constanter servabant, suum unoquoque systema intra doctrinae catholicae septa propugnante. Augustiniani nimirum iuxta doctrinam sui magni Patris et Ecclesiae Doctoris de rebus philosophicis ac theologicis disserebant; Ordinis sancti Francisci alumni sanctum Bonaventuram, et Doctorem Subtilem Scotum magistros sequebantur; Dominicani Philosophiam peripateticam, et Theologiam Thomisticam docebant, quibus alii reliquorum Ordinum Fratres, singularem aliquam Scholam minime habentes, adhaerebant.

« Sed, religiosis hisce Familiis dispersis, atque earundem magistris e cathedris Universitatum deturbatis, inde mirabilis iste concentus, qui pulcherrimam referebat imaginem reginae scientiae stantis a dextris Verbi circumdatae varietate, heu! ex Hispania propulsus est. Fratres Praedicatores sive in Collegiis pro Missionibus, sive in insulis Philippinis; Augustiniani et Minores in suis pariter Collegiis pro Missionibus; Sodales Societatis Iesu in exteris suis residentiis et Academiis; ac denique nonnulla huius catholici Regni Seminaria veterem methodum, et scholasticas traditiones custodierunt. In Universitatibus autem, nomine olim et doctrina pontificiis, saeculi potestati per " revolutionem, " ut vocant, mancipatis, moderna philosophia ita imperium accepit, ut in illarum cathedris palam traderentur, et etiam, proh dolor! nunc in aliquibus tradantur impiae Kantii, Fichte, Hegel, aliorumque Rationalismi aut Pantheismi sectatorum doctrinae, quarum veneno nostra iuventus misere inficitur.

« Hinc, Beatissime Pater, infrascriptus Archiepiscopus Hispalensis una cum suo Capitulo Metropolitano, necnon Seminarii Conciliaris Professores haud minori gaudio quam reverentia vestrae Sanctitatis Epistolam encyclicam, quae incipit *Aeterni Patris Unigenitus*, receperunt, eidemque nunc toto corde et mente adhaerent, sibi ipsis intime persuasum habentes nonnisi Spiritus Sancti afflatu illam a Sanctitate vestra esse conscriptam, ut nostrae Societatis malis, tot undique erroribus perturbatae, optimum tandem ac praesentissimum afferat remedium.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

« Vestris igitur monitis libentissime obsequentes, Scholam Thomisticam nostris in Academiis omni, quo par est, studio promovebimus, nostrisque auditoribus et tyronibus Philosophiam et Theologiam iuxta scholasticam methodum, et ad mentem divi Thomae constanter pro viribus commendabimus, nihil certe antiquius nobis existimantes, aut iucundius, quam in eiusmodi studiorum instaurationem diu a viris eruditis exoptatam, nunc vero a Sanctitate vestra singulari prudentia praeceptam, opem omnem conferre.

« Te autem, Beatissime Pater, qui munus a Cristo Domino accepisti non tantum oves, sed etiam agnos pascendi, supplices deprecamur, ut benedictionem apostolicam nobis, ad pedes tuos humiliter provolutis, eosque devotissime deosculantibus, impertiri digneris.

« Hispali, die 10 novembris 1879.

« Fr. Ioachim Archiep. Hispalensis ».

Sequuntur Decani Capituli Hispalensis, duorum Consiliariorum et Professorum Seminarii subscriptiones.

523. XXXV. Litterae Rmi Archiepiscopi Granatensis una cum Canonicis et Professoribus:

« Beatissime Pater. Archiepiscopus Granatensis in Hispania, Praeses ac Canonici insignis Ecclesiae Collegialis Sacri Montis Illypulitani extra eiusdem civitatis moenia siti, capitulariter adunati, et reliqui Professores Collegii Dionysiani in praedicto Sacro Monte sub huius Capituli directione et magisterio, atque Archiepiscopi Granatensis superiori auctoritate constituti, ad tuae Beatitudinis sacros pedes reverenter provoluti, grati animi nostri sensus, nuper a te editae Epistolae encyclicae *Aeterni Patris* occasione, aperire volentes, tuis gravissimis verbis ex intimo corde adhaerere, tuisque vehementibus desideriis obtemperare nobis periucundum esse testamur. Et eo libentius, hanc nacti occasionem, ad te accedimus, quod in tua Encyclica huius Collegii Dionysiani a piissimo Granatensi Archiepiscopo Domino Petro de Castro initio seculi XVII canonice erecti, et apostolica auctoritate confirmati, mentionem feceris, cum in divi Thomae Aquinatis sapientiae laudem Benedicti XIV exemplum attulisti, qui suis Litteris apostolicis, die 21 augusti anni 1752 datis, huius Collegii magistris praeclarissimam Doctoris Angelici doctrinam gravissimis verbis commendavit: quod sane nobis summi honoris loco habetur.

« Tibi, Beatissime Pater, toto animi ardore gratulamur, quod pro tua erga Religionem salutemque animarum, atque scientiarum verum progressum, ipsiusque civilis societatis bonum sollicitudine, medelam, effica-

cissimam quidem, afferre decreveris tot tantisque malis, quibus hodierna nostra societas miserrime premitur. Et undenam tot malorum proluvies? Nonne inde potissimum, quod idearum confusio et perversitas plurimorum mentes invaserint, ex quo Philosophia, a qua magna ex parte pendet caeterarum scientiarum ratio, deflexit a traditionis scientificae via, quam Doctores scholastici, Ecclesiae Patrum doctrinam amplificantes, atque ad methodum magis scientificam redigentes, illi straverant?

« Eo siquidem spectabant Doctorum scholasticorum labores, ut scientiam humanam cum divina coniungentes, ea methodo iisque principiis instrueretur Philosophia, ex qua arma depromi possent Fidei catholicae tuendae validissima. Et re quidem vera, non aliter Philosophia fructibus salutis afferendis par est, nisi velut humilis ancilla Revelationi divinae famuletur. Nec ideo ratio humana a nativa dignitate excidere censenda est, nec quominus progrediatur in veritatis inquisitione impeditur, cum divinae auctoritati sese subiicere studet. Quin potius ex hac humili et debita subiectione magnam sibi adipiscitur utilitatem, cum lux revelationis rationis lumen vividius et splendidius reddat, eiusque investigationis ambitum magnopere amplificet.

« Age vero, inter illos praeclaros scholasticos Doctores divum Thomam Aquinatem valde eminere nemo non videt. Profecto, velut splendidissimus sol sapientiae suae radiis in medio Ecclesiae refulgens, Sanctus iste, in quo natura et gratia mire conspiraverant, ut eum totius Orbis magisterio dignum efficerent, cunctos illius aevi sapientes doctrina longe superavit. Suis pene innumeris, et usque ad prodigium sapientia refertis libris, Philosophiam christianam a priscis Ecclesiae Patribus initiatam, et a divo Augustino auctam, doctrinis aristotelicis ab erroribus purgatis locupletavit; atque proprii ingenii acumine feliciter tandem complevit. Atque hinc factum est, ut Philosophia scholastica a divo Thoma in corpus perfectum redacta, naturae explicandae et Fidei catholicae tuendae valde accommodata, uberrimos ac salutares societati christianae fructus attulerit. Nihil ergo mirum, quod Doctoris Angelici doctrina sapientium mentes statim ad se traxerit, eamque, catholico Orbe plaudente, in Academiis et Scholis generatim Doctores docendam susceperint. Neque mirum quod religiosae familiae fere omnes divi Thomae doctrinae alumnos suos inhaerere iusserint; atque Concilia ipsa oecumenica eam magno in honore habuerint; et summi Pontifices meritis laudibus cumulaverint.

« Utinam Philosophia a via, quam ei straverat Doctor Aquinas, nunquam deflexisset! Ex quo enim philosophia principiis scholasticis sese subtrahere imprudenti consilio conata fuit, miserrimum in statum prolapsa est. In despectu siquidem habita scientifica traditione, quilibet philosophus proprium systema gignere voluit a caeteris distinctum; innumerae idcirco prodiere opiniones diversae, ac inter se pugnantes, pluresque et noxii propagati sunt errores. Et eo tandem philosophia hodierna spiritu rationalistico, a novatoribus seculi XVI invecto, agitata pervenit, ut non solum Fidem catholicam labefactare contenderit, sed etiam veritates naturales ipsaque rationis principia evertere molita fuerit. Cumque opinionum transitus ab ordine speculativo ad practicum sit facillimus, ideo confusio et perversitas idearum ad ethicam et politicam descenderunt. Hincque factum est, ut plurimorum mentes perniciosissimi invaserint errores circa naturam et regulas moralitatis, circa originem et scopum Societatis, circa conceptum et limites libertatis, circa officia et iura gubernantium et subditorum, circa relationes Statum inter et Ecclesiam, quos errores sub communi Liberalismi nomine, luctuosis nostris diebus societatem christianam depopulantes, cernimus: viamque ipsi aperiunt teterrimo socialismo, adversus quem tua Beatitudo celebri alia Encyclica dia 28 decembris anni proxime elapsi edita, et omnium Societatis amatorum plausibus excepta, tam strenue dimicavit.

« Sed quomodo tot malorum proluviei occurrendum? Sapientissime quidem, nec sine divino instinctu peropportunum duxisti, Beatissime Pater, apostolica tua voce alte conclamare nullum aliud efficacius remedium posse malis afferri ex philosophia extra scholastica Aquinatis principia vagante, profluentibus, quam ut ad firmissima fundamenta, quae illae extruendae Doctor Angelicus substruxerat, revocetur. Illos praeterea disciplinarum philosophicarum cultores laudas, qui optimo consilio praeclaram Aquinatis doctrinam novissime instaurare et propagare decreverunt: omnesque Episcopos vehementer hortaris, ut sapientiae rivos purissimos ex tanto Doctore dimanantes, studiosae iuventuti large copioseque ipsi praebeant.

« Nobis igitur Deo grates sunt habendae, atque magnopere laetandum, quod tua sapientissima ac mira eruditione referta Encyclica, optata tandem affulserit lux, qua nostrae aetatis tenebrae errorumque caligines sunt dissipandae.

« Nunc vero Archiepiscopus supra nominatus, qui divi Thomae doctrinam colere semper studuit, et in suo conciliari Sancti Caecilii Seminario illam doceri hucusque curavit, tuas adhortationes et gravissima verba debito prosequens obsequio, in suscepto consilio alacrius et diligentius permanere, atque ut Magistri praedicti Seminarii in discipulorum animos insinuare illam studeant, efficaciter se curaturum promittit.

« Nos etiam Praeses et Canonici reliquique Professores Collegii Dionysiani, quibus studiosa iuventus est commendata litteris et virtutibus informanda, nihil opportunius gratiusque ducimus, quam ut tibi ex corde sincero spondeamus tuis hortationibus nos obsequuturos, atque maiorum nostrorum vestigia prementes, in philosophicis et theologicis disciplinis a divi Thomae commendatissima doctrina alienas opiniones nunquam doc-

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

turos. Eo vel magis, quod ante oculos nobis verba illa Benedicti XIV versentur, quibus in Litteris apostolicis supra recensitis in virtute sanctae obedientiae districte praecepit et mandavit: " ut deinceps nemo ex Magistris sive Doctoribus eiusdem Collegii Dionysiani aliam doctrinam, ac praesertim in rebus theologicis, praeter unicam sancti Thomae Aquinatis doctrinam in scholis et cathedris dicti Collegii auditoribus legere, tradere et explicare unquam possit."

« Ut autem propositum nostrum in felicem exitum perducatur, tuam apostolicam benedictionem, velut coelestis gratiae pignus, nobis cunctisque Collegii Dionysiani alumnis impertiri velis, tuae Beatitudinis sacros pedes humiliter deosculantes, enixe adprecamur.

« In Sacro Monte Illipulitano extra Civitatis Granatensis moenia, in Hispania, die 15 septembris anni 1879.

« Benvenutus Archiep. Granatensis ».

Sequuntur Canonicorum ac Professorum subscriptiones.

524. XXXVI. Litterae Rmi Archiepiscopi et Episcoporum Hiberniae:

« Beatissime Pater. Cum Archiepiscopi et Episcopi Hiberniae in unum congregati de negotiis nostris ecclesiasticis consilia conferremus, nihil nobis optatius, nihil iucundius esse poterat, quam ut ad Sanctitatis vestrae pedes accederemus, summam venerationem quae erga te et sanctam Petri Sedem pectoribus nostris inest, expositurí; simulque profiteri quanto amore te, Patrem nostrum, prosequamur, quanto studio tibi, Magistro infallibili, loquenti et docenti adhaereamus.

« Si tamen semper nobis optatissimum est hanc declarationem emittere, hoc potissimum tempore specialis ratio id exigit. Nova enim nuperrime accessit singularis gaudii causa, nova venerationis ratio, cum nobis allata est Epistola encyclica quam de Philosophia christiana ad mentem sancti Thomae Aquinatis in scholis catholicis instauranda edidisti. Illius epistolae dum admiramur doctrinam, vim et veritatem, non possumus quin sentiamus Sanctitatem vestram radicem attigisse malorum quae humanam societatem afficiunt, et remedium ad ea tollenda efficax proposuisse. Probe enim nobis compertum est gravissima mala quibus hisce temporibus obruitur societas, ex eo potissimum provenire quod humana ratio propriis finibus non tenetur conclusa, sed impio ausu tanquam dea unice colenda proponitur, atque constituitur unica veritatis magistra, etiam in iis quae captum eius superant, vires excedunt, aciem effugiunt. Mirandum non est homines tali normae inhaerentes nihil ut verum admittere quod sensibus non arrideat, et falsam illam felicitatem unice prosequi quae in rerum mundanarum fruitione posita est, ex quo uberrimo malorum fonte dimanat et longe lateque diffunditur revelationis supernaturalis contemptus, ipsius Dei

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

negatio, rerum sacrarum irrisio, religionis neglectus, morum corruptio, iurium omnium, sive divina sint sive humana, impunis violatio. Mala ista gravissima tolli non possunt donec humana ratio propriam agnoscens infirmitatem non audeat veritates ordinis supernaturalis ad suum tribunal revocare ut eas suis viribus diiudicet atque ut falsas damnet; et donec sese subiiciat libenter Fidei quae " eam ab erroribus liberat ac tuetur, eamque multiplici cognitione instruit. "

« Quamobrem, Beatissime Pater, intime nobis persuasum est te maximum beneficium religioni, societati et scientiae contulisse, cum Philosophiam christianam ad mentem sancti Thomae Aquinatis in Scholis catholicis instaurandam suscepisti. Nam magnus ille Doctor, ut sapientissime observat Sanctitas vestra, " rationem a Fide apprime distinguens, utramque tamen amice consocians, utriusque tum iura conservavit, tum dignitati consuluit, ita quidem ut ratio ad humanum fastigium Thomae pennis evecta, iam fere nequeat sublimius assurgere: neque Fides a ratione fere possit plura validiora argumenta praestolari, quam quae iam est per Thomam consequuta. "

« Ad nos quod attinet, Beatissime Pater, nunquam desinemus omnia adhibere studia ut vera Philosophia iuxta principia et methodum sancti Thomae Aquinatis in Collegiis et Seminariis nostris tradatur. Verum quidem est apud nos nova philosophandi systemata nunquam introducta fuisse, sed Philosophiam scholasticam semper viguisse, et Angelico Doctori debitum exhibitum fuisse honorem. Est enim hoc iure nobis laetandum quod sacerdotes et fideles nostri non sunt novitatis studiosi, sed scientes " Ecclesiam Dei quacumque novitate pulsari," novitates omnes diligenter devitarunt, et una cum antiqua Fide servarunt etiam antiquam Philosophiam scholasticam, Fidei ancillam fidelem. Ut haec Philosophia ad mentem sancti Thomae Aquinatis in animos iuvenum insinuetur, ibique crescat et producat dignos fructus pietatis et scientiae, singularis erit nobis cura, constans studium.

« Quod ut rite exsequi possimus, ad pedes Sanctitatis vestrae provoluti, apostolicam benedictionem expetimus pro nobis et Clero ac Populo nostris curis commisso.

« Daniel Mac Gettigan Archiep. Armacanus
« Eduardus Archiep. Dublinen.
« Thomas W. Croke Archiep. Casseliensis
« Iohannes Mac-Evilly Episc. Galviensis et Coadiutor Tuamensis
« Franciscus Kelly Episc. Derriensis
« Laurentius Gillooly Episc. Elphinensis
« Patritius Dorrian Episc. Dun. et Con.
« Nicholas Conaty Episc. Kilmorensis
« Georgius Butler Episc. Limericensis
« Thomas Nulty Episc. Midensis
« Iacobus Donnelly Episc. Clogheriensis

« Patritius Episc. Clonfertensis
« Iacobus Ryan Episc. Echinensis et Coad. Episc. Laonensis
« Hugo Conway Episc. Alladensis
« Franciscus I. Mac Cormack Episc. Achadensis
« Patritius Franciscus Moran Episc. Ossoriensis
« Iohannes Episc. Cloyensis
« Ioannes Episc. Watefordiensis et Lismoriensis
« Michäel Warren Episc. Fernensis
« Daniel M. Carthy Episc. Kerriensis
« Gulielmus Fitzerald Episc. Rossensis
« Bartholomaeus Woodlock Episc. Ardagadensis
« Michael Logue Episc. Rapotensis
« Iacobus Episc. Kildariensis et Leighliensis
« Iacobus Lynch Episc. Coad. Kildariensis et Leigliensis
« Gulielmus Episc. Corcagiensis
« Ioannes P. Episc. Dromorensis
« Iohannes Archiep. Tuamensis ».

« Datum apud Coll. Sancti Patricii Maynouth, die 10 septembris 1879».

525. XXXVII. Litterae Rmi Archiepiscopi Salisburgensis aliorumque Episcoporum Suffraganeorum :

« Beatissime Pater. Unigenitus Dei Filius, Apostolis ut euntes docerent omnes gentes [1] praecipiens, nos ut Fideles in doctrina sana exhortemur, et eos qui contradicunt arguamus [2] admonet. Quid ergo nobis magis optatum, quid magis iucundum esse poterat, quam ut tu, Beatissime Pater, quem supremum Fidei Magistrum veneramur, memor illius apostolici verbi: " Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum," [3] Litteris encyclicis *Aeterni Patris* solidam tutamque Angelici sancti Thomae Aquinatis doctrinam non solum singulari laude celebrares, sed etiam ab omnibus sectandam impense inculcares ? Gratissimi igitur et devoti animi sensus Beatitudini tuae hisce nostris promere non moramur, ac simul Orbis catholici ob tantum ei collatum beneficium laetitiae significationibus intimo ex corde nos adiungimus. Litteris enim tuis, quo tandem loco sit praesentium malorum radix, et unde petenda remedia, Beatissime Pater, notasti et tuto designasti.

« Profecto foecundam malorum, cum eorum quae nos premunt, tum eorum quae pertimescimus, causam in eo consistere tecum agnoscimus, quod prava de divinis humanisque rebus scita e scholis philosophorum iampridem profecta in omnes civitatis ordines irrepserint, communi plurimorum suffragio recepta. Unde pernecessarium esse nemo est qui non videt

[1] *Matth.*, XXVIII, 19.
[2] *Tit.* I, 9.
[3] *Coloss.*, II, 8.

eos omnes, qui philosophicis disciplinis operam navant, inter tot dissentientium opiniones et in tanta systematum colluvie unum Magistrum eligere, cuius doctrinam ac principia veluti sidus nauticum secuti a recto tramite non aberrent. A multitudine enim sententiarum, tecum fatemur, ad haesitationes dubitationesque persaepe ventum est; a dubitationibus vero in errorem facile mentes hominum delabuntur. Errores vero erroribus in detrimentum, immo in exitium, tam domesticae quam civilis societatis succedere experientia testatur.

« Sapientissimo igitur consilio, Beatissime Pater, Philosophiam, quae scientiarum mater est, ad illam veterum Scholasticorum methodum revocare conaris, quae ad exercenda excolendaque ingenia unica inter omnes sese probavit, et quam qui sequuti fuerint, scopulos omnes evadunt. Iamvero Scholasticorum Princeps Angelicus Doctor merito audit, tum quia nec verior nec certior doctrina haberi possit, quam ea quae in eius operibus invenitur, tum quia ipse ut os omnium doctorum celebretur, et vox multitudinis.[1] Nonne ad operum sancti Thomae commendationem iure encomia aeternae Sapientiae referri possunt, quae ipse in fronte *Commentarii*, quem in libris *Sententiarum* scripsit, offert: " Ego Sapientia effudi flumina; ego quasi trames aquae immensae de fluvio, ego quasi fluvii Dioryx et sicut aquaeductus exivi de Paradiso? "[2] Quid mirum, quod singula saecula Angelicum Doctorem haeresum expugnatorem, qui velut alter Samson multo plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat,[3] probaverint? Ipse perfecti Doctoris exhibet imaginem, quam depinxit dicens, quod doctores debeant illuminare in credendis, dirigere in operandis, vitanda manifestare; quod ut assequantur debeant habere stabilitatem, ut non devient a veritate; claritatem, ut non doceant cum obscuritate, et utilitatem, ut quaerant Dei laudem et non suam.[4] Itaque Pontifices, Concilia, Academiae post huius Doctoris obitum iure merito tantum scriptis eius detulerunt, doctrinamque summis laudibus celebrarunt. Maiorem vero in modum tu, Beatissime Pater, hortatus es, ut collatis viribus omnes excitare aggrediantur motam gradu et prope collapsam Philosophiam illam veterem Scholisque catholicis redonatam, in sede honoris pristini collocare, eamque tanquam tutam scholis philosophicis sequendam ipse proposuisti.

« Quam auream sancti Thomae sapientiam, si recentiores Philosophiae Professores semper secuti fuissent, aevum nostrum tot falsis ac perniciosis opinionibus imbutum minime agitaretur. Beneficia et emolumenta, quae tu, Beatissime Pater, ex doctrina Thomistica deducis, id luce clarius ob omnium oculos ponunt. Contra obscuritatem et perpetuam fluctuationem

[1] *Dan.*, X, 6.
[2] *Eccli.*, XXIV, 40, sqq.
[3] *Iudic.*, XVI, 30.
[4] *Comment. in Matt.*, V.

modernae philosophiae, imprimis illius, quae, ut ex fonte, e falsa illa quam Kantius invexit, fluit ac derivatur, indigemus doctrina quae perspicua sit et vocum proprietatem ubique servet, quae sana ac recta methodo progrediatur, ut lucem afferre lectoribus possit. Contra errores circa habitum Scientiae ac Fidei indigemus doctrina Doctoris illius, qui Fidei ac Ecclesiae usui et obsequiis Philosophiam consecravit, atque naturales scientias tanquam ancillas Religioni ut dominae suppetias ferre coëgit. Contra errores denique circa mutuum habitum inter societatem civilem atque Ecclesiam nulla sanior ac discretior doctrinalis regula inveniri potest quam illa divi Thomae, secundum quam habitus Ecclesiam inter civilemque statum idem est, ac inter naturalia bona hominis finemque eius supernaturalem.

« Revera in ipsis sancti Thomae operibus fontes opportune aperiuntur, unde domestica et civilis societas restaurationem scientiarum earumque incrementa sperare, philosophus vero christianus praesidia ad diluenda ac refellenda praepostera modernae philosophiae principia depromere potest.

« Beatissime Pater, viam bonam magistris et discipulis ostendisti per quam ambulent, et quam qui sequuntur, inoffenso pede ad Eum pervenient, qui est via, veritas et vita. Et quia Dominus, ut indefesso labore fidelium mentes et animas ipsi lucremur a nobis exigit, quid nobis sanctius esse poterit, quam ut aurea sancti Thomae sapientia restituatur et quam latissime propagetur? Paratos, Beatissime Pater, nos semper invenies, ut grandi ac nobili huic operi vires et studia pro posse consecremus. Meminisse etiam iuvat, nonnullis in Academiis huius Provinciae studia scholastica iam florere, maioresque in dies fructus ab ipsis iure exspectari posse. Ne autem laboribus, qui incrementum dat Deus desit, ad pedes Beatitudinis tuae provoluti apostolicam benedictionem humillime atque enixe flagitamus.

« Salisburgi, die XXV anniversaria Proclamationis Dogmatis Deiparae Virginis sine labe Conceptae anni rep. sal. 1879.

« Beatitudinis vestrae

« Humllmi, devmi et obdmi Filii et Servi

« Franciscus de Paula Albertus Metropolita Arch. Salisburg.
« Valentinus Episc. Gurcensis
« Iacobus Maximil. Episc. Lavantinus
« Ioannes Episc. Saccoviensis
« Ioannes Episc. Adra i. p. i., Vic. Capitul. Dioec. Trid.
« Simon Aichner Vic. Capitul. Dioec. Brixinen. ».

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

526. XXXVIII. Litterae Rmi Archiepisc. Quebecensis aliorumque Episcoporum suffraganeorum :

« Beatissime Pater. Quando nobis allatae sunt encyclicae Litterae *Aeterni Patris* quas die 4 augusti edidit Sanctitas vestra, summas Deo optimo maximo gratias ex intimo corde retulimus, qui Ecclesiae suae talem Pontificem praefecit, cuius zelus incessanter ardet, et scientia admirationem omnium parit. Non sine speciali Spiritus Sancti illustratione Vicarius Christi, omnium Christianorum Pater et infallibilis Doctor, manum admovit ut ad pristinam dignitatem et firmitatem instauraretur Philosophiae christianae aedificium, mediantibus methodo et doctrina sancti Thomae Aquinatis, quem Angelicum Doctorem unanimi voce sex integra saecula nuncuparunt. Vere affulsit lumen in coelo, et quicumque illud receperit, pax super illum et misericordia; non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitae a Christo super terram allatum, a fideli Ministro omnium oculis demonstratum. Utinam nostri miserrimi saeculi homines talem Ducem semper secuti fuissent!

« Nihil nobis antiquius erit, Beatissime Pater, quam vestigia persequi a Sanctitate vestra praeducente impressa: iisdem armis accincti, corde magno et animo volenti, quasi acies ordinata, Christi Vicario duce, bonum certamen certabimus, victoriam certa spe exspectantes. Curabimus ut in nostris Seminariis et Collegiis omnia secundum ordinem a Paternitate vestra praescriptum fiant, et Philosophiae necnon Theologiae professores Ducem sequantur et exemplar imitentur nobis tam venerabili auctoritate propositum...

« Dignetur Sanctitas vestra hoc nostrae filialis obedientiae testimonium acceptare et nobis, necnon Clero et omnibus huiusce provinciae Fidelibus apostolicam benedictionem impertire.

« Sanctitatis vestrae

« Quebeci, die 12 novembris 1879.

« Humillimi et obsequentissimi Filii

« E. A. Archiepiscopus Quebecen.
« L. F. Episcopus Trifluvian.
« Ioannes Episcopus Sancti Gni de Rimouski
« Antonius Epis. Sherbrooken.
« L. Thomas Epis. Ottawien.
« L. Z. Epis. Sancti Hyacinthi
« Dominicus Epis. Chicoutimien.
« H. Moreau Adm. Marianopolis ».

527. XXXIX. Litterae Rmi Archiepiscopi Baltimorensis:

« Beatissime Pater. Postquam Christus Redemptor noster in coelos ascensurus Petro dixit: " Pasce agnos meos, pasce oves meas, " Petro exinde Petrique Successoribus officium simul et praerogativa nunquam intermissa evasere, gregem Christi a venenatis pascuis errorum condemnatione avertere. Id tu etiam, Beatissime Pater, Praedecessorum tuorum vestigiis inhaerens, nuperrime, hac admirabili Epistola encyclica *Aeterni Patris* praestitisti. In tanta enim veritatum omnium perturbatione, quae scientias omnes, disciplinas, artes, immo et ipsa hominum consortia, ipsas leges, resque ipsas publicas corrumpit, tu Ecclesiae catholicae Pastoribus digito ostendis compascuos illos agros, quos nulla unquam toxica contaminarunt, quique soli salubres in tanta rerum omnium infectione servati sunt. Nec satis tibi est pascua illa indicare, sed et rationum suasione, et consilii pondere, et auctoritatis impulsione Pastores omnes excitas ut ad ea agnos suos pabulandi causa adducant, si sana nutrimenta ipsis praebere ex animo, ut decet, desiderant.

« Quapropter ea omnia, quae nonnulli ex Romanis Pontificibus praedecessoribus tuis in laudem sancti Thomae Aquinatis, occasione data, splendidissime praedicaverunt, ea tu effusa et explicata oratione aemulasti, ut ostenderes nullam fore sperandam infirmis mentibus salutem, nisi Philosophiae disciplinae ad traditionis catholicae normam revocentur; neque revocamen istud aliunde fore exquirendum nisi ex illius doctrinae instauratione, quam nobis sanctus Thomas in suis aureis voluminibus explicavit. Haec enim illa eadem doctrina est, quam ab enascentis Ecclesiae incunabulis Patres aut ab antiqua humani generis sapientia derivarunt, aut ipsi de novo comparaverunt, revelatis dogmatibus omnino convenientem; illa eadem doctrina est, quam a Patribus Doctores scholastici traduce haereditate acceperunt, et novis veritatum luminibus ampliaverunt. Hanc enim ipsam sanctus Thomas acumine illo mentis, et mira perspicuitate, quibus Scholae Angelus iure meritoque fuit appellatus, superfluis omnibus purgavit, pluribus iisque summi momenti investigationibus ditavit, mirabili ordine ad scientificam unitatem compegit et coagmentavit, eo artificio, ut partes e partibus enascerentur, et tamen aeque omnes uni eidemque toti sua quadam proportione collinearent.

« Merito igitur, Beatissime Pater, tu nos omnes catholicae Ecclesiae Pastores consulis et mones, ut fidelium greges, quantum in nobis est, pascituri, in aliena pascua pererrare ne sinamus. Haec enim nostra esse pascua oportet. Namque haec nullo errorum viru infecta opime succrescunt; haec uberrima omniumque animis apta alimonia praeferunt; haec pabulum valentissimum, in quo plurimum est nutrimenti, suppeditant; haec tandem edulia non solum haud ingrata, sed facilia et suavissima subministrant.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

« Liceat ergo mihi, Beatissime Pater, mecumque liceat omnibus Episcopis huius Baltimorensis Ecclesiae gratias tibi referre amplissimas, quod nominis tui fastigio amorem illum nostrum et studium confirmaveris, quibus a primis nostris in sacrae Disciplinae palestra gressibus hanc divi Thomae doctrinam in maxima veneratione habere didicimus. Sed maiores etiam tibi liceat gratias referre ex hoc alio capite: quod scilicet hoc tanto auctoritatis tuae pondere et maiestate, nostro zelo et curis nostris medium efficacissimum tradideris, quo fortius et suavius fideles nobis commissos, tum nempe clericos in Seminariis, tum laicos in Collegiis, impellamus ut hanc doctrinam peramanter colant, assidue versent et studiose amplectantur.

« Quod consilium apprime opportunum et utilissimum videtur in hac nostra regione, ubi cum protestantibus et incredulis cuiusque sectae et nominis admixti catholici commorantur. Experientia enim propria, aliorumque testimonio, qui longo tempore hoc idem periclitati sunt, compertum ego habeo et persuasum ad revocandos in Christi verum ovile bonae fidei protestantes, quorum magnus est numerus, non minus ac eos qui se Naturalistas, aut Positivistas, aut Rationalistas appellant, non tam biblicam, aut patristicam, aut philologicam eruditionem valere, quam peritiam illam enucleate exponendi ipsam dogmatis catholici substantiam, eiusque cum caeteris humanae rationis veritatibus indubiis miram congruentiam. Hanc autem explanationem Theologia scholastica doctori catholico elargitur; quae sine doctrina philosophica sancti Thomae aut nulla est, aut scopulorum et periculorum plena.

« Quapropter dum nos in hac Americana regione iuvenes etiam laicos hisce principiis imbuere satagemus, hoc eis beneficium praestabimus, quod tutius inter protestantes aut incredulos fidem suam valeant servare, et si opus erit etiam tutari et defendere. Clericis autem arma efficacissima subministrabimus, quibus, cum emenso studiorum cursu inter fideles pastoralis officii causa versabuntur, facile poterunt ovibus suis omnem infectionem et luem cavere: immo etiam errantes ad gremium Ecclesiae opportunis instructionibus revocare.

« Interim, dum enixis precibus Deum adprecor, uti fausta quaeque tibi, Beatissime Pater, concedat, teque diu incolumem Ecclesiae, quam tanta sapientia gubernas, et Christifidelium venerationi sospitare dignetur, humillime ad pedes tuos pervolutus, apostolicam benedictionem super me, super omnes huius Provinciae Episcopos fratres meos, et super nostros populos enixis precibus exoro.

« Datum Baltimori, die 15 decembris 1879.

« IACOBUS GIBBONS Archiep. Baltimorensis ».

528. XL. Litterae Rmi Archiepiscopi de Manila:

« Beatissime Pater. Quae per totum terrarum Orbem Litterae circumferuntur encyclicae *Aeterni Patris* nomine nuncupatae, Beatitudinem vestram, ab ipso pontificatus exordio, muneri universum pascendi gregem providentissime suscepto satis superque fecisse ostendunt, novumque ab apostolica Sede ortodoxae doctrinae semper traditae insigne atque irrecusabile prae se ferunt argumentum.

« Cum etenim Manilanus Archiepiscopus eiusdemque Metropolitanae Ecclesiae Capitularis Senatus praefatam encyclicam Epistolam propriis oculis maxima cum exsultatione perspexerint, quid laudabilius, quidve rectae conversationi magis consentaneum quam hac de causa Apostolorum Principis Successori libentissime gratulari, Petrique Cathedrae, quam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnoscimus, omnimodam patefacere adhaesitationem?

« Iamvero, ut hac de re grati atque observantis animi nostri testimonium magis magisque elucescat, paucis liceat conceptisque exprimere verbis, quanto praelaudatae apostolicae Litterae nobis fuerint gaudio. Cum enim primum ad nostras pervenirent manus, Petri apostoli eloquium, Christum Dominum apud Capharnaum alloquentis, in mentem revocare operae pretium duximus: " Domine,... verba vitae aeternae habes." " Verba " quidem " vitae aeternae " habere dicitur, qui, Fidei christianae in primigenia sinceritate servandae semper intentus, ut veri nominis scientia promoveatur, doctrinaeque catholicae norma studiose sequatur nihil intentatum reliquit.

« " Verba " nimirum " vitae aeternae " loquitur, qui malorum quae universum mundum conturbant, causam plane sentiens, eisdem mederi curat, omnibusque Christifidelibus rectum Philosophiae usum, tanquam praecipuum verae scientiae adiumentum, commendat, praeeunte tamen admirabili Fidei lumine, ut hominum mentes ab errorum tenebris quamprimum resipiscere possint.

« " Verba " item " vitae aeternae " reverenter accepimus, cum, propter catholicae Christianitatis dogmata firmiter propugnanda, necnon propter pseudophilosophorum commenta et placita reiicienda, nobis infallibilis magisterii decretum innotuisset, quo indubitanter facillima sternitur via, quam si fideliter percurramus, a veritate discedendi periculum amoveatur omnisque philosophematibus praecludatur aditus, quibus religionem divinitus revelatam ipsamque civilem societatem infensissimi Ecclesiae hostes funditus evertere conantur.

« " Verba " denique " vitae aeternae " apostolica auctoritate nobis traduntur, cum, revelatione, scientia et experientia testibus, omnibus longe lateque dispersis Ecclesiae fidelibus irreligionis et atheismi causa, origo et

progressus accuratissime exhibeantur, ut eorum perspicua cognitione Rationalismi et Pantheismi periculosa contagia undequaque grassantia omnino propulsentur, quae iure quidem optimo " atheismi personati " communi eruditorum suffragio nomen adipiscuntur.

« Cum autem Angelici Doctoris docendi discendique ratio, argumentis praesertim philosophicis pertractandis, omnibus longe antecellat atque Fidei catholicae integrae, sartae tectaeque servandae aptissime prae caeteris inservire videatur, iure merito factum est ut apostolicae Sedi inaestimabile donum acceptum referre debeamus, unde ad divinarum disciplinarum assequutionem facilius pervenire possimus, opposita haereticorum errata nobis obiecta dispicere valeamus, necnon Fidem inter et Rationem arctissimam esse necessitudinem intimamque connexionem exsistere, divi Thomae Aquinatis ductu et institutione clarissime perscrutemur.

« Neminem abs dubio latet quamplurimos non defuturos qui, Capharnaitarum pervicacia abrepti vesanaque incredulitate agitati, ad coelum usque vocem extollant, dicentes: " Durus est hic sermo." Romano autem Pontifici, bonum semen in agro seminanti, Pauli apostoli luculentissima verba in memoriam revocare sufficiat: " Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus."

« Nobis vero, felices pontificatus dies Beatitudini vestrae auspicantibus gratissimaeque et indelebilis recordationis obsequium attestantibus, liceat hanc meminisse alta mente repositam intimisque defixam praecordiis divinae Sapientiae sententiam: " Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum."

« Postremo, ut in salutari opere perficiendo divinum nobis lumen affulgeat, apostolicam benedictionem, divinae gratiae pignus coelestiumque donorum praeludium, nobis fidelique populo Manilanae Archidioecesis pastorali ministerio concredito, reverenter exposcimus.

Manilae, nonis martii anni Domini MDCCCLXXX.

« Ad Sanctitatis vestrae pedes humiliter provoluti

« Fr. PETRUS Archiep. de Manila ».

Sequuntur Cleri subscriptiones.

529. XLI. Litterae Emi ac Rmi Card. Archiepiscopi Mechliniensis, et Episcoporum Provinciae Belgii:

« Beatissime Pater. Memorabilem Epistolam encyclicam, in qua Sanctitas tua divi Thomae Aquinatis sapientiam egregiis iisque plane debitis laudibus celebrat, eiusque principiorum in scholis publicis et privatis con-

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

servationem et instaurationem petit, " ad catholicae Fidei tutelam et decus, ad societatis bonum et scientiarum omnium incrementum," Belgii Clerus universus, ab ipso die quo primum huic innotuit, omni intellectus obsequio et intimo grati animi sensu excepit. Nos autem, Cleri Belgici et Plebis christianae primi Pastores, admirationis nostrae et venerabundae submissionis testimonia suffragiis totius Ecclesiae catholicae coniunximus tanto libentius, quod merito iure gloriari possimus profundam iuxta et foecundam Aquinatis Philosophiam, insigne illud Ecclesiae armamentarium invictumque Revelationis christianae propugnaculum, in Seminariis nostris dioecesanis, sicut in Alma nostra Academia Lovaniensi, discipulis semper a magistris inculcatam fuisse, indeque, Deo sic providente, factum videre ut Belgii Clerus omni aetate popularibus nostris non aliud quam sincerum veritatis pabulum propinaverit, et ut ipsa patria ad hanc usque diem permanserit romana catholica.

« Persuasum utique habemus, Beatissime Pater, facta haec Sanctitati tuae, quae multis ab annis apud Belgarum Regem Nuntii apostolici munus prudentissime gessit, neutiquam ignota exsistere. Verum ei haud ingratum fore putavimus, si Belgii Praesules, hodierno die prima vice post Encyclicae promulgationem Mechliniae congregati, unanimi voce panderent eos quos ab initio in eis excitavit obsequii sensus inclytum illud pontificatus tui documentum quod incipit *Aeterni Patris*.

« Congratulantes Sanctitati tuae et gratias ex intimo corde agentes pro novo lucis radio qui nuper, te loquente, ex Urbe in Orbem dimanaverit, religiose profit emuret spondemus neque nos, neque eos quos erudiendae iuventuti praeposuimus vel praeponemus, unquam a monitis Encyclicae *Aeterni Patris*, aut ab divi Thomae Aquinatis principiis in Philosophia et Theologia abcessuros.

« Hanc vero occasionem, Beatissime Pater, praeterire nolumus quin simul quoque declaremus, nos et fideles nobis commissos haud minori observantia et laetitia recepisse apostolicas Litteras *Quod apostolici muneris ratio*, in quibus Sanctitas tua nefanda Socialistarum, Communistarum et Nihilistarum pestes profligat, et vero etiam Epistolam encyclicam *Arcanum divinae sapientiae*, de societate domestica, cuius est in matrimonio principium et fundamentum: quam quidem societatem, eheu! pseudo-politici et moderni legumlatores audacter profanant aut profanare tentant. Deo Patri, eiusque unigenito Filio, et Spiritui Sancto gratias quantas possumus agimus, qui Petri successori, infallibili veritatis revelatae custodi et interpreti, hocce consilium indidit, ut civili societati misere aegrotanti duplex remedium praeberet, solemniter adfirmans non tantummodo rationis humanae nativam vim verosque limites contra naturalistas, verum etiam vindicans ius sacrum proprietatis et indissolubilem nuptiarum christianarum unitatem, contra ingravescentem morum corruptelam, familiarum dissolutionem et civilitatis omnis ruinam. Profecto, Beatissime Pater, hanc tibi laudem deferet posteris saeculis Orbis catholicus, quod apostolicis oraculis duo illa vitae intellectualis et vitae praticae fundamenta stabiliveris, genuina scilicet iura rationis humanae et intemerandam sanctitatem convictus domestici, ad normam legis naturae et legis Evangelicae.

« Has obedientiae et devotionis filialis testificationes dum tibi, Beatissime Pater, praesentibus litteris exhibemus, iterum ad augustos pedes tuos prostrati, tum pro nobis ipsis, tum pro Clero Populoque nostro apostolicam benedictionem enixe efflagitamus, qua roborati doctrinas Angelici Doctoris ulterius propagare et omnia sapientiae christianae praecepta servare possimus,

« Sanctitatis Tuae

« Mecliniae, ex aula archiepiscopali 14 mai 1880.

« Humillimi addictissimique Filii

« V. A. Cardinalis Dechamps Archiep. Mechlin.
« I. I. Episc. Brugen.
« Henricus Episcopus Gandaven.
« Theodorus Iosephus Episc. Namurcen.
« Victor Ios. Episc. Leodien.
« Isid. Ios. Episc. Eumenien. Adm. Apost ».

530. XLII. Litterae Rmi Archiepiscopi Maronitarum Berytensis et Capituli:

« Beatissime Pater. Divina quae fortiter ac suaviter omnia disponit Providentia, viros cuique tempori idoneos secundum inscrutabiles fines destinat; quod potissimum fieri credimus in regimine Catholicae Ecclesiae cui Redemptor promisit se cum ipsa fore omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Hoc cum iubilo testatus est catholicus Orbis, quum Deus in hoc tempore variis agitato erroribus, Ecclesiae suae universalem ac supremum Pastorem praeesse facto demonstravit ordinare illum qui sapientia insignis, zelo ardens, fortitudine Leo, Dominicum gregem in salubribus veritatis ac virtutis pascuis pascere, a virulentis autem longe arcere valeret. Cuius sapientiae ac zeli recens et luculentum nobis suppeditavit argumentum illa mirabilis encyclica *Aeterni Patris* Epistola, quam vos, Sancte Pater, Patre luminum inspirante, edere et promulgare ad philosophicam doctrinam iuxta mentem Angelici Doctoris, sancti Thomae Aquinatis, instaurandam feliciter ac peropportune decrevistis.

« Haec enim insignis Encyclica fidelium omnium corda et mentes penetravit, universalem admirationem ac venerationem excitavit, non solum

in Occidente, verum etiam in Oriente, ubi Philosophia christiana olim florens, longis postea saeculis tabescens, nunc ad novam vitam redire videtur, atque ideo regulam a Vicario Christi et centro veritatis et unitatis traditam summa veneratione ac laetitia prosequitur. Filios utique, Sancte Pater, sapientiae avidos, vera sapientia vestra munivistis contra fallaces ac instabiles novatorum opiniones, quae sub falso Philosophiae nomine iamiam confluere videntur ad has orientales plagas, quas paternae sollicitudinis et benevolentiae vestrae haud indignas saepe in Allocutionibus et Epistolis benigne declarastis.

« Itaque, Sancte Pater, libenti gratoque animo consilia vestra ac hortatus excipimus, perfecteque sapientiae vestrae sententiis corde ac mente adhaeremus, atque idcirco non solum ad semper tradendam in hoc Collegio nostro quod Beryti Deo adiuvante, sub nomine Sapientiae ereximus, doctrinam philosophicam iuxta mentem scholarum Solis sancti Thomae Aquinatis alacriter spondemus, sed etiam quod iam in animo volvitur, auream sancti Thomae *Summam Theologicam* in arabicum idioma ad maiorem Orientalium utilitatem vertere ac typis edere quamprimum curabimus.

« Nunc autem prostrati, etsi a longe, ad pedes Sanctitatis vestrae, ego et sacerdotes Curiae Episcopalis, Moderatores ac Praeceptores Alumnique Collegii Sapientiae, necnon omnes Fideles Dioeceseos Berytensis Maroniticae profiteri gloriamur: nos semper et ubique, tanquam sanctae Romanae Ecclesiae filios, iussa, consilia, hortatus ac nutus magni Leonis XIII, per cuius os Petrus loquitur, maronitica docilitate excipere, atque factis sine haesitatione pro viribus prosequi, nec non et frequentes preces ad thronum Altissimi fundere, ut longam et prosperam vitam vobis donare dignetur ad sanctae Matris Ecclesiae gloriam totiusque societatis humanae bonum. Quae nostra vota benigne excipere ac nobis omnibus benedictionem apostolicam impertiri humillime atque enixe imploramus.

« Sanctitatis Vestrae

« Beryti, 4 decembris 1879.

« Humillimus et obsequentissimus Filius ac Famulus

« Archiepiscopus Iosephus Debs Maronitarum Berytensis ».

Sequuntur Capituli et Collegii Professorum subscritiones.

531. XLIII. Litterae Rmi Archiepiscopi Siuniae Delegati Apostolici Syriae, Praesulum Maronitarum ad Emum ac Rmum Cardinalem a Secretis Status SS. D. N.:

« Eminentissimo Principe. Mi trovo di avere già riferito all'Eminenza vostra Rma che io, conformemente agli ordini di lei, comunicai ai Prelati Orientali, ed ai Superiori ecclesiastici di tutti i Seminari dei Riti uniti l'ammirabile Enciclica *Aeternis Patris*, tradotta appositamente in lingua araba; ed ora ho il gradito dovere di recare all'alta conoscenza di lei stessa qualmente il prelodato pontificio Documento fu accolto ed applaudito da tutti con sensi di piena ammirazione e particolare riconoscenza. Di già vari dei Prelati, conoscenti la lingua latina, hanno umiliato direttamente a sua Santità speciali lettere per esprimergli i comuni sentimenti che quella celebre Enciclica destò in Oriente come in Occidente, e so che altri Prelati si dispongono a fare il medesimo; ma quello che ora m'importa di farle conoscere sono le moltissime dimostrazioni che nel proposito mi furono date dai Superiori dei ricordati Seminari, non che dai Rmi Abbati delle varie Congregazioni monastiche orientali, i quali avrebbero volentieri in questa circostanza umiliato a sua Santità un loro scritto contenente gli omaggi della sentita venerazione, gratitudine ed amore verso il sommo Gerarca, non che il proposito che hanno concepito di attenersi nell'insegnamento dei rispettivi loro alunni alla dottrina e sistema dell'Angelico Dottore, se avessero potuto farlo in alcuna lingua europea: ma non essendo essi in grado di ciò fare, si sono rivolti a me nella loro patria lingua, e mi hanno pregato di assumere le loro parti, e deporre ai piedi di sua Santità i precitati loro sensi di ammirazione verso tanta pontificia sapienza, e di filiale riconoscenza alla di lui paterna bontà, che non dimentica queste già illustri Chiese d'Oriente, ma brama e vuole restituirle all'antico loro splendore.

« All'effetto pertanto di adempire ai prefati voti, mi sono deciso di scrivere la presente all'Eminenza vostra Rma, onde pregarla di volere deporre ai piedi del Santo Padre i sensi di questi Orientali della Delegazione apostolica di Siria, ed ottenere ai medesimi una speciale benedizione che conforti i medesimi a battere le vie di scienza e sapere, che loro furono dal supremo Maestro indicate.

« In calce alla presente noto per vostra Eminenza il nome dei dignitari ecclesiastici che nel proposito mi hanno scritto; mentre con i soliti sentimenti di tutta venerazione, e profondissimo rispetto passo al bacio della sacra Porpora, e mi segno

« Di Lei, Emo Principe

« Umiliss. ossequioss. obedmo Servo

« Fr. Lodovico Arc. di Siunia »

Seguono i nomi:

Maroniti: Rmi Monsig. Giuseppe Freifer, Superiore del Seminario di San Giovanni Marone.
» P. Paolo Istifan Sup. del Seminario Patriarcale Maronita di Ain Narca, Libano.
» P. Pietro Sfair Sup. del Semin. Patr. di Rumie, Libano.
» P. Giovanni Aabib Sup. dei Missionari del Crem, Libano.
» P. Nametalu Sfair Sup. del Semin. di Raïfur.
» P. Martino Gustani Abate Gen. dei Monaci Baladiti.
» P. Simeone Beltuni Ab. Gen. dei Monaci Antoniani.
Greci: Rmi P. Simeone Ab. Gen. dei Monaci Salvatoriani.
» P. Ignazio Rettore del Sem. Patr. Melchita di Ain-Traz.
» P. Tommaso Ab. Gen. dei Monaci Basiliani Aleppini.
» P. Flaviano Ab. Gen. dei Monaci Basiliani Sueriti.
Armeni: Rmi P. Bisciara Turchian Sup. del Conv. di Bzummar e Rettore di quel Seminario.
Siri: Rmo P. Giuseppe Memarbasci Rett. del Sem. di Scerfe.

532. XLIV. Litterae Rmi Archiepiscopi Seleuciensis, Nuntii Apostolici in Bavaria, ad Emum Card. a Secretis Status SS. D. N., in quibus referuntur Litterae Pastorales Rmi Archiepiscopi Monacensis et Frisingensis:

« Eminenza Reverendissima. L'Arcivescovo di Monaco e Frisinga, in occasione della Quaresima, ha diretto al suo Clero e Popolo una bella Pastorale, che io mi reco a dovere d'inviare sotto fascia all'Eminenza vostra Reverendissima. In essa, dopo aver richiamato alla mente dei suoi diocesani gli obblighi che corrono nel tempo quaresimale, ragiona altresì della Filosofia e della necessità di restaurarla secondo le norme prescritte dalla sapienza del sommo Pontefice, nell'ammirabile Enciclica *Aeterni Patris*. Non posso omettere di riferire qui questo bel tratto della Pastorale, che nel testo comincia a pagina 12 colle parole: « Möge ganz »:

« " Che segnatamente la scienza su tutte le cattedre armonizzi pienamente colla Religione e colla Fede, che si richiami alla memoria che la Filosofia principalmente è quella che può sviare da Dio o condurre a Dio. La coscienza dei maestri deve decidersi per Dio. Sotto l'insegnamento di maestri pii e cristiani la Filosofia fu sempre una splendida stella mattutina che amichevole precedeva il sole della Teologia. Ma essa non rifulse mai più bella che allorquando si fermò sul capo dell'angelico Aquinate. Però, 'come sei caduta dal cielo stella mattutina,' *Is.*, XIV, 12, fa duopo dire alla Filosofia di moda oggidì. Non soltanto fino alla terra, essa è caduta nel niente! È quindi un avvenimento di somma importanza che il nostro santo Padre Leone XIII, gloriosamente regnante, impieghi tutta l'autorità della sua altezza e sapienza per rialzare al cielo

quella che è profondamente caduta. L'egregia sua Lettera enciclica del 4 agosto a. p. è la dimostrazione imponente della necessità e del modo di rigenerare la Filosofia. Con tutta ragione comanda ai maestri cristiani di ritornare ai principî dell'Angelo della Scuola san Tommaso d'Aquino. Che una parola tanto alta ed illuminata, alla quale ci riuniamo con piena persuasione, ecciti degli uomini, sotto il pio insegnamento de' quali venga alla prima delle scienze terrene la redenzione dal male in cui giace! "

« Queste sono le stupende parole dell'Arcivescovo di Monaco e Frisinga, che io mi sono creduto in obbligo di segnalare all'E. V. Rma. E dopo ciò non mi rimane che avere l'alto onore di chinarmi al bacio della sacra Porpora, ripetendomi con i sentimenti della più profonda venerazione

« Dell'Eminenza vostra Reverendissima

« Monaco, 25 febbraio 1880.

« Umilissimo, devotissimo e ossequiosissimo Servo

« Cesare Arciv. di Seleucia, Nunzio Apostolico ».

533. XLV. Litterae Rmi Archiepiscopi Rhedonensis:

« Eminence. J'ai reçu l'exemplaire imprimé de la lettre adressée par le Saint Père à l'Em. Cardinal De Luca, et je prie Votre Eminence d'agréer ma profonde reconnaissance pour ce précieux envoi et pour l'avis qu'elle a bien voulu m'en donner. Ce document fait dignement suite à l'admirable Encyclique *Aeterni Patris;* je l'ai lu et médité avec la plus respectueuse attention. Joignant la pratique à la théorie, le souverain Pontife donne l'exemple et les moyens d'organiser la restauration philosophique dont, avec la double autorité de sa charge suprême et de sa vaste science, il a si fortement établi l'urgente nécessité.

« Je me ferai un devoir de marcher dans la voie que cette lettre vient d'ouvrir, et que votre Eminence me fait si bien comprendre; je ne doute pas que mon Clergé, qui s'est toujours distingué par una filiale soumission aux volontés et aux désirs du Père commun, ne s'associe docilement à mes efforts.

« Je me suis vivement réjoui d'apprendre que le saint Père a ordonné de suivre désormais au Séminaire Romain l'ouvrage du chanoine Sanseverino, adopté depuis plusieurs années dans mon Grand-Séminaire.

« L'édition complète des Œuvres du Docteur Angélique ne sera pas l'un des moindres services d'un pontificat déjà illustre; je fais des vœux ardents pour l'heureux et prompt achèvement de cette grande entreprise.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

« Votre Eminence aurait-elle la bonté de permettre que je la prie de me faire inscrire dès maintenant au nombre des souscripteurs de cette publication capitale pour trois exemplaires, un destiné à mon Grand-Séminaire, un autre à ma future Académie Thomistique, et le troisième pour enrichir ma bibliothèque personnelle ?

« De Votre Eminence

« Le très humble et très dévoué Serviteur

« Charles-Philippe Archev. de Rennes ».

534. XLVI. Litterae Rmi Archiepiscopi Vercellensis :

« Eminenza Reverendissima. Ho ricevuto i due esemplari a stampa della provvida Lettera diretta da Sua Santità il 15 ottobre p. p. al-l'Emo Cardinale Prefetto in Roma della sacra Congregazione degli Studi, e la veneratissima del 28 stesso ottobre, che V. Eminenza Rma mi ha scritto. Veramente al leggere que' due documenti io fui commosso in fondo al cuore, ed ho ringraziato e benedetto l'Altissimo Signore che visibilmente appone la sua mano ai bisogni del giorno, e manifesta l'opera sua meravigliosa. Mentre si fa la guerra alla Chiesa e le si nega ogni autorità di diritto, e le si vuole togliere di fatto ogni ingerenza nell'insegnamento pubblico, il Capo della Chiesa in terra fa sentire la sua autorevole parola, addita e spiana la via più comoda e sicura per giungere alla verità, raccomandando di prendere per guida maestra le dottrine di san Tommaso d'Aquino, ed inculcando il mezzo di Academie ecclesiastiche diocesane da instituirsi per esporre, illustrare, interpretare le dottrine dell'Angelico Dottore; e i Pastori della Chiesa lieti, pronti e riverenti si adoperano a tutta possa per ridurre all'atto pratico quanto Leone XIII propone, intende e desidera. Intanto il mondo ha davanti agli occhi due spettacoli da farne il raffronto : quello della calma, dell'unione, dell'ordine, che sono costanti nella Chiesa Cattolica, e quello delle contraddizioni continue, delle divisioni, degli enormi errori, e di una confusione babelica di cose che regnano nel campo di coloro che si scostano dagli insegnamenti della Chiesa.

« Colla grazia del Signore, in cui confido, mi farò sempre un sacrosanto dovere di ubbidire con filiale devozione ai cenni ed ai disegni del santo Padre, e non solo, come ho già dichiarato, aderisco di mente e di cuore all'Enciclica *Aeterni Patris*, ma ho già fatto adottare per testo di studio nel mio Seminario il *Trattato di Filosofia* del Sanseverino, e farò ancora ogni possibile per istituire l'Accademia allo scopo di esporre, illustrare ed interpretare le dottrine dell'Aquinate. Vedo che il numero ora assai ristretto de' Sacerdoti in Diocesi farà al momento una certa difficoltà, ma si tenterà, e spero di prendere presto qualche iniziativa.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

Ne ho anzi già trattato con qualcheduno de' Suffraganei che dividono il proposito di promuovere col mezzo delle Accademie lo studio e lo sviluppo delle dottrine di san Tommaso, e versano pure nella penuria di Sacerdoti. Compisca l'altissimo Signore l'opera della sua misericordia, ed in mezzo alla tristezza dei tempi, ed alla enormità degli errori, per bocca del suo Vicario faccia risplendere la luce della verità, e conforti i Vescovi nell'esercizio del pastorale Ministero al bene della Società, ed all'incremento della gloria divina.

« Inchinato al bacio della sacra Porpora, la prego d'implorare dal santo Padre una benedizione sopra di me e sopra la mia Diocesi, e di gradire i sensi di profonda venerazione, con cui ho l'onore di professarmi

« Di Vostra Eminenza Rma

« Vercelli.

« Umilissimo, devotissimo ed ossequientissimo Servitore

« Celestino Arcivescovo ».

§ III.

Litterae Reverendissimorum Episcoporum.

535. I. Litterae Rmi Episcopi Verulani et Capituli Ecclesiae Cathedralis, Capituli Ins. Coll. Sancti Erasmi, ac Capituli Ins. Coll. Sancti Pauli :

« Beatissime Pater. Iucundissimae recordationis anniversaria dies adventat, qua post tuam ad sacram beati Petri Sedem meritissimam evectionem, tiaram, plaudentibus prae gaudio populis, accepisti " tribus coronis ornatam, ut scires te esse Patrem Principum et Regum Rectorem Orbis, et in terra Vicarium Salvatoris nostri Iesu Christi. " Dum in tantae laetitiae die tibi, Beatissime Pater, fausta cuncta ac prospera a Deo Optimo Maximo ad annos bene multos ex intimo corde precor, pergrato simul, hac felici occasione arrepta, fungor officio pro munere scilicet mirabilis Epistolae encyclicae *Aeterni Patris* de studiis philosophicis in catholicis scholis ad mentem Angelici Doctoris instaurandis, grates sine fine persolvens, eidemque Epistolae eo, quo par est, obsequio, reverentia ac veneratione, quod mihi in deliciis est, plenissime adhaerens. Eo autem alacrius in huiusmodi officium obeundum incumbo, quo universus huiusce

Dioecesis Clerus tibi addictissimus, mihique carissimus, indigni sui Praesulis vestigia sectans perfectae suae adhaesionis gestienti animo sensus expromit. Iam vero cum praelaudatas apostolicas Litteras universi catholici Episcopi, quorum doctrinae ac pietatis fama longe lateque vagatur, tot laudum praeconiis iure meritoque extulerint, quid mihi inter venerabiles Confratres minimo (virium enim mearum exiguitatem et sentio et fateor libentissime), quid mihi, inquam, dicendum superest? Paucis, Pater sancte, multa complectens, verbis utar epistolae Hincmari ad Nicolaum I praedecessorem tuum, tibique fidenter dicam: " Tu accepisti claves scientiae. In arca quippe pectoris tui arca Testamenti, et manna coelestis saporis requiescunt. " Ut autem veneratissimis mandatis tuis morem geram, curabo pro viribus ut beati Thomae doctrina, quae in huiusce Seminarii scholis iamdiu traditur, magis etiam atque magis in posterum excolatur ad utilitatem praesertim adolescentium, qui in Ecclesiae spem succrescunt, et nullatenus dubito quin sedulam ii sint operam daturi ut sapientissimis, et non satis laudandis magni Aquinatis institutionibus imbuantur: siquidem si primus discendi ardor, quemadmodum sanctus Ambrosius pulchre sapienterque dixit, nobilitas est magistri, quid Angelico Doctore nobilius, de quo in Actis Parisiensis Academiae magnificentissimum hoc exstat elogium: " Divus Thomas, universae Ecclesiae lumen praefulgidum, gemma radians Clericorum, fons Doctorum, Universitatis nostrae speculum clarissimum, et candelabrum insigne ac lucens, per quod omnes qui vias vitae, et scholas doctrinae sanae ingrediuntur lumen vident claritatis vivae, famae clarae, et scientiae lucidae velut stella splendida et matutina? " Divino proinde consilio, factum est ut tu, Beatissime Pater, ad gliscentes in dies errores proterendos, ad tantam malorum congeriem e medio societatis tollendam, non hanc aut illam Universitatem, non talem talemve Academiam, bene vero universum Orbem, " ne fideles omni vento doctrinae circumferantur, " ad scholam supremi scientiae divinae Magistri, et ea lege ut ne latum quidem unguem a doctrina in ea tradita recedant, sapientissime vocares; et nemo certe ibit inficias doctrinam hanc Societati, imprimis vero studiosae inventuti tot hisce teterrimis temporibus periculis obnoxiae, vel maxime profuturam.

« Dabis modo mihi veniam, Beatissime Pater, ut obsequentissime tibi gratuler, quod quamquam deflere quotidie cogaris detrimenta a perditissimis hominibus Fidei ac Religioni illata, nihilo tamen animo non deficiens, sed auxilium de Sancto exspectans, totus in eo sis, nihilque habeas antiquius quam ut curas omnes, studia, laboresque seduto impendas ut animarum saluti prospicias, " redeantque praevaricatores ad cor, ac eruti de potestate tenebrarum transferantur in Dei lumen et regnum." Misericors et miserator Dominus in omnipotenti sua virtute praestet, ut id quanto-

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

cius assequaris; ego interim enixe preces fundens ut plene voti compos fias, ad osculum sanctorum pedum provolutus, apostolicam benedictionem, coelestium benedictionum auspicem, super me, super Clerum ac Fideles mihi concreditos humillime imploro.

« Sanctitatis tuae

« Verulis, die 25 februarii.

« Humillimus obedientissimus obsequentissimus
« Filius et Subditus
« IOANNES BAPTISTA Episcopus Verulanus ».

Sequuntur trium Capitulorum et Cleri subscriptiones.

536. II. Litterae Rmi Episcopi Signini:

« Beatissime Pater. Si quo liberior obtinuit error, eo maior eius licentiae coërcendae necessitas urget, nemo non videt quam sapientissime censueris, Beatissime Pater, instaurandam in Scholis catholicis ad mentem sancti Thomae Aquinatis Philosophiam, quae restinctis huius temporis doctrinis iuventutem ad rectum veritatis iter reducat. Quum enim philosophantium omnium qui saeculi scitis indulgent, hoc unum votum iampridem fuerit ut novae scientiae subsidio, nova quoque societas pro voluntate docentium exsurgeret, et prona in obsequium fidemque rerum ab iis traditarum coalesceret, tum aliquando factum est, quod erat sane exspectandum, ut de scientia et de societate ingemiscente, nequidquam bonorum omnium ordine, conclamatum sit. Ego autem fateor et recognosco quod a te pronuntiatum est, humanam rationem nullo divinarum revelationum munimine fretam a recto veritatis tramite necessario deflectere, et pessum ire oportere: quod idem est ac si aperte dixeris Scientiam sine Fide, prout impotem sui, non posse consistere, cultoresque eiusmodi scientiae sese agitare eodem modo ac qui in tenebris digladiari solent. Non igitur mirum est si ratio humana hisce, quibus versamur, temporibus, cuiusvis auctoritatis impatiens et veluti in divinitatem sublata Deum ipsum (horrendum nedum dictu sed cogitatu!) esse negaverit: iura proprietatis infregerit, bona omnium omnibus addici voluerit: et rerum conversiones, quas tantopere lamentamur, adeo foverit, animarit, incenderit, ut inde religio, familia et societas in mala omnia fuerit abacta. Nil itaque sapientius, nihilque, pene dixerim, sanctius a te, Beatissime Pater, excogitari poterat, quam quod Litterae tuae *Aeterni Patris* Orbi catholico pro virili commendarunt, ut scilicet insanientis philosophiae deliramentis, quae tantam malorum colluviem progenuerunt in nostris Scholis, opponatur vera germanaque sancti Tho-

mae Philosophia. Haec enim cum de omni re disserat, quae scientia hu-mana comprehendi queat, cumque ne tantisper quidem a Revelatione re-cedat, quacum concordissime graditur, tum luculentissime demonstrat ratio-nem humanam auctoritati obnoxiam haud equidem in vile mancipium labi et veluti captivam fieri, sed tutius ad veritatem detegendam intendere posse quin errandi discrimen adsit. Quae cum ita sint, si pares tibi gratias pr... sapientissimo consilio instaurandi Philosophiam ad mentem Aquinatis agen... nec referre valeam, obsequutus tuis votis, Doctoribus potissimum mei Se-minarii et Clero universae Dioecesis studium disciplinae philosophicae sancti Thomae, quantum in me situm est, enixe commendare non desinam.

« Interim ad tuos sanctissimos pedes provolutus benedictionem ap-stolicam pro me et populo meis curis concredito humillimo sensu dev-tionis imploro.

« Signae, die 23 octobris 1879.

« Humillimus et obsequentissimus Filius

« Fr. ANTONIUS Episc. Signinus ».

537. III. Litterae Rmi Episcopi Anagnini:

« Beatissime Pater. Manifesta supremi Numinis voluntate ad fas-gium apostolicae potestatis evectus, in id incumbis ut pronam in omn... mala Societatem erigas, et quae pravis philosophorum placitis miserri... consenuit, per sanam philosophiam quasi reddita iuventute revirescat. I... sublimi Petri Sede tanquam a specula pastorali dedisti vocem, qu... Encyclica *Aeterni Patris* per Orbem terrarum circumtulit, et Episc... universi, audita voce tua, coniunctis studiis in eo adlaborant ut iuven... qui in spem Ecclesiae et Patriae adolescunt, formentur ad sapientiam re... sando exemplaria divi Thomae Aquinatis.

« Ego, meritis licet imparibus, Antistes Anagninus idipsum, Beati-sime Pater, praestabo libentius, siquidem in hac civitate mihi cariss... adhuc assonat echo vocis Doctoris Angelici, qui in hoc coenobio Patr... Dominicanorum sedit in cathedra, et sapientiae suae praeclaros fecit e... fluere fontes. Insuper Basilica Anagnina laetitia gestiens Thomam Paris... advenientem excepit, eumque audivit coram Alessandro IV praedecess... tuo tam triumphali argumentatione refellentem sophismata Guilelmi a Sanc... Amore de Religiosis Familiis Mendicantibus indigna sentientis, ut Ponti... Guilelmi librum diris devotum in ipso templo flammis tradi mandave... Anagnia sentit se honestatam et praesentia et doctrinis tanti viri, ideo ci... omnes grati et memores quotannis in eius solemniis ex voto Rei divin... intersunt, et Primores civilem magistratum gerentes, rebus secundis, d...

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

munus ad aram in qua eminet Crux manu Thomae figurata ad fugandas tempestates.

« Haec omnia mihi addiderunt alacritatem ad obsequendum volun-tati tuae. Adolescentibus qui in sacro ephebeo instituuntur dedi magi-stros sapientia excultos, quorum disciplina fingent animum temporibus parem. Clerus spectatissimus vocatus in partem sollicitudinis meae in Academia mox instituenda Thomam ducem habebit, ad tuendam contra grassantes errores catholicam veritatem.

« Quae pro officii mei ratione facio ut studia divi Thomae adole-scentiam alant, et ecclesiasticos Viros ditent scientia qua Sacerdotio rite fungantur, bene et prospere cedent, si accesserit benedictio apostolica quam pedibus tuis provolutus supplex exspecto.

« Sanctitatis tuae

« Anagniae, pridie idus ianuarii, anno post Virg. Partum MDCCCLXXX.

« Humillimus, addictissimus, obsequentissimus Servus

« DOMINICUS Episcopus Anagninus ».

538. IV. Litterae Rmi Episcopi Alatrini cum Canonicis:

« Beatissime Pater. Litterae quas pridie nonas augustas huiusce anni ad Orbem catholicum dedisti, magis magisque persuasum nos habere iu-bent, summa nimirum Dei Providentia factum fuisse, ut tempestate hac difficillima tu potissimum, Sanctissime Pater, Pontifex maximus renuntia-reris. Ipsae enim non modo spem, sed fiduciam afferunt, magna tum rei christianae, tum hominum generi scientiisque emolumenta esse inde flu-xura. Et sane, ex ista Vaticana arce, malorum congerie qua christianus Orbis premitur pene ictu oculi prospecta, nihil tibi fuit antiquius, quam certissima proponere remedia, quibus adhibitis, omnis pestis averruncetur, sin minus impotens minuatur furor, et tantam hominum vim letifero ha-litu prohibeatur inficere. Huiusmodi remedia in doctis illis amplissimisque voluminibus, quae sanctus Thomas Aquinas, Doctor omnium facile prin-ceps, exaravit, affatim continentur: eaque volumina, tu, Pater sanctissime, in illam, quae decet, existimationem revocans, eisdemque continentem strenuamque operam dari pro potestate iubens: nemo est quin videat quot quantaque sint inde omnigena progignenda commoda atque bona. Namque hinc saluberrimum menti humanae pabulum, hinc firmum volun-tati praesidium, hinc recta philosophandi vivendique ratio, hinc Fidei robur, hinc denique arma adversus infensissimos sive vetustiores, sive recentio-res, quos vocant, philosophos. Iam vero quae diffusa in sapientissimorum cuiuscumque aetatis scriptis reperiuntur, haec diligenter congesta et uno

velut loco condita in Aquinatis nostri libris est admirari. Quandoquidem, ut verba Epistolae encyclicae usurpem, " Thomas Aquinas veteres Doctores quia summe veneratus est, ita intellectum omnium quodammodo sortitus est. Illorum doctrinas, velut dispersa cuiusdam corporis membra, in unum Thomas collegit et coagmentavit, miro ordine digessit, et magnis incrementis ita adauxit, ut catholicae Ecclesiae singulare praesidium et decus iure meritoque habeatur."

« Quae omnia luculentius constabunt, si animadvertemus, quoad Thomae doctrinae sive in athenaeis, sive in gymnasiis tum publicis cum privatis suus fuit honos, et Religioni nostrae sanctissimae suum fuisse decus, catholico autem Orbi magnam tranquillitatem. Ubi vero nova philosophandi methodus scholas huc illuc invasit, et sapientissimis Thomae scitis valedici coeptum est, subito vel recentes surgere, vel veteres excitari errores; eoque iam ventum est, ut Ecclesia christiana penes vernaculos sapientes, uti iam penes ethnicos, sit derisui et contemptui, et hominibus illa immineant tempora, quibus neque bona, neque auctoritas, neque alus et vita ipsa sit in tuto.

« Sapientissimum igitur consilium quippe fuit, ut tu, Beatissime Pater, Deo adspirante, ex sublimi Petri cathedra Doctoris Angelici Philosophiam instaurandam curares; a qua nemo quidem abhorrebit, qui Religionis et hominum ipsorum commoda sarta tectaque desideret.

« Nos itaque, quibus Ecclesia Alatrinatium commissa est, et nobiscum Clerus noster universus, tibi, Sanctissime Pater, maximas agimus grates, quod tam sapienti vigilique studio omnium Christifidelium saluti prospexeris; et publice declarandum animo concordissimo censuimus, fore ut doctrinae tanti Magistri, quanquam ab ea recedere fas nunquam putavimus, semper firma voluntate adhaereamus. Quo autem certius obsequii nostri signum praesto sit, statuimus ut in nostris Collationibus, quae hodie instaurantur, quasque octavo quoque die habere consuevimus, Thomae doctrinis praecipuus tribuatur locus. Alacriter, te auspice, hoc ingressi curriculum, ut fidentius absolvamus, a te, Pater sanctissime, benedici demisse poscimus atque obsecramus.

« Datum Alatrii, V calendas decembris, MDCCCLXXIX.

« Humillimi et addictissimi Filii et Subditi

« Petrus Episcopus Alatrinas ».

Sequuntur Canonicorum subscriptiones.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

539. V. Litterae Rmi Episcopi Urbaniae et Sancti Angeli in Vado:

« Beatissime Pater. Apostolicae litterae *Aeterni Patris*, quibus Sanctitas tua magnum illud Theologiae et Philosophiae lumen, divum Thomam Aquinatem, summis meritisque laudibus, catholicis Scholis commendas, me, universum Clerum, bonosque omnes harum Dioecesum Urbanien. et Vaden. mihi concreditarum maxima laetitia affecerunt.

« Tu enim, sapientissime Parens et Doctor catholici nominis, firmum substruxisti fundamentum per quod humana ratio et Philosophia ad illam assurgere valeant dignitatem, ad quam Christus Dominus eiusque catholica Religio revocarunt: atque ad bene de vero scientiarum progressu sperandum veluti vexillum, divinitus datum ostendisti. Humana quippe ratio supernaturali Fidei et catholicae Ecclesiae auctoritati subdita tantum abest ut in servitutem redigatur, et in praeceps ruat, sicuti veteratores nostrorum temporum sophistae omnia sus deque vertere adnitentes, inique delirant; quinimo a foedo errorum coeno expedita et vindicata, tutam init viam, ad veritatem altius et securius adipiscendam intuendamque.

« Quapropter pro rei christianae et scientiarum incremento, nihil a te, Beatissime Pater, decerni opportunius poterat et utilius, quam Angelici Doctoris catholicis Scholis doctrinam proponere; iisque omnibus, qui per effraenam rationis licentiam a veritatis tramite decesserunt, hoc fulgens Theologiae et Philosophiae sidus commonstrare. Nonne iure meritoque dictum est a sapientissimo Viro inanem omnino esse Philosophiam, quae a mysteriorum Fidei veritate homines avocet? Nonne pluribus abhinc saeculis philosophicae Scholae, quae a sancti Thomae Aquinatis placitis et doctrinis desciverunt, babelicae confusionis imaginem referre videntur?

« Sapientissime igitur, immo divinitus a te, Pater sancte, cautum est tuis apostolicis Litteris, quibus tantum Doctorem in theologicis et philosophicis disciplinis Magistrum commendas; tuaque apostolica Auctoritate adhortaris ut Scholae catholicae eo tanquam praeclaro Magistro, a Deo hominibus concesso utantur, eiusque sententias in philosophicis investigationibus profiteantur.

« Qua de re, tibi, Beatissime Pater, ego una cum universo meo Clero, virisque omnibus cordatis prolixas persolventes grates, tuis apostolicis Litteris sincero mentis obsequio adhaeremus. Et quamvis in harum Dioecesum Seminariis Scholisque nihil antiquius habitum sit quam tanto Doctore veluti Magistro et Duce uti; attamen tuae modo obsequentes auctoritati errandi nesciae, maiori animi contentione et studio ei adhaerebimus, et ab eius scriptis coelesti sapientia refertis tanquam a purissimo fonte meorum Seminariorum in philosophicis disciplinis Institutores

plenis haustibus ebibent; ita ut Aquinatis sententiae futurae sint nobis posthac tanquam regula et tessera sanioris Philosophiae.

« Interim ad pedes Sanctitatis tuae provolutus, oro ut hasce significationes peramanter excipias et mihi, meo Clero, Fidelibusque harum Dioecesum apostolicam benedictionem impertiri digneris.

« Beatitudinis tuae

« Urbaniae, die sacro sanctae Catharinae V. M., 1879.

« Humillimus, addictissimus, obedientissimus
« Filius et Famulus

« IOANNES M. Episc. Urbaniae et Sancti Angeli in Vado ».

540. VI. Litterae Rmi Episcopi Feretrani una cum Canonicis:

« Beatissime Pater. Epistolam encyclicam incipientem *Aeterni Patris* ea, qua par erat, veneratione et studio acceptam, Beatissime Pater, summae sapientiae tuae divitiis plenam, nos humillime subscripti non modo admirati sumus, sed, quod praecipuum caput est, pro certo habuimus catholicae Ecclesiae et Societati magna inde verae scientiae et virtutis obventura esse impendia et incrementa, quibus humanae mentes, et res hominum cunctae, per philosophiam et inanem fallaciam hac tempestate propemodum profligatae, erigantur et ad meliora convertantur. Ordinem enim, quem Deus scientiarum Dominus inter doctrinas omnes evolvendas ediscendasque summa ratione constituit, probe et enucleate ostendis; atque illum rebelli hominum ratione exturbatum, iure quodam postliminii, si ita dicere fas est, nativo magisterio tuo, Beatissime Pater, in propria restituis. Hac de causa propositum in exemplar divum Thomam philosophorum omnium et Scientiae scholasticae Magistrum et apicem, quoad nobis fieri poterit, sequemur, atque in hunc scientiae Solem, veluti exigua heliotropia fideliter constanterque intuentes, illuminari satagemus.

« In id equidem iam antea ex nostra persuasione impendebamus studia: sed nunc etiam ex veneranda summi Magisterii tui religione studia eadem impensius conferemus. Quod autem Vaticana Synodus, et scita aliorum summorum Pontificum assequi optabant, id Epistolam tuam Beatissime Pater, tanto hominum plausu et consensione probatam, ad felices exitus perducturam esse certo arbitramur. Iam vero non solum in his, sed etiam in aliis, quae proponis, ut facilis res perficiatur, te, Beatissime Pater, libentissime sequemur, ea tamen ratione, qua et temporum, et rerum omnium angustiae permiserint.

« Rogamus interim Deum ex animo, ut coeptis tuis aspiret, annuat, opituletur; teque, Beatissime Pater, diutissime conservet et sospitet, ut

quae in bonum Ecclesiae et Societatis, et in scientiarum incrementa seminasti, etiam in uberrimos manipulos laetanter colligere possis et valeas.

« Dignare, Beatissime Pater, hoc perpetuae fidelitatis, venerationis et obedientiae nostrae testimonium, tempore fortasse, sed non intimo cordis affectu prostremum, benigne excipere; et nos optato tuae apostolicae benedictionis munere donare, quam humillime provoluti enixe efflagitamus, deosculantes devoto animi spiritu tuos sanctissimos pedes, dum maxima observantia et veneratione haberi et esse gloriamur.

« Pinnaebillorum, 1 novembris 1879.

« Humillimus addictissimus obsequentissimus Famulus

« ALOYSIUS Episc. Feretranus ».

541. VII. Litterae Rmi Episcopi Ripae-Transonis una cum Canonicis:

« Beatissime Pater. Quae sapientia sanctorum Patrum ac veterum philosophorum, maxime vero Aristotelis, pluribus in voluminibus sparsa reperiebatur, mirabili synthesi collecta fuit atque ordine scientifico digesta, opera pene portentosa divi Thomae, quem nomine Angelici Doctoris Ecclesia iure meritoque donavit.

« Quamdiu viguit in Scholis Philosophia Thomistica, longe abfuerunt ea deliramenta et somnia, quae posthabitis Scholasticorum placitis mentes hominum fere omnes invaserunt, et magis magisque crevere in dies usque ad haec nostra tempora, quibus prorsus aberrationis apicem tetigerunt.

« Ab huiuscemodi erroribus quaquaversum vagantibus dimanaverunt auctoritatis spretus, morum licentia, religionis irrisio, atque illa vitiorum caterva, quae solia Principum subruere, Orbemque prope universum turbare sunt ausa; voluntatis enim hoc proprium est ut ipsa intellectum sequatur, earumque rerum afficiatur amore, quae tanquam appetendae ab intellectu exhibentur.

« Optimum igitur conclamandum est, nostraeque aetati apprime accommodatum consilium illud, quo tua Beatitudo constituit tot malorum radicem penitus evellere, Philosophiam divi Thomae docendam praescribens ab iis cathedris quae Episcoporum iurisdictioni subiiciuntur.

« De hac re tibi ex animo gratulamur, tibi ex corde plaudimus, tibi sincere obsequimur. Et quamvis in hoc sacro Clericorum ephebeo Doctrinae Thomisticae ii semper adhaeserint qui erudiendis alumnis fuerunt praepositi, hoc tibi libenter significamus, quod in posterum *Philosophicus cursus*, a clarissimo Signoriello concinnatus, discipulorum manibus terendus da-

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

bitur, ut melius ac tutius obtineatur finis, quem Sanctitas tua divino Spiritu illustrata sibi assequendum proposuit.

« Eadem, quae ego innuo, sunt sensa Cleri totius, pro quo, et pro populo mihi commisso, ac pro me, apostolicam benedictionem instanter efflagito, tuis genibus provolutus.

« Ripae-Transonis, XI kal. decembris, a. MDCCCLXXIX.

« Humillimi, addictissimi, obsequentissimi
« Famuli et Subditi
« FRANCISCUS Episcopus ».

Sequuntur Cleri subscriptiones.

542. VIII. Litterae Rmi Episcopi Aquipendii:

« Beatissimo Padre. Con letizia somma ho letto la veneratissima Lettera che la Santità vostra ha scritta all' Emo Cardinale Prefetto degli Studi, e della quale ho ricevuto ieri due esemplari. Essa è la prima pietra posta al restauro, di cui l'immortale Enciclica *Aeterni Patris* tracciò le fondamenta, e mostra come nella Santità vostra alla sapienza del disegno vada compagna la prontezza e l'energia dell'esecuzione. Felici coloro che possono già accingersi a dar valida mano ad un'opera che alzerà vera diga ai traboccanti errori, e sarà vittoria della Chiesa e salvezza della società! Se a me, destituito di braccia, rimarrà solo per ora ammirare e pregare, il Signore, confido, soccorrerà; e intanto non tarderò a richiamare nell'umile mio Seminario la schietta Filosofia dell'Angelo delle Scuole.

« La nuova edizione che la Santità vostra prepara delle opere tutte dell'Aquinate, è imprendimento dell'alta sua mente e degno della sovrana sua volontà, e sarà d'inestimabile aiuto all'esecuzione del magnanimo proposito che Iddio le ispirò, e che da lui riceverà corona di perenne consolazione per la Santità vostra, di gloria pel suo pontificato, di salute per la cristianità. Questa è la fiducia del mio cuore, questa la fervente preghiera che non cesserò di rivolgere al Padre de' lumi, dispensatore supremo di ogni cosa ottima e di ogni dono perfetto.

« Genuflesso ai santissimi piedi, imploro, Beatissimo Padre, sopra di me e della mia Diocesi la benedizione apostolica.

« Della Santità vostra

« Acquapendente, 21 ottobre 1879.

« Umilissimo, divotissimo obbedientissimo Servo e Suddito
« CONCETTO Vescovo ».

543. IX. Litterae Rmi Episcopi Recinetensis et Lauretani, aliorumque Episcoporum:

« Beatissime Pater. Dum veritati omnigenae, nedum in supernaturalibus verum et in humanis, undique per id temporis nubes offunduntur et tenebrae errorum, quos gignit perenniter insana philosophia hominum intellectum a luce abripiens voluntatemque impellens in itinera tenebricosa; mirabili divino consilio vox Petri clamantis de Vaticano Christifideles ciet et hortatur ut oculorum aciem rursus intendant in Solem christianae Sapientiae, Thomam Aquinatem. Doctrina mentis eius angelicae, praedivitis documentis antiquiorum et ad sublimiora perlatae a verbo Dei et sanctorum Patrum eloquio, prout sapientissime ab Epistola encyclica a te docemur, poterit una funditus evellere falsam mendacemque philosophiam, quae nequissimo ausu ac stulto conatur Deum e rebus ablegare, hominem habere tanquam equum et mulum, quibus non est intellectus, naturam cunctarum rerum deturbare mirumque ordinem in universis destruere. In malos fructus arboris scientiae huius exitialis salubre et efficax praefertur antidotum a Philosophia scholastica, et prae caeteris a doctrinis divi Thomae quibus succus purissimus et vitalis spiritus sanctorum Patrum inest. Quapropter magna cum laetitia Litteras tuas excepimus, easque lubentissimo animo complectimur, innisuri, quantum in nobis erit, ut praeceptis mandatisque tuis satisfaciamus. Quamquam autem praedecessores nostri id egerint, nosque eos consectati fuerimus ut Philosophiae scholasticae honor, ut par erat, iugiter haberetur, in posterum satagemus ut ephebi in Ecclesiae spem adolescentes animo in dies alacriori in id studium incumbant, et Philosophiam ad mentem Angelici pulchre callere valeant. Sensibus hisce nostris adiicere non omittimus grates quamplures ob munus Litterarum tuarum, quibus Ecclesiae bono consulens, Reipublicae simul fulcimen pervalidum afferre studuisti. Dominus noster Iesus Christus coeptis aspiret, te sospitem diu servet, nobisque adsit propitius una mente volituris imperata tua constanter explere.

« Nunc autem ad genua provoluti, benedictionem apostolicam super nos, Clerum et Populum enixis precibus oramus.

« In die dedicationis Sancti Michaelis Arcangeli, anni 1879.

« Humillimi addictissimi obsequentissimi Servi et Filii

« THOMAS Episc. Recinetensis et Lauretanus
« Michaël Episc. Auximanus et Cingulanus
« Rambaldus Episc. Aesinas
« Achilles Episc. Anconitanus ».

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

544. X. Litterae Rmi Episcopi Pisaurensis una cum Canonicis aliisque ecclesiasticis Viris:

« Beatissimo Padre. Il Vescovo di Pesaro, i Canonici della sua Chiesa cattedrale e quelli della Collegiata di Sant'Angelo, insieme a buona parte dei Parroci e dei Sacerdoti semplici della Città e della Diocesi, riuniti in sacro ritiro nel ven. Seminario, per ritemprare il loro spirito per mezzo degli esercizi spirituali, prima di ritornare alle loro case, si recano a gratissima premura di prostrarsi ai piedi di vostra Santità per offrirle l'omaggio rispettoso della loro profonda venerazione, della loro obbedienza perfetta e del loro amore filiale; a' quali sentimenti vanno uniti mille auguri e mille voti per la sua felice conservazione sino alla più tarda età.

« Sono poi lieti gli umili sottoscritti di valersi di tale opportunità per esprimere a vostra Beatitudine la loro ammirazione per la recente Enciclica *Aeterni Patris,* nella quale non potevano non vedere gli alti intendimenti che l'hanno ispirata, nel raccomandare il ritorno nell'insegnamento della Filosofia, alla dottrina dell'angelico Dottor san Tommaso, fedelmente seguita e sinceramente interpretata. Nel nostro Seminario diocesano già si siegue, Padre santissimo, con rigorosa precisione quello che nella vostra sapiente e paterna sollecitudine avete insinuato su questo importantissimo oggetto a tutti i Vescovi del Mondo cattolico, e con uguale impegno eseguiremo tutto ciò, che in ogni tempo vi piacerà di ordinare e di consigliare pel bene della Cristiana società.

« Nel deporre insieme a questo nostro rispettoso indirizzo ai piedi di vostra Santità, che baciamo con affetto, l'umile offerta dell'obolo di san Pietro, invochiamo instantemente su di noi l'apostolica benedizione, la quale renda più copioso e duraturo il frutto dei santi esercizi per la santificazione di noi stessi e del popolo cristiano affidato alle nostre povere cure.

« Pesaro, 3 ottobre 1879.

« Umiliss. devotiss. obbed. Servi e Figli

« CLEMENTE Vesc. di Pesaro ».

Sequuntur Canonicorum et Cleri subscriptiones.

545. XI. Litterae Rmi Episcopi Nepesini et Sutrini:

« Beatissimo Padre. La provvidissima Enciclica *Aeterni Patris* onde la Santità vostra ha volte a tutti i Pastori del gregge di Gesù Cristo sì autorevoli e sapienti parole, fu da me accolta non pure con umili sentimenti di devozione, ma eziandio con emozione di contentezza e di giubilo. Imperocchè in tanto traviare delle menti, in tanto smarrimento dei

principî sui quali solamente può riposare tranquillo ogni ordine sociale, e nei quali solo può trovar pace e guida sicura, essa insegna la luce a cui conviene rivolgere e tener fermo lo sguardo, per ritrovare la verità e non allontanarsi da lei. La Filosofia illustrata dalla Rivelazione divina è la luce che la Santità vostra ne addita; e come astro fulgidissimo, da cui essa si spande, ne addita il grande Dottore, che venne soprannominato, e fu veramente, Angelo delle Scuole. Per quanto è in me, non ometterò alcuna sollecitudine acciocchè l'eccitamento e la direzione che la Santità vostra ha dato allo studio della cristiana Filosofia, produca nelle due Diocesi a me affidate i migliori frutti possibili. E sono lieto intanto di potere esporre alla Santità vostra che nei due Seminari viene già insegnata la Filosofia secondo la mente di san Tommaso Aquinate; in quello di Nepi, per suo proprio instituto, dai discepoli del santo Dottore figli di san Domenico, ed in questo di Sutri da esperto Professore; e che in ambedue s'insegnano in armonia con essa le Scienze teologiche.

« Imploro, Beatissimo Padre, sopra di me e sulle Diocesi a me commesse l'apostolica benedizione.

« Sutri, 4 dicembre 1879.

« Della Santità vostra

« Figlio, Suddito, Servo umilissimo ubbidientissimo

« GIUSEPPE MARIA Vescovo di Sutri e Nepi ».

546. XII. Litterae Rmi Episcopi Imolensis una cum Seminarii alumnis:

« Beatissime Pater. Cum exoptatissimae Litterae encyclicae *Aeterni Patris,* quibus tu, christianae Sapientiae custos et vindex providentissimus, enixe hortaris ut ad catholicae Fidei tutelam et decus, ad Societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum aurea sancti Thomae doctrina in pristinam dignitatem restituatur, ad manus nostras pervenerint; cumque in eas oculos animumque avide nos coniecerimus, tanta sumus affecti laetitia, tantaque admiratione cumulati, ut nunquam sane magis. Coelestis scilicet sapientiae illae miram effundunt lucem, quae praefulgens veluti fax in hac turbulentissima temporum concitatione tot ac tantas errorum tenebras mentibus male obsidentes discutit, et aberrantes ad veritatis portum certa traducit. Illis siquidem tu christianam Philosophiam, cuiusvis humanae disciplinae fundamentum, in novam ceu lucem vindicans, veri aeque ac iusti principia apprime instauras, sapientes catholicos universos arctiori constringis foedere, atque ipsis virtutem addis maximam, uti in pugna, quam pro veritate acriter conserunt, de hostium manibus, uno impetu facto, extorqueant, confringant arma; deque illis opimum quandoque triumphum

agant. Dignae profecto Litterae, quae tui, Beatissime Pater, qui eas dabas, nomen immortalitati commendent, tuumque Pontificatum mansura in aevum decorent gloria. Quapropter iisdem, quibus nunc totus terrarum Orbis, plausibus et ominibus tibi vehementer gratulati, nos unanimes obsequentesque filii tui toto pectore hasce complectimur, nihilque, quod ab tui aut optatis aut nutu transversum unguem absit, molituros ultro pollicemur: et quam tu modo latissime propagari iubes sancti Thomae doctrinam, cui nos, iuvat meminisse, abhinc haud paucos annos in hoc sacro Seminario pro virili parte operam impendimus, nil antiquius nobis fore profitemur, quam eam, dum vita suppetit, impensius sectari; atque uti iuvenes disciplinae nostrae concrediti alacriter arripiant, ac probe teneant, magis et magis collatis viribus conniti. Quandoquidem autem non sumus nescii nisus nostros irritos casuros, nisi communia coepta Ille secundet, qui "Deus scientiarum" appellatur; Angelici Doctoris exemplis insistentes humili et concordi obsecratione illum exorabimus, ut in nos ipsos et adolescentulos ad laetissimam huius Ecclesiae spem efflorescentes spiritum scientiae et intellectus emittat, atque aperiat nobis iuxta eiusque sensum ad intelligendam Sapientiam. Quae cum nostri demissa nempe, sed aperta animi sensa te, Beatissime Pater, ea, qua singulari es, humanitate indulgentiaque excepturum confidimus, ad osculum pedum tuorum provoluti nobis ac nostris quam carissimis Alumnis apostolicam benedictionem coelestium munerum auspicem a te maiorem in modum exposcimus.

« Forocornelii, kalendas martii, an. MDCCCLXXX.

« Addictissimi, obsequentissimi Filii ac Subditi

« Aloisius Episcopus Imolensis ».

Sequuntur Professorum Seminarii subscriptiones.

547. XIII. Litterae Rmi Episcopi Collensis:

« Beatissimo Padre. Darò principio alla presente col supplicare la Santità vostra a perdonarmi, se per un certo timore d'incomodarla con lo scriverle troppo spesso, ho sì a lungo differito a compiere un mio dovere, e dirò anche a soddisfare un imperioso bisogno del mio cuore. Un tale dovere e bisogno si è quello di manifestare alla Santità vostra, anche in nome del mio Clero, la più sincera, la più devota, la più perfetta, la più assoluta adesione all'Enciclica *Aeterni Patris*, vero capolavoro di sapienza e di letteratura, e da porsi accanto alle opere di quel Grande, di cui la Santità vostra esalta [1] meritamente il nome. Con questa adesione già vanno,

[1] In textu erronee habetur « porta », ex oscitantia forsan exscriptoris.

e meglio in seguito anderanno, coll'aiuto del Signore, in armonia i fatti. Imperocchè non solo procurerò che in questo Seminario-Collegio venga, come si fa da parecchi anni, insegnata la Filosofia di san Tommaso d'Aquino, ma anche di fondare un'Accademia insignita del nome e del patronato del medesimo Dottore, e, ove mi riesca di trovare l'insegnante adattato, di erigere una cattedra teologica puramente Tomistica, come l'hanno i PP. Domenicani. Del resto non ho parole convenienti per ridire la gioia che provo in vedere, come tutto l'Orbe cattolico seconda plaudente e con sempre maggiore alacrità i sublimi e santissimi disegni della Santità vostra, dal compimento de' quali deriveranno beni ineffabili alla Chiesa e alla stessa umana Società, fieramente minacciate di estremi danni.

« Intanto umilmente prostrato al bacio del santo piede, e implorando la paterna ed apostolica benedizione per me e per tutti i miei diocesani, passo a raffermarmi

« Della Santità vostra

« Colle di Val d'Elsa, il 15 novembre 1879.

« Umilmo devmo osseqmo Figlio

« Marcello, Vescovo di Colle ».

548. XIV. Litterae Rmi Episcopi Clusini et Pientini:

« Beatissime Pater. Sicuti de Litteris encyclicis ad omnes catholici nominis Episcopos hoc anno datis ad instaurandum Scholasticae Philosophiae studium ex penitissimo corde gavisus sum, ita et nunc, solemnem Nativitatis D. N. I. C. memoriam referente cursu temporis, fausta quaeque et felicissima Beatitudini tuae in multos annos adprecor, ut Vineam Domini, qua coepisti alacritate excolendo, seminum, quae spargis, quam uberrimos fructus percipias. Haec sunt pro Beatitudine tua cordis mei vota.

« Etenim cum malis omnibus, quibus premitur mundana Societas, frustra iamdiu ab hominibus desideretur medicamen, rem acu tetigisti, Beatissime Pater, qui sancti Thomae sapientiam ita voluisti in mundo diffusam, ut in eius meditatione mentes hominum incumbentes, et ex eo fonte plenis haustibus haurientes, desinerent cirumferri omni vento doctrinae. Quippe Angelicus ille, non sine superno numine, ethnicorum et christianorum sapientium sententias conferens, et ad trutinam revocans, christianum fecit, ut aiunt, Aristotelem: id est, quidquid boni in paganis philosophis esset, id in *Summam* collegit, et cum christianis dogmaticis admirabili harmonia copulavit. Ex quo factum merito est ut in christiana societate sancti Doctoris opera maximo pretio haberentur, et in ipsis Oecumenicis Conciliis post sacra Biblia primo loco accenserentur.

« Et re quidem vera, quoadusque beati Thomae sapientiae suus honor est datus, humana Societas a pessimis recentiorum deliramentis exempta fuit: a quibus proinde si quis velit iterum liberari, ad sanctum Thomam revertatur oportet: et idcirco sapientissime initum consilium est de restituenda in Scholis catholicis Thomistica Philosophia. Quod ut prospere cedat, propitius adest Ecclesiae suae Deus, qui cum eam posuerit columnam et firmamentum veritatis, ab erroris fluctibus eam urgeri permittit, sed non obrui.

« Verum, ut suus detur veritati locus, Thomisticae Sapientiae debitum, qua potuimus, honorem semper reddidimus, et a pluribus iam annis, nonnisi scholasticis disciplinis Clerici Seminarii nostri Pientini imbuuntur. Sed, postquam accepimus verba tua, iterum doctrinis thomisticis adhaesimus, easque cum lectoribus et auditoribus Scholarum nostrarum sincero et firmissimo assensu complexi sumus. In hoc igitur in posterum adlaborabimus, in hoc molimina nostra intendemus, et vires nostras, quantulaecumque sint, conferemus, sperantes divinum adiutorium conatibus nostris non defuturum.

« Gratias igitur ago tibi quam maximas, Beatissime Pater, et ad Puerum Iesum preces tollere non deficiam, ut qui te sibi Vicarium in terris constituit, suo te numine protegat, et dextera manu sua te defendat.

« Interim, ut verbum tuum feliciter descendat in mentes Clericorum meorum, specialem pro eis a te flagito apostolicam benedictionem; quam ut et mihi, et universo utriusque Dioeceseos Clero et Populo benigne impertire digneris etiam atque etiam rogo.

« Beatitudinis tuae

« Clusii, die 20 decembris 1879.

« Umill. addictiss. Servus et Filius

« RAPHAËL Ep. Clusin. et Pientin ».

549. XV. Litterae Rmi Episcopi Sancti Miniati:

« Beatissimo Padre. La splendida Enciclica che la S. V. dirizzò allo Episcopato cattolico, è stata al nostro animo argomento di vera gioia. Ed io de' Vescovi ultimo e povero alunno del Sodalizio Domenicano, sento il bisogno di rendere alla Beatitudine Vostra somme grazie aderendo e plaudendo.

« Beatissimo Padre, a noi è sembrato di vedere la Santità Vostra, quale Angelo, con la chiave della scienza trascorrere nel firmamento della Chiesa e sotto il cielo d'Italia destinata dal provvedere superno a serbare il patrimonio delle lettere e delle scienze alle civili nazioni.

« Ci è sembrato di vedere la Santità Vostra qual sommo duce delle milizie di Dio correre per li accampamenti della cristianità eccitando a rizzare o ristaurare grandi fortezze per la difesa della Chiesa, e del civile consorzio contro le falangi della scienza di falso nome che minaccia l'esterminio di ogni religione e di ogni filosofia.

« Sì, Beatissimo Padre, le Accademie che a fidanza del divino aiuto noi fonderemo, i Seminari ove faremo propinare largamente agli alunni la dottrina attinta ai volumi immortali di san Tommaso, saranno altrettante fortezze, onde usciranno alla lor volta falangi agguerrite per combattere la generazione altezzosa che si vanta libera pensatrice, negando alla intelligenza quelle leggi che non saprebbe negare agli astri.

« Ben sappiamo che uomini di piccolo senno ne' giornali hanno osato di sfatare la vostra Enciclica, lavoro di sublime altezza. Ben sappiamo, Beatissimo Padre, che alcuni anche sentenziarono la ragione ormai essere ita troppo alto, e san Tommaso esserle rimasto troppo al disotto, quasi che la scienza stia nell'esplorare i fatti e le forze governate da leggi, e non più tosto nell'assorgere alle ragioni supreme nel che fu sovrano l'Aquinate.

« È già buona pezza che l'Italia ha disconosciuto i suoi geni e il suo cielo, e si è voluta fare mancipia del filosofismo alemanno, il quale esordì dal folle e fosco divisamento di voler disfare la Logica d'Aristotele che è la Logica del genere umano. È buona pezza che uomini indegni del grande nome d'Italiani hanno voluto affermare la critica tedesca avere ormai disfatto il Vangelo, e quindi la Religione cattolica essere faccenda da volgo, come se la Religione e la scienza vera potessero aver dissidio tra loro, come se i misteri e gli assiomi non fossero le due barriere dentro le quali, posto giù il dubbio e l'orgoglio, dee veleggiare rapida e sicura la ragione dell'uomo.

« Voi, Beatissimo Padre, avete rivendicato alla Italia la gloria di un magistero che la onora al sommo, additando nella vostra Enciclica l'immortale Aquinate quale Angelo delle Scuole, guernito di un peculiare carisma da Dio per dare organamento scienziale e forma dialettica alla dottrina teologica che era sparta ne' Padri e ne' dottori prima di lui.

« Voi avete segnalato che dall'oblio e dal dispregio delle Dottrine Tomistiche germinarono gli erronei e strani sistemi che hanno fruttato il presente ordine di cose, solo ferace a noi di servaggio e d'infortunio.

« Voi avete mostrato agli stranieri l'Aquinate, il quale fu sì poderoso nel sapere, da rizzare in Italia le due inconcusse piramidi del pensiero umano, la Somma Filosofale e la Somma Teologica, monumenti giganteschi della ragione.

« Voi ci avete chiamati alla crociata per la unità d'insegnamento,

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

acciocchè, poste giù le gare e le disutili disquisizioni, concentriamo le forze della intelligenza ai severi studi della verace e cristiana Scienza che sulle penne di san Tommaso, come ben diceste, Beatissimo Padre, toccò il supremo fastigio. Nella vostra lucida ed alta intelligenza voi vedeste che se l'Episcopato avvia il giovane Clero alle sorgenti di san Tommaso, il giovane Clero alla sua volta verserà a ondate quella nitida e sublime Filosofia della Divinità nel Popolo cristiano, e il Popolo cristiano, nutricato di quel vitale alimento, si renderà tetragono ai colpi dell'avversario ed ai sofismi del dubbio.

« Voi avete veduto che un Clero ritemprato a severi e sublimi studi, combatterà con più ampio e sicuro slancio le battaglie del Signore, e ritrarrà di leggieri alla via dritta i profughi del pensiero, i quali non hanno riportato dalla scienza altro che il martirio del dubbio.

« Voglia Dio concedere alla Italia, o Beatissimo Padre, la gloria di iniziare e compire il glorioso movimento della restaurazione della Filosofia, la quale apparecchia il piedestallo alla Religione rivelata, e voglia adempiere i voti della Santità Vostra, che si affatica sì strenuamente a promuovere il bene della Italia e della Chiesa.

« Voglia concedere Iddio che Roma, fatta capo del mondo per la beata Sede di Pietro, apparisca oggi più che mai per la doppia luce della Rivelazione e della Scienza la regina degli intelletti, e il focolare dell'unica civiltà cristiana.

« La benedizione che imploriamo da voi, Beatissimo Padre, riesca a noi e ai tentativi che promettiamo di fare, un'arra della benedizione di Gesù Cristo, dal quale preghiamo con fidanza incolumità e gioie per la vostra sacra Persona.

« 13 Ottobre 1879, San Miniato.

« Fr. Pio Alberto de' Predicatori
« Vescovo di Draso e Coadiutore ».

550. XVI. Litterae Rmorum Episcoporum Parmensis, Placentini et Burgi Sancti Domnini:

« Beatissime Pater. Verbis haud palam facere possumus, Beatissime Pater, quanta fuimus perfusi laetitia in perlegenda Epistola quam nuper dedisti, de Philosophia ad mentem sancti Thomae in Scholis catholicis instauranda. Et sane cum nihil nobis antiquius sit et esse debeat quam Dogmata Religionis nostrae sanctissimae tradere Christifidelibus explanare et propugnare, num meliori vallo eadem sustinere, ne ab hostibus demoliantur possumus, doctrina quam Scholasticam vocant? Si angelico ingenio

Thomas quasi apis industria veritates ex sanctis Patribus collectas abstrusis naturae principiis quaesitis tum ab graecis tum ab latinis scientiarum cultoribus antiquis effecte solliciteque tutavit, ecquisnam cum illo Sole clarante se comparaverit, et probatis argumentis novas excogitationes erit ausus sufficere!

« Dum haec mente nostra revolveremus Philosophia magni Doctoris quae in nostris Seminariis praedecessorum iussu tradebatur, hortatu nostro Alumni in spem Ecclesiae electi assidue imbuebantur, Auctoritate tua confirmati ac roborati modo alacriori animo hac methodo prosequemur.

« Quare lubentes quam maximas grates, Beatissime Pater, Sanctitati ac Maiestati tuae reddimus quod his litteris Ecclesiae catholicae sapienter consuluisti: utque Deus imperata tua nobis facientibus sit usque propitius, ad genua provoluti benedictionem apostolicam super nos, et Clerum et Populum nostrum enixe exoramus.

« Dominicus Maria Episc. Parmensis
« Ioannes Baptista Episc. Piacentinus
« Caietanus Camillus Episc. Burgi S. Domnini ».

551. XVII. Litterae Rmi Episcopi Aquensis, una cum Canonicis:

« Beatissime Pater. Quum, reiecto ab haereticis divino Ecclesiae magisterio, ut ait sacrosancta Vaticana Synodus, in Prooemio Constitut. Dogm. De Fide, Sess. III, paulatim nata sit ac late nimis per Orbem vagata doctrina Rationalismi seu Naturalismi; relicta autem ab iisque proiecta christiana Religione, multorum mens in Pantheismi, Materialismi, Atheismi barathrum sit prolapsa, ut iam ipsam rationalem naturam, omnemque iusti rectique normam negent: qua impietate circumquaque grassante, infeliciter contigit ut plures etiam e catholicae Ecclesiae filiis a via verae pietatis aberrarent, in iisque, diminutis paulatim veritatibus, sensus catholicus attenuaretur: hinc factum est ut suprema sollicitudo tua, Beatissime Pater, ad isthaec ingentia mala, ut par est, propulsanda, fidemque ac sensum christianum in iis qui veritatis tramitem amiserunt, denuo instaurandum, afflante Spiritu Sancto, ab ipsa ratione inciperet; hoc enim pacto prius certe homines ratione utentes christiani dein multiplicabuntur. Porro ad tam ardui ac necessarii operis perfectionem nulla tutior ac latior pandebatur via, quam ut sapientiam sancti Thomae ab Aquino, potissimum philosophicam, universo Orbi ultro proponeres, ac summa auctoritate tua enixissime commendares. Pro quo remedio optimo ac certa norma eximioque dono, quod late hominibus largitus es, quas grates Paternitati tuae non impares habebimus? Atqui tua Sanctitas hoc unum poscit, sincerum

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

nempe ac perpetuum pharmaci a te exhibiti cibique suavissimi usum: pharmaci nempe contra grassantes errores, cibi vero ad mentes salubrius alendas ac tutius veritatem disseminandam: ipsi igitur, qui Angelici Doctoris praeclaram regulam tum prius sequebamur volentes, tum modo sequimur, hanc ipsissimam, tuae Encyclicae *Aeterni Patris* uno ore ac corde adhaerentes, impensius pro viribus huius Seminarii Aquensis Alumnis atque abundantius communicabimus. Id enim, te Pontifice urgente ac iubente, debemus; id persuasio etiam nostra poscit nos edocens Angelici Doctoris doctrinam ad Religionis Fideique pedes recta homines ducere. Neque ulla nos anxietas aut dubium tenet quod spectat ad sensum illius Encyclicae commatis de rivis a sancto Thoma deductis integris et illimibus disserentis; non modo enim faciliter ab unoquoque intelligi potest, sed etiam est huiusmodi ut plane non possit non intelligi; queis enim auctoribus certa et concors doctorum hominum sententia favet, iis favet etiam tuae Sanctitatis Encyclica; contra qui ex sensu ac sententia prudentum a sancti Thomae regula longius abierunt vel abeunt, hi, quidquid unus vel alter dictitet, extra Encyclicae tuae fines evagantur.

« Reliquum est, Beatissime Pater, ut infrascriptis in genua provolutis apostolicam benedictionem, quae ipsis vim animumque addat ad propria munera rite obeunda, prout humiliter poscunt, digneris impertiri.

« Aquis Statiellis, die 13 ianuarii anno 1880.

« Ioseph Maria Episcopus Aquensis ».

Sequuntur Rectoris Seminarii et Professorum subscriptiones.

552. XVIII. Litterae Rmi Episcopi Albinganensis:

« Beatissimo Padre. Colla reverenza e coll'amore di un figlio altamente beneficato, io vengo a' piedi di vostra Santità, e ci ritorno sotto quella impressione di ammirazione e di contento onde ne son partito cinque mesi fa...

« Nella mia modesta sfera, io, indegno Vescovo di questa non picciola Diocesi, m'adoprerò in tutto e sempre, a seguire gl' impulsi del Capo della Chiesa: e l' uniformarmi non solo ai comandi, ma anche ai desideri del santo Padre sarà sempre per me siccome un sacro dovere, così il mio punto d'onore, il più caro de' miei affetti. E Le umilio qui in particolare, o Padre santo, la mia protesta d'adesione piena e sincera alla sapientissima Enciclica *Aeterni Patris*, destinata a fermare e dirigere in un terreno sodo e sicuro gl' incerti passi dell' umana ragione, e porre un termine all'oscillare, anzi al lottare degl' insegnamenti filosofici anche nelle

Scuole cattoliche ed ecclesiastiche. Io mi pregio di poter assicurare vostra Santità, che l' insegnamento filosofico sarà scrupolosamente compartito secondo la dottrina di san Tommaso ai Chierici del mio Seminario, e per quanto sarà possibile anche a' giovani secolari che frequentano le scuole del nuovo Liceo.

« Sicuro poi di dare una consolazione al paterno cuore di vostra Santità, io son lieto di poterle dire che questo Seminario e l'annesso Istituto d'educazione, cui ho dato il nome di " Liceo Alimonda " fiorisce mirabilmente, e ci dà le più belle speranze per l'avvenire. La spinta data dall' Eminentissimo Alimonda, per grazia di Dio, non s'è arrestata; il numero de' Chierici quasi raddoppiato, e un centinaio di giovani Alunni raccolti da tutte le parti d'Italia, anche dalle Calabrie e dalla Sicilia, sono qui coltivati nelle scienze e nella pietà da ottimi Professori e Direttori. L'impresa per un povero Vescovo di povera Diocesi era tale da spaventare: ma ci sono i tesori della Provvidenza; c'è la benedizione di Dio e del Santo Padre...

« Ed io, o Santo Padre, ho scritto con troppo coraggio, ma con tenera confidenza di Figlio.

« Mi prostro ancora dinanzi al Trono di vostra Beatitudine, e le bacio umilmente i santissimi piedi, professandomi, con sentimenti di venerazione e gratitudine inalterabile,

« Della Santità Vostra

« Umo obbmo osseqmo Figlio

« Filippo Vescovo di Albenga ».

553. XIX. Litterae Rmi Episcopi Comensis:

« Beatissime Pater. Quibus quantisque affectus sim gaudiis statim ac Sanctitatis tuae de instauranda catholicis in Athenaeis Angelici Doctoris Philosophia encyclicas Litteras accepi, verbis haud satis dixerim. Nam si vel ab ipsis clericalis institutionis primordiis nihil antiquius habui, nihil optabilius quam sincerissimi obsequii atque amoris sensus erga apostolicam Sedem toto pectore fovere, eumque in omnibus sequi praeceptis, cui, utpote divi Petri successori, a Christo Domino dictum legimus: " Pasce agnos meos, pasce oves meas; " non mediocris utique exstitit mihi laetitiae causa his diebus, cum ex dicta noverim Epistola, Sanctitatis tuae me iamdiu occurrisse quoque desideriis.

« Libentissime quidem fateor quod in hac Dioecesi plurimis abhinc annis Praedecessores mei spectatissimi, optimos eligendo Magistros, germanam sancti Thomae doctrinam, qualis scilicet gravi Scholasticorum methodo tradebatur antiquitus, in pristinum decus vindicare statuerunt; illud

tamen cum primum huius Ecclesiae gubernacula suscepi, spectavit et mea pro Seminariis pastoralis debita sollicitudo, ut tutissima hac in via clericalis iuventa quam firmiter insisteret, talibusque optimis in studiis, quibus veluti propugnaculo ac firmo munimine, licet " per se perfecta et nullius indiga," ipsamet adiuvatur Theologia, impensius animum adiungeret.

« Hinc factum est quod, ablegatis reiectisque quibusdam recentiorum utcumque piorum atque doctorum hominum placitis, quae licet ab Aquinatis fontibus deducta dicantur, re autem alienis et non salubribus in aquis quaesita concors saniorum philosophorum sententia dicit; ab illa liberalismi grassante lue, quam saepe saepius, prouti luctuosa experientia docet, nova pariunt systemata, omnes in spem succrescentes Comensis Ecclesiae Ministri intaminati prorsus habeantur. Haec in relatione status Dioeceseos, ut muneris ratio postulabat, sacrae Congregationi Concilii exposuisse me recreat: haec ipsummet te probe nosse, Beatissime Pater, iam ex illa die qua, sacrorum Liminum visitatione suscepta, de tuá praesentia laetari, tuisque sapientissimis monitis me communire dignatus es, valde sustentat. At fortassis et nunc eadem meminisse iuvabit, ut, strata quasi via, certiorem te facerem morem me tibi gessisse etiam in adhibendis pro modulo in Scholis libris clarissimi Sanseverini, quem, inter alios Neapolitanae Provinciae philosophicarum disciplinarum cultores celeberrimos, magnis cum laudibus extulisti. Ac proinde, uti conatus mei, iuxta desideria Sanctitatis tuae, ad quam maxime optatum exitum pertingere valeant, ad pedes Beatitudinis tuae provolutus, apostolicam benedictionem pro me, et Clero et Populo meae curae commisso vehementer expostulo.

« Comi, die 17 octobris anni 1879.

« Sanctitatis tuae

« Humillimus, obsequentissimus Filius

« PETRUS Episcopus Comensis ».

554. XX. Litterae Rmi Episcopi Cremensis et universi Cleri suae Dioecesis:

« Beatissimo Padre. Con obbedienza di suddito e con affetto di figlio, il Vescovo di Crema giunse a Roma per adempiere un sacro dovere di coscienza, per udire dal vostro augusto labbro una parola di vita e di eterna salute. All'umile Pastore della Chiesa Cremense si unisce il Clero rappresentante i voti di un popolo profondamente religioso e devoto alla Sede apostolica, " in qua est integra et vera christianae Religionis soliditas. " [1] E Vescovo e Sacerdoti, prostrati ai piedi del Trono pontificio.

[1] Concil. Vatic.

vi supplicano di accogliere l'unanime cattolica protesta della loro incrollabile fede e illimitata sommessione al Vicario di Gesù Cristo in terra, che è " la fonte, l'origine e la regola di tutti i Principati Ecclesiastici. " [1]

« Noi fermamente crediamo, Padre santo, che la pienezza della potestà sopra tutte le chiese del mondo è stata data alla Sede apostolica per una singolaré prerogativa. Noi pertanto, confermando alla vostra prerogativa senza questa regola di Fede cattolica, intendiamo senza discussione e con pienissimo ossequio della mente accettare, sostenere e fedelmente eseguire gli ordini impartiti dalla Santità vostra. Noi siamo pronti a riformare le nostre private convinzioni nello stesso ordine puramente scientifico per aderire al vostro venerato giudizio e consiglio, poichè nella Chiesa di Gesù Cristo chi non pensa all'unisono con voi, chi non ragiona con voi, chi non raccoglie con voi, smarrisce fra le tenebre dell'errore e disperde miseramente le sue fatiche.

« Con questi sentimenti d'inviolabile attaccamento all'apostolica Sede di san Pietro, ci è caro di poter assicurare la Santità vostra che tutti giubilanti baciammo la venerabile Enciclica *Aeterni Patris* da voi spedita all'Episcopato cattolico, e tutti abbiamo aderito all'insegnamento filosofico in essa indicato, riconoscendo il santo dottore d'Aquino come Maestro e Duce di coloro che mirano a far progredire le scienze in conformità ai lumi della cattolica Religione.

« Sì, Padre santo, la vostra sapientissima Enciclica è una regola, una norma veridica e sicura a tutte le menti, che fra le incertezze e i dubbi di sentenze diverse, di opinioni instabili e di novità pericolose in voga a' nostri tempi, tendono e si sforzano di conseguire la verità nell'ordine naturale per farla servire a presidio e difesa dei dogmi rivelati e della morale cattolica. E noi, com'è pur dovere di ogni scienziato cattolico, professiamo la più alta venerazione a quella Filosofia scolastica, che, in perfetta armonia con la Fede, per tanti secoli s'insegnò nelle Scuole cattoliche con immenso vantaggio e lustro delle sacre e profane discipline. In modo particolare, seguendo gli autorevoli vostri consigli e comandi, ci atterremo rigorosamente all'aurea sapienza di san Tommaso, e ne sosterremo pubblicamente e privatamente le dottrine veraci e purissime " ad catholicae Fidei tutelam et decus, ad Societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum. "

« Voglia il Cielo, Beatissimo Padre, che la norma e l'indirizzo dalla Santità vostra tracciato per la ristorazione della Filosofia cristiana prevalga all'autorità e all'arbitrio di que' filosofi anche cattolici, " qui patrimonio antiquae sapientiae posthabito, nova moliri quam vetera novis

[1] San Bonaventura.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

augere et perficere maluerunt, certe minus sapienti consilio et non sine scientiarum detrimento! "

« Che se non tutte quelle menti che furono prese dall'amore della verità s'accordano colle altre che sempre sostennero le antiche dottrine scolastiche, e ciascuna di queste due Scuole si gloria di avere a proprio sostegno la venerata vostra Enciclica, noi bramiamo rendere consapevole la Santità vostra, che nello studio della sapienza di san Tommaso crediamo non errare seguendo le dotte interpretazioni dell'esimio e benemerito prof. Gaetano Sanseverino, le cui lezioni di Filosofia si dànno con grande profitto in questo venerabile Seminario. Nè la retta ragione ci consiglia di abbracciare quegli altri moderni sistemi, che pur si dicono usciti dalle fonti tomistiche, ma che non si ponno difendere e appoggiare all'Aquinate senza distinguere nell'Angelico un duplice personaggio, il filosofo cioè delle Scuole e il pensatore originale, nè senza ammettere che i due personaggi prendano talora a chi ben osserva un'attitudine di opposizione fra loro.

« Ma se, Beatissimo Padre, vi facciamo manifeste le intime nostre convinzioni, e la maniera nostra d'intendere e spiegare le sapienti vostre ordinazioni, gli è solo per sottometterle all'infallibile giudizio dell'apostolica Sede, " in qua immaculata est semper catholica reservata Religio, et sancta celebrata Doctrina." [1]

« Padre santo, chiediamo al supremo Pastore il presidio della pecorella: " Petre, doce nos! " Se ci troviamo nell'errore così interpretando la parola e le intenzioni della Santità vostra, mentre inginocchiati, umili e sommessi vi domandiamo l'apostolica benedizione, vi preghiamo di istruirci e di condurci a mano per gli immortali sentieri della verità e della salute.

« Della Santità vostra

« Crema, li 20 ottobre 1879.

« Umilissimi, devotissimi, osseqmi Servi e Figli

« FRANCESCO Vescovo ».

Sequuntur Capituli et Cleri subscriptiones.

555. XXI. Litterae Rmi Episcopis Novariensis:

« Beatissime Pater. Petrus docet: nos ad eius pedes humillime provoluti quae docet libenti animo amplectemur, et constanter trademus. En sensus, Sanctissime Pater, qui ex intimo mei cordis affectu sponte erumperunt vix cum prodiit tua admirabilis Littera encyclica *Aeterni Patris*, quam summa veneratione et laetitia excepi. Et sane nihil antiquius mihi est, et esse debet, quam praecepta, consilia, hortamenta sequi et in praxim deducere Successoris illius, cui dictum est a Christo Domino: " Pasce agnos meos... Pasce oves meas. " Doctrina sancti Thomae Aquinatis, quam tu, Beatissime Pater, in praelaudata Encyclica sequendam proponis, ea est, quam summi Pontifices, Oecumenica Concilia effusis praeconiis, extulerunt, quam Scholae catholicae omnes coluerunt, ita ut sanctus Thomas ob fulgentissimos suae doctrinae radios, omnium ore Sol Ecclesiae merito salutatus sit.

[1] Concil. Vatic.

« Hinc, vel ab ipso exordio regiminis huius Dioecesis infirmitati meae commissae, periucundum mihi fuit novisse in hisce Seminariis Alumnos in sortem Domini vocatos iis documentis imbui, quae Angelici Doctoris doctrinae, semper mihi praedilectae, apprime consonant, illosque saluberrimo eiusdem doctrinae pabulo indesinenter nutriri gaudeo.

« Tua vestigia premens, " nihil mihi erit antiquius et optabilius, quam ut sapientiae rivos purissimos ex Angelico Doctore iugi et praedivite vena dimanantes, studiosae iuventuti large copioseque praebeam. " Quapropter in Philosophiae et Moralis Theologiae elementis, quae opera et studio horum Praeceptorum anno scholastico proxime ineunte in lucem prodibunt, germana Aquinatis doctrina ad mentem Sanctitatis tuae in encyclica Epistola expressam magis magisque clarescet.

« Tua autem hortamenta sectando " propugnare non desinam auream Angelici Doctoris sapientiam adversus recentiorum, etiam piorum, systemata, quae iamdiu scindunt Scholas catholicas, et eorum, qui unanimes sanam solidamque doctrinam tradere deberent, sententias viresque inter se committunt, non sine mediocri veritatis et scientiae detrimento. "

« Interim nequeo quin quam maximas grates Sanctitati tuae rependam, quod Litteris tuis Ecclesiae catholicae sapienter consuluisti. " Deum scientiarum " enixe deprecor, ut cuncta vota tua, Beatissime Pater, ubique plenissime adimpleantur, teque in bonum universalis Ecclesiae, quam tanta sapientia gubernas, diu sospitem servare dignetur, dum ad genua tua humillime provolutus apostolicam benedictionem super me, universumque Clerum, et Populum mihi concreditum imploro, meque esse profiteor

« Sanctitatis tuae

« Novariae, die 30 septembris 1879.

« Humillimum, obsequentissimum Filium et Famulum

« STANISLAUS Episcopus Novariensis ».

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

556. XXII. Litterae Rmi Episcopi Cremonensis:

« Beatissime Pater. Nescio quibus verbis laetitiam explicare possim, qua cor meum exultavit, cum Epistolam tuam encyclicam, memoria nunquam excidendam " De Philosophia ad mentem divi Thomae Aquinatis in Scholis catholicis instauranda, " nuper excepi, et singulare et pene incredibile gaudium, quo ex faustissimo eventu afficior et perfundor, non possum quin patefaciam, tibique filiali quadam fiducia communicare audeam. Quamvis et ipse magister in Israël, tamen te coram discipulus sum, immo discipulorum omnium minimus; et quoties vox tua apostolica auribus meis insonat, animus gestit ab ore tuo supereffluenter haurire verba vitae, quibus et ego agnos mihi commissos pascere valeam.

« Et revera verba vitae evangelica tu protulisti, viam tutam expeditioremque indigitans, qua incedendum est; tum ut philosophicae disciplinae ad veritates ordinis naturalis dignoscendas instituantur, tum ut perutilis, immo necessaria propaedeutica ad Scientias theologicas discendas omnibus praesto sit. Etenim neminem latere puto quam arcto foedere Theologia et Philosophia devinciantur, et quam magno subsidio sibi mutuo adiuventur; quinimmo, ista a recto tramite aberrante, illam quoque periclitari, necessaria tutela carere, et per praerupta misere reptari. Quis ignorat errores pestiferos, qui hac nostra aetate longe lateque grassantur, et naturalem supernaturalemque rerum ordinem, atque ipsa ecclesiasticae civilisque societatis fundamenta subvertere minitantur, a falsae Philosophiae placitis, et a funestissimo schismate iam inde a tribus saeculis Philosophiam inter et Theologiam inducto, maxima ex parte sobolescere? Tu, cui Deus dedit cor sapiens et intelligens, caliginem novarum doctrinarum mentibus offusam veritatis luce dispellere, et christianae familiae, ipsique civili societati consulere satagens, apostolici eloquii auctoritate doces quae omnibus in tanta rerum calamitate sint agenda, enixe hortatus ut omni ope philosophicae institutiones in Scholis catholicis iuxta certissima Angelici Doctoris principia, quae tot saecula venerata sunt, deinceps tradantur.

« Nihil optabilius hac tua voce, Beatissime Pater, contingere poterat, praesertim in hisce Italiae partibus, ubi neoterica philosophiae systemata a nonnullis excogitata atque exculta, vetustae scholasticae Doctrinae prorsus adversa, et acerbas disceptationes concitarunt, et animorum dissidia foverunt. Ex magnifica Epistola tua in spem erigor fore ut omnes, et potissimum ecclesiastici viri, a receptis doctrinis, quas non recte divi Thomae nomine et auctoritate tueri nituntur, protinus recedentes, in sincera concordia, et in indivulsa ingeniorum consensione id, quod tibi placitum est, fideliter sequi non detrectent, et ita, Deo favente, pax erit in finibus nostris.

« Tibi igitur, Beatissime Pater, iterato amoris et admirationis testimonio, quam maximas habeo gratias ob novum specimen singularis prudentiae et sapientiae tuae in regenda Dei Ecclesia, et profiteor me a vestigiis tuis nunquam nec levissime recessurum, et in Seminario meo, tam in philosophicis quam in theologicis disciplinis tradendis, illam veri nominis scientiam, ab Ecclesiae Patribus profectam, et in expolitum doctrinae corpus ab Angelico Doctore redactam, legem et normam docendi semper futuram; scientiam illam, ut sapientissima verba a te mutuer, " quae ex ipsis sancti Thomae fontibus hauriatur, aut saltem ex iis rivis, quos ab ipso fonte deductos, adhuc integros et illimes decurrere certa et concors Doctorum omnium sententia est; et ab iis, qui exinde fluxisse dicuntur, re autem alienis et non salubribus aquis creverunt, adolescentium animos arcendos " curabo. Nihil enim mihi potius est quam plena animi consensione Beatitudini tuae adhaerere, qui Christi vices in terris geris, non solum in iis doctrinis quae proprie ad Fidem moresque referuntur, sed etiam in caeteris omnibus, quae a te prolata cum iisdem devinciuntur, vel ab iisdem derivantur. Tua desideria mihi imperata esse arbitrabor, eaque pro viribus quamlibentissime sequar; haec enim ratio agendi sicut me a qualibet errorum insidia tuetur, sic laboribus meis robur, illamque confert vitam, quae ab Apostolica sede, veluti e capite, in totam dimanat Ecclesiam.

« Excipe, Beatissime Pater, vota, quae Episcopus Cremonensis venerabundus ante Cathedram tuam promere gaudet, et ut pro bono Ecclesiae ipsiusque Societatis civilis in feliciores ducantur exitus, hunc quoque inter afflictas res, et incessantes improborum hominum pugnas, tu, Petri Successor, apostolica benedictione recrea et confirma.

« Cremonae, festo sanctorum Cornelii et Cypriani, 16 septembris 1879.

« Humillimus et obsequentissimus Filius
« IEREMIAS Episc. Cremonensis ».

557. XXIII. Litterae Rmi Episcopi Mutilani:

« Beatissime Pater. Etsi nobis ratum abunde perspectumque est doctrinam Doctoris Angelici plenam esse verae sapientiae et omnibus disciplinis solidum fundamentum suppeditare, uti omnibus eruditis et in disciplinis philosophicis vel leviter obversatis constat, tum intrinsecis tum exstrinsecis argumentis, ita ut vel complures inter physicos hac nostra aetate illam amplecti et suscipere non dubitarint; non pauco tamen gaudio perfusi et affecti sumus, quando tu, Beatissime Pater, illa immortali Encyclica *Aeterni Patris* proclamabas exoptatam christianae Philosophiae restaurationem, ac divum Thomam omnibus in Scholis tanquam Principem, Ducem et Praeceptorem proponebas. Quapropter votis studiisque tuis obsequi

cupientes, animum nostrum de hac re tibi aperire censuimus. Nos subscripti plene adhaeremus atque assentimur doctrinae Aquinatis, atque ea alumni et iuvenes nostri, quantum in nobis est, ut imbuantur, instituantur, atque erudiantur curamus. Atque haec tibi, Beatissime Pater, in tua sententia nostra communio et concordia pergrata sit exoptamus. Et humillime, ad pedes tuos provoluti apostolicam imploramus benedictionem.

« Beatitudinis tuae

« Datum Mutili, die 12 octobris 1879.

« Fr. LEONARDUS Episc. Mutilan. ».

Sequuntur Cleri subscriptiones.

558. XXIV. Litterae Rmi Episcopi Brixiensis:

« Beatissime Pater. Quam nuper dedisti, Beatissime Pater, ad omnes catholicae Ecclesiae Pastores Epistolam encyclicam de Philosophia christiana ad mentem sancti Thomae Aquinatis in Scholis catholicis instauranda, Episcoporum ego ultimus excepi ea, qua omnia sanctae Sedis ac Christi Vicarii oracula excipienda sunt, reverentia, ac quasi de novo a Deo Ecclesiae suae collato beneficio, gratias egi et ago quam maximas. Equidem confido in hoc Brixiensi Seminario germanam sancti Thomae custodiri ac tradi doctrinam, sed Sanctitatis tuae hortatum obsequens impensius curabo " in suscepto consilio permanere... ac nihil mihi erit antiquius et optabilius, quam ut Sapientiae rivos purissimos ex Angelico Doctore iugi ac praedivite vena dimanantes, studiosae iuventuti large copioseque praebeam. " Est enim doctrina quam summi Pontifices et Oecumenica Concilia effusis laudibus commendarunt; quam Scholae catholicae omnes coluerunt, earumque nonnullae vel iureiurando custodire ac tradere spoponderunt.

« Dolendum sane vel in hisce superioris Italiae provinciis non deesse qui " sapientiam Thomae non ex ipsis eius fontibus hauriant, aut ex iis rivis quos ab ipso fonte deductos, adhuc integros et illimes decurrere, certa et concors doctorum hominum sententia est: sed ab iis exinde fluxisse dicuntur, re autem alienis et non salutaribus aquis creverunt. " Sed post veneratam Sanctitatis tuae Epistolam encyclicam, sperandum est fore, ut omnes in charitate veritatis concordes, cum Augustino ex corde inclament: " Roma locuta est, causa finita est. "

« Provolutus in genua super me ac Clerum et Populum mihi commissum apostolicam benedictionem imploro, meque esse profiteor

« Sanctitatis tuae

« Dat. Brixiae, die 6 septembris, anno 1879.

« Humillimum, obsequentissimum Filium et Famulum

« HIERONYMUM Verzeri Epis. Brixiens. ».

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

559. XXV. Litterae Rmi Episcopi Bergomensis:

« Beatissimo Padre. Gli Istitutori del Seminario vescovile della mia nuova Diocesi di Bergamo mi hanno testè significato la loro piena ed assoluta adesione alle dottrine e disposizioni contenute nella Enciclica della Santità vostra *Aeterni Patris*, pregandomi di render noto alla medesima vostra Santità un tale loro atto. Nè io credo poter meglio aderire al loro desiderio, e più pienamente significare a vostra Beatitudine i loro sentimenti, che pregandovi, Beatissimo Padre, a concedermi, ch'io umilmente prostrato innanzi al vostro augusto Trono, vi presenti la lettera istessa a me indirizzata dai suddetti Istitutori.

« Nel rassegnare la quale alle veneratissime mani della Santità vostra, intendo altresì di rinnovare, come rinnovo, quella attestazione della mia piena ed assoluta adesione alla mentovata Enciclica, che mi affrettai di indirizzare alla Santità vostra, in una co' due miei vicini Confratelli di Parma e Piacenza, poco dopo che quell'ammirabile e venerato documento avea veduta la pubblica luce. E rinnovando, Beatissimo Padre, quella attestazione, dichiaro altresì alla Santità vostra il fermo mio proposito di fare che, nel Seminario della mia nuova Diocesi, l'insegnamento filosofico e teologico sia sempre e interamente conforme ai principi e alle norme contenute nella ricordata Enciclica, e di promuovere quanto più mi sarà dato, e nel Seminario e nella Diocesi, lo studio della vera e genuina dottrina ed aurea sapienza di san Tommaso d'Aquino, ponendo cura che non vi si abbiano per sinceri e fedeli interpreti della medesima, fra i moderni, che i designati e proposti siccome tali dalla Santità vostra: come sono il Sanseverino e i suoi seguaci. Al qual proposito sono lieto di poter significare alla Santità vostra che nel Seminario di Bergamo, per cura del presente Vicario capitolare di quella Diocesi, è già stato introdotto qual libro di testo la *Philosophia Christiana* del detto Sanseverino *in compendium redacta ad usum Scholarum clericalium*, coll'altra opera di Filosofia morale pubblicata per le scuole dal Signoriello.

« Non posso poi, Beatissimo Padre, allontanarmi da' vostri sacri piedi senza che prima umilmente ed insieme con tutto l'affetto dell'animo porga alla Santità vostra, imminenti come sono le sante Feste Natalizie, i più lieti augurî e le più ampie felicitazioni, e levi a Dio i più caldi voti che vi conservi, Padre santo, lunghi anni a bene e gloria della sua Chiesa, e vi conceda di veder coronate di felice esito le apostoliche vostre sollecitudini.

« Rammento, Beatissimo Padre, con la più viva gratitudine l'accoglienza veramente paterna, onde vi degnaste onorarmi e consolarmi quando, or sono pochi mesi, venni a ricevere la nuova missione, che aveste la somma benignità di affidare alla povera mia persona. E però io prego

la Santità vostra di accogliere le umili ma vivissime azioni di grazie, che qui mi sento in dovere di rinnovarle sì della traslazione allora decretatami alla Sede di Bergamo, come di quella al tutto paterna accoglienza. Presso poi a recarmi a quella Sede (chè spero abbia a cessare fra breve la cagione, non mia, dell'indugio) prego la Santità vostra dell'apostolica sua benedizione, che mi aiuti ad incominciarvi e proseguirvi, in maniera conforme a' vostri desiderî, l'opera del ministero a cui, Beatissimo Padre, vi siete degnato di chiamarmi; e vi prego ancora dell'apostolica vostra benedizione, sì per gli Istitutori del mio Seminario di Bergamo, e per tutta quella nuova mia Diocesi, come per tutto il Clero e i fedeli di questa già mia diletta Diocesi di Borgo San Donnino.

« Coll'animo compreso della più profonda venerazione, e de' sentimenti di piena ed assoluta devozione ed obbedienza, e col più tenero filiale affetto, bacio, prostrato come vi sono dinnanzi, i santissimi vostri piedi, e mi glorio nel Signore di rassegnarmi

« Della Santità vostra, o Beatissimo Padre

« Borgo San Donnino, 20 decembre 1879.

« Umilissimo obbmo Servo e Figlio

« Gaetano Camillo Guindani Vescovo di Bergamo ».

560. XXVI. Litterae Rmi Episcopi Laudensis:

« Beatissime Pater. Quid si ego minimus inter Episcopos Orbis catholici, minimus filius Sanctitatis tuae et meam vocem collaudantem mirabilem Encyclicam *Aeterni Patris,* quam nuper edidisti, vocibus sapientissimorum Fratrum meorum adiungam? Nunquid augebitur honor Sanctitatis tuae? nunquid accrescet aestimatio sapientiae tuae? Non quidem: sed amantissimi Filii satisfiet dilectioni, quae aegre valet supprimere aestus suos. Dicam ergo et ego maxime fuisse opportunam ad tranquillitatem et concordiam mentium, hinc illinc delabentium in ipsis placitis philosophicis, sapientiam, quae lucem effundit splendidissimam ad mentes illuminandas; utilem ad componenda Philosophiae dictamina cum Theologia, rationem cum Fide, naturalis intelligentiae lumen cum supernaturalis revelationis fulgore. Quanti enim interest nosse qualis sit via per quam ratio incedere tuto possit in inquisitione veritatis, quam ex Revelatione divina tutissime possidet Ecclesia! Enimvero cum veritates revelatas tradi oporteat ordinatas et colligatas veluti unius catenae annulos, idque officium rationis sit, interest omnino certo noscere cuiusnam philosophici systematis auxilio fidere possimus. Erant hinc inde philosophi inter se dissidentes, contendendo ut suum quisque systema extolleret tanquam caeteris praestantius. Quisnam

dirimere potuisset disputationem cum aeque quisque valeat? Sed venit vox tua, Beatissime Pater, tanquam vox de coelo: " Sanctum Thomam Aquinatem Doctorem Angelicum sequimini, Ducem nobis a Sapientia aeterna donatum. "

« Et quidem sanctus Thomas iam excusserat laudes plurimas a summis Pontificibus, quorum vox una semper est: sed sicut sol crescit usque in perfectum diem, sic laudes doctrinae thomisticae a sancta Sede semper augmento ditatae, hodie per vocem tuam, Beatissime Pater, per vocem inquam supremi Ecclesiae Magistri, ad summum venerunt.

« Gratiae itaque sint Deo pro tam ineffabili dono; gratiae sint et tibi, Beatissime Pater, coelestium luminum ad homines interpres et communicator! Gratiae duplicentur tibi qui et expositores genuinos Doctrinae philosophicae sancti Thomae, quos iam Encyclica satis innuebat, nobis ulterius pandisti. Thomam sequemur, expositores eiusdem a te indicatos novimus. Sequemur et sequi iubebo, sicut iam iusseram in Seminario meo, et ubicumque mihi fas erit hoc idem curabo.

« Utque id praestem apostolica benedictione indigeo tua, Beatissime Pater, quam supplex et prosternatus ad osculandum pedes tuos humillime flagito, et pro Rmo Episcopo Coadiutore meo, qui admirabili Encyclicae tuae ultro adhaerere gaudet et sensibus hic expositis mente et corde poenitus concinit, et pro omnibus Seminarii et Clericorum Institutoribus.

« Datum Laudae ex Episcopio, die 8 decembris 1879.

« Humillimus Servus et Filius

« Dominicus M. Gelmini Episc. ».

561. XXVII. Litterae Rmi Episcopi Tarvisini:

« Beatissimo Padre. La memoranda Enciclica *Aeterni Patris,* colla quale la Santità vostra inculca l'insegnamento della dottrina di san Tommaso d'Aquino, se da tutti i Cattolici fu riverita ed accolta con entusiasmo, non può rimanere senza una manifestazione di applauso per parte di un vostro devotissimo figlio, che fino dalla sua adolescenza ha consacrato i suoi studi alle opere dell'Angelico; maestro di Filosofia e Teologia nel Seminario Patriarcale di Venezia, ai suoi discepoli ne spiegava e commendava i principî, e come Vescovo non solo informa a quelle dottrine i suoi insegnamenti, ma ne ordina lo studio nel suo Seminario, e altamente lo raccomanda al suo Clero.

« Che se sempre fu utile ricorrere alle dottrine dell'Angelico, come quelle che conducono alla vera scienza, e la rendono tributaria alla Fede, troppo bene lo dichiara necessario la Santità vostra in questi novissimi

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

tempi a precludere la diffusione della empietà, delle follie, dei sogni di sedicenti filosofi, che recano alla religione e alla società la confusione, lo scompiglio, la totale rovina.

« Cogli applausi pertanto e i rendimenti di grazie, che da tutte le parti del mondo alla Santità vostra s'innalzano per avere eccitato l'amore allo studio delle opere del grande Dottore, accetti la Beatitudine vostra anche gli umili ringraziamenti di un Vescovo, che da questi studi, da Voi specialmente benedetti, spera il trionfo sopra l'errore, l'ossequio illimitato alla Fede, e, come fine supremo, la maggior gloria di Dio.

« Santo Padre! Prostrato al bacio dei santissimi piedi implora per sè, pel Clero e pel Popolo alle sue cure affidato l'apostolica benedizione.

« Di Vostra Santità

« Treviso, 12 ottobre 1879.

« Umilissimo, ossequiosissimo, obbedientissimo
« attaccatissimo Servo e Figlio
« FEDERIGO MARIA ZINELLI Vescovo ».

562. XXVIII. Litterae Rmi Episcopi Larinensis:

« Beatissimo Padre. L'Orbe cattolico si è tutto commosso alla lettura dell'Enciclica vostra, che sola basterebbe ad eternare il nome di vostra Santità. Unendo io la mia povera voce a quella dell'Episcopato, ho preso la occasione della riapertura del Seminario per manifestare e ripetere la mia adesione alle dottrine da voi insegnate, Santissimo Padre. Altro avrei dovuto dire, se non me lo impedisse una grave malattia all'occhio, che vostra Santità mi concede di curare nella patria mia. Mi compatisca la Santità vostra; mentre prostrato ai vostri piedi, domando insieme coi diocesani l'apostolica benedizione, ed umilissimamente mi dichiaro

« Il dì 25 ottobre 1879.

« Obbedientissimo e devotissimo Figlio
« FRANCESCO GIAMPAOLO Vescovo di Larino ».

563. XXIX. Litterae Rmi Episcopi Salutiarum:

« Beatissime Pater. Acceptis vix apostolicis Litteris tuis *Aeterni Patris* de studiis Philosophiae in catholicis Scholis ad mentem Angelici Doctoris instaurandis, nedum iis, ut par erat, firmiter et cum gaudio reverenter adhaerere, sed et pro viribus solicite parere curavi: salubria proinde pascua ab agnorum et ovium Pastore sapientissime designata totius Dioecesis huius Clero indicando ad sancti Thomae Aquinatis voluminum diligens studium magis magisque ipsum excitare mihi proposui.

« Debiti interim obsequii Beatitudini tuae et gratissimi animi testimonium ob tantum opus ad philosophicorum studiorum instaurationem

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

et teterrimorum errorum in catholicae Fidei et totius Reipublicae perniciem maximam latissime grassantium reprobationem, tibi, Beatissime Pater, humiliter offerre in votis continuo mihi fuit: quapropter libentissime et ipse subscripsissem Litteris, quibus IV idus octobris p. e. Archiepiscopus Taurinensis Metropolitanus meus, aliique plures Episcopi Cassanii prope Fossanum congregati admirationis, reverentiae perfectaeque obedientiae suae erga beatum Petrum, per Successorem suum universalis Ecclesiae Pastorem et Magistrum tote corde, unanimes sensus professi sunt.

« At enim quod mihi illis ipsis diebus in hac Salutiarum civitate de benignitate tua translationem sacrarum exuviarum beati Stephani Bandelli magno ac devotissimo Cleri et Populi concursu solemniter agenti datum non fuit cum praefatis Praesulibus perficere, singulariter nunc in humilitate mea adimpleo.

« Dum igitur, Pater Beatissime, hisce Natalis D. N. I. C. laetissimis diebus fausta cuncta ex corde a Patre misericordiarum, et Deo totius consolationis tibi adprecor, et ad pedes Sanctitatis tuae, per taurinensem ephemeridem *L'Unità Cattolica*, quas oblationes in Iubilaeo Beatae Virginis Mariae Immaculatae per totam Dioecesim colligere, pro temporum angustiis, possibile fuit, profero, atque eas benignus excipias rogo, reverentiae meae, grati animi et omnimodae obedientiae intimos sensus maximo affectu profiteor.

« Doctrinam porro sancti Thomae Aquinatis in hoc Clericorum Seminario huc usque traditam principem statuere, eiusdemque studium, quantum Dioecesis conditio et exiguus sacrorum Ministrorum numerus patitur, modis omnibus promovere et ampliare enixe conabor: quod quidem eo felicius obventurum confido, quo et Capitulum Canonicorum Ecclesiae Cathedralis et Clerus universus, ut sui muneris erat, apostolicas tuas Litteras maxima cum reverentia exceperunt, atque Angelici Magistri doctrinam magis magisque exhinc colere percupiunt.

« Obsecro tandem te, Beatissime Pater, ut vota nostra cum tenui quidem, at filiali erga Principis Apostolorum Successorem et haeredem affectu maxima, stipe excipere pro paterna tua clementia et benignitate digneris, et benedictionem apostolicam Episcopo, Clero et Populo Dioecesis Salutiarum impertiri, quam dum Sanctitatis tuae pedes deosculor toto corde imploro.

« Beatissime Pater,
« Sanctitatis tuae

« Salutiis, die 3 ianuarii 1880.

« Humilmus obsemus obmus et addmus
« Filius et Servus
« ALPHONSUS Episc. Salutiarum ».

564. XXX. Litterae Rmi Episcopi Casertani una cum Canonicis:

« Beatissime Pater. Si Christifideles cunctis, quibus militant diebus, fortibus armis se praecingant oportet, ne iuxta Apostoli verba per philosophiam et inanem fallaciam decipiantur, id hisce novissimis diebus potiori iure dicendum, atque proclamandum est: advenerunt enim tempora ab eodem Apostolo descripta. Homines siquidem perversi indoctique, Rationalistae scilicet, factio perniciosissima, vexillum sustulere, et impetu quam maximo in Religionem, eiusque doctrinam irrumpentes hanc penitus evertere conantur, et ut pravum opus susceptum ad optatum finem perducant, impios omnis generis libros, pestiferas ephemerides undique diffuderunt, et quod peius, institutionem iuventutis a Clero amoventes, eam magistris iniquitatis et erroris commiserunt. Quas ob causas quanto in discrimine versetur iuventus quis inficiari poterit? A primis enim litteris venefica hauriens semina, viae veritatis et patrum voluntati proculdubio infesta adolescit. Quonam igitur modo ab Ecclesia et civili societate tantum amovebitur malum? Quomodo errores eliminabuntur, et ad rectum veritatis tramitem errantes reducentur? Beatissime Pater, compertum sane et exploratum est, quod quo magis succrescentibus malis divino ac coelesti auxilio indigent Christifideles, eo magis magisque misericordia Dei effulgeat: misericordia igitur Dei factum est ut tu ad Cathedram Petri evectus, non minus doctrina quam sanctitate praestantissimus, Christifidelibus, et praesertim iuventuti scutum inexpugnabile, quo munita in studiorum curriculo ab omni errorum labe illaesa servetur, ostenderis, optimo sane praecipiens consilio ut angelica Thomae sapientia iuventus nutriretur, qua nil sanctius, nil iuventuti utilius: est enim scientia divina coelitus demissa, est catholicae Fidei et Theologiae bibliotheca, qua si quis magistra non utitur toto aberrat coelo. Quare vix Ecclesiae Casertanae Pastor electus, ut adolescentes in sortem Domini vocati Philosophiam Thomisticam edocerentur mandavi, et modo etiam ut haec doctrina evolvatur et enucleetur quam diligentissime curo, quo hac Philosophia duce iuvenes rerum naturalium veritate acquisita ad summum et aeternum Verum nempe Deum continuo possidendum ducantur. Idcirco quanta laetitia quantoque gaudio affectus fuerim, cum per Epistolam encyclicam Pastores totius orbis Catholici hortatus fuisti ut Philosophia christiana ad mentem Angelici Doctoris Thomae Aquinatis a Magistris in Discipulorum animos insinuaretur, verbis exprimi nequit, et quamvis Sanctitatis tuae mandatis cum omnibus Episcopis libentissime adhaeserim, iterum cum omnibus Magistris Seminarii huius Dioeceseos mihi commissae adhaereo et subscribo, et simul omnes ad Sanctitatis tuae pedes provoluti apostolicam benedictionem imploramus, enixe Deum exorantes ut ad catholicae Fidei tutelam, ad Ecclesiae gloriam et decus, ad Societatis bonum te in aevum incolumem servet.

« Henricus De Rossi Episc. Casertanus ».

Sequuntur Professorum Seminarii subscriptiones.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

565. XXXI. Litterae Rmi Episcopi Lyciensis una cum Canonicis et Professoribus:

« Beatissime Pater. Nos Salvator Aloysius e Comitibus Zola, Lyciensis Dioeceseos Episcopus, nec non huius ecclesiastici Seminarii Rector, scientiarum Magistri, humanarumque literarum cultores, de iuventutis moribus ac studiis semper solliciti, animo nostro magis magisque in dies perpendentes e Philosophia male tradita, seu potius e Rationalismo repetendos esse infandos errores, quos his maxime temporibus tota Italia longe lateque disseminari ac propagari videmus; in tanta malorum colluvie, quae divina humanaque omnia pessundant, exitiumque quaquaversus societati ipsi civili minitantur, non possumus maximo dolori non affici, et in mentem non revocare illud Apostoli: " Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam. " Quamobrem, ut studiosa iuventus, nostrae tutelae commissa, a falsis hisce doctrinis fallacibusque erroribus maxime abhorreret, uberemque fructum e philosophicis ac theologicis studiis valide perciperet, summa nostra cura et industria, assiduaque opera, Philosophiae institutionem ad Scholasticorum doctrinam iamdiu revocari non dubitavimus. Quod quidem studium a pluribus annis in Seminario nostro fideliter servatum esse, tibi, Beatissime Pater, non multo abhinc tempore per nosmetipsos et non per alios, ad tuos sanctissimos pedes provoluti, maxima cum reverentia ac devotione significavimus. Alumni quippe nostri nonnisi praeclaris institutionibus sive reverendi Canonici Sanseverino, sive aliorum iisdem principiis divi Thomae addictorum innituntur alacriter, ut veram sacramque doctrinam, quam Ecclesiae Patres et Doctores nobis tradiderunt, ex hoc purissimo fonte hauriant et percipiant.

« Immortales igitur cum reverentia laetitiaque cordis, Beatissime Pater, tibi et admirabili sapientiae tuae gratias agimus, qui, utpote supernae Fidei Magister, in hisce tam luctuosis temporibus, in tanta errorum affluentia, in tantorum inanium systematum concursu, remedium efficacissimum ac maxime opportunum nobis adhibere dignatus es, sapientissimam scilicet Encyclicam *Aeterni Patris*, quae non solum catholicae Philosophiae instaurationem dignitatemque vindicat, sed etiam et christianae iuventuti veram doctrinam, Religioni incrementum, civili ordini praesidium suppeditat.

« Quapropter sincero et grato animo hanc Epistolam encyclicam admirati et amplexi sumus, qua Sanctitas ac Sapientia tua divinitus infusa, omnibus in scholis, et praecipue Seminariis, Philosophiam ac Theologiam doceri et confirmari praecipit iuxta Doctoris Angelici principia, eaque haberi tanquam perfectissimam et inconcussam regulam, ut et bono Fidei et ipsi humanarum scientiarum dignitati maxime provideatur.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

« Nos itaque, Beatissime Pater, voluntati tuae libentissime adhaerentes, omni ope nitimur, in quantum vires permittunt, ut ipsa Angelici doctrina, cui iuventus nostra iampridem operam navavit, ampliorem, quam fieri potest, effectum habeat et magis in dies propagetur.

« Iure igitur, Beatissime Pater, in tanta scientiarum omnium cultorum frequentia, qui nonis martiis divo Thomae sacris, et quidem memorandis ob praeclarissimam academicam disputationem a te scite habitam et propugnatam A. D. MDCCCLXXX, Sapientiae ac Sanctitati tuae solemniter debita tributa sunt reddituri, oramus atque obtestamur, ut vota nostra benigno vultu etiam excipias, hoc memorabili die nobis humillime persolvenda, pro singulari disceptatione et admirabili praesertim Encyclica supradicta, quae plane memoriam auspicatissimi pontificatus tui posteris perennat.

« Accipe tandem, Beatissime Pater, animi nostri ardentioris erga te et sanctam Sedem devotionis argumenta, et enixe obsecramus ut nobis, studiosae iuventuti omnibusque huius Lyciensis Dioecesis Fidelibus, apostolicam benedictionem, quam flagrantissime imploramus, impertiri digneris.

« Datum in Seminario Lyciensi, IV kal. martii MDCCCLXXX.

« Sanctitatis tuae

« Obsequentissimi Filii

« SALV. ALOYSIUS Episc. Lycien. ».

Sequuntur Professorum Seminarii subscriptiones.

566. XXXII. Litterae Rmi Episcopi Abellinensis:

« Beatissime Pater. Epistolam encyclicam, cuius initium *Aeterni Patris* sapientiae tuae praeclarissimum atque aere perennius monumentum, summopere admirati maxima qua decet observantia excipimus, eique penitus inhaeremus, utpote quae documenta Catholicae Ecclesiae, et societati universae quam plurimum profutura tradat. Quid enim ad innumeros novosque errores profligandos, quos ubique terrarum per philosophiam, et inanem fallaciam perditissimi homines blaterantes diffundunt, recta doctrina salubrius? Falsis noxiisque disciplinis imbuta incauta iuvenum studiosa cohors ad fabulas convertitur, et caeco agmine in ima tenebrarum adverso turbine rapitur, atque in divinam Revelationem indocile acuit ingenium, viresque rebellis mentis intendit.

« Christianae Reipublicae in tot tantis periculis constitutae una salus Philosophia catholica. Et re quidem vera quinam in hac scientia divo Thoma Principe philosophorum praestantior, quo nullus maior adhuc ex-

stitit? Quae omnia luce meridiana clariora ostendit Epistola tua divino magisterio elaborata. Tu enim, Beatissime Pater, es lux mundi, columna et firmamentum veritatis, et quae tu loqueris, loquitur Petrus. Tibi datum pascere oves et agnos, fratres confirmare, hominesque cunctos ad viam salutis revocare. Hac de causa divus Thomas erit nobis Magister, et Dux in philosophicis disciplinis comparandis, in ipsum oculorum acie conversa, velut in solem sapientiae intuebimur, ipsique firmiter inhaerebimus.

« Et licet iampridem in eadem eramus sententia, Alumnisque nostri Seminarii Philosophiam Aquinatis edocendam tradebamus, nunc vero verbum tuum nobis praeceptum est, quod transgredi nefas erit. In hoc igitur, caeterisque omnibus tibi parebimus, te sectabimur, in te ora intenti tenebimus donec nobis vita sufficiat.

« O utinam Deus scientiarum Dominus, a quo bona cuncta procedunt, diutissime te adiuvet, sospitet, incolumemque reddat, fructusque boni seminis, quod seminasti, tibi laetanter colligere sinat!

« Hoc unum enixis precibus rogamus ac petimus ab omnipotenti Dei miseratione, quae nunquam sibi confidentes fallit.

« Hoc humillimum fidelitatis atque obedientiae nostrae testimonium, Beatissime Pater, excipere dignare, nosque apostolicae benedictionis munere ditare, dum ad sanctissimos pedes Beatitudinis tuae provoluti, eosque maiori qua possumus veneratione deosculantes, haberi dicique laetamur.

« Abellini, 6 novembris 1879.

« Humillimi obsequentissimi Famuli

« FRANCISCUS Episc. Abellinen. ».

567. XXXIII. Litterae Rmi Episcopi Fodiani:

« Beatissimo Padre. Con quanto giubilo dell'animo mio abbia accolto la sapientissima e provvida Enciclica, non che le altre Lettere ed Allocuzioni con cui la Santità vostra insinua all'Episcopato cattolico la ripristinazione della Filosofia scolastica, e specialmente dell'Aquinate, può argomentarlo dal fatto che già da due anni in questo Seminario diocesano il Professore di Scienze sacre detta con massimo profitto degli Alunni la *Somma Teologica* di san Tommaso, ed il Professore di Filosofia li prepara co' principî razionali attinti alle fonti dello stesso Angelico Dottore. Il primo dei due è D. Salvatore canonico Musico di questa città, il quale, dopo uno studio triennale fatto in Roma presso i PP. Domenicani della Minerva, e dopo la laurea conquistata da apposito esame, ha sempre nodrito speciale amore alle tomistiche dottrine. Il secondo poi

è D. Pasquale canonico tesoriere Fuiano di questa Cattedrale Foggiana, il quale fornito di laurea nella Facoltà di Filosofia, ed avviato fin dalla prima giovinezza a' principî inconcussi di san Tommaso, vale assaissimo a predisporre i giovani allo studio della Teologia secondo i voleri della Santità vostra.

« Aggiungo di vantaggio che fin dal 1872, nell'anno cioè del mio primo ingresso in questa Diocesi, fu da me istituita un'Accademia teologica avente la tornata mensile. Ora però, per secondare i savissimi desideri della Santità vostra, la metterò sotto la protezione dell'Aquinate, nella certezza che farà prosperarla dal cielo.

« Voglia pertanto vostra Beatitudine impartire una speciale benedizione a me, a' Professori di questo Seminario, ed a questa mia Diocesi; e prostrato al bacio del sacro piede mi umilio, e mi dichiaro

« Della Santità vostra

« Obbedientissimo Figlio in Gesù Cristo

« Fr. GEREMIA COSENZA Vescovo di Foggia ».

568. XXXIV. Litterae Rmi Episcopi Valvensis et Sulmonensis una cum Canonicis:

« Beatissime Pater. Vix tua ad me pervenit encyclica Epistola *Aeterni Patris*, qua doctrinae Angelici Doctoris diffusio commendatur et praecipitur, ut gratantis animi tibi sensus aperirem, mea vota cum reliquis Neapolitanae ditionis Episcopis consociavi, ut eo gratius tibi esset obsequium, quo maior erat numerus obsequentium.

« Sed ecce nunc iterum ad te venio, officiis illectus Moderatorum et Lectorum huius Episcopalis Seminarii Sulmonensis, qui inenarrabili laetitia perfrui visi sunt, quando probatum a te senserunt, quod iam ipsi in theologicis philosophicisque tradendis disciplinis, frustra deterriti malorum artibus et subsannatione, pro suo captu perfecerant. Et revera, Beatissime Pater, de hoc gavisus sum et gaudeo, prout in mea ultima relatione pro visitatione ad Limina Apostolorum nuperrime ad Beatitudinem tuam missa enarravi, quod a lectoribus huius Seminarii id circa Angelici Doctoris doctrinam perfici reperi, quod iam ego, dum in minoribus eram, moderabarque studia Seminarii Nuscanae Dioecesis, ibique philosophicas disciplinas edocebam, perficere enixus sum. Faxit Deus, ut te auctore, te duce, te auspice, per Angelici Doctoris doctrinam sensim arescat errorum colluvies, quae adolescentium mentibus tenebras obducit mortiferas. Propterea, Beatissime Pater, perge iter, perge quo coepisti, et ego cum his, qui una mecum in Alumnorum Seminarii mente et corde formandis quotidie consudant, alacriores erimus tuis monitis et praeceptis obtemperando, uberioresque fructus percipiemus in Vinea Domini.

« Tuis igitur pedibus provolutus cum Moderatoribus huius Seminarii, qui mecum subscribunt, ut et mihi et ipsis et omnibus utriusque Dioecesis Fidelibus apostolicam benedictionem impertiri digneris, instantissime postulo.

« Datum Sulmone, 2 martii 1880.

« TOBIAS Episc. Valven. et Sulmonen. »

Sequuntur Canonicorum, aliorumque ex Clero subscriptiones.

569. XXXV. Litterae Rmi Episcopi Conversanensis una cum Canonicis:

« Beatissime Pater. Sapientissimam sane tuam admirati sumus Encyclicam, quae catholicae Philosophiae dignitatem vindicans incomparabili prorsus doctrina christianae iuventuti saluberrimos veritatis fontes ostendit. Quid potius, quid optatius sacro cuique ephebeo contingere poterat, quam ut Angelici Doctoris sapientia in maximum restituetur honorem? Tot enim exitialibus erroribus quaquaversus diffusis, tot insanientis humanae rationis deliramentis quodnam plane remedium, nisi quod tanti nominis praeconio splendidissime affulsit?

« Tuis igitur, Beatissime Pater, vestigiis inhaerentes, tuaeque auctoritati obtemperantes annum scholasticum vix ineuntem, divi Thomae praesentissimo numine eo libentius auspicamur, quo certius habemus adolescentium animos tum Fide tum Scientia amico foedere iunctis esse imbuendos. Quod quidem Seminario huic nostro, et Cupersanensi Collegio adeo semper curae fuit, ut in votis semper habuerit nonnisi ab apostolica Sede, tanquam suprema veritatis Cathedra, studiorum unitatem, ingeniorum concordiam, pietatem ac doctrinam ad religionis incrementum et nutantis civilis ordinis praesidium esse provehendam. Petrus tandem locutus est! Tuta iam norma patet! causa dicta est!

« Huic itaque oraculo alacri animo obsecuti, et singulari hoc beneficio tibi maxime devincti, apostolicam tuam benedictionem ut superni favoris auspicem ad tuos pedes provoluti humillime adprecamur. Verba vitae aeternae habes! Loquere quia audient servi tui.

« Datum in Seminario-Collegio Conversanensi, octavo kalendas decembris, festo die sancti Flaviani, Civitatis ac Dioecesis Patroni.

« AUGUSTUS ANTONINUS Episcopus ».

570. XXXVI. Litterae Rmi Episcopi Mazariensis:

« Beatissimo Padre. Ultima forse di tempo, non però di ammirazione e di affetto, giunge alla Santità vostra la mia lettera di omaggio

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

e di adesione alla sapientissima Enciclica *Aeterni Patris*, che la Santità vostra dirigeva fin dall'agosto ultimo all'Episcopato cattolico, e che fu da me come dagli altri Vescovi, ricevuta ed accolta con la più profonda venerazione e con l'ossequio della più fedele sudditanza.

« Mi unisco adunque alla Santità vostra e faccio miei gli alti concetti, i nobili sentimenti, la vasta erudizione, onde nella sullodata Enciclica deplora i gravi danni recati alla Chiesa ed alla Società da una filosofia pagana, che, o molto deprimendo le forze della umana ragione, la rende incapace de' preamboli della Fede, e disadatta perciò al convincimento della verità della Rivelazione; o di troppo estollendole, proclama la ragione così autonoma da osar tutto senza e contro la verità rivelata; onde è che emancipata la Ragione dalla Fede, divorziando la Filosofia dalla Teologia, invece che quella sia propedeudica a questa, s'induce nella scienza quel mostruoso assurdo che sotto il medesimo autore della Ragione e della Fede la cognizione col lume dell'una ripugni alla conoscenza col lume dell'altra.

« Ed è perciò che la Santità vostra dimostra imperioso il bisogno di ristaurare la Filosofia cristiana sull'esempio de' Padri e Dottori, caldamente esortandoci affinchè dessimo opera solerte a rimettere nelle scuole e largamente diffondere con ispecialtà l'aurea sapienza dell'Angelico san Tommaso a decoro e difesa della cattolica Fede, a bene della Società, e ad incremento di tutte le scienze.

« Ed in verità qual altro miglior maestro di cristiana Filosofia poteva la Santità vostra additarci che l'Aquinate, che fu tanto encomiato da venticinque sommi Pontefici vostri Predecessori, adoprato in difesa della Fede da ben sei Concilii Ecumenici, seguíto d'oltre quindici ordini Regolari, temuto dagli stessi eretici che lo tennero siccome unico sostegno della Chiesa cattolica? Chi meglio di lui seppe cristianeggiare la Filosofia, e nelle 891 Lezioni di comento ai Libri di Aristotele, e ne' 2931 Articoli delle 578 Quistioni su quei del Maestro delle Sentenze, e nei 463 Capi dei quattro Libri della *Somma contro i Gentili*, e sopratutto in quella *Somma* prodigiosa, che il Tridentino pose a fianco della sacre Scrittura sull'altare, e ne' cui 2657 Articoli delle 512 Quistioni che la compongono ammirò altrettanti miracoli il predecessore della Santità vostra Giovanni XXII?

« Mi gode pertanto l'animo di poter rassegnare alla Santità vostra come in questo mio Seminario, son già tre anni, si è cominciato a dare un forte impulso allo studio della Filosofia di san Tommaso, per opera di questo Canonico Giuseppe Vizzini, Rettore di esso e mio Vicario Generale, il quale ha prescritto a libro di guida nella scuola di Filosofia le *Istituzioni* del Canonico Sanseverino, che è parso rappresentare più da presso la Filosofia Tomistica; se non che, dopo l'autorevole conferma che n'ha riportata dalla sapiente Enciclica della Santità vostra, si darà opera che gli allievi da questo rivo risalgano a quell'aurea fonte per attingervi immediatamente nel nativo linguaggio le più rilevanti verità.

« Bacio finalmente prostrato il sacro piede della Santità vostra implorando la pontificia benedizione su di me, sul Seminario e sul suo Rettore, sul Clero e Diocesi intera.

« Di Vostra Santità

« Mazara, 24 ottobre 1879.

« Devmo ed obbmo Suddito e Figlio in G. C.
« CARMELO Vescovo di Mazara ».

571. XXXVII. Litterae Rmi Episcopi Uxellensis et Terralbensis:

« Beatissime Pater. Tuam de Philosophia christiana ad mentem Doctoris Angelici instauranda Epistolam encyclicam eis recepi summae venerationis obsequio atque perfectae obedientiae consulto, quae Episcopum decent et urgent coram Deo ac sancta eius Ecclesia. Hisce autem qui ex omni isti apostolicae Sedi catholicae unitatis centro devotione mea, tibique fratrum tuorum ductori, doctori, confirmatori divinitus constituto integra subiectione ac intima cordis adhaesione dimanant, ii accessere sensus, qui erga te admiratione me rapiebant et iucunditate solabantur.

« Tibi siquidem, Pater sancte, mecum ipse gratulabar de ea, qua non sicut Angelus Dei, sed quasi Deus ipse, cuius es in terris Vicarius, emines sapientia in altissima divinarum humanarumque rerum cognitione, in omnium antiquorum exquisitione scientiae, ac in virorum nominatorum conservatione narrationum. Gratulabar de spiritu intelligentiae, quo te sicuti oecumenicum humani generis Magistrum magnus Dominus replere voluit, ut bona et mala in hominibus tentares, utrorumque causas eisdem opportunissime valeres aperire, supernoque quod effundis ac diffundis lumine, uti a saeculis praenuntiatum habemus, veritatis virtutisque semitas omnibus perlucide demonstrares. Gratulabar demum de aurea qua praefulges eruditi disertique sermonis elegantia, quaque tanquam imbres emittis eloquia sapientiae ac intelligentiae tuae, quibus doctos erudis et recreas, devios bonae voluntatis reducis et confirmas, obduratos confundis et in desperationem adducis.

« Haec porro mei animi sensa Clero et Christifidelibus mihi commissis in eorum aedificationem promenda et explananda, tibi quoque per litteras significari oportere, pro humilitate mea importunum reputavi. Insipienter tamen. Aliter enimvero pene totius catholici Orbis Episcopis

visum in Domino fuisse, satis patet ex epistolis, quibus quae super hac tanti momenti re animo sentiunt, ipsi vel coniuncte per provincias aut gentes, vel singillatim ea tibi retulerunt. Aliter etiam tibimet ipsi visum fuit, qui de huiusmodi epistolis aliorumque scientium virorum adhaesione, Litteris eminentissimo sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali sacro Consilio studiis regundis Praefecto nuper datis, magnopere laetabare. Propterea quod iam alii fecerunt Episcopi lubenter ego nunc ago, ne qui tecum ipsisque unum sum eadem omnino sentiens, haud unum esse videar indeclinabilem eorundem minime tenens confessionem.

« Iis itaque omnibus, quae tibi, sapientissime Pater, a meis in Episcopatu Fratribus praefatae Epistolae tuae assentientibus scripta fuerunt, memet ipse subscribo, atque cum omni Clero meo, cuius novi proposita, toto animo adhaereo.

« Alacritatis autem qua quae decrevisti exsequemur, hoc erit argumentum paterno animo tuo certo iucundum: me scilicet, ac quotquot sunt in hac Dioecesi miseratione divina mecum in sortem Domini vocati, omnes scholae divi Thomae Aquinatis esse discipulos. Sicut enim in Calaritano Athenaeo non nisi sancti huius Doctoris doctrina publice tradebatur, sic non nisi eadem et in hoc Seminario fuit usque tradita, tum merito ipsius doctrinae satis superque iudicio Ecclesiae probato, tum ne ab honoribus Academicis eius arcerentur alumni. Necnon cum grandi rei christianae proventu id actum fuit. Hoc etenim potis exstitit causa, uti reor, ne dilecta haec Christi Iesu haereditatis portio, moderna errorum lue ac immoderantiae morum contagione nimis inficeretur. Quod ergo et nostrae religiosae vitae perutile novimus, et a maioribus nostris agendum recepimus, hoc dicto audientes tuo, profecto accuratiori studio perficiemus.

« Quare acceptam quaeso habe, sanctissime Pater, pro singulari cordis tui benignitate, solemnem hanc sponsionem nostram; quam ad pedes tuos provolutus eo etiam consilio humillime perhibeo, ut in summa qua tristitia temporum et hominum malitia, obruitur amaritudine anima tua, nonnihil valeat ipsa capere solatii. Ne autem a proposito nostro nos unquam declinemus, enixe te rogo ut me digneris, meumque Clerum et Christifideles, tua benedictione apostolica confirmare.

« Datum Ales, ex venerabili Seminario, die 4 novembris 1879. Festo sancti Caroli Borromaei Episcopi.

« Sanctitudinis tuae

« Humillimus obedientissimus addictissimus Filius et Subditus

« FRANCISCUS ZUNNUI CASULA Episcopus Uxellensis et Terralbensis apud Sardos ».

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

572. XXXVIII. Litterae Rmi Episcopi Spalatensis et Marcarsensis: « Beatissimo Padre. Prostrato in ispirito ai vostri piedi in questo giorno sì glorioso per la gran Madre di Dio e per la Cattedra infallibile, su cui sedete, son lieto, Beatissimo Padre, a nome eziandio dei miei Capitoli, del Clero secolare e regolare, e del Popolo fedele, di umiliarvi nell'obolo di san Pietro, che vi viene trasmesso per la via della reverendissima Nunziatura apostolica presso l'I. R. Corte di Vienna, l'annuo tributo della nostra figliale pietà, e con esso l'espressione della nostra fede, della nostra venerazione e del sincero nostro attaccamento alla sacra ed augusta vostra Persona.

« A quest'omaggio doveroso e a questi devotissimi sensi mi è grato di aggiungere, Beatissimo Padre, le più sentite grazie per l'Enciclica *Aeterni Patris,* che in uno slancio di sapientissimo amore, vi è piaciuto di dettare; e che fu da noi salutata quale uno de' maggiori benefizi che il Papato rendesse all'umana famiglia. Imperocchè ove i salutari ordinamenti in quella con sì mirabile magistero tracciati fossero da per tutto con riconoscenza accolti e fedelmente eseguiti, non è a dubitarsi che la Società dal pestilenziale veleno di tanti e sì svariati errori corrosa, guasta e prostrata, non riavrebbesi un'altra volta, e rimessasi sul sentiero segnatole dalla Provvidenza, non camminerebbe spedita verso i suoi alti destini.

« Avendo scorto coll'acuto sguardo che vi distingue, e si rischiara, giusta la promessa divina, agli splendori raggianti dal Verbo eterno, che l'ordine attuale dei fatti trae all'estrema rovina l'umano consorzio per ciò appunto che si esempla a norma d'idee da funestissimi errori viziate; voi v'avvisaste sapientemente che ad arrecare al male efficace rimedio, era necessario anzitutto sgombrar dalla mente i falsi e perniciosi principi. E poichè la dottrina dell'Angelo delle Scuole fu per lunga stagione, non solo l'indomabile incudine su cui consumaronsi tutti i martelli dei superbi sofisti, ed è acconcissima a confondere gli errori tutti speculativi e pratici dell'età moderna, ma ben anco un sole di limpidissima luce alle menti e di virtù fecondatrice ai cuori; voi " Lumen in coelo " riaccendendo quel sole e ricollocandolo nella pienezza della vostra autorità, nel firmamento intellettivo e sociale, date opera provvidentissima a dissipare le tenebre dalle menti, a ricostruire le scienze, a salvare la società ed arricchirla dei beni inapprezzabili della pace, dell'ordine e della prosperità, da cui da tre secoli si vede poco a poco miseramente spogliata.

« Di tal guisa, vostra bella mercè, e la Teologia va a rifornirsi di uno dei più poderosi suoi mezzi, la speculazione; e alle discipline filosofiche è offerto il modo, ritornando ai principi inconcussi e al metodo di san Tommaso, di cancellare la vergogna di tanti deliramenti e strin-

gersi in amico accordo colla verità della Fede; e i problemi sociali che tengono cotanto sospesi od agitati gli animi ponno trovare la verace loro soluzione nel giure naturale e rivelato spiegati con evidenza dall'impareggiabile Dottore d'Aquino. Che più? le scienze stesse naturali voi richiamate al loro nobilissimo ufficio di servire al Dio delle scienze, mentre la congerie di cognizioni positive, onde va tanto superba l'età presente, può ben essere ridotta sulle traccie di san Tommaso ad universali principî, e quindi armonizzando cogli immutabili veri cessare dall'essere istrumento di teorie desolanti ed abbiette.

« Un propizio avvenimento compiutosi in questi giorni, e tale da innondare di tanta consolazione il cuore di un vescovo di quanta ei n'è capace, e ch'io mi faccio un dovere di portare a grata conoscenza della Beatitudine vostra, mi mette in grado di dare esecuzione agli ordini contenuti nella prelodata Enciclica vostra.

« Il mio Seminario, la cui fondazione risale ad Innocenzo XII di f. r. e che per oltre un secolo, sotto la scorta di pii e dotti maestri aveva fornita la Diocesi di uomini per bontà e sapere pregevoli, fu costretto dalle vicende dei tempi di mandare alle scuole laiche i suoi Alunni. Ma ora esso ripiglia gli studi interni; essendomi toccato in sorte di ottenere all'uopo, sorretto dalla valida cooperazione de' miei Confratelli comprovinciali, con a capo il venerando Metropolita, l'approvazione governativa. I miei Chierici quindi e quelli di altre diocesi della Dalmazia, a cominciare dal marzo p. v., verranno istruiti da docenti ecclesiastici da me a ciò deputati; e la Filosofia sarà loro insegnata in perfetta e scrupolosa uniformità ai principî dell'Angelo delle Scuole. La vostra benedizione, Beatissimo Padre può sola però infondere all'istituzione vita, stabilità ed incremento, ed io a calde suppliche ve la domando.

« Degnatevi inoltre, Beatissimo Padre d'impartire l'apostolica benedizione a me ed alla Diocesi; e noi saremo continui come per lo passato, nel pregare mediante l'intercessione di Maria Vergine Immacolata il misericordioso Iddio, di serbare sì a lungo incolume voi, suo Vicario in terra, che possiate vedere cogli occhi propri gli ubertosi frutti di prosperità religiosa e sociale che dalle sapienti ed efficacissime vostre cure per la ristaurazione degli ottimi studi, tutti i buoni a giusta ragione si ripromettono.

« E nel bacio del sacro piede, coi sensi della più alta venerazione e della più profonda riconoscenza, ho l'onore di segnarmi

« Spalato, il giorno dell'Immacolata nel 1879.

« Della Santità vostra

« Umo e dmo Servo e Figlio

« Marco Vescovo di Spalato e Macarsa ».

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

573. XXXIX. Litterae Rmi Episcopi Hermopolitani:

« Très Saint Père. Appelé sans aucun mérite et par la seule bienveillance de Votre Sainteté, à prendre rang parmi les Evêques catholiques et à administrer la modeste et intéressante Eglise de Monaco, je me suis particulièrement réjoui à l'apparition de la magnifique Encyclique *Aeterni Patris*, traitant de la réforme de l'enseignement philosophique; et je croirais manquer à une des obligations les plus chères à mon cœur de Fils dévoué, si je ne venais point, avec tout l'Episcopat, acclamer ce grand acte qui restera un des monuments impérissables de Votre Pontificat.

« Déjà, Très Saint Père, les savantes Lettres pastorales de l'illustre Cardinal de Pérouse avaient revelé le Prélat éminent suscité de Dieu pour assigner avec une éclatante précision à la Foi et à la Raison leur autorité et leur dignité réciproques, et réconcilier dans une étreinte fraternelle l'Eglise et la Société. Les Pasteurs et les fidèles lurent avec une attention marquée ces pages substantielles capables d'emporter la conviction de tout esprit libre d'absurdes et injustes préventions; et quand, par l'intervention visible de l'Esprit saint qui veille sur l'Eglise, le Cardinal Pecci fut élu Pape sous le nom de Léon XIII, le monde fut moins étonné que ravi de saluer un tel successeur à Pie IX de glorieuse mémoire, et chacun eut l'intuition du rôle réparateur que l'avenir réserve à la Papauté, dans la personne de celui, qui, aux prérogatives inhérentes à sa qualité de Vicaire infaillible de J. C. joint une compréhension large et raisonnée des besoins de notre siècle, et la volonté énergique de travailler à sa pleine restauration.

« En effet, Très Saint Père, au milieu des sollicitudes nombreuses qui absorbent les journées de votre vie, au milieu des luttes incessantes que vous soutenez contre les ennemis de l'Eglise, qui l'attaquent de tous côtés et avec toutes les armes, vous avez bientôt su arracher à votre repos des heures précieuses pour étudier la grande question de l'enseignement social, et vous vous êtes confirmé dans la conviction que tout marche vers la décadence, parce qu'il n'y a plus ni doctrine, ni méthode philosophique; que la Raison presque toujours en ensurrection contre la Foi, tantôt s'exalte outre mesure ou s'abaisse jusqu'à la servilité, et que dans ses orgueils et ses humiliations elle menace de faire naufrage, entrainant après elle la ruine des vérités naturelles et des dogmes révélés, avec l'obscurcissement du dernier rayon de vérité.

« C'est alors, Très Saint Père, que, remontant les âges écoulés, votre regard observateur s'est fixé sur un siècle illustre entre tous, un siècle qui a donné à la Papauté Innocent III, à la France saint Louis, à l'Italie Dante, au Monde catholique ses merveilleuses cathédrales gothiques, le

chef d'œuvre de l'art chrétien. Et dans ce XIII siècle, une figure vous est apparue plus majestueuse que toutes les autres, une figure de grand Saint et de Docteur incomparable, la gloire de l'Eglise et l'honneur de l'esprit humain, sans égal dans la Philosophie et dans la Théologie, puissant génie qui a tout exploré, tout expliqué, la science de Dieu et la science de l'homme, les secrets de la nature aussi bien que les mystères de la grâce, dont les écrits forment la plus complète Encyclopédie des connaissances divines et humaines, et qui, puisant à pleine intelligence dans les trésors de la Foi et de la Raison, ces deux immortelles sources du vrai, a répandu sur le monde des torrents de lumière et de vérité. J'ai nommé saint Thomas d'Aquin, l'homme le plus accompli qui ait jamais vécu.

« Nourri dans l'étude des ouvrages de l'Ange de l'Ecole, vous avez compris, Très Saint Père, qu'il n'y avait qu'un moyen de tirer le monde philosophique, social, politique et religieux de ses incertitudes, de ses égarements, de ses hontes et de ses périls, c'était de ramener l'enseignement à la doctrine et à la méthode de saint Thomas; et vous avez commencé la réforme par l'enseignement philosophique parceque la Philosophie est l'introduction à toutes les sciences, puisqu'elle prête à toutes sa règle sévère, sa méthode précise, ses lois constantes et ses irrésistibles raisonnements. Peu importe que son nom ait quelque chose d'étrange, l'enseignement scholastique est le seul qui puisse opérer une rénovation générale, parceque seul il sait se servir de toutes les forces réunies de la Raison et de la Foi, les tenant pour des sœurs et non d'irréconciliables rivales.

« Aussi, Très Saint Pere, soyez mille fois béni, d'avoir fait entendre votre voix solennelle. Le cri approbateur des Evêques vous a répondu et les félicitations qui vous arrivent de toutes parts sont de puissants encouragements pour que vous persévériez dans la noble tâche entreprise par vous, et les plus sûrs garants d'un immense succès, qui ne profitera pas moins à la société dont vous êtes le dernier soutien, qu'à l'Eglise dont vous êtes le Chef vénéré. Marchez donc courageusement, Très Saint Père, dans le chemin de la réforme philosophique avec l'éminentissime Cardinal de Luca, l'Episcopat tout entier est prêt à vous suivre dans cette œuvre de régénération; les Evêques tiennent les regards fixés sur le Chef éclairé qui les guide, non seulement dans les voies lumineuses et certaines de la Foi, mais aussi dans les sentiers obscurs et douteux de la science. En ce moment, il n'est pas un seul d'entr'eux qui ne se soit déjà mis à l'œuvre pour inaugurer, dans les centres d'enseignement qu'il dirige ou patronne, la méthode philosophique du Docteur Angélique.

« Moins privilégié, Très Saint Père, je n'ai à ma disposition ni Petit Séminaire, ni Collèges, et pourtant j'aurais été si envieux de prouver,

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

en cette circonstance, mon zèle, mon obéissance envers votre Sainteté, en appliquant aux établissements de la Principauté un enseignement philosophique dans lequel j'ai été formé et qui a toutes mes sympathies!

« Toutefois il m'est agréable de pouvoir vous informer, Très Saint Père, que dans le Collège de la Visitation, si bien dirigé par les RR. PP. de la Compagnie de Jésus, le système philosophique de saint Thomas est en vigueur, et qu'il y porte de riches fruits de science et de sainteté. De plus, je suis heureux de vous dire, Très Saint Père, que j'ai exhorté de toutes mes forces mon clergé à se livrer plus que jamais à l'étude de saint Thomas, ne doutant pas que les deux *Sommes* sont la meilleure école pour former des prêtres chastes et savants, tels qu'il en faut aujourd'hui pour défendre victorieusement les droits sacrés de la société et l'inviolable honneur de l'Eglise.

« Permettez moi, Très Saint Père, en finissant cette trop longue lettre, de vous offrir, avec toute la tendresse d'un fils dévoué, mes vœux et mes félicitations à l'occasion des solennités de Noël et du renouvellement de l'année, et de vous demander, prosterné à vos pieds sacrés, une bénédiction particulière pour l'Evêque, pour son excellent Clergé et pour ses bien-aimés Diocésains. Nous n'avons tous ensemble qu'un cœur pour souhaiter santé et longue vie à celui par qui le Seigneur a fait et fera de grandes choses, et que nous aimons comme un Père.

« Je suis, Très Saint Père, avec les sentiments du plus profond respect et du plus filial attachement

« De votre Sainteté

« Le très humble et très dévoué Fils

« CHARLES Ev. d'Hermopolis

« Adm. Ap. de Monaco.

« Monaco (Principauté), le 23 décembre 1879 ».

574. XL. Litterae Rmi Episcopi Aurelianensis:

« Très Saint Père. Lorsqu'au mois de février dernier, j'avais l'insigne honneur et la joie de me prosterner aux pieds de votre sainteté, elle me disait sa consolation en voyant les Evêques de France venir tour à tour témoigner de leur dévouement absolu au Siège apostolique, et de leur tendresse filiale pour le Vicaire de Jésus-Christ.

« Cette consolation, Très Saint Père, nous désirons vous la donner souvent en profitant de toutes les occasions pour renouveler à vos pieds l'expression de notre obéissance aux moindres de vos désirs.

« Dans cette pensée, le plus humble et le plus pauvre de vos Fils est heureux de se joindre à ses vénérés Collègues de l'Episcopat fran-

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

çais, et de vous dire le respect et la soumission avec lesquels il a reçu votre Lettre encyclique et la Lettre adressée à son Eminence le Cardinal de Luca, traitant de l'enseignement philosophique dans l'esprit et d'après la méthode du Docteur Angélique.

« Nos Directeurs et nos Elèves du Grand-Séminaire ont commencé de suite ces études sérieuses, et je me ferai un devoir d'encourager leurs efforts en présidant les exercices destinés à prouver leur zèle, et à constater le résultat de leurs travaux.

« Déjà, mon vénéré Prédécesseur de si illustre et si pieuse mémoire, avait mis tout en œuvre pour donner un grand élan aux études ecclésiastiques dans le Diocèse d'Orléans. Je recueille le fruit de ses ordonnances, et j'espère, avec le secours de Dieu, entretenir toujours ce feu sacré.

« Daignez, Très Saint Père, soutenir ma faiblesse, et récompenser mon Clergé animé des meilleurs sentiments, en nous accordant votre bénédiction apostolique.

« Nous nous prosternons à vos pieds pour la recevoir avec la vénération la plus profonde et le respect le plus filial.

« Orléans, le 13 novembre 1879.

« PIERRE Evêque d'Orléans ».

575. XLI. Litterae Rmi Episcopi Massiliensis:

« Très Saint Père. Dès que la lettre encyclique *Aeterni Patris* est arrivée à ma connaissance, je me suis fait un pieux devoir d'examiner les mesures que j'avais à prendre pour répondre aux désirs de votre Sainteté.

« Déjà, Très Saint Père, mon vénéré Prédécesseur avait introduit dans le Séminaire Diocésain, pour l'étude de la Philosophie et de la Théologie, des auteurs qui s'inspirent des doctrines de saint Thomas. Le traité de Philosophie notamment est dû à l'un des disciples les plus zélés du Docteur Angélique, Sanseverino.

« Mais, reconnaissant que le temps consacré par les Elèves de mon Séminaire à l'étude de la Philosophie n'était pas suffisant pour les initier fortement aux principes de cette science fondamentale, j'ai arrêté qu'à partir de ce moment le cours de Philosophie serait de deux années.

« De plus, afin d'exciter un plus grand zèle pour l'étude de la science ecclésiastique, j'ai reglé que les élèves qui auraient été jugés avoir le plus d'aptitude, seraient envoyés au Séminaire Français, à Rome, pour suivre les cours professés au Collège Romain. Déjà, cette année, j'ai envoyé deux ecclésiastiques à cette fin.

« J'ai aussi appris, Très Saint Père, avec autant de respect que de joie, le projet qu'a daigné manifester votre Sainteté au Cardinal Préfet des Études, de faire publier une édition complète des œuvres de saint Thomas, qui l'emportât en perfection sur toutes celles qui ont paru jusqu'ici. Cette lumière, dégagée entièrement des quelques ombres ou des lacunes que le temps a pu faire, paraîtra dans toute sa plénitude et sa splendeur.

« Le Monde catholique devra ce nouveau bienfait au zèle de votre Sainteté pour la diffusion de la vérité, dont elle a reçu le dépôt, avec la mission d'en être l'interprête infaillible.

« Prosterné aux pieds de votre Sainteté, j'implore humblement sa bénédiction paternelle pour le Diocèse de Marseille et pour son Evêque, qui aime à se proclamer

« De votre Béatitude

« Marseille, le 1er novembre. 1879.

« Le très humble et très obéissant Serviteur et Fils

« LOUIS Evêque de Marseille ».

576. XLII. Litterae Rmi Episcopi Agennensis:

« C'est pour moi un devoir sacré, autant qu'un besoin de mon cœur, de déposer aux pieds de votre Sainteté l'humble hommage de mon admiration profonde et de ma filiale gratitude pour la magnifique Encyclique que vous avez naguère envoyée à l'Episcopat du monde entier, en faveur de la Philosophie de saint Thomas d'Aquin.

« J'ai la joie d'annoncer à votre Sainteté, que cette Philosophie est déjà enseignée, depuis plusieurs années, dans mon Grand-Séminaire, au grand profit des études et au grand avantage de mon Clergé.

« Daigne votre Sainteté agréer en même temps le très humble hommage d'un exemplaire de la Lettre pastorale que je viens d'adresser à mes Prêtres sur cette importante matière, dans le but de me conformer le plus promptement et le mieux possible aux vues si sages de votre auguste Paternité.

« Dans l'attente de la bénédiction apostolique que j'ose solliciter pour moi, ainsi que pour tous les Prêtres et les Fidèles de mon Diocèse, j'ai l'honneur d'être à vos pieds sacrés, Très Saint Père,

« De votre Sainteté,

« Le très humble, très respectueux et très obéissant
« Serviteur et Fils

« JEAN EMILE Evêque d'Agen ».

577. XLIII. Litterae Rmi Episcopi Engolismensis:

« Beatissime Pater. Maxima cum reverentia laetitiaque cordis Litteras encyclicas *Aeterni Patris* accepimus, quibus Sanctitas vestra ubique in Scholis ac Seminariis Philosophiam et Theologiam doceri commendat iuxta principia sancti Thomae Aquinatis, eaque haberi ut absolutissimam ac inconcussam regulam.

« Quod quidem a pluribus annis in Seminario Engolismensi, sicut olim in Seminario Valleguidonensi mihi commisso, fideliter servabatur, nunc eo magis fiet, quo amplius dignoscitur mens Sanctitatis vestrae ac ab ea omnino proponitur tanti Magistri auctoritas. In nostro enim Seminario Lectores et Auditores nonnisi praeclaris libris sive reverendi Canonici Sanseverino, sive aliorum iisdem principiis addictorum utuntur. Nihil nobis, Beatissime Pater, sicut et Seminarii Rectori ac Lectoribus antiquius est quam ut Sanctitatis vestrae obediatur mandatis, atque doctrina sacra ex hoc purissimo fonte hauriatur, in quo reperiuntur congesta quaecumque tradiderunt sanctae Catholicae Ecclesiae Patres et Doctores.

« Utinam in hac tutissima via incedens crescat apud nos floreatque sacra scientia, quam custodire promereque debent saltem labia sacerdotis!

« Gratiae tibi, Beatissime Pater, agantur, qui in hisce luctuosis temporibus, deficientibusque veritatibus apud filios hominum, de iis quae ad doctrinam catholicam, Ecclesiae honorem, salutemque animarum spectant nihil praetermittens, adeo vigilanti invictoque animo munus Tibi divinitus commissum adimples.

« Dignetur Sanctitas vestra gregi mihi commisso ac peculiariter Seminariorum nostrorum Alumnis apostolicam benedictionem impertire, et me habere, Beatissime Pater, ut obedientissimum Servum ac obsequentissimum Filium.

« Engolismae, 11 novembris 1879.

« Alexander Leopoldus Episc. Engolismensis ».

578. XLIV. Litterae Rmi Episcopi Atrebatensis, Boloniensis et Audomarensis:

« Beatissime Pater. Liceat Episcopo Atrebatensi ad pedes Sanctitatis vestrae humiliter provoluto, quam maximas referre gratias pro praestantissimis illis Litteris encyclicis, quibus doctrinas philosophicas ad mentem simul et methodum Doctoris Angelici revocandas, tot et tantis argumentis demonstrastis: quas quidem gratias exhibendas pariter ducit pro illis non minus eximiis litteris quibus eminentissimum Cardin. De Luca, commonendum voluistis, tum de Coetu academico in Urbe instituendo qui sub nomine et patrocinio sancti Thomae Aquinatis, tanti Doctoris

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

opera explanet et illustret, placita exponat; tum de istismet operibus de novo et de integro in lucem edendis, non dubitandum quin omnes catholici Orbis Antistites certatim conferant studia, ut meliori quo possint modo votis a Sanctitate vestra, non minus luculenter quam vivide expressis, respondeant. Pro mea parte, Beatissime Pater, non amplius differendum censui propositum quod pridem in mente habueram, scilicet ut in meo Seminario cursus philosophicus, usque nunc in uno tantum anno confectus, duobus annis deinceps absolvatur. Quis enim, attentis documentis quibus redolent Litterae vestrae, ambigere velit Philosophiam illam, quam tantopere commendat Sanctitas vestra, pleniori haustu ebibendam esse, praesertim in hac colluvie tot errorum, quibus in praesenti Societas nostra infande torquetur? Haec est vere fundamentum unde robur suum desumet scientia, in Seminariis nostris militiae ecclesiasticae tyronibus inculcanda.

« Dignetur Sanctitas vestra gratum habere hocce, licet minusculum, testimonium obsequii mei devotissimi erga hanc sanctam Sedem Apostolicam, e qua summus et infallibilis Doctor propulsandis erroribus, qui tantisper Doctrinae catholicae puritatem simul et integritatem attingerent, tam provide invigilatis.

« Dignemini insuper, Beatissime Pater, paternam elargiri benedictionem, non solum mihi, sed et Seminariorum meorum Alumnis, ut, illa iuvante, non minus scientia quam pietate conspicui, evadant in parte Vineae Domini mihi commissa efficacissimi cooperatores.

« Atrebati, die 29 octobris 1879.

« Sanctitatis vestrae

« Filius addictissimus nec non et obsequentissimus

« Ioannes Baptista Iosephus Ep. Atreb. Bolon. et Audom. ».

579. XLV. Litterae Rmi Episcopi Venetensis:

« Très Saint Père. L'Evêque et le Clergé de Vannes ont reçu avec joie et reconnaissance l'admirable Encyclique dans laquelle votre Sainteté nous donne des instructions aussi sages qu'opportunes relativement à l'étude de la Philosophie et de la Théologie.

« Non contents, Très Saint Père, d'applaudir à ce nouvel acte pontifical de la plus haute importance, nous rivaliserons de zèle, dans ce Diocèse, pour y élever le niveau des sciences ecclésiastiques, et pour propager efficacement autour de nous les saines doctrines.

« Ayez la charité, Très Saint Père, d'envoyer au Pasteur et au troupeau la bénédiction apostolique. Humblement prosterné à vos pieds, je sollicite, plein de confiance, cette inestimable faveur.

« Daigne votre Sainteté agréer l'hommage de la profonde vénération et de l'amour filial, avec lesquels je suis

« Son très obéissant Serviteur

« JEAN MARIE Evêque de Vannes ».

580. XLVI. Litterae Rmi Episcopi Andegavensis:

« Très Saint Père. Que votre Sainteté me permette de ne pas tarder un instant à la remercier de la magnifique Lettre encyclique qu'elle vient de nous adresser. Aucun enseignement n'aurait pu être plus utile ni plus opportun. Aussi ce document magistral va-t-il devenir la norme des études philosophiques dans le monde catholique. A Angers, tant à l'Université que dans les Collèges Diocésains, la Philosophie de saint Thomas n'a cessé d'être la base de l'enseignement. Tels avaient été du reste, pendant quatorze ans, l'esprit et la doctrine des cours que j'ai professés sur les Pères de l'Eglise, dont votre Sainteté vient de faire un si admirable résumé dans sa Lettre encyclique. Mais nous avions besoin d'être encouragés et confirmés dans cette voie par le Docteur suprême de l'Eglise. C'est pourquoi, j'éprouve le besoin d'exprimer à votre Sainteté ma reconnaissance et celle de mes Professeurs, pour l'insigne service qu'elle vient de rendre à la vraie science non moins qu'à la Foi.

« Daignez agréer, Très Saint Père, l'hommage et la profonde vénération avec lesquelle j'ai l'honneur d'être de votre Sainteté

« Le très humble et très obéissant Serviteur et Fils

« CH. EMILE Ev. d'Angers ».

581. XLVII. Litterae Rmi Episcopi Nanceiensis et Tullensis:

« Beatissime Pater. Quanto studio, quanta vigilantia vestra Sanctitas in illud incumbat ut per Philosophiae christianae instaurationem ad mentem Doctoris Angelici, etiam theologicorum studiorum ratio convalescat et splendor augeatur, nemo est qui nesciat, vel antequam memorabilis illa et tanti ponderis Epistola encyclica *Aeterni Patris Unigenitus Filius* ad Ecclesiam universam dirigeretur; nam vestra Sanctitas coepérat facere antequam doceret, quippe quae Perusiae, per multos annos, in instaurandis Scholis, in promovendis omni arte et opera, arguendo, increpando, docendo, studiis omnibus quorum sacra Theologia mater est, adlaboraverit, nedumque a tanto opere cessaverit, et e contra, in hac sanctissima Sede feliciter constituta, infallibile magisterium in hunc praecipue finem, si ita dicere fas est, adhibuerit.

« Cuius in partem sollicitudinis adscitus sum, cum, mense novembri proximo elapso, ad pedes vestrae Sanctitatis provolutus, ab ea ipsa audirem quanta ipsi curae esset ut philosophicas et theologicas artes ad mentem Sancti Thomae redintegraret, meque paterne adhortaretur ut, quantum in me est, illud in Dioecesi mea procurarem.

« Quae verba conservavi, conferens in corde meo, statimque a colloquio digresso, nihil potius mihi fuit quam ut rationes et media excogitarem per quae propositum finem consequerer. Stimulos insuper mihi subdiderunt encyclicae recentes Litterae, et si quid mihi est ingenii, si quid virium, quas sentio quam sint exiguae, studebo ut in Seminario meo et apud omnes Dioecesis meae Presbyteros zelum et aemulationem suscitem circa divi Thomae explorationem et explanationem. Quod quidem exercitationum spiritualium annualium tempore nuperrime inchoavi, et adiuvante Deo, itemque vestra apostolica benedictione subveniente, persequar, memor verbi Sanctitatis vestrae quod cum " in hac tempestate nostra, machinationibus et astu fallacis cuiusdam sapientiae, christiana Fides oppugnari soleat, cuncti adolescentes, sed ii nominatim qui in Ecclesiae spem succrescunt, pollenti ac robusto doctrinae pabulo ob eam causam enutriendi sunt, ut viribus validi et copioso armorum apparatu instructi, maturi assuescant causam Religionis fortiter et sapienter agere. "

« Quam iuvat interim in hoc luctamine adversus hodiernos errores et mundi rectores tenebrarum harum, te duce, te auspice, te infallibili doctrinalis veritatis interprete, certare et dimicare, et licet saucios quandoque et quasi semimortuos e pugna, iuxta humanum sensum, sublatos, veritati tamen indefectibili et aeternae vel per clades famulari, " quasi morientes, et ecce vivimus; ut castigati, et non mortificati; tanquam nihil habentes et omnia possidentes, " Deum scilicet cui omnia vivunt et resurgunt!

« Ad pedes vestrae Sanctitatis humiliter provolutus

« Nanceii, 15 septembris 1879, in octava Nativitatis B. M. Virginis.

« Addictissimus et obsequentissimus Famulus et Filius

« IOSEPH Epis. Nanceien. et Tullen. ».

582. XLVIII. Litterae Rmi Episcopi Catalaunensis:

« Très Saint Père. Je viens exprimer à votre Sainteté la joie qu'a fait éclater dans mon Diocèse la publication de l'Encyclique *Aeterni Pa-*

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

tris, et les sentiments de reconnaissance qu'elle a fait naître dans mon Clergé, particulièrement dans mes Séminaires.

« Dans ce siècle, où les esprits inclinent à la matière, et s'enferment souvent exclusivement dans son étude, il importait que, par un solennel avertissement, le saint Siège les rappelât à la considération des vérités supérieures, à la Philosophie chrétienne, à la Théologie. Les sciences d'observation, si elles se bornent à décrire et à classer les faits, si elles ne s'élèvent aux causes supérieures, dégénèrent et deviennent un matérialisme, où les rapports des êtres créés entre eux et avec le Créateur sont faussés et méconnus.

« Il vous appartenait, Très Saint Père, en rappelant les catholiques à l'étude de la Philosophie et de la Théologie, d'imprimer une direction et de recommander une méthode.

« Sans exclure aucun des grands génies chrétiens, vous nous avez justement recommandé celui qui les résume dans deux ouvrages immortels, la *Somme contre les Gentils* et la *Somme Théologique*.

« Les enseignements de saint Thomas étaient déjà la base de l'enseignement de mes Séminaires; mais, grâce à vous, Très Saint Père, nous nous y attacherons encore davantage. Il ne nous suffit plus que notre manuel théologique soit rédigé d'après le Docteur Angélique, chacun de nos élèves a déjà entre les mains soit la *Somme* Angélique elle même, soit un abrégé du grand ouvrage, avec un commentaire.

« Puisse la France, qui cherche en vain son bonheur dans les intérêts exclusivement matériels, élever les yeux vers Dieu, de qui découlent à la fois les lois du temps et celles de l'éternité. Le " Sursum corda " que votre Sainteté a fait retentir dans son Encyclique, trouvera des échos en France, tout particulièrement dans mon Clergé, qui s'honore de son obéissance, et de son amour envers le Siège apostolique.

« En me jetant à vos pieds, Très Saint Père, j'implore pour moi et pour mon clergé votre précieuse bénédiction, et je suis

« De Votre Sainteté

« Châlons, le 10 novembre 1879.

« Le très humble et très obéissant Fils

« GUILLAUME Evêque de Châlons-sur-Marne ».

583. XLIX. Litterae Rmi Episcopi Elnensis:

« Très Saint Père. Après avoir eu le bonheur, pendant le mois de février dernier, de déposer aux pieds de votre Sainteté l'hommage de mon respect profond et de ma filiale obéissance, je me suis senti accablé par

les témoignages de bonté dont votre Paternité avait bien voulu m'honorer. Ma bouche demeurait sans voix et ma main ne savait plus tenir une plume pour vous exprimer, Saint Père, les sentiments de reconnaissance et d'amour dont mon cœur de fils était inondé.

« C'est pour cette raison que lorsque je reçus cette admirable Lettre encyclique dont votre Sainteté avait daigné me parler, et que l'Ange de l'Ecole a trouvée du haut du ciel digne de son génie et de sa gloire, je n'osai faire arriver jusqu'à vous le cri de mon admiration.

« Des voix épiscopales plus autorisées que la mienne ont déjà dit l'allégresse de leurs Eglises particulières et de l'Univers catholique tout entier.

« Je vous supplie, Très Saint Père, de me permettre de venir après les autres, moi le plus petit de tous, remercier votre Sainteté, en mon nom et au nom du Clergé et des Fidèles de notre Diocèse.

« Notre joie ne connaît pas de limites lorsque nous voyons, au milieu des ignorances orgueilleuses de notre temps, votre parole éclater comme une trompette de résurrection. Elle rendra la vie aux morts, réveillera ceux qui dorment, fortifiera les pusillanimes. Elle fait déjà trembler les maîtres de la philosophie du mensonge et de cette science qui enfle toujours sans jamais édifier.

« Satan avait essayé, du moins dans notre chère France, de supprimer saint Thomas pour bouleverser l'Eglise. Votre Sainteté nous le rend avec les accents d'une autorité infaillible: l'Eglise sera raffermie et ses ennemis vaincus.

« Qu'il plaise à votre Sainteté, de recevoir l'hommage du respect le plus profond et de l'obéissance la plus entière de celui qui est heureux de se déclarer, prosterné à vos pieds, le plus humble et le plus soumis de vos Serviteurs et Fils

« Perpignan, le 4 novembre 1879.

« J. A. EMILE Evêque de Perpignan ».

584. L. Litterae Rmi Episcopi Tudensis:

« Beatissime Pater. Accepi filiali reverentia, magnoque gaudio perlegi, nuper a te datam Epistolam encyclicam *Aeterni Patris*, qua instaurare decrevisti philosophicam disciplinam iuxta veterum scholasticorum, Doctoris praesertim Angelici divi Thomae Aquinatis, principia et methodum.

« Novum est in Societatem praesidium Epistola tua; lumen indeficiens a divina Sapientia praeparatum, ne errantes philosophi, atque asserentes noctem pro die, ad perditionem ipsi deveniant, aliosque suis erroribus

perducant. Optime prospicis universae societatis bono, Pater dilectissime, cunctisque ostendis scientiae ac salutis viam!

« Cuius rei ergo tibi magna laetitia gratulor, tuasque adhortationes prosequere. Divi Thomae doctrinam colere, atque in iuvenum studiosorum animos efficaciter illam insinuare libentissime promitto.

« Haec sunt vota mea; haec quoque vota sunt Capituli Cathedralis, Professorum Seminarii Tudentini, totiusque Dioeceseos Cleri, qui omnes unanimi ore mecum tibi gratulantur, filialem amorem, obedientiam ac reverentiam spondent, et ad Beatitudinis tuae sacros pedes provoluti, apostolicam benedictionem mecum exorant.

« Tudae, in Hispania, die 15 novembris 1879.

« Sanctissime Pater,

« Humillimus ac devotissimus Filius et Servus tuus

« IOANNES MARIA Episc. Tudensis ».

585. LI. Litterae Rmi Episcopi Oxomensis una cum Canonicis et Professoribus:

« Beatissime Pater. Theologicam Disciplinam olim in Salmanticensi Gymnasio profitentibus Magistris, caeterisque iam pridem extinctae sacrae Facultatis, qui superstites sunt, Doctoribus, cum inopinato et felici successu in unum convenire magna ex parte contigerit, quidquid animo singuli die noctuque volvebant, serius licet quam oporteret, primo consessu, velut eodem ducti spiritu, opere complere incubuerunt, absentibus postea consultis, et magna cum laetitia annuentibus.

« Traditae nempe a vestra Beatitudine in nuper editis instrumentis doctrinae pretium conferendo, perpendentes in re tanti momenti ad Petri Cathedram humili gressu accedere, et cordis abdita pandentes, quid de tam splendenti apostolicae Sapientiae specimine sentiant, uno ore confiteri opus esse censuerunt. Et hoc quidem non eo solum spectat, ut in tanto temporum discrimine sese obsequentissimos Ecclesiae filios ostendant: sed cum praeterea Sanctitas vestra in pontificio diplomate Salmanticae dignanter meminerit, ut grati animi sensum exprimant ob tanti honoris dispensationem.

« Dolebant enim maxime, et vehementer angebantur, plurimorum cum cernerent mentes in deliramenta vel ineptias prolabi, ipsamque civilem Rempublicam a veritate declivem praecipitem ruere, ex eo potissimum quod a constanti recesserint traditione huius tam insignis Scholae, quae, cum res humanas divinis esse coniunctas ratum semper habuerit, sacram

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

etiam Scientiam caeterarum moderatricem continuo et sapienter adhibuit. At quanta animi erant tunc affecti maestitia, ex ea praesertim die qua haec Sacra Facultas, apostolica Sede inconsulta, ablata dispersaque fuit; tanto nunc gaudio exultavere, cum ab ipsomet Leonis ore invenerint antiquam hanc Salmanticensem Academiam in memoriam trahi, tanquam exemplar studiosis sequendum. Illuxit enim a maioribus iam diu exoptata dies, qua semper hac in Schola vigentes et methodus et doctrina, quamvis a neotericis magno cum furore impetitae, et apud ipsos etiam catholicos... proh dolor! iam obsoletae, Sedis apostolicae voce commendatae denuo reviviscant. Quod certe, cum humilis scientiae spes fuerit, perseverantiae nunc christianae tanquam praemium agnosci necesse est.

« Et re quidem vera, neminem iam expertum latet Grotium et Puffendorfium a sapientissimis nostris magistris Victoria et Soto in studio Iuris colendo, tritam et rectam viam, postquam ab illis expilaverint non pauca, deserentes, ipsius iuris originem tenebris obduxisse; et viam rationemque parasse Hobbesio et Roussoio, ut communia hominum officia deturpando, ipsa quoque iuris principia e medio tollerent; donec dirum efferentes caput hodierni Socialistae, omnia sus deque vertendo, Societatem civilem in summam perniciem afferre citra piaculum molirentur. Ex adverso autem, tot malis obviam ire studens *Quod Apostolici* Encyclica, ex oblivione in qua iacebat Scholasticorum doctrinam evocando, non tantum legis naturae auctorem, proprietates et munera claro in lumine collocavit: sed quod potius est, firmissimam arcem exstruxit, qua aeternae iustitiae principia sarta tectaque serventur, ut eisdem innixa civilis Societas vel solidata consistat, vel inordinata in pristinum restituatur.

« Apud eruditos compertum est etiam, eo praesertim tempore, quo Salmanticensis Suarez, Eximii Doctoris nomine postea insignitus, Metaphysicae scientiam ad perfectionis apicem efferebat, novatorem Cartesium omnem certitudinem insipienter convellendo, divinam Fidei quamvis frustra exciperet, ansam Kantio praebuisse, divinam et humanam simul in eodem scepticismi abysso coniiciendi, ut inde deforme Rationalismi et horrendum Pantheismi monstrum exsurgeret. Ad huius igitur atrae noctis caliginem destruendam *Aeterni Patris* adest Encyclica, velut novi diei felicissimus nuntius. Ex summo apostolatus culmine omnium serpentium errorum colluviem amplectens, totius labis originem et causam conscendit; et cum nonnisi ex Scholasticorum contemptu idearum vertiginem profluere clara mentis acie conspiciat, sanctorum Patrum vestigiis inhaerere et Scholasticorum doctrinam in trutinam revocare recte et sapienter commonet. Et quidem hanc studiorum rationem Pontificis voce sancitam humanis scientiis colendis consentaneam esse, et etiam amplificandis commodiorem, alma haec nostra Academia in pontificio diplomate recensita, ineluctabile suppeditat argumentum.

« Etenim iam inde vel a suis incunabulis hunc semper cursum gloriae tenet, ut omnes illas artes et scientias, quae ad humanitatem pertinent, insigni honore sit constanter prosequuta. Vix aliquot annis ab eius constitutione elapsis, *Tabulis Alphonsinis* conficiendis intererat; *Septem Partitarum* immortalem codicem elaborandum curabat, et medicae Arabum arti vehiculo fuit, quo in christianas regiones diffunderetur: adeo ut Astronomiae, Iurisprudentiae et Medicinae magistram medio aevo omnes agnoscere vel inviti teneantur. Quaenam autem fuerit suis a primordiis sacris in disciplinis doctrinae amplitudo, vel nobis tacentibus, testantur et Alexander IV secundum Generale inter christianos Studium appellando, et Concilium secundum Lugdunense honorificentissimam de eo mentionem faciens. Et cum Viennensis praeterea Decretum de Hebraica lingua, Chaldaica et Arabica edocendis ad unguem fuerit exsecutioni mandatum, omnibus pedissequis stipatae ornamentis, ita floruere Theologiae et sacrorum Canonum scientiae, ut Dydacus Anaya in Constantiensi, Ioannes de Segovia in Basiliensi, et in Florentino Torquemada praecipuas quiverint suscipere partes. Primam autem, tunc temporis, iure sibi vindicat maximum Academiae nostrae decus " stupor dictus mundi, " qui vulgo " Tostado " audit. Hac igitur via Salmanticae fama undequaque percrebrescente, minime mirari subest nunquam satis laudandum Columbum eam consulendi causa advenisse. Quem certo, quidquid buccis crepantibus dicant Hispanorum gloriae invidi, audivit, intellexit, iuvit.

« Novo autem iam Orbe egregii nostri Dominicani Deza opera praesertim detecto, quis enarrare sufficiat, vel litterarum nitorem, vel linguarum peritiam, vel scientiarum amplitudinem, vel artium splendorem, vel humani ingenii rara inventa, quibus instructa Academia ex tanta studiorum celsitudine, suo in stemmate Petri clavibus et thiara fulgente, hanc merito potuit sententiam sculpere: " Omnium scientiarum princeps, Salmantica docet " ?

« Ex hoc enim uberrimo fonte sapientiae rivuli ubique gentium profluxere. Tunc hoc ex Lycaeo prodiit magna virorum pars, qui Complutensem Polyglottam perfecerunt, cum Montanum nostrum in lucem edendae Antuerpiensis auctorem fuisse noverint omnes. Ex eo etiam profecti Bartholomaeus Ramos musicae notas Bononiae, Petrus autem Ciruelo Parisios fere ignotam Mathesim docuere. Et cum Victoria et Cano in Theologicis, et Dominicus Soto et Covarrubias utriusque Iuris tradendis disciplinis meliorem rationem invexerint; perspicua haec methodus, temporum conditioni magis congrua in plures antiqui et in omnes fere novi Orbis Academias dimanavit. Testis in Lusitania Conimbricae Lyceum, cuius Martinus Ledesma Theologiae, et Azpilcueta utriusque Iuris primi salutantur magistri. Testis in Germania Dellinghae Universitas instaurata, et in Anglia Oxoniensis ab errorum fermento purgata Petri de Soto curis et studio. Testis Sorbona, quam theologicis novitatibus proclivem et garrulae philosophiae nugis irretitam, Ioannis Maldonado vigiliis novam induisse faciem Historia illius signanter proclamat. Testes in Occidentalibus Indiis Generale Studium Sancti Dominici insulae (vulgo " San Domingo ") a Missionario Petro Mendoza constitutum, ex quo Mexicanum, Limanum, Guatemalense et alia prodiere; et Insulis Philippinis detectis sancti Thomae Manilense Collegium a Dominico Salazar cito erectum. Testis denique sapientissima Tridentina Synodus quae a plusquam sexaginta Salmanticensibus Magistris vel Doctoribus illustrata, duorum praesertim eiusdem almae matris filiorum ore, aperta et clausa est.

« Hactenus dicta multaque alia, vestrae, Beatissime Pater, procul-dubio obiiciebantur menti, cum in scientiis a devia ad rectam semitam hac tempestate revocandis, commemoratu dignum arbitratus fuisti Lycaeum, olim ab Alexandro IV " Mundi Luminare " dictum. Nec mirum! Quoquoversum in hanc sapientiae domum vertantur oculi, politioribus artibus sculpta signa, quamvis silenter, praedicant, arcto foedere semper fuisse Sedi apostolicae coniunctam Hispaniae scientiarum parentem, quae sanctorum Patrum vestigia constanter premens, Scholasticorum mores nunquam dereliquit. Etsi praetereamus silentio difficillimas quaestiones in morum honestate et pro Ecclesiae regimine consulendi causa, ad eam missas Bonifacio et Innocentio VIII, Alexandro VI, Clemente VII, Gregorio XIII et aliis Romanae Sedis immortalibus Pontificibus, nec otium nobis sit admirabilem illam Magistrorum seriem prosequendam, qui ex Praedicatorum familia, et Sancti Stephani Domo per quinque fere saecula primariam Theologiae Cathedram summa cum laude sustinuerunt: de duobus saltem aliqua ad rem spectantia referre inopportunum non esse censemus.

« Et primo adest magnus ille vir Petrus Herrera, qui cum pro adipiscendo Cathedrae moderamine magno in agone contendisset, doctissimo Curiel obiiciente, victoriae conscius Clemens VIII, Sancti Stephani filio congratulatus, Academiam matrem " Fidei Antemurale " proclamavit. Cum vero arduum negotium de matrimonio a Galliae Delphino ineundo, ad apostolicae Sedis Tribunal fuisset delatum, plurium dictamine audito, aditum rei expediendae non patere videbatur. Tunc autem Francisci de Aragon Romae degentis fama ad aures pontificias perveniente, eo ascito, et ingenii acumen, doctrinae copiam, et singularem eius prudentiam expertus, Urbanus VIII Salmanticam versus Collegio Sancti Stephani hanc copiosam benedictionem impertivit: " Benedicta in aeternum sit tam fecunda Domus, et benedictus Dominus qui eam sua in Ecclesia collocavit ad Fidem sustinendam et ignorantiam dissipandam. "

« Et en, Beatissime Pater, pro coronide propius hic narrandi locus

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

memorandum illud, quod, tam glorioso regnante Pontifice, absolutum esse Scholae Annales minutim referunt. De iuramenti religione loquimur qua, die quinta decima iunii, anni millesimi sexcentesimi vigesimi septimi, maiores nostri sese et Academiam in perpetuum adstringi consensere: " Legendi nempe, tuendique doctrinam sancti Augustini, et conclusiones quae in divi Thomae *Summa* continentur et eius partes vulgo nominantur. " Quod cum exsequerentur, prae oculis abs dubio habebant Melchioris Cano sententiam: " Connexae quippe sunt, et fuere semper, Scholae contemptus et haeresum pestes; " illius, scilicet praestantissimi theologi, qui aperto ore declarare non erubuit: " Divus Thomas mihi et Auctor et Magister fuit huius operis componendi. " Haec etiam est potissima ratio, ob quam Academia nostra ab initio ad recentiora usque tempora, nullo unquam haeresis stigmate fuerit inusta: nam post Petri de Osma a sancto Thoma deviantis lapsum, et almae Matris consilio publicam retractationem, sacra haec Facultas ad eius usque interitum ab omni vel erroris umbra fuit immunis servata. Indeque etiam illud singulare privilegium a Deo scientiarum humili fidei concessum, quo inter omnes Reipublicae christianae Scholas, haec nostra eminet: dogmata videlicet aliquomodo praesciendi, quae tractu temporis erant ab Ecclesia definienda.

« Et primo: *Locorum Theologicorum* pater de Ecclesia Romana loquens dicit: " Eritne haereticum asserere... apostolicam etiam Sedem a Fide posse Christi deficere?... " et breviter respondet illis verbis: " Nolumus hic nos Ecclesiae sententiam praevenire; sed si ad generale Concilium deferatur, haereseos nota errori illi inuretur." Hoc aureum responsum Vaticanum praenuntiasse Concilium, quis audebit inficias ire? Secundo: postquam quinque supra triginta dies, anno millesimo sexcentesimo decimo octavo, de Immaculatae Virginis Conceptione definienda, disputatum est, ante Deiparae Imaginem, Philippo III Rege Doctoribusque genuflexis, haec apparet inscripta sententia: " Summus ut intactam Reginam labe Sacerdos cernat: Rex cupiens et Schola vota facit. " Huic Salmanticensi doctrinae quasi vexillo respondet Bulla *Ineffabilis Deus*. Tertio denique: cum noster Minorita Castro, praeterito exeunte saeculo, Theologiam scholasticam collabentem, et in multorum contemptum, et etiam in non paucorum derisum incidisse lugeret, magnum apologiae opus aggrediens, haec ex Melchiore Cano verba sumebat: " Admonebat me res, ut intermissionem scholasticae Theologiae, ne dicam interitum, deplorarem, nisi vererer, ne cum de aliis Academiis quererer, Hispaniam meam immodice extollerem, in qua valde, his temporibus, Scholae Theologia viget. Sed apud nos etiam vidémus, quibus extinctis Theologis, quam in paucis spes, quam in paucioribus facultas, quam in multis sit audacia. " Privata haec illustrium Salmanticensium doctrina *Aeterni Patris* Encyclica apparet roborata.

« Pudeat igitur eos omnes qui sapientis laurea neminem decorari posse blaterant, quin prius ab Ecclesiae doctrina abhorreat, aut saltem scholasticae Philosophiae non valedicat. Salmanticae nomen cunctos, et Fidei et Scholae osores simul obmutescere cogit. Nulla est enim inter dissidentes secta, nec instabilis Protestantismi, nec impia Encyclopaedia, nec parum sibi constans et dissolvens Criticismi germanici, quae in scientiarum stadio metam valuerit attingere, ab hac catholica Academia longe antea superatam. At, si forte spirantis iam iam huius Facultatis fuerit postrema vox, postremum etiam eius sit votum.

« Cum ultima iam veniat a nostro Didaco de Muros primo, et ante omnes confutati Protestantium erroris aetas, et ad conterendum iam languentem Rationalismum novum ab integro studiorum ordinem renasci oportere pateat, et quidem a vestra Beatitudine, ut fertur, constabiliendum, in amplissima hac scientiarum instauratione, Scholam, quae totum suo nomine Orbem implebit, obliviscendam non esse et optimae nunc spei, et maximo tandem esset nobis solatio. Nam voluminum millia a Salmanticensibus exarata, et in thecis delitescentia, prudentes admonent, copiosam armorum supellectilem hic esse ad omnes etiam huius aetatis errores profligandos; magnosque sapientiae abscondi thesauros, quibus mundus possit iterum locupletari. Et utinam nova progenies Philosophorum et Theologorum, magnis nostris Doctoribus non imparium, ab alto demittatur, ut, Deo opitulante, et Leone XIII duce « Lumen in Coelo » affulgeat, quo totus illustretur Orbis.

« Ad pedes Sanctitatis vestrae provoluti benedictionem apostolicam enixe deprecamur.

« Apud Salmanticam, die vigesimi quinti Anniversarii a dogmatica declaratione Immaculatae Virginis Conceptionis.

« Beatissime Pater,

« PETRUS MARIA Episc. Oxomensis ».

Sequuntur Professorum aliorumque e Clero subscriptiones.

586. LII. Litterae Rmi Episcopi Giennensis:

« Beatissime Pater. Hodierna die, qua mundus universus exsultat Immaculatae Virginis Mariae in suo purissimo conceptu ab originali labe praeservatae, gloriosum in infensissimum humani generis hostem triumphum firma fide et maxima cum pietate collaudans, Episcopus Giennensis, ineffabili etiam affectus laetitia, et optimas Deo referens gratias, qui vigesimum quintum tanti mysterii dogmaticae definitionis anniversarium nobis celebrare concessit, ad Beatitudinis vestrae pedes libentissime ac reve-

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

renter accedit ut, quam ex suis, Cleri et Fidelium oblationibus, ad sanctae Sedis necessitates aliquantulum sublevandas, summam collectam, vestrae Beatitudini offerat, idque simul enixe rogans ut eam benigne admittere dignetur.

« Minimum revera et nostris desideriis maxime impar est donum: quapropter, Beatissime Pater, illud non aspiciatis oportet, sed potius quod ipsum significat, et quidem est, amoris scilicet et gratitudinis testimonium Filiorum erga dilectissimum Patrem, ovium erga sollicitum ac vigilantissimum Pastorem, Fidelium denique erga Pontificem maximum, cui divinitus datum est et gregem Christi pascere, et universam regere Ecclesiam, et totum terrarum orbem fulgentissimis veritatis splendoribus illuminare.

« Et haec quidem omnia, Beatissime Pater, ab illo faustissimo die, quo ad summi Pontificatus apicem evecti, Ecclesiae gubernacula suscepistis, praecipue ac mirifice a vobis adimpleta cognoscuntur, dum lethales plagas, quibus Societas humana premitur, palam aperientes, eisdem unicum ac efficacissimum medicamentum apposuistis, dum ea, quae ab inferis prodierunt, monstra Socialismi, Comunismi et Nihilismi, quibus nostro aevo mundus miserrime exagitatur, nonnisi ab Ecclesia catholica debellari ac vinci posse dissertis verbis asseruistis, dum denique ad tantorum malorum congeriem inde procul dubio exortam quod putidi errores, absurda systemata doctrinaeque diversae, verae Fidei adversantes, ementito Philosophiae nomine, non paucis in scholis passim tradantur, radicitus evellendam, Philosophiam christianam, qua, teste Augustino, Fides saluberrima... gignitur, nutritur, defenditur et roboratur, in scholis catholicis instaurari iuxta mentem divi Thomae miranda Encyclica *Aeterni Patris* sapientissime decrevistis.

« His adeo salutaribus monitis obtemperans, et doctrinae vestrae, quam semper tenui, ac, Dei opitulante gratia, constantissime custodiam, firmiter et ex toto corde adhaerens, nullis parcam laboribus ut vota vestra optime adimpleantur, id totis viribus intendens quod coelestis Christi doctrina omnium animos pervadat eisque dominetur, et societas ad amplexus piae matris Ecclesiae quam citissime redeat, et vera Philosophia, duce Angelico Doctore, ubique studiosae iuventuti tradatur, praesertim in huius Dioecesis Seminario, cuius Professores, qui sanctum Thomam ut Magistrum et Doctorem semper venerati sunt, ad erudiendos in vera scientia et pietate iuvenes, qui ad sacra munia obeunda praeparantur, una mecum, Vestris litteris obsequentes, indefesse adlaborabunt.

« Utinam et ii, qui societatibus praesident humanis, amantissimi Patris vocem pariter auscultantes, saperent tandem et intelligerent, ac novissima providerent!

« Ad haec in Ecclesiae ac civilis Societatis bonum assequenda humillimas ad benignissimum Deum preces effundo per Auspicem ac Reginam nostram Virginem Mariam, quae nostri temporis errores, quod est maxima cum fiducia sperandum, omnino conteret, ut olim superbum antiqui serpentis caput virgineo ac potenti pede contrivit.

« Interea vero suppliciter vestram Beatitudinem deprecor ut praesens nostri amoris et reverentiae pignus libenti animo accipere, et mihi, Clero omnibusque Fidelibus, meae curae commissis, apostolicam benedictionem impertire dignetur.

« Giennii in Hispania, 8 decembris 1879.

« Ad Sanctitatis vestrae pedes amantiss. Filius

« Emmanuel Maria, Episc. Gienn. »

587. LIII. Litterae Rmi Episcopi Salmanticensis:

« Beatissime Pater. Per Nunciaturam apostolicam huius Regni vestram accepi Encyclicam, non minus ex auctoritate venerandam quam ex sapientia admirabilem, per quam Episcopos mones et vehementer hortaris ut divi Thomae sapientiam in Scholis requirendo, germanam christianae scientiae methodum instaurare curent.

« Benedictus Deus qui posuit te super thronum Israël, eo quod dilexerit Dominus Israël in sempiternum, et adeo salutare consilium dedit in corde tuo. Iam quicumque sanae mentis, ad Aquinatis Solem oculos in tanta scientiarum caligine convertere incoeperant, sed superiore impulsu opus erat quo omnes hanc tutissimam viam ingrederentur, et genuinos intemeratosque scientiae fontes retexere quaererent. Magno certe ut unquam auxilio scientia in hoc iuvabitur, quoniam raro in tam misera prostratione iacuit. Ex primaeva etenim superbia et depravata cupiditate altius sapiendi quam homini datum sit, cogitatio humana non solum ut omnis veritatis centrum, sed etiam ut omnis exsistentiae principium proclamata est, exindeque cum insubsistens scientiae fundamentum assignatum fuerit, tota nutare, atque diversas vices passa, in ruinam vergere coepit.

« Filii hominum semper gravi corde diligentes vanitatem et quaerentes mendacium, dum Deum sapientiae auctorem praetereunt, veritates sine termino diminuunt, quia, ut profundo sensu aiebat diva Mater Theresia: " Ubi non est Deus, deest lux, et non adest nisi solitudo." Nihil igitur praestantius quam sincere Philosophiam undequaque christianam amplecti, quae quidem genuina ac perfecta ut in divo Thoma nuspiam invenietur. Ille etenim magistrorum facile Princeps rationem et revelationem mutuo et amicabili consortio copulans, duplex sciendi principium

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

comprehendit, scientiaque divina scientiaque humana apte distinctis atque consociatis, hominis cognitionem nec a suis limitibus excedentem evanescere, nec a sua altissima origine avulsam deiici ac depravari permittit.

« Nobilem et paternam propterea adhortationem vestram animo submisso accipimus et laeto corde plaudimus, atque tam Clerus quam Fideles, et maxime Magistri huius Seminarii, quod centralis dignitate et categoria gaudet, et multis abhinc annis Patribus Societatis Iesu commendatum est, monitis vestris alacriter obsequentur. Sed, heu! quam nudos et egenos haec mala tempestas nos reliquit, ut magna quaevis in scientiae restauratione et provectione conemur. Labente adhuc saeculo proximo, anno scilicet 1770, cum a politicis iansenistis haec celeberrima Salmanticensis Academia diversimode tentaretur ut ad novitates declinaret, audacter respondebat: " Non possumus Peripatum deserere, quia ex antiquis, licet conspicuus et laudabilis Plato, Scholae necessitatibus et incrementis non inservit, et ex hodiernis Gassendus et Cartesius non exacte veritatibus revelatis expendendis tuendisque respondent." Sed inde irae: et incessabili conatu adlaboratum est ut Academiae eiusque Collegiorum spiritus perverteretur, novisque figmentis fieret propitius, donec omnibus Facultatibus alma tot illustrium doctorum mater spoliata ad nudam speciem purumque nomen redacta est.

« Omnia tamen vincit recta constansque voluntas, si superioribus auxiliis promoveatur, atque ut affatim suppetant, vestram auctoritatem et benedictionem plurimi esse non dubitandum. Vestris igitur auspiciis hanc momentosam rem aggrediemur, veteres scientiae thesauros restaurare qui in scholasticorum et singillatim divi Thomae scriptis continentur, eisque iuxta monitum vestrum quidquid veri ac boni postremis licet infelicissimis temporibus fuerit compertum adiungentes, vel saltem Philosophiam antiquam per recentes deceptiones confirmantes, cooperare pergemus, ut sancta Mater Ecclesia divina Magistra populorum dignitate quam splendide fulgeat.

« Deus scientiarum Dominus ad multos annos pretiosam vitam vestram protrahat, ut in circuitu vestro viri sapientes coniungantur et efformentur in Ecclesiae gloriam et societatis humanae salutem. Hoc a divina benignitate enixe rogat, dum ad Sanctitatis vestrae pedes provolutus benedictionem apostolicam praestolatur

« Salmanticae, 17 septembris an. 1879.

« Devotissimus Servus vester

« Narcisus Ep. Salmant. et Adm. Ap. Civitaten. ».

588. LIV. Litterae Rmi Episc. Victoriensis una cum Canonicis:

« Beatissime Pater. Inter plurima beneficia quae christianus Populus sanctae apostolicae Sedi merito accepta refert, illud praecipuum existimandum est, quod Pontifices romani, tanquam custodes veritatis divinitus constituti, nullam non impenderint operam in propulsandis errorum tenebris, ut aeternae salutis via cunctis mortalibus pateret. Diuturno id saeculorum experimento comprobatur. Neque fas est dubitare quin humanae mentes densa etiam nunc caligine circumfusae, Societas vero civili cultura destituta cernerentur, nisi apostolici Magisterii lumen iugiter mundo praefulsisset.

« Haec nos, Beatissime Pater, subiit cogitatio, cum primum ad oculos pervenit nuper a te data Epistola encyclica *Aeterni Patris*, qua philosophicam disciplinam iuxta veterum scholasticorum, Angelici praesertim Doctoris divi Thomae Aquinatis, principia et methodum instaurare constituisti. Quod quidem consilium summa tua auctoritate, gravissimis rationibus, mira eruditione commendatum, nemo non videt peropportunum et saluberrimum esse remedium ad sananda quae aetatem nostram exagitant mala.

« Siquidem in comperto est deterrimam pravarum opinionum pestem quae dudum plures contaminavit, ut privatas et publicas res demum perverteret, non aliunde originem duxisse, quam a vitiosa Philosophiam tractandi ratione, quae spreta sapientissimorum virorum doctrina, immo, quod multo peius est, divina Revelatione posthabita, recentioribus saeculis invaluit. Ea etenim est mentis humanae infirmitas et indoles, ut semel sibi relicta, dum de propriis viribus superbe iactat, quasi altiori adiumento non indigeret, falsa quaeque systemata et absurda deliramenta pro veris fingere atque obtrudere audeat, id praesertim suadentibus corruptis animorum affectibus. Atque utinam oculis nostris non cerneremus plurimos ab insaniente illa Philosophia ita deceptos, ut maius damnum quam maiores nostri doluere, religioni, moribus, societati in posterum sit pertimescendum.

« Tu vero, Beatissime Pater, bono societatis humanae et universae rei christianae sapienter prospiciens, viam commonstrasti qua tanta pernicies arceri queat. Te docente, cordatus quisque sciet nullam dari veri nominis Philosophiam nisi quae arcto cum Fide vinculo coniuncta sit. Te supremo hortatore et duce, pristinus honor in Scholis catholicis restituetur sapientiae divi Thomae, cuius mirabilem doctrinam, cum caeteris longe praestet sive sententiarum pondere, sive perspicuitate verborum et solida argumentorum vi, ad scientiarum incrementum atque ad Fidei praesidium commoda permulta allaturam non ambigimus.

« Nos igitur infrascripti Episcopus et Canonici Ecclesiae Cathedralis

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

Victoriensis in Hispania, pro tanto erga Ecclesiam et Societatem beneficio tibi humiliter et sincero corde gratulamur, tuisque simul consiliis et iussis obtemperantes ultro nos pollicemur curaturos quantum in nobis erit ut aurea divi Thomae Philosophia magis in dies propagetur et excolatur.

« Ad Beatitudinis tuae pedes provoluti, apostolicam benedictionem, gratiae coelestis auspicem, venerabundi et supplices imploramus

« Datum Victoriae in Hispania, 24 octobris anni 1879.

« Beatitudinis tuae

« Devotissimi in Christo Filii

« SEBASTIANUS Episcopus Victoriensis ».

Sequuntur Capituli subscriptiones.

589. LV. Litterae Rmi Episcopi Segobricensis:

« Beatissime Pater. Magno gaudio affectus fui, cum Epistola encyclica *Aeterni Patris* ad meas manus pervenit; in eaque legi vestram Sanctitatem omnes catholici Orbis Episcopos adhortari, ut coniunctis viribus summam curam agant, quo in universis ephebeis litterariis, cuiuscumque sint generis, doceatur sana simul ac solida Philosophia, quaeque nulla alia est, nisi tradita a sanctis Ecclesiae Patribus, praecipue vero a sancto Augustino, et a scholasticis Doctoribus, inter quos, sicut sol inter stellas, fulget divus Thomas. Hic enim angelicum sortitus intellectum, philosophicas ac theologicas disciplinas ita ordinavit, doctissimis locupletissimisque commentariis illustravit, ut ipsis haeresiarcis fatentibus, nullo alio medio, ad Ecclesiae osorum tela retundenda, sit opus.

« Quapropter Episcopus Segobricensis, qui in doctrina thomistica fuit educatus, quique ipsam suis discipulis, cum munere Praebendae theologalis in Archidioecesi Vallisoletana fungeretur, maiori diligentia tradere curavit, toto corde ac animo suo adhaeret vestrae supremae Auctoritatis exhortationibus in aureis Litteris *Aeterni Patris* contentis, promittitque nihil intentatum relinquere, ut ad praxim in hac Dioecesi quam exactissime redigantur. Igitur amoris causa erga divi Thomae doctrinam, a mei Episcopatus exordio eam in hoc Seminario Tridentino tradere feci, doctissimi Episcopi Cordubensis opus cui titulus *Philosophia elementaria* pro textu assignans. In praesenti scholastico curriculo, vestras exhortationes sequutus, omnibus Professoribus, ut Litteram *Aeterni Patris* tanquam normam ac regulam, a qua ne latum unguem discedere fas sit, habeant constitui; proindeque ut in suis lectionibus ac explicationibus sive philoso-

phicis, sive theologicis plenissime sese conformari teneantur divi Thomae doctrinae, eam ebibere conantes in ipsius operibus, praesertim in *Summa Theologica* et in *Summa contra Gentes,* in quibus, uti sapientissime vestra Beatitudo observat, stylo brevi, grata facundia, celsa, clara, firmaque sententia dictae disciplinae traduntur, aperiturque malorum, quibus hodierna Societas premitur, origo ac remedium.

« Nihil aliud mihi superest, quam vestram Sanctitatem enixe adprecari, ut has litteras benigne suscipere dignetur, in testimonium sinceritatis, qua Sedi apostolicae adhaereo, necnon filialis amoris, quo sacram vestram Personam prosequor.

« Beatissime Pater, deosculatur vestrae Sanctitatis pedes, apostolicamque benedictionem implorat

« Segobrigae in Hispania, die 29 octobris anni 1879.

« Humillimus ac addictissimus Servus

« MARIANUS Episcopus Segobricensis ».

590. LVI. Litterae Rmi Episcopi Cordubensis una cum Canonicis:

« Beatissime Pater. Dum universus qui per totum terrarum Orbem diffunditur, catholicus grex, gaudet et exsultat vestra pro christianae Philosophiae ad mentem Angelici Doctoris in scholis restauratione *Aeterni Patris* encyclica Epistola; Cordubensis Ecclesia, minima licet ac inter omnes Sedis apostolicae filias humilior, nihilominus in conveniendo cum Romana omnium potentiori, omniumque Ecclesiarum matrice, constanter manens, non ultima, nec minus laeta vult Deo grates benevolentissime persolvere ob tanti doni praestantiam, et Sanctitati vestrae, hac felice de causa, adhaesionem intimam necnon reverentem obedientiam iterum atque iterum renovare.

« Hodie, Pater sanctissime, Episcopus Cordubensis et Cathedrale Capitulum, Clero et Populo convocatis, et quidem magno concursu, omnes, intra magnificentissimum templum, festum sacrum in laudem Dei, et divi Thomae Aquinatis commemorationem et honorem celebrantes, ad Omnipotentem et piissimum coelestem Patrem supplices preces levavimus pro te, gloriosissime Christianorum Doctor, cuius proprio motu in catholicis Scholis doctrina Thomistica denuo micabit, unde ingentia in humanitatem iure meritoque speramus beneficia.

« Dignare igitur, Beatissime Pater, humilitatis nostrae, universaeque Civitatis atque Dioecesis, fervidas ex imo praecordiorum nostrorum erumpentes benigniter suscipere gratulationes.

« Et faxit Omnipotens Deus, ut opus tuum praestantissimum in Philosophia Angelici Doctoris, nostri prae cunctis venerati Magistri, restau-

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

randa usque ad perfectam consummationem compleas. Hoc desideramus, et ad Beatitudinis vestrae pedes humiliter provoluti, benedictionem apostolicam cum obtestatione petimus.

« Cordubae, in Hispania, ex Sacello Capitulari, die XVI novembris, anni Domini MDCCCLXXIX.

« Beatissime Pater,

« Fr. ZEPHIRINUS Ord. Praed. Episcopus Cordubensis ».

Sequuntur Canonicorum subscriptiones.

591. LVII. Litterae Rmi Episcopi Barcinonensis:

« Beatissime Pater. Episcopus Barcinonensis ad pedes Sanctitatis vestrae hodie humiliter provolutus gaudet offerre testimonium suae firmissimae adhaesionis ac submissionis profundissimae, occasione Encyclicae *Aeterni Patris,* quam Sanctitas vestra universali Ecclesiae nuper misit.

« Sedulus almae Domus Israëlis custos, vestra Sanctitas omnibus Christifidelibus spectabile signum, cui obtemperent, praebuit ut in diris praeliis ad quae in campo scientiarum passim deducuntur, dum propugnant iura veritatis ideoque Dei, victoriam valeant reportare. Mirabilis namque unitas atque consensio, quam in ordine theologico iam nunc regnantem libenti animo cernimus, spectabilis in posterum erit nobis (sic spes nostra se habet) in ordine philosophico-scientifico, ex quo Sanctitas vestra ipsi in divo Thoma Magistrum sapientem dedit, atque systema Ducem monstravit.

« Satis quidem, Beatissime Pater, perspectam habes mentem Episcopi Barcinonensis, qui devotionis ergo in Angelicum Doctorem eiusque doctrinam, in die festivitatis eius fuit, sponte sua, consecratus. Nec latet oculis Sanctitatis vestrae firma submissio qua Clerus totus, apostolica tua Auctoritate nostrae sollicitudini commissus, atque Doctoris Aquini disciplina lactatus, adhaesit semper doctrinis sanctae Romanae Sedis, cuius monita consiliave veluti totidem praecepta sibi observanda prompto animo sumit. Hinc est quod quovis tempore Barcinonensis Cleri doctrinas eadem sancta Sedes non modo prosecuta sit favore haud benigno; sed e contra, et in hoc nobis fas est gloriari, non semel, occasione solemni, eas firmiter sanciverit atque apostolica definitione consecraverit.

« Non minori itaque benignitate ac laetitia duximus nobis recipiendam Encyclicam *Aeterni Patris,* in qua divi Thomae de Aquino doctrina efficaciter commendatur. Barcinonensis quidem Episcopus dum promittit se conformare huiusce Encyclicae instructionibus, iucunde potest Sanctitati vestrae nunciare, parum vel nihil esse quod in disciplina, remoto abhinc tempore, tradita aspirantibus in Sacerdotium, vix innovari queat.

« Huius namque Dioecesis Seminarium a sua fere erectione divum Thomam ut suum praeclarum Patronum conclamavit, in cuius festivitate quotannis religiosas necnon academicas solemnitates publice magnificeque celebrat. Haec vero solemnia, quae novissimis temporibus propter politicas agitationes interrupta fuerant, splendidiore nec audita pompa in praesenti anno instaurata sunt. In quorum memoriam pergratum nobis est offerre Sanctitati vestrae et concionem factam in religiosa festivitate et orationem lectam in instauratione scientificarum Academiarum: pariterque carmen in eadem cantatum, omnia in honorem et laudem Doctoris Angelici. Deinde doctrina tanti Magistri traditur alumnis sacrae Theologiae ac Philosophiae vacantibus. Thomistico etiam sensu libri, qui in huiusmodi scholis nostri Seminarii adhibentur, conscripti sunt, atque in proximo est, ad hoc enim tendimus, ut textus ipse divi Thomae in lectionibus capiatur. Quorum quidem argumentum est oratio quae in inaugurratione praesentis curriculi lecta est, quamque etiam mittimus legendam Sanctitati vestrae.

« Si vero extra Seminarium, apud laicorum Lycaea doctrina divi Doctoris oblivione aliquantum data fuerit, hodie tamen, augusta vestra voce, Beatissime Pater, iam salutaris motus apparet surgentis instaurationis. Ita profecto, ut iam nunc, me praeside, bases seu fundamenta constituuntur Academiae Philosophiae, Medicinae, Iuris necnon Scientiarum naturalium, quae, instar Bononiensis, Ducem habebit et Magistrum divum Thomam de Aquino, cuius doctrinis consociare progressus neotericae scientiae ipsam dabit operam atque eiusdem errores armis inconcussorum Angelici Magistri principiorum confutare.

« Gratum etiam nobis est praedictas bases huiusce Academiae exponere Sanctitati vestrae, necnon nomina virorum quorum directione ipsa primo constituetur. Utque opus instaurationis vere scientificae, sub tam secundis auspiciis inchoatum, sumat incrementum ipsius praestantiae conveniens, finem facio, Beatissime Pater, postulans submisse specialem vestram benedictionem, nostro Seminario, nascenti Academiae atque universae Dioecesi quam pastorali nostrae sollicitudini commisisti.

« Ad Sanctitatis vestrae pedes

« Barcinone, die 26 octobris, anni 1879.

« IOSEPHUS MARIA Episcopus Barcinonensis ».

592. LVIII. Litterae Rmi Episcopi Conimbricensis:

« Beatissime Pater. Quae fidenter sperabam et Dioecesis meae fidelibus saepius praenuntiaram, tuae scilicet Beatitudinis clarissimum Pontificatum aetatem Religioni Ecclesiaeque feliciorem, et ex pace concor-

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

diaque Sacerdotium inter atque Imperium laetiorem auspicaturum esse, ea ingenti gaudio iam sensim fieri video: insignia enim sunt et omnibus apparent, quae bona promanarunt non ex sapientibus modo doctrinis a Beatitudine tua e Petri Cathedra ad universum Orbem catholicum prolatis et ab ipso reverenter ac cum admiratione acceptis, sed ex prudenti etiam consilio acutissimoque iudicio, quo vias comparas ad haec omnia efficienda aptissimas, quasque Dominus Deus noster gratia sua tuetur et fortunat.

« Quapropter, Pater Beatissime, maiori in dies reverentia, amore ac studio te prosequor: quoniam vero, propter assiduos gravesque labores in moderamine gregis mihi, licet indigno, a Sancto Spiritu concrediti subeundos non possum, ut maxime vellem, pedes tuos ipse adire, ibique hosce animi mei sensus promere: nunquam tamen non illos, qua possum, significo, quamcumque occasionem arripiens, ad declarandum me plane adsentire et obtemperare doctrinae et mandatis Beatitudinis tuae, utpote patris Fidelium communis atque sanctae Ecclesiae Catholicae summi Pastoris, quam omnes matrem colimus et veneramur.

« Igitur, ubi primum Beatitudo tua libenter prodidit memorabilia *Aeterni Patris* Encyclica, divi Thomae Philosophiae studium enixe commendando, tanquam telum adversus mala Religioni, Ecclesiae civilique Societati a falsis impiisque aetatis nostrae doctrinis illata validissimum, extemplo in Seminario meae Dioecesis novam cathedram instituendam curavi, in qua illius tantum Philosophiae placita traderentur; et Canonici Sanctiseverini libros ad id ex Italia adferri iussi: quae cathedra vero iam in effectu rite est doctori in sacra Theologia viro insigni commissa, noto abundantique auditorum lucro.

« Duodecimus iam agitur annus, Pater beatissime, ex quo diurnum atque nocturnum studium in eo colloco, ut augeam et proveham Seminarium meae Dioecesis; illud enim mihi certum ac persuasum, quod bona vel mala, laeti vel tristes dies sanctae Ecclesiae Conimbricensi eiusque Pastori inde sint orituri: atque, magis profecto divini auxilii ope, quam meo studio ac diligentia fit, ut mirum in modum illic progrediantur et meliores evadant litterae, mores, disciplina, aedes, et rei domesticae sedula administratio.

« Reipublicae etiam nostrae gubernatores, quorum est, ex lege 28 aprilis anno 1845 data, Seminaria inspicere, tantum absit ut illius iuris usu mihi impedimento unquam fuerint, in moderanda eiusdem Seminarii doctrina, in eligendis creandisque Professoribus et Administris, in efficiendis aedium amplissimis operibus, in quae hactenus incubui et nunc etiam indefessus incumbo; ut contra ea, perhumaniter et libentissime hisce de rebus mihi plane crediderint, nec raro in scriptis publicis probabile Seminarii Conimbricensis regimen laudibus aperte extulerint.

« Ingenti ergo laetitia perfusus Doctoris Angelici Philosophiam in meo Seminario ample tradendam institui: namque, et inde uberrimum fructum capturos credo iuvenes Sacerdotium adfectantes quos illic parare studeo, ut olim animarum saluti mecum operentur; et palam ita facio quanta observantia ac reverentia amplectar illa praeclara Encyclica mirandum humanae scientiae monumentum, et pontificatus tui laudem sempiternam: qua de causa gratias coelo plurimas ago, et Beatitudini tuae ex animo revera gratulor.

« Nihilominus, Beatissime Pater, quum nec doctrinae in meo Seminario nuper institutae, nec laboribus eius instituendae ac servandae causa perlatis et postea perferendis, satis confidam, nisi per tuam adprobationem apostolicamque benedictionem haec omnia prospera reddantur, te humiliter et vehementer rogo, ut Professoribus, Administris, Alumnisque mei Seminarii, nec non et Dioecesis meae gregi universo eiusque Pastori apostolicam benedictionem largiaris, et testimonium denique meae in te observantiae adsensus, atque obedientiae humaniter accipere velis.

« Beatitudini tuae

« Dabam Conimbricae, 19 novembris, ann. Dom. 1879.

« Filius devotissimus et obsequentissimus

« Emmanuel Epis. Conimbricensis ».

593. LIX. Aliae Litterae Rmi Episcopi Conimbricensis:

« Sanctissimo Padre. Aos sabios conselhos e desvelado empenho de Vossa Sanctidade pelo ensino da Philosophia christã segundo o espirito de sancto Thoma d'Aquino, não podia deixar de corresponder esta Diocese de Coimbra e o seu Prelado, ainda que indigno.

« Desde o principio do anno lutivo está sendo o mesmo ensino professado no meu Seminario por um insigne Doutor na sagrada Theologia, e com reconhecido fructo e proveito dos seus alumnos; e no intuito de me conformar em tudo com as vistas e desejos de Vossa Sanctitade, celebrou-se hontem no mesmo Seminario, em honra de sancto Thomaz, uma pomposa festa religiosa em que pregarão e receberão o pão dos Anjos os mesmos alumnos, e uma respeitavel Academia ou Assemblea litteraria a que assistirão muitas Auctoridades desta Cidade, muitos Leitores das faculdades de Theologia, de Direito, de Medicina e de Mathematica da Universidade; muitos Cavalheiros e hospedes desta Cidade e aindo de fora della; e todos os Alumnos do Curso ecclesiastico do Seminario e da Facultade de Theologia da Universidade.

« Nesta Academia, que fuerá registrada no meu Seminario como uma das suas glorias, e como um acontecimento que me deu grande con-

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

solação, forão devidamente exaltadas e apoiadas, por entre hymnos festivães de melodiosa e suavissima musica, e por distinctissimos Professores e Empregados do Seminario, por esperançosissimos talentos da Faculdade de Theologia da Universidade, não só as excellencias e vantagens da Philosophia Thomista para prover de remedio á anarchia dos espiritos e ao desvairamento das sciencias nos nossos dias, mas tambem os importantissimos serviços que vossa Sanctidade está prestando á Religiao, á Egreja e á Sociedade com os esplendores do talento e com o brilho das virtudes que tanto estão fulgindo da Cadeira e Thiara de Pedro.

« E para que maior ainda fosse a minha consolação e alegria por esta solemnidade de que em todos despertou as mais gratas impressões, recebeu-se na mesma occasião a benção apostolica que vossa Sanctitade se dignou de conceder-lhe, e que, verdadeira chave d'honra para fechar tão illustrada Assemblea, foi por todos recebida com sentimentos de humildade, reconhecimento, dedicação e amor a vossa Sanctidade.

« Permitta-me pois vossa Sanctidade que eu, possuido, como estou, dos mesmos sentimentos, agradeça em meu nome e no de todos os Academicos esta graça apostolica; e que junctamente ponha aos sagrados pes de vossa Sanctitade a mensagem inclusa do Vice-Rector e Professores do Seminario com os protestos da sua adhesão e obediencia a vossa Sanctidade.

« Praza a Deos que sejão ouvidos os votos delles, e os meus e os de todos os fieis desta sancta Egreja de Coimbra, para que a Providencia divina conserve e prolongue por muitos annos a saude e vida do gloriosissimo Pontifice que é presentemente a consolação e a esperança do Mundo catholico, e a honra e a gloria da Religião e da Egreja.

« De vossa Sanctidade

« Coimbra, 3 de maio de 1880.

« Obediente e devotissimo Filho

« MANOEL Bispo de Coimbra ».

594. LX. Litterae Rmi Episcopi Luxemburgensis:

« Beatissime Pater. Quantopere Sanctitatis tuae Litterae encyclicae de Philosophia scholastica in pristinum honorem restituenda universum Orbem christianum delectaverint, tot tantisque signis, tibi, Sanctissime Pater, innotuit, ut hanc meam epistolam gratulandi et gratias agendi causa conscripturus, fere superflui quid agere mihi videar. At licet minimus sim ego omnium, quotquot in Vinea Domini laborant, Antistitum, minimusque Filiorum tuorum, facere tamen non possum, quin Fratrum meorum laeto concentui meam quoque tenuissimam vocem humiliter et peramanter adiungam.

« Dignare ergo, Beatissime Pater, hanc Filii tui Episcopi Luxemburgensis accipere epistolam, tanquam exiguum signum omnimodae meae erga te, supremum Pastorem et infallibilem Doctorem, devotionis et ad cuncta, quae Litteris illis encyclicis catholicorum Antistitum curis tam instanter commendas, plenae adhaesionis. Fiat in toto Orbe christiano quod fieri tam ardenter exoptas!

« Reviviscat ubicumque terrarum ac laetior in dies florescat Philosophia vere christiana; illa, inquam, Philosophia, quae divum Thomam Aquinatem longe praecipuum habuit Cultorem, Promotorem atque Propugnatorem.

« At plane etiam persuasum mihi est satis non esse, ut haec vota tibi, sanctissime Pater, promam, nisi praeterea, quantum valeo, agendi rationem votis illis conformare studeam. Neque in hoc officio meo deero. Quamvis enim in hac Dioecesi mea ac regione Luxemburgensi rerum conditio magnopere obstet, quominus sacrae Theologiae candidatis per plures annos philosophicae disciplinae tradantur, illud tamen semper mihi cordi erat et erit, ut nonnisi Philosophiam vere christianam, i. e. Scholasticam iuvenes doceantur; illud etiam mihi est quam maxime in votis, ut sublatis omnibus, quae obstant, difficultatibus, tempus Philosophiae addiscendae concessum augeri possit.

« Interea vero, Beatissime Pater, ad pedes Sanctitatis tuae provolutus, pro me ac grege mihi commisso benedictionem tuam apostolicam humillime efflagitare audeo.

« Sanctitatis tuae

« Luxemburgi, die 16 decembris 1879.

« Humillimus et obedientissimus Famulus ac Filius

« NICOLAUS Episc. Luxemburgensis ».

595. LXI. Litterae Rmi Episcopi Basileensis:

« Beatissime Pater. Pluries iam necesse habebat sancta Sedes Romana, supremae suae auctoritatis decisionibus retundere ac condemnare philosophiae modernae extravagantias et errores, plerumque non minus rationis hamanae dignitati adversos, quam omnis sacrae Theologiae subversivos, atque credentium Fidei ac saluti, ipsique civili Societati perniciosos. Quodsi reprobanda ac censuranda iam erat eorum doctrina, qui quascumque cognitiones, Fidei praeliminares, uti Dei exsistentiae et immortalitatis animae, ope rationis erui et haberi posse negabant, sed ex

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

quadam originaria traditione hasce notiones derivabant, in quibus praecipue Lamennais et Beautain: eo magis reiicienda et condemnanda erant systemata aliorum, qui vel, duce Hermesio, a dubio omnem veritatis explorationem philosophicam incipiendam autumati sunt, vel, duce Antonio Günther, via rationis speculativae ipsa quoque revelata Religionis mysteria resolvi posse in proprii nominis philosophemata praetenderunt.

« Attamen pauca tantum erant raraque Sedis apostolicae de huiusmodi philosophicis doctrinis iudicia, si non erro, neque, quantumvis iusta, opportuna et necessaria, ipsam arboris malae radicem attingere et extirpare valebant. Nam a longo iam tempore ipsa philosophandi methodus et ratio, passimque iuvenum ad philosophicas scientias institutio, ut ita dicam, aegrotans et aberrans erat. Inde a saeculi elapsi fine evidenter Philosophia etiam in catholicis Collegiis ac viris influxum subibat eius Rationalismi, quem Kant, Fichte, Hegel, Cousin eclecticus, aliique protestantici operum philosophicorum auctores palam profitebantur. Rationis limites iusti ignorabantur, divinae revelationis lumen penitus excludebatur, auctoritati in rebus religionis legitimae nulla deferentia, haud ullus respectus offerebatur. Quare mirum non est ipsius Philosophiae substantiam in eo a permultis positam esse, ut iis omnibus contradiceretur et valediceretur, quae per cuncta tempora praeterita tanquam vera et sacra habebantur. Ast vel ubi ab huiusmodi extremis consequentiis philosophica scientia moderna sese cohibebat, nihilominus nimis, nimis facilem se praebebat concessionibus periculi plenis, non solum cum profanae scientiae detrimento, sed et Theologiae christianae cum gravi damno: inde tam universaliter doctrinarum et notionum omnium confusio deploranda provenit, ita ut hodiedum passim lux tenebrae, et tenebrae lux dicantur, malumque pro bono, bonumque pro malo habeatur et tractetur. Quae res immortali Pio papae IX exclamationem extorsit: " Utinam rebus sua vocabula restituantur! "

« Profecto, nisi scientia hac denominatione digna, rationisque legitimus usus prorsus collabi debuerit, opus erat ut non tantum his illisve philosophorum erroribus obviaretur, sed ipsa genuina philosophandi methodus et regula indicaretur denuoque stabiliatur a summa veritatis Cathedra, quae a Deo posita est tanquam luminare super candelabro, ut ubique terrarum luceat omnibus in Domo Dei.

« Sicuti natura et gratia, ita rationis intellectus et fides supranaturalis apprime discernenda sunt. Porro, quemadmodum beatae memoriae praedecessor tuus, Beatissime Pater, Pius IX, eo totus intentus semper erat ut veritates supranaturales seu theologicae sine ambiguitate, obscuritate et confusione ulla dignoscantur: ita Providentiae divinae profecto dispositione Sanctitati tuae, si ita dicere mihi fas est, id muneris deputatum esse videtur, ut illam scientiam ordinis naturalis, quae scientiarum omnium principium formale exsistit, Philosophiam videlicet, expurget ab erroribus et defectibus, nobilitet et evehat, ad mentem Doctoris Angelici, omnis Philosophiae Principis, eam regenerando: quo sane fiet ut ipsa theologica scientia ad maiorem perfectionem adducatur, quum Philosophia sit sacrae Theologiae quasi introductio et praeparatio, immo formali sub respectu haecce ab illa mutuet methodi normam et argumentationis vim, quibus efficitur veri nominis scientia.

« Encyclica proinde tua, Sanctissime Pater, quam die 4 augusti huius anni obstupescenti mundo propalasti, quaque necessitatem et obligationem redeundi ad verum Philosophiae genus rectamque methodum exposuisti et inculcasti, profecto Spiritus Sancti fuit oraculum, fulgur luminosum de coelo emissum, ab oriente ad occidentem usque intelligentiis omnium irradians, tuba veritatis verae Philosophiae novam auroram annuntians!

« Nec dubium quin ubique terrarum in Collegiis et Universitatibus catholicis, inque Seminariis clericalibus denuo ista sana, secura et optima philosophandi ratio, quae ex sancti Thomae operibus hauritur, de novo occupatura sit principem eum locum, qui decet eam et a quo melius nunquam amota fuisset. Providendum igitur, confidenterque sperandum, fore, ut relegata tandem moderna illa spuriaque Philosophia, quam epocha falsis principiis imbuta generavit, quaeque scepticos potius faceret quam philosophos, maior in cognoscendis veritatibus claritas et in metaphysicis aeque ac theologicis doctrinis consonantia exoriatur, unde et sanctae Ecclesiae prosperitas denuo confirmabitur et bonum societatis humanae promovebitur.

« Meum quoque cor de huiusmodi restauratione et commendatione Philosophiae sancti Thomae Aquinatis, facta per Encyclicam *Aeterni Patris* a Sanctitate tua, magnopere laetatum est et exsultavit. Toto corde enim Angelici Doctoris principia et doctrinas semper admirabar, amplectebar et diligebam. Etenim, uti fortasse meminerit Sanctitas tua, frater, natu maior mihi exsistebat, qui sancti Thomae Philosophiam studii sui impensissimi obiectum fecerat, atque interpretando et transsumendo in gallicam linguam sancti Thomae *Summam Theologicam* maiorem vitae suae portionem transegit. A quo et ego eadem affectione erga hunc eminentissimum Doctorem omnium philosophorum Principem mature replebar, ita ut multum semperque doctrinis eius atque operibus incumberem.

« Quae res me coram Sanctitate tua, Beatissime Pater, excuset, si tot doctissimorum celebriorumque sanctae Ecclesiae catholicae Praesulum vestigia et ego, minimus quanquam eorum confrater, premere audeo; nam animi mei exsultantis impetui resistere nequiens, Sanctitati tuae pro gra-

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

vissima Encyclica hac istam, fateor, nimis debilem gratitudinis ac laetitiae meae expressionem trasmittere omnino urgebar. Quam tu, Sanctissime Pater, benevolentia et affabilitate eadem rogo excipere digneris, quam ab initio condescendenter mihi demonstrasti.

« Gaudeo insuper me adiicere posse, quod hac in civitate quoque Lucerna, ubi exsul a residentia habito, Doctor Angelicus zelo et intellectu repletos invenerit discipulos ac interpretes, ita ut tam Philosophiae quam Dogmaticae institutiones iuxta mentem sancti Thomae nunc exhibeantur. Quantum in me, totis viribus eo innitar, ut mea in Dioecesi sancti Thomae doctrina tam lucida quam secura et concors cum Fide catholica, in dies magis cognoscatur, aestimetur et propagetur. Spes magna mihi est fore ut hic meus scopus attingatur studiumque scholasticae Philosophiae refloreat, si tamen actioni meae coelitus benedictio Omnipotentis favebit.

« Grates igitur maximas iterato Sanctitati tuae rependens pro tam immenso bono, nobis tua magna mente, sapientia et sollicitudine impertito, Deum precor et invoco, ut suae gratiae adiutorio impleat et perficiat in toto Orbe catholico tua vota et desideria, pacemque tandem illam Ecclesiae toti reducat, quae plene agnitae et voluntate obsecundatae veritatis est fructus, et qua sola regnante studia altiora florere mentesque nostras ad divinarum rerum fructuosam extollere valeat contemplationem.

« Pedes tuos, Beatissime Pater, genuflexus exosculans, benedictionem apostolicam pro me et Clero atque Fidelibus mihi commissis summo cum venerationis et obsequii cultu subscribor

« Sanctitatis tuae

« Lucernae, die 1 decembris 1879.

« Humillimus Servus ac Filius

« EUGENIUS LACHAT Epis. Basileensis ».

596. LXII. Litterae Rmi Episcopi Nicopolitani et Bucarestensis:

« Beatissime Pater. Quod beatus Ioannes Apostolus in triumphanti vidit Ecclesia, fluvium videlicet aquae vitae procedentem de sede Dei et Agni, *Apoc.*, XXII, 1, id proportione quadam in Ecclesia quoque militanti evenire perspicuum est. Etenim sicut beati illi cives ita et nos, hic in terris degentes, habemus veram sedem Dei et Agni; Sedem nempe apostolicam, ubi Christus, Deus et Homo, qui omnibus diebus usque ad consummationem saeculi cum suis Apostolis mansurum se esse promisit, per summum Pastorem, personam eius gerentem, militantem Ecclesiam regit atque gubernat. Et quemadmodum ab illa Sede, sicuti sacri interpretes tradunt, ad instar perlucidissimi fluminis, ad Coelitum mentes

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

aquis aeternae vitae recreandas et satiandas effluit scientia beata: sic a Sede apostolica sacra Doctrina ab omni purgata errore procedit, quae, ut Angelicus docet, diminuta quaedam est participatio et imitatio scientiae Dei et Beatorum. Siquidem romani Pontifices, dum ea, quae Apostoli a Verbo vitae acceperunt, infallibili magisterio nobis tutissime aperiunt, omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei destruentes, cuncta, quae rectae rationi adversantur, extinguunt, atque ad sacram illam doctrinam, quae ex connubio Fidei et Rationis gignitur, constituendam, servandam ac augendam efficacissime cooperantur.

« Hoc idem, Beatissime Pater, vestigiis Decessorum tuorum fideliter inhaerendo, per Epistolam encyclicam *Aeterni Patris* omni sapientia refertam, qua Philosophiam christianam ad mentem sancti Thomae Aquinatis suscepisti in Scholis catholicis instaurandam, mirum nunc in modum praestitisti. Nam catholicis philosophis a levi et nutante ad firmam et robustam Doctoris Angelici philosophandi rationem revocatis, contra errorum monstra, quibus nostra funestatur aetas, arma invicta parasti, atque sacrae Scientiae robori ac splendori sapientissime consuluisti: illius sacrae Scientiae, inquam, qua, ut ait Augustinus, fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur et roboratur: quaeque proinde, tanquam fluvius purissimis veritatis aquis redundans, ab apostolica procedere Sede omnibus sese ostendit.

« Quod vero ad me attinet, Beatissime Pater, Angelici doctrinis, iuxta statuta Congregationis Sanctissimae Crucis et Passionis D. N. Iesu Christi, in qua studiorum curricula perfeci, ab adolescentia mea imbutus, nihil magis curae habui quam ut alumni, qui in hoc parvo Seminario scientiis comparandis dant operam, iuxta methodum et placita summi Aquinatis Philosophiam ac Theologiam edoceantur. Itaque Episcopis, qui Sanctitatis tuae mandatis obsequium et obedientiam palam profitentur, ego inter eos minimus me lubentissime consocians, tibi, Beatissime Pater, non solum obsequentis mei cultus testimonium studeo praebere; sed insuper audeo pro tanto beneficio, quod per Epistolam encyclicam *Aeterni Patris* toti Ecclesiae, immo humano generi contulisti, gratias agere amplissimas. Idque eo maiori animi affectu, quo, inter populum longo ac teterrimo schismate a Sede apostolica avulsum vitam degens, quotidiana novi experientia quam malum et amarum sit longe abesse a vitae fontibus, qui ex eadem Sede indesinenter scaturiunt. In his enim locis, ignorantiae tenebris obvolutis, pseudoscientia, ipsa ignorantia peior, impune debacchatur, quae Fidem dedignans, ac unicum veritatis fontem et normam dictitans humanam esse Rationem, veris falsa turpiter commiscet, et in qualibet religione, quolibet cultu salutem consequi posse audacter asseverat.

« Veritatis utinam lux hic tandem splendida oriatur, ac illa renovetur aetas, in qua orientalis Ecclesiae Antistites, cum apostolica Sede

indivulse coniuncti, has plagas miris sapientiae splendoribus collustrarunt: quod tamen haud sperare licet nisi per Clerum solidissimis enutritum doctrinis Thomae Aquinatis, qui, propter eminentem sanctorum Patrum peritiam, Os eorum merito est appellatus.

« Ad hunc autem optatissimum finem vias aliquo modo parandi, ne vires desint mihi ac iis qui mecum adlaborant, ad pedes Sanctitatis tuae humillime provoluti benedictionem apostolicam enixe imploramus.

« Sanctitatis tuae

« Bucharestini, die 25 octobris 1879.

« Humillimus et obsequentissimus Famulus ac Subditus

« IGNATIUS PAOLI Epis. Nicopolitanus
et Bucarestensis ».

597. LXIII. Litterae Rmi Episcopi Ratisbonensis:

« Beatissime Pater. Recurrentibus iam sacratissimis diebus, quibus Filii Dei et Salvatoris generis humani nova per carnem Nativitas summa cum solemnitate celebranda est, novas quoque preces et gratiarum actiones ab universis Fidelibus fieri religio et pia consuetudo suadent.

« Sed harum precum, quas singulis annis ad Incarnati Verbi praesepium fundimus, quasi prima et praecipua pars in eum finem Deo et Domino nostro offertur, ut quem visibilem sui in terris Vicarium constituit, salvum semper sospitemque conservet ac vivificet, et in terra beatum faciat, concessis benigne iis omnibus, quae totius Ecclesiae Pastor pro Sponsa Christi dilecta tantopere exoptat. Exaudiat has preces Omnipotens et misericors Dominus, piissimo praesertim interventu Beatissimae Virginis sine labe conceptae, in cuius festo et octavario modo elapso publicas et solemnes supplicationes ad mentem Sanctitatis tuae per universam Dioecesim instituendas curavi.

« Gratiarum vero actionem quid magis expostulare videtur quam quod idem Redemptor noster eandem sanctam Ecclesiam hominibus tanquam matrem et magistram reliquerit, et super petram portis inferi superiorem aedificaverit; quod sanctus Petrus in suis successoribus vivat et praesideat, et apostolica Cathedra, in hac praesertim temporum calamitate rerumque perturbatione, data sit quasi lucerna lucens in caliginoso loco, monstrans omnibus, qui bonae voluntatis sunt, viam et finem et salutis adiumenta?

« At peculiarem gratias agendi rationem hoc anno habemus encyclicam Epistolam, quam Sanctitas tua die festo sancti Dominici ad universos catholici Orbis Antistites dedit de Philosophia christiana ad mentem sancti Thomae Aquinatis Doctoris Angelici in Scholis catholicis instauranda.

« Iam tot sacrorum Antistites tibi, supremo Ecclesiae Magistro, concordibus litteris humile suum obsequium praestiterunt, gratias agentes, quod Sanctitas tua malorum radicem et remedia simul patefecit. Sed Germaniam imprimis de tanto beneficio veluti speciali Dei gratia sibi proviso laetari et gratias agere decet, quae, licet clarissimum christianae Philosophiae lumen et Angelici Doctoris magistrum, Magnum quippe Albertum, Ratisbonensem quondam Episcopum, protulerit, postea a recta christianaque ratione et methodo philosophandi caeteris nationibus longius recessit, atque haeretico veneno infecta, pene dixi, dux et magistra erroris facta est.

« Cum enim radix et origo omnium malorum, quibus Ecclesia catholica nunc ipsum in Germania premitur, nihil aliud sit quam erroris saeculo decimo sexto introducti vehemens cum vera Fide et una Ecclesia conflictus atque pernicies, quae defectum a salutari Christi Domini institutione necessario consequitur; vitiosa radix etiam illud inclusit, ut recta, probata, per Fidem illustrata studiorum ratio, quam Patres ecclesiastici et scholasticae artis Magistri unanimi labore et diligentia instituerant, et velut de manu ad manum tradiderant, a novatoribus eiusdem saeculi una cum ipsa catholica veritate reiiceretur atque conviciis peteretur, quasi male instituta disciplina, vel fons largus errorum et abusuum. Inter omnes constat ipsum haeresiarcham, qui proprium sibi canonem Sacrarum Scripturarum statuit, omnem ecclesiasticam traditionem reiecit, in humana ratione post lapsum omnem veri bonique vim et sensum negavit, attrita fronte etiam hoc ausum fuisse sanctos Patres de errore et falsa fide arguere, Scholasticos vero ipsumque supremum Scholasticorum Magistrum his verbis damnare: " Nihil ad nos Thomas Aquinas: est quasi monstrum theologicum, sicut plures alii; est fons scaturiens haeresum et errorum, sancti Evangelii exstinctor. "

« Revera dici potest illos haereticos, nostri mali auctores, uno momento et actu defecisse ab Ecclesiae fide et auctoritate, et a methodo studiorum, Ecclesiae magisterio et saeculorum usu approbata. Accedit, quod data non solum, sed laudata et proclamata singulorum licentia circa sensum Sacrarum Scripturarum investigandi, pro futuro contra omnem obiectivam veritatem, etiam in philosophicis disciplinis bellum indictum fuerit, talique ex radice quaelibet erroris systemata, in eadem Academia forsan diversissima et inter se pugnantia, construi et laudari potuerint, et facultas quaelibet veritatis regulae adversa cogitandi, publicandi et discipulorum animis insinuandi tanquam libertas aurea et progressui litterarum necessaria habita sit. Quid mirum, si etiam catholici haud pauci,

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

specie falsae libertatis decepti, et ad similia sequenda vestigia paulatim perversi sunt, praesertim in regnis et regionibus ubi haeresis cum vera Fide idem ius fasque adepta esse videbatur?

« In Bavariae quidem partibus tunc servata Fides vel, Deo adiuvante, restituta fuit, ideoque etiam a Scholis pernicies vicina prohibita, quamdiu religiosi Ordines et imprimis Collegia Societatis Iesu, iniquum certamen cum adversariis sustinebant.

« At vix eadem Societas dissoluta, rebellionis gallicae motus etiam in Germaniam translati, et sic dicta saecularisatio circa initium huius saeculi peracta erat, eadem summa in Ecclesiam iniuria quam Italia nuperrime passa est: cum etiam systemata protestantium philosophorum catholicis viris admirationi et imitationi esse coeperunt, ita ut primis tribus decenniis huius saeculi tota ratio studiorum etiam in scholis catholicorum ad normam et exemplum acatholicorum immutata fuerit, maxime quum Gubernium, non obstante articulo V Concordatus anni 1817, ius sibi vindicaret, scholas omnes etiam theologicas ad suum arbitrium dirigere.

« Unde factum est ut abhinc lustra non multa in Germania auctoritas divi Thomae Aquinatis vel inter catholicos vix laudari seu afferri potuerit, *Summa Theologica* in paucorum tantum manibus versaretur, immo dissentire a Scholasticis passim quasi excellentia et dignitas " scientiae germanicae " haberetur, quippe quae non scholastica, sed historica methodo uteretur; viri tandem, qui in Urbe studiis vacaverant, quantumvis eruditi, plerumque parvipenderentur, et tanquam minus scientifici et Scholasticismo capti ignorantiae nota adurerentur.

« Dolendum maxime quod eo res venire potuerit, non sine silentio vel culpa eorum qui vigilare et Ecclesiae Dei diligentiam habere debebant. Hic vero facta, non commenta narrari, vel ipsae Litterae demonstrant, quas fel. rec. Pius PP. IX die 15 dec. an. 1863 ad Archiepiscopum Monacen. et Frisingen. dedit, quaeque inter alia haec habent: " Neque ignorabamus in Germania etiam falsam invaluisse opinionem adversus veterem Scholam, et adversus doctrinam summorum illorum Doctorum, quos propter admirabilem eorum sapientiam et vitae sanctitatem universalis veneratur Ecclesia. Qua falsa opinione ipsius Ecclesiae auctoritas in discrimen vocatur, quandoquidem ipsa Ecclesia non solum per tot continentia saecula permisit, ut ex eorundem doctorum methodo et ex principiis communi omnium catholicarum Scholarum consensu sancitis theologica excoleretur scientia, verum etiam saepissime summis laudibus theologicam eorum doctrinam extulit, illamque veluti fortissimum Fidei propugnaculum et formidanda contra inimicos suos arma vehementer commendavit. "

« Iisdem Litteris pontificiis inculcatum simul fuit, vel ipsam " subiectionem, quae Fidei divinae actu praestanda est, limitandam non esse ad

ea, quae expressis Oecumenicorum Conciliorum aut romanorum Pontificum decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendendam, quae ordinario totius Ecclesiae per Orbem dispersae magisterio tanquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis Theologis ad Fidem pertinere retinentur. "

« Quum vero idem Summus Pontifex in *Syllabo errorum nostrae aetatis praecipuorum* etiam illud [XIII] damnasset: " Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt, " de iterata damnatione eiusdem erroris stupor et clamor etiam inter catholicos non paucos maior nusquam erat quam in hac nostrà Germania.

« Rem in philosophicis disciplinis stricte sumptis tunc non fuisse melius compositam, vel ex eo potest colligi, quod per " falsa philosophiae principia " sensus non catholicus in Theologiam fuit introductus, et idem supremus Pontifex Pius PP. IX iam anno 1862, die 2 decembris, litteris ad eundem Archiepiscopum Monacen. datis modum philosophandi in Germania etiam a catholicis adhibitum, vel potius licentiam ab acatholicis mutuatam expresse damnaverat.

« Ego ipse, quod iam tunc prohibere coeperim quominus mei Seminarii alumni ad frequentandas eiusmodi lectiones Monachium abirent, publicas vehementesque insectationes expertus sum.

« Quid vero de rebus afferam, quae Concilium Oecumenicum Vaticanum in patria nostra praecedebant, comitabantur, sequebantur?

« Omittere libet, quae inter omnes constant, in Germania scilicet fuisse primum et acerrimum bellum motum et in alias quoque nationes propagatum contra ipsum Concilium, contra Summum Pontificem eiusque privilegia, contra maximam partem Episcoporum, contra ipsa decreta Vaticana, " et quidem ducibus viris theologis et philosophis, qui dudum suam methodum et aliena ab Ecclesiae magisterio principia sequi consueverant, neque foedus inire cum ipsis moderni status rectoribus contra Ecclesiae doctrinam, iura, libertatem dubitarunt. " Praeclare de hac re vir nobilis et eruditus et Ecclesiae fidelis filius, Constantinus Schaetzler, scripsit in suo libro anno 1874, sexto scilicet centenario Angelici Doctoris ex Typographia Polyglotta S. C. de Propaganda Fide edito.

« " Infortunati, inquit, illi, singulari sane vocabulorum abusu sic dicti « antiqui catholici » nonne sua in Ecclesiam rebellione ostendunt ipsis plane deesse genuinam Ecclesiae notionem? Iidem tamen viri, priusquam, abiecta aliquando tandem pietatis larva, aperte in Ecclesiam debellarent, vel apud ipsos catholicos magna florebant fama et passim celebrati sunt velut rei catholicae vindices fortissimi. Iam longe ante patratum schismatis scelus eandem quam nunc gestis suis palam faciunt, perversam de Ecclesia sen-

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

tentiam et ipsi animo tenebant, et aliis quoque, licet tectius aliquanto, propinabant, innixi praeposteris principiis iam pridem e moderna philosophia in ipsas catholicas Scholas invectis.

« " Atque clam serpens falsa theologia innumeras devastavit animas, donec tandem, patrato securiter schismate, mortiferum virus foras erumperet, ac simul ingrueret atrox illa persecutio, quae hodie in Germania vel ipsa fundamenta Ecclesiae, si fieri posset, minatur evertere, videlicet inito hunc in finem solemni foedere inter potestates huius saeculi et illam ipsam scholam neotericam. Quos enim adversus matrem suam Ecclesiam videmus hodie conspirare cum infensissimis quibusque totius nominis christiani exagitatoribus, ii non uno velut ictu mutati sunt in alios viros, sed nimirum constanter insistentes perniciosis illorum principiis per logicam eorundem consequentiam pedetentim delapsi sunt ad hoc extremum usque. "

« Neque hoc mirum est. Cum enim causa erroris deficientium a veritate et unitate catholica posita sit in falsis philosophiae principiis et doctrinis, modernus vero status, maxime qui in Borussia praevalet, nihil aliud esse dignoscatur, quam, ut ita dicam, incarnatum systema Hegelii philosophicum de una simplici et generalissima idea, quae est status, fons omnis iuris et recti et finis entium summus; duo consequi necesse est: ut et ii catholici errantes cum huius systematis vindicibus amicitiam foedusque ineant, et contra catholicam veritatem et auctoritatem unitis viribus dimicentur.

« Quas ergo gratias agere cum universo Orbe catholico Germania debet, quum Sanctitas tua per encyclicam Epistolam quasi uno actu fontem, historiamque et naturam omnis horum temporum miseriae patefecerit, et remedium efficax contra malum tam inveteratum indicaverit!

« Germania eo die, quo redit ad rectam christianamque philosophandi methodum ac rationem, reverti incipit ad Fidem et salutem, derelinquit cisternas ab hominibus factas, dissipatas, veneno infectas, et vadit ad Deum, fontem aquarum viventium.

« Ideo dum gratias debitas tibi, Beatissime Pater, pro novo beneficio sincero corde agimus, illud agendum nobis est, ut quae iussisti alacriter perficiantur, ut scilicet etiam in Germania sapientiae rivi purissimi, ex Angelico Doctore iugi et praedivite vena dimanantes, studiosae iuventuti large copioseque praebeantur.

« Haud facile negotium ea voce Sanctitatis tuae Germaniae Antistitibus impositum esse ex supra expositis satis constare mihi videtur; neque equidem praetermisi iterum ac saepius eiusdem negotii difficultates graves et multiplices fusius explicare.

« Vix credibile, quantopere apud nationem, " ad severiores gravioresque disciplinas excolendas praecipue propensam " (verba sunt Pii PP. IX in litteris die 2 dec. 1862 ad Archiep. Monacen.), eaedem philosophicae

disciplinae etiam nunc collapsae iaceant! Nihil hac in re apud nos post Vaticanum Concilium mutatum vel melioratum est: immo eiectae ex imperio religiosae Familiae illarum disciplinarum imprimis fautrices, a Guberniis prohibitum, quominus iuvenes idonei Romae salubrem Philosophiam et Theologiam edoceantur.

« Studiosae iuventutis pars maxima ad publica munera adspirant, et postquam in gymnasiis regiis Gubernii directioni omnino obnoxiis, studiorum cursum expleverunt, statim ad lectiones futurae conditionis proprias transeunt, ideoque data quam vocant discendi libertate aut nullam omnino Philosophiae studio operam dant, aut in Universitatibus universim a christiana lege et veritate emancipatis unum alterumve philosophum frequentant, qui publice et de industria Pantheismum, vel Materialismum vindicat et propagare studet.

« Quid vero de lycaeis regiis dicam, quae in singulis Dioecesibus per regnum Bavaricum pro cursu Philosophiae et Theologiae instituta sunt? Ut taceam de aliis, in civitate hac Ratisbonensi, in lycaeo regio ab omnibus Seminarii mei alumnis frequentando a Gubernio — me reluctante — professor philosophiae institutus est qui palam contra Scholasticos, contra *Syllabum*, immo contra ipsa decreta Concilii Vaticani invehebat: quapropter meos alumnos ab audiendis eiusmodi lectionibus arcendos duxi, et in ipso meo Seminario Philosophiae cursum a viris mihi probatis et iuxta Scholasticorum rationem excultis ex pluribus iam annis tradendum curavi, quin Gubernium hucusque id vetare animum induxerit.

« Nuperrime pro eo munere virum admisi, qui clarus operibus variis de Theologia sancti Thomae Aquinatis editis cum reliquis a me lectis Magistris eam spem mihi spondere possit, fore ut, licet plurimae difficultates obstent, iuxta apostolicum praeceptum in meo saltem Seminario doctrina Thomae Aquinatis a Magistris in discipulorum animos insinuetur, eiusque prae caeteris soliditas et excellentia in perspicuo ponatur.

« Sed probe noscens, spiritum sapientiae et intellectus esse a Deo scientiarum humili et concordi obsecratione postulandum, pro hac parte officii mei gravissima eo cum successu explenda, quem maxima temporis calamitas exigit, divinum auxilium implorare non desistam, atque simul a Sanctitate tua enixe peto ut apostolicam benedictionem tanquam coelestium donorum pignus et auspicem mihi universoque Clero ac fideli Populo meae curae commisso gratissime impertiri dignetur.

« Sanctitatis Tuae

« Ratisbonae, die 18 decembris 1879.

« Humillimus et fidelissimus Filius.

« IGNATIUS, Epis. Ratisbonen. ».

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

598. LXIV. Litterae Rmi Episcopi Ottawiensis:

« Beatissime Pater. Quanto nobis gaudio quantoque tot inter huiusce temporis procellas solatio fuerit encyclica vestrae Sanctitatis Epistola vix et ne vix quidem enunciare possumus.

« Longo abhinc tempore sanctus Thomas nobis Dux fuit et Magister: ex eius scriptis, invicti a labore hausimus quidquid in nobis potest esse divinae vel humanae sapientiae. In sublimia eius Philosophiae principia tanquam in salutarem nocte sub obscura facem oculis assidue defixis, non nosmetipsos tantum, sed etiam adolescentes nobis commissos, per fluctuantes agitatasque doctrinarum undas, ad Veri in speculativis scientiis, ad Boni in moralibus, et ad Pulchri in bonis artibus unum portum securos perducere curavimus, nec dubitamus asserere quiquid felicis exitus prae se fert nostra annis adhuc tenera Universitas Ottawiensis, e fideli Professorum adhaesione methodo doctrinisque Angelici Doctoris provenire.

« Hodie autem, Beatissime Pater, Epistolae suae luce ducti, eaque accensi voce quae nunquam a vero deflectit, fidelius adhuc fortiusque vestigiis sancti Thomae insistemus, et ita, pro parte nostra, ad honorem sanctae Matris Ecclesiae bonumque Societatis ordinem conspirare conabimur.

« Dignetur ergo Sanctitas vestra simul cum nostro filiali amore et nostris grati animi sensibus accepta habere vota nostra longissimae vitae; dignetur etiam impertire suam paternam benedictionem

« Ottawiae, die 8 octobris 1879.

« Suis devotissimis in I. et M. I. Filiis

« I. Thomas, Epis. Ottawiensis ».

Sequuntur Professorum subscriptiones.

599. LXV. Litterae Rmi Episc. Conchensis:

« Beatissime Pater. Iosephus Moreno et Mazon, Dei et sanctae Apostolicae Sedis gratia Episcopus Conchensis, in Hispania, ad vestrae Beatitudinis pedes humillime prostratus, reverenter patefacit pergrata ipsique periucunda fuisse verba illa sapientissimae vestrae allocutionis ad scientiarum cultores, nempe: " Ad coepta feliciter perficienda vobis adiumento sit coeleste praesidium ipsius Doctoris Angelici, quem catholicis scientiarum et bonarum artium Domiciliis Patronum, uti vobis est in optatis, rite dari quam primum curabimus. " His opportunissimis verbis infrascriptus Episcopus innixus, consideransque sancti Thomae Aquinatis Doctrinam profligandis perversis nostrorum temporum erroribus, qui scientias labefactare intendunt, aptissimam esse, ardentissime exoptat atque vestram Beatitudinem impensissime exorat, ut dignetur praedictum Angelicum Doctorem sanctum Thomam Aquinatem, qui iure merito Philosophorum Theologorumque Princeps ab omnibus et ubique nuncupatur, catholicarum omnium Scholarum Patronum agnoscere ac solemniter declarare.

« Prospera ac fausta omnia vestrae Beatitudini sanctaeque Matri nostrae Catholicae Ecclesiae a Deo Omnipotente indesinenter precatur qui simul cum praedicta declaratione vestram benedictionem ad pedes vestrae Beatitudinis provolutus, reverenter exspectat, addictissimus atque obsequentissimus Servus

« Datis in Villa vulgo Huete, Visitationis Pastoralis causa, die 3 maii anni 1880.

« Beatissime Pater,

« Iosephus Episcopus Conchensis ».

Aliae Litterae Episcoporum

ad Emum Cardinalem a Secretis Status SS. D. N.

600. LXVI. Litterae Rmi Episcopi Salfordiensis:

« Eminence. Puisque j'écris au Cardinal Secrétaire d'Etat, il me sera permis d'exprimer la vive reconnaissance qui m'anime pour la magnifique Encyclique de Sa Sainteté sur les Etudes philosophiques.

« De tout mon cœur je bénis le bon Dieu pour nous avoir donné un Pontife qui a non seulement touché du doigt le vrai ver rongeur de la société moderne, mais qui nous a prescrit le véritable remède.

« Je me hâte, dès que je l'ai reçue, de traduire cette Encyclique magistrale en anglais. Je l'ai fait publier par milliers d'exemplaires, et j'ai la certitude que la traduction est parvenue au plus grand nombre de familles catholiques de classe élevée en Angleterre, en Irlande et dans les colonies anglaises. La traduction a été suivie par des articles de fond dans le *Tablet*, faisant connaître son opportunité, même sa nécessité: elle sera suivie par un autre plus long et plus profond dans le numéro du *Dublin Review*, qui paraîtra au mois de janvier.

« Depuis la fondation de mon Séminaire Diocésain, établi il y a quatre ans dans le but de donner aux Théologiens et prêtres, qui viennent de finir dans nos Collèges leur cours ordinaire de Théologie, une année additionnelle, j'avais établi qu'on se servît exclusivement de la *Somme* de saint Thomas comme texte. Nous nous réjouissons à savoir que Sa Sain-

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

teté s'est déterminée à livrer au monde une nouvelle édition des écrits du Docteur Angélique. Nous nous proposons de faire tout ce que nos faibles forces nous permettent pour répandre cette nouvelle édition le plus possible, quand elle sera publiée.

« Suivant toujours sur les traces lumineuses de Sa Sainteté, nous venons d'établir dans ce Diocèse une Société ou Académie de Littérature et de Philosophie scholastique, pour encourager les études littéraires et philosophiques dans leur application pratique aux besoins publics. J'ai adjoint à l'étude de saint Thomas les études littéraires, parceque une grande facilité dans l'art d'écrire et de parler d'une manière attrayante dans la langue maternelle, paraît être de la plus grande importance, si nous tenons à avoir un auditoire public et national. Tous les Professeurs non-catholiques de nos jours, comme Darwin, Huxley, Clifford, Tyndal ont eu une grande vogue en Angleterre; ils sont devenus populaires et puissants à faire du mal, parce qu'ils ont su présenter leur science corrompue " dans un langage clair et beau." On ne lit, on n'écoute que ce qui est " bien écrit, " que ce qui est " bien dit. " C'est pour former un certain nombre de jeune clergé à combattre les erreurs du jour dans la presse, que je m'efforce à cette Société littéraire et philosophique, et de mettre à leur disposition une partie du *Tablet* et du *Dublin Review*. Je ne sais pas si je donne trop d'importance au côté littéraire; mais il me semble que la science, qui ne s'exprime pas d'une manière claire, intelligente et attrayante au public sérieux, n'est utile que pour celui qui la possède.

« Eminence, j'ai l'honneur de baiser la Pourpre sacrée, et de me déclarer d'être toujours

« De votre Eminence

« Bishop's House Salford, novembre 1, 1879.

« Le très humble et très obéissant Serviteur

« HERBERT Evêque de Salford ».

Adsunt quoque Litterae Rmi Episcopi Pisciensis ad Rmum Card. a Secretis Status Leonis XIII, diei 27 octobris anni 1879.

Item adhaesiones Rmi Episcopi Constantiensis in suis pastoralibus Litteris, diei 23 augusti anni 1879.

Pariter Rmi Episcopi Cordubensis in suis pastoralibus Litteris, diei 23 augusti 1879.

§ IV.

LITTERAE ABBATUM, PRAEPOSITORUM AC SUPERIORUM ORDINUM REGULARIUM.

601. I. Litterae Rmi Archiabbatis Ord. Sancti Benedicti de Sacro Monte Pannoniae:

« Beatissime Pater. Vergente in finem anno, imminentibus almis festivitatibus Domini, nos Filii sancti Benedicti de Sacro Monte Pannoniae, pio maiorum exemplo invitati, ante conspectum Sanctitatis tuae accurrimus, persoluturi iusta pietatis, gratitudinis et adhaesionis filialis tributa, quae tibi, Beatissime Pater, pleno iure debentur!

« Tu enim, qui divina providente clementia in puppi sedes, et semper vigil gubernacula navis medias inter procellas sapienti una et forti manu tenes, vere totius Ecclesiae curas sustines; dumque toti corpori consulis, singulorum quoque necessitatibus provides, pusillos erigis, malesanos corrigis, errantes in via dirigis, fidelibus animum, magistris praecepta, principibus monita dare nunquam desistis, saluberrimaque studia in id convertis, ut Ecclesiae pax, Principibus securitas, Populis omnimoda salus fiat!

« Nos igitur tuae sapientiae miraeque sollicitudinis testes, sic Altissimo vota reddere, laudesque decantare studemus, ut simul sinceras grates dependamus Ei, qui te, Beatissime Pater, iniquissimo hoc tempore Sponsae suae Ducem constituit, et flante licet malesana aura, salvum et incolumem servavit!

« Sit igitur benedictus Deus, et Pater Domini nostri Iesu Christi, cui honor et gloria in saecula saeculorum, amen!

« Sed et tibi, Beatissime Pater, laus maxima debetur, qui omnibus omnia factus, singulorum saluti consulis! Hoc vero inter caetera illa beneficia testantur, queis nos Filios sancti Benedicti novissime cumulasti, dum recurrente magni Patriarchae XIV saeculorum memoria nomen eius laudibus celebrare, Filios vero Familiasque et praeprimis principale eius Coenobium plurimis gratiis ditare dignabaris! Quae omnia, cum nobis decori et saluti cedant, qui fieri posset, ut tibi, Beatissime Pater, non omni cum subiectione, fide et aucta pietate adhaereamus!

« Adherebimus; hoc vero nos facturos esse speramus, quia, benedictione tua roborati, de auxilio divino minime desperamus!

« Sunt et alia plurima, quae commemorasse oporteret, dum lucis tuae radios in unum colligere optamus; sed quis innumerabilia et magnifica gesta angustis litterarum terminis concluserit?

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

« Plura reticendo, unum silentio praeterire nullatenus expedit, Litteras nempe tuas, quibus Philosophiam christianam tantopere commendas, in eaque addiscenda Magistros veteres Ecclesiae Patres, in primis autem Angelicum Doctorem, eloquentissimo sermone demonstras.

« Quae quidem monita tua non solum obedientia, qua decet, filiali, sed et summo cum gaudio suscepimus. In Lycaeo perantiquo, quod iam inde a saeculo XI in hoc Archicoenobio est, quodque prout primum omnium, ita diu unum in Hungaria fuit, Alumni sacri Ordinis praeterquam quod sacrae Theologiae, etiam Philosophiae operam navarunt. Summi autem Pontifices, praedecessores Sanctitatis tuae, haec studia non solum probarunt, sed et gratiis et favoribus cumularunt adeo, ut Clemens papa XIV Archiabbati pro tempore exsistenti facultatem benigne concessit auctoritate apostolica lauream doctoralem cum in sacra Theologia, tum etiam Philosophia conferendi Monachis suis eruditionem suam rite probantibus.

« Ille quidem laborem honestum publico honore et praemio prosequutus est, tu autem securum reddis profectum, cum Magistrum approbas, quem omnes tuto sequi possint. Honos, quem Duci tribuisti, amore erga te ipsum exercitum inflammat!

« Grates igitur quam maximas habeto, Sanctissime Pater, quod Philosophiam christianam restaurare coepisti, cum Scholis divum Thomam Ducem ac Praeceptorem reddidisti. Faxit Deus, ut dispositiones tuae plenum sortiantur effectum, et animus tuus quo citius dulcedine recreetur fructuum, quos maturasti!

« Nostrum erit Deum exorare ut tibi faveat, teque in salutem plurimorum quam diutissime salvum et incolumem conservet.

« Tu autem, Beatissime Pater, vota nostra benigne excipere, nos indignos licet Filios paterno affectu prosequi, et benedictionis apostolicae participes reddere non dedigneris, qui in humili subiectione et sacrorum pedum osculo emorimur.

« Sanctitatis tuae

« In Sancto Martino Sacri Montis Pannoniae, die 20 decembris 1879.

« Humillimi in Christo Filii

« IOANNES CHRYS. KRUEP O. S. B. Archiabbas Conventus ».

602. II. Litterae Rmi Abbatis Generalis Ord. Sancti Benedicti Congr. Cassinen. a primaeva Observantia:

« Beatissime Pater. Sollicitudinem, qua Sanctitas tua utilitati Ecclesiae Dei provehendae pervigilat, luculenter testantur encyclicae Litterae *Aeterni Patris*, in quibus de Philosophiae studio in subsidium sacrae Theologiae ac revelatae veritatis instaurando doctissime disserens, illud ad mentem divi Thomae Aquinatis pressius exigendum esse mones.

« Gaudeo porro, et ex animo tibi, Beatissime Pater, gratulor, quod salutaribus Sanctitatis tuae monitis Ecclesiae Praesules, catholicae Academiae, doctique viri eo, quo decebat, obsequio, immo ingenti plausu ubique gentium responderint, nec dubito, quin id Reipublicae christianae commodo, scientiis autem omnibus profectui maximo futurum sit.

« Quod ad me et ad Congregationem Benedictino-Cassinensem a primaeva Observantia spectat, Litteras tuas, ea qua decuit reverentia, accepimus. Quin etiam grato lubentique animo illas salutavimus, tum ob communem utilitatem ex eis processuram, tum quod in Angelico Doctore nonnihil domesticae gloriae ad sancti Benedicti Filios pertinere arbitremur, quum constet praestantissimam illam et prope divinam mentem Aquinatis, a Benedictinis primitus excultam, scientiae quasi tirocinium ipsis ducibus posuisse.

« Quapropter ipsarum litterarum exemplaria ad Monasteria, ex quibus Congregatio nostra, tum in Italia, tum extra eam in Gallia, in Belgio, in Anglia et in Hispania coalescit, perferenda curavi, ut Monachi eo alacrius sancti Thomae vestigiis insistere pergant, quo ardentius id a supremo Ecclesiae Magistro exoptari intellexerint.

« Nunc autem ad Sanctitatis tuae provolutus pedes, meo ac praefatae Congregationis nomine, maximas tibi, Beatissime Pater, gratias ago pro cura plane singulari, qua ecclesiasticae praesertim iuventutis institutioni consulere studes, eamque idoneis ad veritatem tuendam armis instruere niteris.

« Denique apostolicam benedictionem pro me ac pro universa Congregatione meo regimini concredita supplex efflagito.

« Beatitudinis tuae

« Datum Sublaci, ex Proto-Coenobio ad Sanctae Scholasticae XV kal. novembris MDCCCLXXIX.

« Addictissimus in Christo Filius

« D. RAPHAEL TESTA O. S. B. Abbas Generalis

« Congreg. Cassinensis a prim. Obser. ».

603. III. Litterae Rmi Vicarii Generalis Ord. Praedicatorum:

« Beatissime Pater. Vix ac in lucem prodivit novissima Encyclica Beatitudinis tuae *Aeterni Patris*, in qua solidam tutamque Angelici sancti Thomae Aquinatis doctrinam, non solum singulari laude celebrasti, sed etiam ab omnibus sectandam impense inculcasti, summa mox ipse laetitia affectus significare tibi vehementer optavi atque proposui, quam grato animo so-

lemne illud tuum Diploma ab universo Praedicatorum Ordine exceptum sit. Sane vero, uti nihil ad nostri Ordinis honorem gloriosius, ita nihil nobis optatius, nihil iucundius contingere poterat, quam ut sanctissimi Doctoris nostri sapientia novo hoc, eodemque adeo insigni apostolicae Sedis praeconio universae Ecclesiae commendaretur.

« At ne primus ipse, magis ob domesticae gloriae, quam ob publicae utilitatis rationem, gratulationis gratique animi munere erga te fungi morosiori cuipiam videri possem, officii exsecutionem non nihil differendam putavi.

« Porro cum iam ubique terrarum praefata Encyclica tua, omnigena eruditione et sapientia referta, iure meritoque praeclaris encomiis extollatur, ultimus ipse esse in his laetitiae gratique animi significationibus tibi exhibendis, nec volo, nec debeo. Quapropter, meo ac totius Gusmanae Familiae nomine, maximas nunc Sanctitati tuae, quas debemus, ago gratias.

« Utinam vero omnes oves, supremae tuae curae commissae audiant tam solliciti Pastoris vocem et monita, sicuti semper fecisse gloriatur totus Fratrum Praedicatorum Ordo, et continenter se facturum libentissime spondet. Utinam bonarum disciplinarum cultores, cum ad instaurandam praecipue Philosophiam animum adiiciunt, solidam divi Thomae doctrinam in pristinum decus vindicare studeant, uti iam non pauci optimo consilio perfecerunt. Faxit insuper Deus, ut etiam pro terrena corona, tuae paternae sollicitudini debita, perspicere tibi concessum sit, Orbem terrarum impura errorum lue hodie corruptum, veritate tandem renovatum, et divinae sapientiae lumine repletum.

« De caetero, Beatissime Pater, hanc faustissimam occasionem nactus in fine regiminis mei, ad pedes Sanctitatis tuae provolutus una cum omnibus Religiosis et Monialibus mihi concreditis, apostolicam benedictionem tuam pro universo Ordine nostro vehementer imploro. Qui sane tam sapienti Pontifici Maximo ac Patri amantissimo gratum se memoremque praebere nunquam desinet; ac pro ipsius felicitate fervidas preces supremo bonorum Largitori ex animo fundere.

« Datum Romae in Conventu nostro Minervitano, die 8 septembris 1879, Nativitati B. V. Mariae sacro.

« Fr. IOSEPHUS MARIA SANVITO Vic. Gen. Ord. Praed. ».

604. IV. Litterae Rmi Patris Provinc. Ord. Praed. Provinc. Franciae:

« Beatissime Pater. Fratres Praedicatores Provinciae in Capitulum congregati, atque ad pedes Sanctitatis vestrae humiliter provoluti, suam ipsi reverentiam exhibere, unanimi voto, exoptant, piamque referre gratiam pro beneficio, et mirabilis illius Encyclicae qua Orbi universo doctrinae

Aquinatis commendatur studium, et proximarum Litterarum quibus Editio completa Operum Doctoris Angelici, cum tanta liberalitate nobis promittitur.

« Iam pridem Magistrum, summo intervallo caeteris omnibus magistris eminentem, semel atque iterum sancta Sedes illustri extulerat laude, qua merito gloriabatur Dominicana Familia; nunc vero, velut ad plenum tantae excellentiae cumulum accedit, ut Beatitudo vestra, praeclaris approbationibus suorum praedecessorum, felicis memoriae, Ioannis XXII, Innocentii VI, Urbani V, sancti Pii V, Clementis VIII, Pauli V, et Benedicti XIII, insuper adiiciat suae doctissimae admirationis testimonium, solemmi splendore ornatum.

« Maxima sane exsultavimus laetitia, videntes ad summam provehi dignitatem unum Angelici Praeceptoris peramantissimum discipulum; iamque gaudium corda nostra deserere amplius non potest, postquam in medio Ecclesiae aperuisti os illud, cuius in omnem terram sublimes exivere mugitus.

« Non modo hanc aut illam Universitatem, non modo talem talemve Academiam, sed universum mundum, et hunc omni vento erroris magis in dies abreptum, humanaeque scientiae illecebris captum, Sanctitas vestra vocat ad Scholam supremi Scientiae divinae Magistri, cuius " doctrina prae caeteris, excepta Canonica, ut ait Innocentius VI, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut nunquam qui eam tenuerit, inveniatur a veritatis tramite deviasse, et qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus."

« In perpetuum, Sanctissime Pater, gratissimus sit tibi noster animus. Tua immensa beneficia tenui praemio filialis atque religiosae venerationis profecto compensare nequimus; Deum igitur obsecratione supplici deprecamur ut te coelestibus augeat donis, sapientiam tuam superno lumine confirmans, tuumque invictum intendens animum ad Ecclesiae gubernacula, suavi ac forti moderamine diu multumque tractanda.

« Nos ergo, Beatissime Pater, Filii Provinciae Franciae tibi addictissimi, tuam, genua flectentes, benedictionem petimus ut, te duce, cultu novo, necnon amore ferventiori, nostrum prosequentes Angelicum Doctorem, scientiae illius intima penitius scrutari, eiusque fulgoribus totum mundum, et docendo et praedicando, illuminare valeamus.

« Magnaque, ingenue fatemur, iam nos tenet spes quod, te favente, *Summa* divi Praeceptoris in publicis Sessionibus Concilii mox renascentis una cum Libro Dei rursus apparebit, et quod velut omnium Universitatum Patronus demum declarabitur ille, quem Christi ipsius oracula, Ecclesiae approbationes plurimae, Academiarum atque Doctorum encomia, propriique ingenii incredibilis auctoritas Orbis totius Magistrum indubi-

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

tanter fecerunt. Quod si spem adeo claram felicissimus comprobet eventus tuorum vota servulorum cumulate impleta in aeternum manebunt.

« Nunc, Beatissime Pater, Filiis, tuis humillime pedibus provolutis, totius boni ipsis altricem, quaesumus, apostolicam benedictionem digneris impertiri.

« Datum Flaviniaci, die 22 octobris 1879.

« Sanctitatis vestrae obsequentissimi Filii
« Fr. BERNARDUS CHOCARNE
« Prov. Ord. Praed. ».

Sequuntur Revmorum PP. Definitorum subscriptiones.

605. V. Litterae Rmi Patris Praepositi Generalis Societ. Iesu:

« Beatissimo Padre. Sono in debito di rendere a vostra Santità i miei più umili ringraziamenti della paterna cura e sollecitudine, che per sua somma benignità si compiace di avere di questa nostra minima Compagnia, come mi fa nuova fede la veneratissima sua lettera dei 27 giugno p. p.

« Certo mia ferma volontà è che si eseguiscano in tutto e da tutti puntualmente i desideri e i cenni espressi da vostra Santità intorno alla redintegrazione delle sane dottrine di san Tommaso in tutte quelle nostre scuole, ove in questi ultimi tempi fossero state trasandate; come si è anche strettamente prescritto dalle nostre Costituzioni e dai Decreti delle Congregazioni Generali. E sono ben persuaso, che per questa via si conseguirà quella unità, uniformità e sodezza di dottrina, che è tanto necessaria al buon andamento degli studi, e ad ottenere quei vantaggi che, nei tempi passati, riuscirono a difesa della santa Chiesa e della Religione contro gli errori degli increduli.

« Fin dall'anno passato ho spedito a tutti i Superiori una lettera circolare, ordinando a tutti di conformarsi alle prescrizioni del nostro Istituto e di seguitare nell'insegnamento le dottrine di san Tommaso; e con questa occasione ho di nuovo scritto e raccomandato con maggior calore la stessa cosa, cambiando alcuni professori che sembravano meno adattati allo scopo.

« Genuflesso e col più profondo ossequio, supplico a vostra Santità d'impartire a me ed a tutta la Compagnia, in questi momenti tanto minacciata in alcune parti, l'apostolica benedizione.

« Di Vostra Santità

« Umilissimo obbedmo Servo e Figlio
« PIETRO BECKX Pr. Gen. della Comp. di Gesù.

« Fiesole, 8 luglio 1879 ».

606. VI. Litterae Rmi Praepositi Generalis Instituti Charitatis:

« Beatissime Pater. Encyclica *Aeterni Patris* sane admiranda, qua Sanctitas tua doctrinam sancti Thomae Aquinatis multa laude et suasione prosequitur, pius item laetitiae modus, quo ab universo Orbe catholico illa fuit excepta, fortunatissimum haud dubio incidit factum, quod et nobis vel minimis Societatis a Charitate nuncupatae Sodalibus exsultationis sensa iucundissimae muto premere corde omnino non sinit.

« Equidem nostrum antiquum doctrinae Thomisticae studium, paucis ab hinc annis iam aperuimus in humilibus precationibus quas ad pedes antecessoris tui Pii IX, digni memoria Pontificis, eo delata voluimus ut sanctum Thomam Aquinatem Scholarum catholicarum Patronum universalem proclamare et sancire ipse dignaretur. Quare recentiores tuae Beatitudinis sapientissimae hortationes vehementissimo nos gaudio esse iusserunt.

« Scilicet tua consilia et vota una cum documentis mandatisque tuis, Pater sancte, sicuti iam nobis certa fuerunt norma tum in rebus ad fidem et mores spectantibus, cum in eligendis liberis opinionibus, ita posthac certa item erunt futura, sicut vel ipsa Statuta, quae nostri Sodalitii Institutor observanda nobis mandavit, decernunt utique luculenter. Nunc vero hac in re tuis obsequi documentis sapientibus et probatis, Pater sancte, nedum debita nobis, sed etiam factu tam facilis res est, quam facilis aeque ac iucunda cuique hominum accidit in suis certissimis quibusque persuasionibus et doctrinis solemniter probari atque confirmari. Quando quidem (nihil autem dulcius est nobis hoc testari) Aquinatis doctrina qua in theologicis, qua in philosophicis disciplinis quam carissima nobis ante alias una in omne tempus fuit.

« Ne igitur, Beatissime Pater, gravere ut caeteris bene multis gratiarum actionibus, quae undique ad te deferuntur, nostrae quoque humillimae atque pientissimae superaddantur, quibus porro testemur te solemnibus Litteris tuae auctoritatis vi magis magisque confirmasse altam Philosophiam Angelici Doctoris Thomae Aquinatis, cuius alumnos quam fidissimos nos, Deo duce, usque permansuros tibi pollicemur.

« Hic tandem ante pontificii Throni pedes piissime provoluti, sicuti filios et famulos peramantes decet, te precamur obtestamurque uti tuae apostolicae benedictionis ope et vi confirmare solarique nos digneris.

« Datum Domiossulae, in solemnitate Omnium Sanct., 1879.

« Sac. ALOYSIUS LANZONI Praep. Gen. Inst. Char.
« Sac. Aloysius Setti a secretis ».

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

607. VII. Litterae Rmi Commissarii Gener. Capuccinorum et Definitorum :

« Beatissime Pater. Commissarius Generalis et Definitores Generales Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum ad pedes Sanctitatis vestrae humiliter provoluti, nomine proprio totiusque Ordinis quem repraesentamus, firmissimam promptamque adhaesionem sapientissimae ac mirabili Encyclicae *Aeterni Patris* laeto alacrique animo pandimus.

« Laudibus extollere divi Thomae doctrinam post praeclara, quae in eius praeconium Sanctitas vestra contulit, redundans omnino foret. Consultius idcirco putamus pro tam splendido, tam admirabili, ac christiano Orbi utillimo monumento gratias agere ; spondentes nos totis viribus effecturos ut doctrina, quae ab ipso nostri Ordinis exordio docendi rationem constituebat, quamque praestantiores Ordinis Philosophi ac Theologi professi sunt, accuratius iuxta mentem Sanctitatis vestrae in posterum tradatur.

« Interim apostolicam benedictionem pro nobis, ac universo nostro Ordine postulantes, humillime subscribimus

« Sanctitatis Vestrae

« Romae ex Coenobio SSmae Conceptionis B. V. Mariae, die sacro sanctae Catharinae V. et M ann. 1879.

« Subditi ac Filii addictissimi

« F. FRANCISCUS a VILLAFRANCA Comm. Generalis Capuccinus ».

Sequuntur Rmorum Definitorum subscriptiones.

608. VIII. Litterae Rmi Superioris Generalis Missionis et Filiarum a Charitate :

« Très saint Père. Au milieu du concert unanime d'admiration et de louanges, produit dans les Ecoles catholiques et les Familles religieuses qui les dirigent par la lumineuse Encyclique *Aeterni Patris* de votre Sainteté, en date du 4 août de la présente année, le silence que nous avons gardé jusqu'ici ne nous a été inspiré que par le juste et profond sentiment de notre bassesse. Notre chétive compagnie en effet devant, pour être fidèle à l'esprit de son saint Fondateur, se considérer comme la dernière dans l'Eglise de Jésus-Christ, et ses membres comme de pauvres glaneurs recueillant, sur les traces des grands ouvriers de l'Evangile, les épis épars que leurs mains ont laissé échapper, il convenait que d'autres avant nous fissent entendre leur voix, et plus harmonieuse et plus autorisée, pour redire encore au monde catholique : " Petrus per os Leonis locutus est."

« Mais aujourd'hui que nous avons ainsi payé le tribut que réclamait l'humilité de notre condition, qu'il soit permis au successeur de saint Vincent de Paul de se faire, auprès de votre Sainteté, l'interprète et l'écho de la Famille dont il est le père.

« Oui, Très saint Père, nous nous sommes réjouis, en recueillant avec respect de vos lèvres infaillibles cet enseignement clair et précis au sujet du véritable rôle de la Philosophie chrétienne, de l'influence décisive qu'elle est appelée à exercer sur la régénération de notre pauvre Société moderne. Nous avons été heureux d'entendre votre voix apostolique nous montrer cette Philosophie revêtant une forme lumineuse et féconde sous le regard profond de l'Ange de l'Ecole, et recommander à l'Univers catholique de puiser à cette source pure et limpide les eaux salutaires d'une saine doctrine.

« Et comment pourrions-nous avoir d'autres sentiments, nous qui avons recueilli et conservons comme un précieux héritage de notre B. Père, saint Vincent, la recommandation de nous tenir en garde contre toute doctrine nouvelle ? " Quandoquidem novae, " disent nos saintes Règles, " aut particulares opiniones plerumque nocent et suis auctoribus et sectatoribus." [1] Et les Instructions spéciales destinées à ceux des nôtres qui sont chargés d'enseigner aux jeunes clercs les sciences philosophiques et théologiques ajoutent : " Novis et singularibus opinionibus... non adhaerebunt, nedum iis Scholasticorum mentes imbuant; sed eas amplectentur sententias quae a sapientioribus et doctioribus propugnantur. " [2]

« Comment n'entendrions-nous pas avec bonheur votre Sainteté louer la doctrine du Docteur Angélique, quand nous lisons dans ces mêmes Instructions, qui servent à diriger l'enseignement de nos Séminaires : " Sancta semper apud ipsos erit reverentia sancti Thomae placitis debita; honorifica semper erit sancti Doctoris mentio; nec ab illo recedent, nisi validis et vulgo receptis rationibus ducti, ut exempli gratia, in quaestione de Immaculata Conceptione B. Mariae Virginis " ? [3]

« Aussi, Très saint Père, notre petite Congrégation, approuvée par le Siège apostolique pour travailler à la formation du Clergé, et appelée par la confiance de Nosseigneurs les Evêques à exercer ces fonctions si délicates et si importantes dans un grand nombre de Diocèses, trouve-t-elle dans l'Encyclique *Aeterni Patris* un puissant encouragement à marcher avec plus de fidélité dans la voie que lui a tracée son saint Fondateur, et à s'attacher de plus en plus aux doctrines si sûres de l'Ange de l'Ecole.

[1] *Reg. Comm.*, cap. XII, § 7.
[2] *Reg. Profess.*, § 5.
[3] Ibid., § 6.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

« Soyez donc béni et remercié, Très saint Père, de tout ce que nous trouvons de consolation, de lumière et de force dans ce précieux Document. Daignez aussi de nouveau recevoir l'assurance de notre filial dévouement pour votre Personne auguste et sacrée, comme aussi de notre entière obéissance à ses moindres désirs.

« Prosterné humblement à vos pieds, que je baise avec amour, je sollicite instamment votre bénédiction apostolique pour la double Famille de saint Vincent et son indigne Chef.

« De Votre Sainteté

« Le très humble Serviteur et Fils bien dévoué

« A. FIAT Supérieur Général de la Mission et des Filles de la Charité ».

609. IX. Litterae Rmi Abbatis Lirinensis et Vicarii Generalis totius Congregationis Cisterciensium Senanquensis:

« Beatissime Pater. Fr. Maria Bernardus, Abbas Lirinensis et Vicarius generalis totius Congregationis Cisterciensium Senanquensis, cum monachis suis, provoluti ad pedes Sanctitatis vestrae, indulgentiam petunt, ut occasione Litterarum encyclicarum de philosophicis sancti Thomae disciplinis tradendis datarum, gaudium suum et grati animi significationem manifestent; admirantes quam maxime summi Pastoris sui in profliganda saeculi impietate zelum et vigilantiam, necnon in pascendis ovibus et agnis illi commissis teneram sollicitudinem. In Scholis vel scriptis Congregationis suae, mentem ac principia Angelici Doctoris, semper sibi fore normam docendi, solemniter promittunt ac spondent. Ipsi vero, si non sibi datur Vincentii et aliorum sanctorum Patrum suorum scientiam aemulari, eorundem tamen devotionem erga beati Petri Sedem, et constantiam adversus haereticam et omnem inimicam pravitatem, sperant se, Deo iuvante, imitaturos. Porro humillime implorant Sanctitatis vestrae apostolicam benedictionem ».

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

§ V.

LITTERAE CAPITULORUM, COLLEGIORUM, ACADEMIARUM ET SODALITATUM.

610. I. Litterae Rmi Capituli Ecclesiae Cathedr. Veronensis:

« Beatissime Pater. Nil sane opportunius, nil iucundius christiano nomini accidere poterat, Beatissime Pater, Litteris tuis encyclicis *Aeterni Patris*, quibus doctrina singulari, mira eruditione, gravissimis iisdemque sanctissimis argumentis philosophica studia in Ecclesia Catholica rite instaurare satagens, rectam tutamque viam ostendis, qua lamentabiles ruinae ab inani, falsa et exitiali philosophia humano generi illatae, tandem aliquando sarciri queant, et fructus uberrimi verae salutarisque sapientiae ubique exoriantur, vigeant et maturescant. Quibus scilicet opinionibus mentes hominum imbuuntur, iis et vitam moresque privatos regi, et ipsam civilem Societatem necessario informari compertum est.

« Quid autem luctuosius, in tanta rerum humanarum divinarumque perturbatione, quam effrenis illa et assidua opinionum sententiarumve pugna, qua non sine magno virium dispendio, animorum dissidio et Ecclesiae matris nostrae detrimento, omnium filiorum suorum opera indigentis, cunctosque ad errores convellendos excitantis, in varias et oppositas distracti scholas, Catholici quoque homines quotidie contendunt et paene digladiantur?

« At tu, Beatissime Pater, omnium vires animosque consociaturus, veluti sidus amicum ad hominum ingenia prorso tramite in veritatis portum deducenda, Thomam Aquinatem, Doctorem Angelicum universis commonstrasti, qui divino quasi lumine illustratus tam acer exstitit omnimodae veritatis investigator et vindex, ut singulare catholicae Ecclesiae praesidium et decus communi nostrorum et hostium testimonio praedicetur.

« Quanto catholici nominis plausu vox haec tua, Patris et Magistri providentissimi, exaudita sit, unanimus observantiae motus in te, innumeris significationibus, ab Orbe universo prorumpens, luculentissime testatur; quam quidem mentium et voluntatum concordiam in Ecclesiae Dei bonum magni aliquid portendere non dubitamus.

« Ad nos quod attinet, alte profitemur, nos omnes, Cathedralis huius Veronensis Ecclesiae Canonicos, Litteras tuas lubentissime excepisse, illis non ore tenus sed pleno et exsultanti mentis et cordis obsequio adhaerere, eoque sensu religioso illas habere et interpretari, quo sensu per te acci-

piendae atque observandae traduntur. Nos quidquid respuis, proiicimus; a quibus retrahis, fugimus; quaecumque proponis, amplectimur. Nobis non iussa modo tua capessere, sed et consilia sequi, et vota ac desideria antevertere sanctum est.

« Ad hos animi nostri sensus tibi aperiendos, Beatissime Pater, secundissimam occasionem duximus, cum maximi Thomae iam adpetunt Festa solemnia, isthic in Urbe tua honoribus insolitis concelebranda, tibique ob iuvenilis certaminis recordationem iucundissima; diem autem hunc auspicatissimum caeteris consulto praetulimus, qui te tergemino redimitum diademate Orbi terrarum Parentem, Doctorem, Regemque maximum dedit: tu vero, Beatissime Pater, nobis fausta cuncta precantibus, tuosque sanctissimos pedes deosculantibus apostolicam benedictionem, quam enixe petimus, impertire ne dedigneris.

« Veronae, ex aedibus Capituli Ecclesiae Cathedralis, V nonas martii anno MDCCCLXXX.

« Sanctitatis tuae

« Obsequentissimi, addictissimi Filii

« Aloysius Perbellini Archipresbyter ».

Sequuntur Rmorum Canonicorum subscriptiones.

611. II. Litterae Rmi Capituli Ecclesiae Cathedr. Tridentinae:

« Beatissime Pater. Epistola tua, cuius initium *Aeterni Patris*, ingenti bonorum omnium gaudio ubique terrarum recepta, Capitulo quoque Ecclesiae Cathedralis Tridentinae laetitiam eo maiorem attulit, quo magis urget necessitas libertatem cogitandi hodie grassantem coërcendi. Quae libertas, a Lutheri impia doctrina progenita, tales tantosque errores in mundum invexit, ut nulla sit veritas, licet omnium gentium comprobata consensu, et gentilium philosophorum etiam auctoritate suffulta, quam delirantes saeculi nostri doctores impugnare ac reiicere ausi non sint. Cum autem haec sit causa praecipua malorum, quae tum ecclesiasticam, tum civilem Societatem hoc aevo perturbant, quid magis erat optandum, quam ut ipsa apostolica Sedes, serpenti huic philosophandi libidini aptum, sollicitumque afferret remedium? Quod tua sapientia, Beatissime Pater, praestitit pervulgata *Aeterni Patris* Encyclica, qua philosophicum Divi Aquinatis systema, non tam humano studio quaesitum, quam potius a Christo traditum, atque suggestum, commendas enixe Ecclesiae Praesulibus, eosque hortaris, ut celeberrimi huius sancti Doctoris dogmatibus ac sententiis scholasticam iuventutem imbuendam curent, quo fiet, ut, hac praeeunte face, adolescentes veram sapientiam addiscant, errores vero, si quando sparguntur, subodorare, et refellere valeant. Utinam Aquinatis principia Scholas et universas Academias invaderent! Quod si contingeret, profecto, sublata opinionum varietate, homines uni veritati adhaererent, et Societas, tot agitata procellis, aerumnisque pene confecta, tandem conquiesceret.

« Nos autem Canonici Ecclesiae Cathedralis, mentem quoque Clericorum totius Dioecesis interpretati, profitemur praeceptis tuis, ac monitis inhaerere velle, atque satagere, ut divi Aquinatis *Summae*, cum commentariis a te iam recensitis, et in posterum indicandis, quocumque alio posthabito, ad philosophicam iuventutis institutionem iugiter adhibeantur, earumque meditatio inculcetur omnibus veritatis cognoscendae studiosis. Absit, a tuis praeclaris monitis et sapientissimis documentis recedamus unquam, qui totius orbis Magister a Deo optimo maximo constitutus es.

« Praeter vitam longaevam, omnia bona tibi Dominus largiatur, ad Ecclesiae suae sanctae incrementum; et ne fides nostra et obedientia erga Petri Cathedram aliquando vacillet, nobis Sanctitas tua apostolicam benedictionem dignetur impertiri.

« Tridenti, Kal. mart. an. MDCCCLXXX.

« Obedientissimi Filii

« Ioannes Haller, Praep. et Vic. Capit. ».

Sequuntur Capituli subscriptiones.

612. III. Litterae Rmi Collegii Parochorum Parmae:

« Beatissime Pater. Epistola encyclica Sanctitatis tuae *Aeterni Patris*, quae instar fulgur egrediens, et ab Oriente parens usque ad Occidentem, ictu oculi circumivit atque excussit Orbem, tantam veritatis lucem effundit, tantaque gaudet praestantia, ut nemo sit qui eam veluti altissimae sapientiae monumentum et amplecti et revereri non obstringatur.

« Hanc propterea summa excepit veneratione et laetitia venerandum Parmae Parochorum Collegium.

« Per hanc enim Sanctitas tua in volumine divinarum Scripturarum humanae familiae vicissitudines recogitans, vitia et pericula ipsi ingruentia ostendens, erroresque undequaque serpentes, speciatim in philosophicis disciplinis, detegens, ipsam humanam familiam ad supremam eiusdem praeordinationem evehere conatur.

« Ut hoc securius assequatur Sanctitas tua, solemni oraculo universo Clero, et praesertim ecclesiasticae iuventuti enixe studium consuluit divi Thomae Aquinatis, qui uti Theologorum et Philosophorum facile Princeps, purissimae suae doctrinae fulgore nobis veritatis tutum dictaret iter,

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

sophismatum fallacias obtruderet, atque errorum tenebras discuteret. Unde sic venerandum scientiarum templum ab ipsis detergatur, et detersum consistat: sicque finem assequamur a Beatitudine tua peroptatum, videlicet scientiarum omnium cultum et incrementum, religionis tutamen et decus, humanaeque familiae bonum.

« Hinc est, quod, sicut Parochorum Parmensium Collegium Angelicum Doctorem hucusque habuit Magistrum, sic, ne doctrinis variis et peregrinis abducatur, secum secuturum in posterum firmius constituit, atque maiora pocula hausturum de illo perdivite fonte, ex quo tam pura, mira, et salubris scatet doctrina.

« Quo tempore Collegiati Parochi Parmenses totis viribus Sanctitati tuae, de tot saluberrimis ipsis exhibitis monitis, summas rependunt grates, genibus flexis humillime apostolicam tuam expostulant benedictionem.

« Datum Parmae, ex venerando Parochorum Collegio, hac die 20 decembris 1879.

« Carolus Payta Rector Sanct. Omnium ».

Sequuntur aliorum Rectorum et Parochorum subscriptiones.

613. IV. Litterae Rmorum Censorum Academiae Theologicae Romanae:

« Beatissime Pater. Divina Providentia in regendis humanarum rerum vicissitudinibus Ecclesiam Catholicam peculiari semper sollicitudine spectavit, quam comparandae Fidelibus christianis et reliquo generi humano felicitati, quae naturam rationalem decet, et beatitudini sempiternae assequendae constituit. Ideo per iugem RR. Pontificum vigilantiam errores, unde mala profluunt, disiicit, veritatem et iustitiam, unde bona, asserit et propagat. Sed tum potissimum quum homines magis errant et consequentibus premuntur aerumnis, eos dat Pontifices qui aptis animi et ingenii dotibus spectatas a Deo vias rursus commonstrent, ad easque repetendas pro bono omnium communi homines adducant. Hinc labente per barbaros Romanorum Imperio, quum novus ordo humanae Societati instaret, Leo I in Petri Sede constitutus, sapientis eloquii vi praefulgens, immitia barbarorum ingenia mansuefecit, et perniciosas haereses profligavit; hinc Gregorius I diutina Arianorum et Longobardorum damna reficiens, aequioris in Europa ordinis et sequuturae felicitatis fundamenta iecit; hinc Nicolaus I, post receptos in unitatem Fidei populos et christiana regna erecta, vastatum antea bellis et haeresibus Orientem componere studuit. Et certe regiones illas in pristinum splendorem ante mille

annos Nicolaus revocasset, si consilia eius Orientis populi et caeteri, ut par erat, fuissent sequuti. Quos omnes Pontifices Ecclesia et Orbis merito, ob insignia ab eis recepta beneficia, appellaverunt Magnos.

« Nostra vero aetate providissimus Deus ad Petri Cathedram evexit Sanctitatem tuam, quae omnigenam doctrinam mente complectens, statim reperit malorum praesentium originem in everso passim veritatis inveniendae addiscendaeque ordine, et miram dedit Epistolam encyclicam *Aeterni Patris Unigenitus Filius*. In qua doctissime de concordia inter humana et divina disserens, in propatulo posuit, qui Philosopiae studium cum obsequio Fidei christianae coniungunt, eos optime philosophari. Interest enim Reipublicae utriusque, omnes sapientiae studiosos cum regio Psalte dicere: " Secundum verbum tuum da mihi intellectum." [1] Nempe, ut sanctus Ambrosius declarat ibidem, " intellectum secundum verbum Dei: est enim intellectus ad mortem, sicut est prudentia ad interitum... ut est philosophia omnis, quae aliena quaerit, cum sua nesciat; scrutatur coeli plagas, mundi spatia rimatur, quae sibi prodesse non possunt; Deum ignorat, quem solum debet inquirere."

« Quod vitium inesse philosophiae, quae obsequium Fidei detrectat, aetas nostra innumeris iactata malis, nisi videt, misere tamen experitur. Ipsa enim ex mundi visibilis investigatione parta bona prodesse communi societatis humanae utilitati nequeunt, si sempiternae veritatis et iustitiae leges ex perversae philosophiae placitis interim deserantur. Atque haec est plerumque, ut aevo suo Tertullianus iam animadvertebat, materia sapientiae saecularis, temeraria interpres divinae naturae dispositionis.[2]

« Theologiam vero quod spectat, Sanctitas tua opportune monuit eam omnino necesse esse gravi Scholasticorum more tractari, ut revelationis et rationis coniunctis in illa viribus, invictum Fidei propugnaculum esse perseveret. Et scite fovit studium sapientiae Principis illorum et Magistri, Thomae Aquinatis, qui "Doctorum sacrorum doctrinas, veluti dispersa cuiusdam corporis membra, in unum collegit et coagmentavit, miro ordine digessit, et magnis incrementis ita adauxit, ut catholicae Ecclesiae singulare praesidium et decus iure meritoque habeatur."

« Operi saluberrimo, Beatissime Pater, Academia Theologica Romana nunquam deerit, quae ab initio sui principia a Sanctitate tua proposita ac methodum scholasticam coluit et usu perpetuo praescripsit. Idque tibi abunde perspectum est, quem Academia nostra Collegam olim habuisse sibi maximae gloriae, Ducem modo et Magistrum sequi et revereri laudis cumulum esse ducit.

[1] *Ps.* CXVIII.
[2] *De praescript. adv. haer.*, cap. VII.

« Alacrius, quod reliquum est, Academia nostra iamdiu coeptis incumbet, uberioresque, quos exoptat, feret fructus, si Sanctitas tua benedictionem apostolicam, quam enixe flagitat, eidem impertiri dignetur.

« Sanctitatis Tuae

« Ex Aula Academiae Theologicae Romanae, IV kal. febr. 1880.

« Humillimi et addictissimi Filii
« Academiae Theologicae Romanae Censores.

« CAESAR RONCETTI Archiepiscopus Seleuciensis emer.
« Placidus Petacci Episc. Troadae emer.
« Raymundus Pigliacelli Secretarius ».

Sequuntur aliorum Censorum emeritorum subscriptiones.

614. V. Litterae Moderatoris Academiae Viterbiensis Seminarii:

« Beatissime Pater. Academia in Viterbiensi Seminario instituta, quae, te annuente, a Leone XIII nuncupatur, primis novi academici anni comitiis XV kal. decembris habitis, de tua Constitutione *Aeterni Patris* sibi verba facienda esse censuit. At non una fuit Sodalium mens. Haesimus siquidem an nostra erga illam consensio et probatio tibi subiicienda esset, an satius foret tibi de miro hoc tuae sapientiae monumento gratulari, et de singulari elogio, quo thomistica studia prosecutus es, gratias agere. Quid nobis opus est hac adhaesionis significatione? Noster hic ordo eo potissimum consilio obtinuit et viget, ut Philosophia et Theologia scholasticis placitis, pristinaeque dignitati restitutae, in studiorum encyclopaedia principem locum postliminio recuperent: nihil nobis antiquius, quam illam veterum sapientiam provehere, amplificare, exornare et vindicare; quae satis innuunt quanto studio et amore Constitutionem tuam excepimus, et fovemus.

« Hae igitur, quas ad te damus litterae, si una hac adhaesione contentae essent, ineptae ac prorsus frigidae nobis viderentur, et fortasse etiam tibi. Opportunius itaque ducimus tecum, Beatissime Pater, gaudere, quod episcopalis Coetus, caeterique sacri Praesules lubentissimis animis tibi dicto audientes iam ubique scholas ex tuo voto constituant; quod in Ss. Patrum doctrina restituenda, expolienda, et typis mandanda plures optimi magistri insudent; quod ipsi populorum rectores ex saluberrimis tuis Litteris, afflictis Reipublicae rebus, magnum manare posse praesidium intelligant et fateantur; quod catholica Ecclesia ex optato connubio inter Fidem et Scientiam quod moliris, et in quod totus incumbis, maximam in spem erigitur fore ut brevi in pulchritudine pacis conquiescere liceat; quod denique iucundissima nos voluptate perfuderis, cum Aquinatis doctrinam, quae iam nostra erat, tali honestaveris testimonio, ut sequentibus aetatibus nemo divum Thomam laudare poterit, quin a tuis huiusce Constitutionis verbis auspicetur.

« Eia igitur, Beatissime Pater, inter eos, quos enixe amas, nos recense, quia divum Thomam et nos enixe amamus, nosque ampliore apostolica benedictione dignare, ut saltem inter nostrates tanti Doctoris amorem accendamus, perpetuoque foveamus.

« Datum Viterbii, X kal. decembr. MDCCCLXXIX.

« Academiae Moderator
« Pr. SIMON MEDICHINI ».

615. VI. Litterae Praesidis et sociorum Academiae Theologico-Philosophicae Neapolitane:

« Beatissime Pater. Inter innumeras gratulationes, ad pedes tuos a viris sapientibus delatas, ob tuas encyclicas Litteras, quibus statuis sancti Thomae Aquinatis doctrinam in prima honoris sede collocandam, ut sana atque solida Philosophia ubique locorum instauretur, benigno vultu excipe actiones gratiarum nostrae Academiae Theologicae ac Philosophicae Neapolis. Ipsa siquidem Doctori Angelico inscripta, sexto ab eius obitu saeculo recurrente, tota in eo est ut doctrina ac methodo ne latum quidem unguem a tanto Magistro discedat, simulque, quae a sancta romana Sede traduntur, fidelissime custodiat. Quod non mediocri merito illi vertens desideratissimus decessor tuus Pius papa IX, quae eius benignitas erat, Praesidi, Consilio et Sodalibus Academiae rescripsit: " Vos igitur, quorum zelum et scientiam tanto proposito parem facta et edita quoque scripta testantur, etiam atque etiam hortamur, ut alacriter ineatis opus, omnesque intendatis ingenii vires ad instituendas, sancto Thoma Duce, sana solidaque praeceptione mentes, praevertendaque sic exitiosissima falsae scientiae pericula et detrimenta." Verum tu ipse, Beatissime Pater, eximia qua polles comitate, non semel, sed iterum atque iterum huius nostrae Academiae specimina ac lucubrationes laudare, nobisque vires addere voluisti.

« Iure igitur meritoque nihil optabilius nobis accidere poterat, nihil iucundius, quam celebratissima illa Epistola tua, qua ad puram ac propriam Aquinatis doctrinam sectandam omnium animos vehementer incendis. Si quid enim, nostrorum studiorum curriculo, ad progressum scientiae tum theologicae tum philosophicae inter nostrates fortasse contulimus, ex illis profecto fontibus hausimus, quos Ecclesiae Patres, Doctores scholastici et praecipue eorum princeps sanctus Thomas Aquinas, limpidissimos nobis reserarunt. Quod opus suscepimus, id, te auspice, implere percupimus: hac de causa tibi summo ac sapientissimo legifero morem gesturos pollicemur.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

« Hoc autem in genua provoluti ad summi tui Pontificatus thronum testatum volumus ea ipsa die, cum catholica Christi Ecclesia festum celebrat Angelici Doctoris, qui ut Sol resplenduit virtute et doctrina, et anniversaria lux fulget publicae illius theologicae ac thomisticae disputationis, quam tu habuisti discipulus, quinquaginta abhinc annis, totius Orbis fidei et morum Magister futurus.

« Adsit itaque nobis coelestis gratiae auxilium tua benedictione collatum, quae amantissimum Archiepiscopum et Academiae Praesidem, Socios omnes, universumque Neapolitanum Clerum tutetur ac sospitet.

« Pro nomine omnium Sociorum

« Canonicus ANTONIUS D'AMELIO Praesidis vicem gerens ».

Sequuntur Consiliariorum Academiae subscriptiones.

616. VII. Litterae Rev. Collegii theologici Ianuensis:

« Beatissime Pater. Quamvis summorum Pontificum verba tum ob divinam, unde dimanant, auctoritatem, tum ob singularem, quae ea semper informat, sapientiam, veneranda toto Orbe terrarum personent, summoque cum amore ab omnibus qui isti Cathedrae adhaerent, excipiantur: vestrae tamen Litterae, Beatissime Pater, prid. non. sext. vertente anno datae, quibus philosophicae doctrinae ad mentem Angelici Doctoris tradendae ratio commendabatur, animos nostros peculiari omnino ac insueta laetitia perfuderunt.

« Quid enim nobis optabilius, quid opportunius, quid magis ad institutum nostrum pertingens, qui toti in eo sumus ut studiorum incrementum in Cleris promoveamus, et ephebos praesertim ad sapientiam per tutissimum quemque tramitem adducamus?

« Licet enim Theologia a principiis procedat quae humanae rationis vires excedunt; nullus tamen ignorat quantum sanae Philosophiae usus ad rectam ac perspicuam theologicarum rerum explanationem conferre debeat. Iam vero Doctor Aquinas mirabili ac prope divino pollens ingenio theologicam philosophicamque materiem iusto foedere iunxit, quo in asperrimas quasque vias tutissime procedens, princeps non minus inter Philosophos quam inter Theologos evasit. Quum enim philosophicas disciplinas, praeeunte revelationis face, a Gentilium erroribus purgasset, ipsas deinde ad sacrae doctrinae illustrationem convertit, easque ut ad dilatandam theologicarum deductionum provinciam inservirent adegit.

« Et sane quanto quisque accuratius Aquinatis volumina perlegerit, quanto penitius ea fuerit perscrutatus, hanc sibi profundius persuasionem in animum inducet, illum omnia complexum fuisse problemata, quae quovis aevo argutissimorum ingeniorum aciem exercuerant, eaque nullo labore

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

solvisse, omnes adortum esse difficultates, quibus tum theologica scientia, tum philosophica redundat, easque intra humanae intelligentiae fines facillime enucleasse. Quis in disputando subtilior? quis in erroribus persequendis profligandisque validior? quis in contemplandis perspiciendisque rebus altissimis sublimior? quis tutior in iudicando? At mirum praesertim est quomodo ipse Philosophiam eminenter christianam tradat, in qua humana ratio in divinum Verbum tanquam in " amicum sidus, " ut Sanctitas vestra loquitur, semper intenta suas libere explicat vires, et difficillimas quasque abditissimasque commentationes aggreditur.

« Quibus rebus omnibus dum nos venerabundi profundam Sanctitatis vestrae sapientiam ac apostolicam sollicitudinem admiramur, simul animadvertimus novum in nobis ardorem excitari erga sacra studia ac praecipue erga angelici Thomae doctrinam, nosque in ea sententia confirmari sentimus, Aquinatis documenta, quippe vera, immutabilia esse, ac tot post saeculis exactis vivida semper esse et aptissima ad huiusce temporis errores repulsandos.

« Nec illud praetereundum quod, quum arcano quodam vinculo omnia contineantur quae ad verum quaeque ad pulcrum pertinent, admodum sane ad optimorum studiorum cultum promovendum contulerit, si et scientiae, et litterae, et artes ad puros et nativos veritatis fontes iterum deducantur. Et in hac praesertim animorum agitatione ac tumultu necesse omnino est ut Philosophia christianam induat indolem, si hominum genus aliquem in humanitate progressum, quem tantopere iactat, facere certissime velit.

« Illis praeclarissimis et in aevum celebrandis Sanctitatis vestrae Litteris Christifideles ubique terrarum commoti, et ad tutissimum rationis cultum erecti, Episcopi praesertim, utpote purae doctrinae dispensatores ac vindices, nec non Coetus academici ad sacrarum disciplinarum incrementum ordinati, sapientissimum Sanctitatis vestrae de instaurando thomisticae Philosophiae studio consilium cum plausu et grati animi significatione excipientes, novum huic et futuris aetatibus argumentum praebuerunt illius mirae unitatis, non Fidei tantum, sed et cordis et mentis, quae nullibi nisi in vera Christi Ecclesia constare posset. Quam ex hac Catholicorum omnium concordia magnanimum Sanctitatis vestrae cor laetitiam perceperit, haud difficile fuisset coniicere, sed eam placuit Sanctitati vestrae expromere per alteras easque sapientissimas Litteras ad Eminentissimum De Luca S. R. E. Principem ac Sacro Consilio studiis regundis Praefectum idib. octobr. datas. Inde scimus Sanctitatem vestram non solum decrevisse ut Coetus Academicus in urbe Roma instituatur, qui sancti Thomae Aquinatis nomine et patronatu insignis, eius doctrinae provehendae auctor evadat, ex quo qui sint exspectandi fructus, vestra Sanctitate ipsa

inspectante, nemo non videt; sed etiam ut per novam, eamque accuratissimam Operum sancti Doctoris editionem communi omnium desiderio satisfiat.

« Maximam igitur quae haberi possit sapientissimis Sanctitatis vestrae documentis reverentiam profitentes, nos praecipuam deinceps officii nostri partem esse censebimus tum thomisticae disciplinae studium persequi, tum curare ut ipsa, quo fieri possit, quaquaversus evulgetur, et in dies magis magisque augeatur.

« Hos animi nostri sensus Sanctitati vestrae protulimus tanquam illius immutabilis amoris indicium, qui nos isti beati Petri Cathedrae devincit. Bonae subscriptorum voluntati et conatibus vires addet benedictio, quam ad Sanctitatis vestrae pedes provoluti enixe petimus.

« Genuae, idib. novembr., anni MDCCCLXXIX.

« SALVATOR Archiep. Magnus Cancellarius ».

Sequuntur Collegii Sociorum subscriptiones.

617. VIII. Litterae Rev. Collegii Theologici Parmensis:

« Beatissime Pater. Epistolam tuam encyclicam *Aeterni Patris* laetissimo animo almum Theologorum Collegium Parmense, excepit, et veneratum est uti novum, mirum, et nunquam defuturum monumentum summae sapientiae. Summa enim sapientia est mala societatem ingruentia vel tollendi, vel praepediendi media exhibere.

« Per hanc propterea Sanctitas tua tanta hodierna errorum colluvie perspecta in philosophicis disciplinis, qui magnopere officiunt et disciplinis sacris, solemniter proposuit et enixe consuluit universo Clero, ac praesertim iuventuti, Angelici Doctoris studium, qui uti fulgidissimum sidus, radiis purissimae suae doctrinae errorum tenebras discuteret, nosque veritatis tutum doceret tramitem.

« Beatissime Pater, Doctores Collegiati Parmenses ad pedes Sanctitatis tuae procidentes, totis viribus summas tibi rependunt grates de tot sapientissimis monitis iisdem exhibitis.

« Ipsi tamen, sicut hucusque doctrinis divi Thomae adhaeserunt, sic tenacius adhaerebunt in posterum, et, opitulante scientiarum Deo, Sanctitati tuae firmissimo spondent animo, se potaturos semper fore ad illum ditissimum fontem, atque ad eiusdem rivos, ex quibus superabundanter erumpit Angelici Doctoris doctrina.

« Praefati Doctores genibus flexis humillime expostulant apostolicam benedictionem.

« Beatitudinis tuae

« Datum Parmae, ex aedibus Collegii Theologici, hac die 13 sept. 1879

« Canonicus IOSEPHUS BUSLENGHI Collegii Prior ».

Sequuntur aliorum subscriptiones.

618. IX. Litterae Rev. Collegii Advocatorum a Sancto Petro Regii in Aemilia:

« Beatissimo Padre. I mali, onde è aggravata l'età nostra sono tutti provenuti da quella superba scuola, la quale da tre secoli inalberò il vessillo della ribellione colla famosa parola " Riforma ".

« Da quella tutte le teorie false, che esaltando la fantasia dell'uomo a non riconoscere sovra di sè alcuna divina autorità, lo hanno poi in pena del suo peccato abbassato alla tristissima condizione, dalla quale non sa sollevarsi, e nella quale barcollando egli fra le tenebre della più cupa notte, ha perduto ogni traccia della sua origine, ed ogni sentiero verso la meta gloriosa per la quale fu dall'Altissimo creato. Ed è perciò che egli aggravato sotto il peso della materia, abbandonato all'impeto delle terrene passioni, crede aver raggiunto il culmine del suo incivilimento là dove invece giace sommerso nella più compassionevole fatale barbarie.

« Voi pertanto, Previdentissimo Padre, avete aperto il cuore alla speranza di noi vostri umilissimi figli sottoscritti, quando a frenare un tanto traviamento, avete colla vostra immortale Enciclica *Aeterni Patris* richiamata l'umanità intiera ai supremi libri dell'angelico Dottore, il quale con una filosofia irradiata dal lume della Fede, e santificata dalla purità della vita, divenne Maestro di quella unica scuola la quale sa innalzare l'uomo infino a Dio, non colla sagrilega pretesa di farsi Dio egli stesso, ma colla serenità di un'anima la quale a' piedi suoi si prostra per adorarne la misteriosa grandezza, e per osservarne i comandamenti sapientissimi, che soli possono in questa terra rendere prospera e nobile la vita dell'individuo e della Società.

« La vostra voce, o Beatissimo Padre, si è innalzata al disopra del fragoroso strepito dei popoli agitati dalla frenetica e non mai saziata brama di un bene che mai raggiungono, e dal quale anzi sempre più si allontanano. La vostra voce ha indicato la dottrina della salute, ed essa onnipotente, perchè infallibile, penetrerà nella mente di questi popoli; e tutti finalmente prostesi alle vostre ginocchia a voi domanderanno e da voi otterranno quella pace di cui sentono urgentissimo il bisogno.

« Questo è il voto che noi innalzammo a Dio nell'atto di ammirare la vostra santissima parola; e questo è pure il voto che noi rinnoviamo dinanzi a voi stesso, o Beatissimo Padre, nell'atto in cui ai vostri piedi umiliamo la piena e figliale nostra adesione a quella parola, implorando sul nostro capo e sulle nostre famiglie la paterna e santa benedizione.

« Reggio Emilia, 6 dicembre 1879.

« Umilmi obbmi e devmi Figli

« Componenti il Collegio degli Avvocati di San Pietro ».

Sequuntur subscriptiones.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

619. X. Litterae Sodalitatis dioecesanae Veronensis:

« Beatissimo Padre. Quantunque il Comitato Diocesano non presieda e non rappresenti che associazioni di loro natura laicali, e per ciò stesso composte per la più parte d'uomini poco versati nelle teologiche e filosofiche discipline; tuttavia questo della Diocesi di Verona non vuole lasciare passare la opportunità di fare un nuovo atto d'omaggio a vostra Santità coll'aderire pienamente ed esplicitamente alla immortale Vostra Enciclica *Aeterni Patris*. Sì: noi abbracciamo con sincerità i precetti, i consigli, le esortazioni che essa contiene, e formiamo i più ardenti voti che in tutto l'universo i vostri giusti desideri, e le vostre sapienti vedute sieno integralmente adempiuti, e conseguano gli effetti intesi dalla vostra paterna sollecitudine. Benedite, S. P., noi e tutti i Comitati parrocchiali di questa Diocesi.

« Verona, 2 marzo 1880.

« CORIS BARTOLOMEO CESARE Can. Teol. Presidente ».

Sequuntur Sociorum subscriptiones.

620. XI. Litterae Sodalitatis Iuventutis Catholicae Veronensis a Sancto Zenone nuncupatae:

« Beatissimo Padre. L'universale ammirazione dei buoni destata dalla vostra Enciclica *Aeterni Patris*, e le numerose adesioni che essa va raccogliendo, fanno sì che anche il Circolo di San Zenone della Gioventù Cattolica senta il prepotente bisogno di manifestare una volta di più i sentimenti del suo affetto filiale verso di voi, o Padre santo, che in mezzo alle tenebre del secolo, in mezzo ai mali che aggravano la Società tutta, vi mostrate faro luminoso di verità che addita il porto della salute.

« È vero, o Padre santo, che poveri giovani non possiamo comprendere le più sublimi verità della Filosofia e della Teologia dimostrate dal grande Aquinate, ma è pur vero che, sebbene giovani, noi comprendiamo che l'errore è la causa unica della rovina della povera Società e che provvidenziale e grande è la vostra idea di richiamare quest'ultima sul retto sentiero che conduce a Dio via, verità e vita.

« Arruolati nelle file di una Società che, fidente nell'aiuto celeste, ha per scopo di concorrere secondo le sue deboli forze alla grand'opera della rigenerazione sociale, noi applaudiamo di cuore a voi che ad essa appianate la via, e vi dichiariamo che sarà sempre nostra cura rendere in tutte le varie occasioni che presenta la vita un omaggio a quella verità di cui voi siete il depositario.

« Benedite, Santo Padre, i giovani tutti del Circolo San Zenone.

« Verona, 4 marzo 1880.

« Avvocato GIUSEPPE ZAGLIO Presidente ».

Sequuntur Sociorum subscriptiones.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

621. XII. Litterae Sodalitatum dioecesanarum et parochialium Mediolani:

« Beatissimo Padre. Nel concerto di tante voci di uomini dotti, zelanti, autorevoli che vi acclamano instauratore della scienza cattolica, e si impegnano con solenne promessa a sostenere e diffondere l'insegnamento filosofico secondo i principii di san Tommaso d'Aquino, permettete che uniscano l'umile loro atto di adesione i sottoscritti membri del Comitato Regionale Lombardo, del Comitato Diocesano Milanese e dei Comitati Parrocchiali della Città, rappresentati innanzi a voi dagli illustri loro confratelli monsig. Luigi Nicora, vostro cameriere segreto, e marchese Giulio Stanga, vostro cameriere di cappa e spada.

« Tra le opere specialmente raccomandate alla nostra attività dai Congressi cattolici, primeggia quella dell'insegnamento, che vorrebbesi fosse libero da tanti ceppi, informato dalla religione, diretto ad istruire le menti alla verità ed a educare i cuori al bene, e benchè poco ne sia concesso di fare e di promuovere nella nostra regione in fatto di scuole, quel poco però promettiamo di volerlo in conformità ai vostri desiderii. Non invano apprendemmo dalla vostra ammirabile Enciclica *Aeterni Patris* che nelle Scuole cattoliche devesi insegnare la Filosofia di san Tommaso, solo questa, attinta alle fonti più sicure ed esposta da interpreti fedeli; e ci sforzeremo perchè questo vostro comando trovi in noi tutti figli ubbidienti e disposti ad assecondarlo.

« Avvalorate, Beatissimo Padre, colla vostra benedizione questo nostro proposito; benedite le nostre famiglie, le opere da noi qui promosse, e concedeteci che prostrati al bacio del sacro piede ci protestiamo

« Di Vostra Beatitudine

« Osseq. devoto u.mo Figlio e Servo

« Pr. LUIGI NICORA C. O.

« Milano, 3 marzo 1880 ».

Sequuntur Sociorum subscriptiones.

622. XIII. Litterae Sodalitatis Pio-Litterariae ab Immaculata Matre Dei Venetiarum:

« Beatissimo Padre. Adunata già da cinque lustri sotto gli auspicii della Immacolata Madre di Dio per opera del dotto e piissimo suo Fondatore che fu Mons. Giovanni Battista Piamonte, avvezza da oltre due anni ad invocare per suo Compatrono il Principe dei Filosofi, il glorioso san Tommaso d'Aquino, la Società Pio-Letteraria di Maria Immacolata in Venezia, viene anch'essa innanzi a voi, ad esprimervi con filiale riverenza ed amore la sua gratitudine pei mirabili insegnamenti che la vostra sacra parola impartì al mondo colla celebrata Encyclica *Aeterni Patris*. E ciò facendo non presume già essa di mettere a paro la sua umile voce con

quella ben più autorevole di tanti Prelati ed uomini insigni e lodate Accademie, le quali, com'era ben degno, la precedettero nell'ossequio; sibbene di attestare una volta di più e in più solenne modo la sua sommessione piena e sincera all'apostolico vostro magistero, il suo fermo proposito di cercare il Vero, il Buono ed il Bello per quelle vie soltanto che dalla Fede divina, dall'autorità della Chiesa e dal desiderio vostro sono ad essa tracciate.

« Ravvalorate voi, Padre santo, colla vostra benedizione in questi sentimenti e in tali propositi i membri della Società stessa, che, prostrati ai vostri piedi, con umile fiducia ed amore la invocano.

« Venezia, 22 febbraio 1880.

« Giuseppe Callegari eletto Vescovo di Treviso
« Sac. P. Leonardo Perosa Presidente ».

Sequuntur reliquorum Sociorum subscriptiones.

623. XIV. Litterae Praesidis et sociorum Academiae Scientifico-Litterariae Iuventutis Catholicae Valentiae:

« Santísimo Padre. La Academia Cientifico Literaria de la Juventud Católica de Valencia del Cid, en España, al reinstalarse de nuevo, tras un periodo de sensible interrupción, considera como uno de sus mas gratos deberes acudir á la Cátedra apostólica de vuestra Santidad para con sumisión profunda adherirse á vos, Santísimo Padre, y felicitar cordialmente á vuestra Santidad por la memorable Encíclica *Aeterni Patris*, destinada á unificar la ciencia cristiana, salvar al mundo intelectual de la anarguía que lo envuelve, y dar la preferencia que merece á la purísima y sabia doctrina del Angélico Doctor de las Escuelas santo Tomás de Aguino.

« Esta Academia, Santísimo Padre, como científica y literaria, se adhiere incondicionalmente á la enunciada Encíclica de vuestra Santidad; sigue y no pretende seguir otro sendero en todos sus pasos y taveas estudiosas, que el que le trace la divina e infalible autoridad de vuestra Beatidud y cifra toda su ventura en protestar su amor, obediencia y absoluta union, á esa Sede apostólica, y á la venerabilísima y augusta Persona de vuestra Santidad, que tan dignamente la ocupa.

« Dignese vuestra Santidad, aceptar bondadoso los sinceros y humildes votos da esta Academia, y concederla el consuelo y eficacia de la apostólica bendición para ella, sus miembros y sus familias.

« Valencia, 4 de marzo de 1880.

« Santísimo Padre
« A. L. P. de V. S.

« El Presidente
« Dr. José M. Scopis ».

Sequuntur reliquorum subscriptiones.

§ VI.

Litterae Universitatum.

624. I. Litterae Universitatis Florentinae:

« Beatissime Pater. Pontificis Aeterni, qui semper orat ne tua deficiat fides, auxilio potens tuos confirmasti Fratres, et sapientissimo eloquio quae sunt opportuna tempori monuisti. Pastores alloquens, universo gregi fidelium providere voluit sollicitudo tua: certam ergo fiduciam habemus obsequium etiam filiorum tibi esse iucundum. Quae quidem fiducia in nobis maxima est, quia peculiari modo tui sumus: Collegium enim Florentinum Theologorum, quod per nos Beatitudini tuae praestat obsequium, pro summo honore habet a Praedecessoribus tuis hanc gratiam obtinuisse: appellari " Pontificium." Ecclesiae navis fluctibus iactatam conspiciebamus mente recolentes illa verba: " Ecce ego vobiscum sum." Solamen tristitiae nostrae, divinum Magistrum per te loquentem audivimus, et eadem verba tibi suggerentem, quae olim apostolo Paulo: " Videte, dixisti, ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam: " quibus verbis, animos erigendo, inter tumescentes fluctus viam ostendisti tutam. Optime tempora nosti, et saeculi calamitatem Fidei contradicentem philosophiam: ideoque per divinae sapientiae verbum esse refutanda mendacia humana magna voce clamasti.

« Pro religione tuenda divinam invocasti Sophiam; pro dignitate humana servanda, quantum fieri potuit, laudes tribuisti rationi: nec tuo muneri defuisti. Te enim salutamus Vicarium Christi Domini, qui in unica Persona indissolubili nodo utramque uniendo naturam, divinam et humanam, utramque pariter scientiam perfectissimo modo in se coniunxit.

« Ne vero zelum quo Ecclesiae bono providisti, novam strategiam dicerent, et aliquid te concedere tempori iactitarent, historiae monumenta evolvens, ostendisti omni aevo Ecclesiae Magistros Fidei propugnatores acerrimos fuisse, et simul inter Philosophos habuisse primatum. Quos inter tibi laudare placuit Virum illum, cui tanta ingenii vis, quae humanam capacitatem excedere videretur: inde Angelicum dixerunt. De omni scientia sibi thesaurizavit; divina et humana docuit summus ille Magister, qui ratiocinandi vim in ordine et methodo repositam esse noscens, Aristotelis dialecticam mirabili modo Fidei aptavit, et ad sacram tuendam arcem graecum Philosophum coëgit fieri christianum. Omnia novit quae ratio potest excogitare, omnia praevidit illa mens neque est error cui Thomas Aquinas invictissime non respondeat. Quapropter summo gaudio laetati

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

sumus quando, Episcopos alloquens, pro temporum necessitate talem proposuisti Magistrum.

« De Angelico Doctore nobis videntur dicta verba, quae leguntur de sapiente viro: "In medio magnatorum ministrabit, et in conspectu praesidis apparebit." In medio Episcoporum, et coram te, Beatissime Pater, adstantem salutamus divum Thomam Magistrum atque Doctorem.

« Cum autem tibi placuerit etiam excitare Academias, benigniter hoc accipe votum: divi Thomae doctrinam sequi nostrum erit gaudium, nostrum pariter studium. Ne voluntati vires desint, auxilium poscimus a Deo, sine quo nec velle possumus aliquid, nec perficere; Beatitudinem autem tuam, ut nobis benedicere dignetur humiliter deprecamur.

« Florentiae, die 3 decembris 1879.

« EUGENIUS Archiep. Florentinus Universit. Praeses ».

625. II. Litterae Rectoris et Professorum Universitatis catholicae Parisiensis:

« Beatissime Pater. *Aeterni Patris* apostolicae Litterae, postremo augusto ad universam Ecclesiam datae, ineffabili nostros animos laetitia perfuderunt. Equidem non tam novum inexploratumque iter nobis praemonstrare visae sunt, quam itineris iampridem alacriterque suscepti comprobationem stimulis plenam continere.

« Profecto, quum Universitati catholicae Parisiis renascenti, Aquinatis doctrina, singulari Dei beneficio veluti honestissima superioris aetatis haereditas, obtigisset; de itinere capessendo nobis diu anxiis dubiisve esse non licebat. Academiae Parisiensi, maximam et Magistrorum nobilitate et discipulorum copia famam apud reliquas gentes olim consecutae (quod Encyclicis Sanctitatis tuae Litteris recordatum gratulamur), nihil antiquius exstitit, solemnius nihil quam sancti Thomae doctrinam, vel ex vivido ipsius ore, vel ex praestantissimis saltem interpretibus haurire. Rem ita et non aliter obtinuisse illico patebit academicos Parisiensis atque aliarum Universitatum annales inter se conferenti. Quapropter, ne tot tantisque maioribus indigni prorsus videremur nepotes, gloriaeve nostrae crimen inferremus,[1] Professores qui, in academico Universitatis nostrae Seminario, Theologiae, scientiarum omnium rectrici, tradendae praepositi sunt, ad volumina sancti Thomae diligenter versanda se totos contulerunt. Ex suprema vero Theologiae cathedra angelicus Aquinatis spiritus, in reliquas Universitatis cathedras facultatesque dimanans, Professores discipulosque omnes intus alit ac fovet. Optimo quidem consilio, ac in primis necessario id factum censemus, Beatissime Pater.

[1] *Mach.*, IX, 10.

« Universitatibus enim Catholicis unus idemque, ac Beato quondam Thomae, finis est propositus, quem finem dogmatica sanxit formula Concilium Vaticanum: "Nulla unquam inter Fidem et Rationem vera dissensio esse potest."[1] Huiusmodi profecto finis nulla prorsus ratione attingetur, nisi per sinceram christianae Philosophiae instaurationem. Christianae vero Philosophiae Magistrum omnium longe nobilissimum exstitisse Aquinatem, quis ambiget? Ipsius enim ore, prout Sanctitatis tuae Litteris rursus edocemur, adhuc loquentes audire est celeberrimos quosque in praeteritis retro saeculis christianae Philosophiae antesignanos ac praeformatores: Tertullianum, Clementem Alexandriae, itemque Cyrillum, Basilium, utrumque a Nazianzo et a Nyssa Gregorium, Athanasium, Damascenum, tum praeter supraque omnes, Augustinum. Cuius libros, ut constans usque in hanc diem fama perstat, Thomas diurna nocturnaque protriverat manu; fideli commiserat memoriae; intellectu, quod caput est, introspexerat angelico. In Aquinatis itaque disciplinam convenimus toti ac fidentes, nobis enim persuasum est Philosophiam christianam, quoad praecipua saltem rationalis doctrinae capita, iamdiu fuisse adornatam. Quam quidem sententiam is tantum in dubium adducet, qui vel adeo sit in christiana scientiarum historia hospes ac peregrinus, ut nesciat praeclarissima cuiusque aetatis ingenia, a primis evangelicae revelationis exordiis, in Rationem ac Fidem amico foedere consociandas adlaborasse; vel ita temerarius et mente captus exsistit, ut tot ac tantorum hominum industriam ac conspirationem saeculis protractam vanum opus suscepisse contendat. Verum hic, vel de ipsa humanae mentis ad veritates investigandas acie, vel de concordi Fidei et Rationis habitu, desperet necessum est: ad scepticos proinde, vel ad rationalistas se conferat; ab Universitatis catholicae sinu in primis discedat convenit, immo oportet. Quae cum ita sint, Aquinas, qui primam Universitatem Parisiensem eloquio edocuit suo, secundam conscriptis edocebit voluminibus. Quod nobis efficacius ac plenius obtinget, quum primum opportunior temporum conditio sinet ut philosophica Facultas, in nostris academicis Statutis delineata ac decreta, omnesque naturalis ordinis scientias in Metaphysicae diretionem adducens, instauretur.

« Verum futuras doctrinae nostrae rationes, easque meliores, mente anticipare intemperantis fortasse animi quibusdam videretur. Silentio illas itaque premimus libenter; dum liceat nobis gestientis animi sensus modeste significare. Illud enim nobis accidisse iure laetamur, quo nihil filiis bene moratis accidere potest optabilius: sanctissimi Parentis vota volun-

[1] *Const. De Fide*, cap. IV.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

tatesque anteire. Ut Angelici Doctoris volumina perenni interpretatione donaremus, absque ullo plenioris dogmatum tradendorum rationis dispendio, vel a primo Theologicae Scholae anno Academiam a Sancto Thoma Aquinate nomen ac patrocinium repetentem constituimus. Cuius Academiae scopus nullis aptius exponi potest, quam decretoriis Sanctitatis tuae verbis: " Ut sapientia Thomae ex ipsis eius fontibus hauriatur. " Quam ob rem ea utimur in theologicis quaestionibus methodo, quam in philosophicis praeclare adhibuit insignis Angelicae Philosophiae discipulus ac vulgator, Caietanus Sanseverino in pluribus de christiana Philosophia voluminibus eruditione sapientiaque confertis, communi doctorum hominum laude cohonestatis, supremo Sanctitatis tuae, et Pii IX decessoris tui concordi suffragio cumulatis. Ita Thomam ex Thoma interpretamur; Angelici Magistri doctrinas in earum fontes, qua dogmaticos, qua philosophicos, perpetuo criticae demonstrationis cursu referentes. Quo sapienti consilio fit ut Aquinatis sapientiam, post tantam interpretum copiam, enarrantes, " nove " potius dicamus aliquando quam " nova. " Eodem fortasse consilio Angelicae doctrinae ille quondam succrescet profectus quem Vincentius Lirinensis ipsi catholicae dogmatum doctrinae utilem atque optabilem asseruit.[1] At iam veremur ne longior evaserit oratio nostra quam diei solemnitas ac frequentia, animique tui, Beatissime Pater, indoles patiantur. Verum nobis visum est Parenti optatissimo totam cogitandi agendique rationem eo animo patefacere ut, si minus tuum imperium assequuti fuerimus, admoneamur, in omnem obedientiam paratissimi; si vero tuam voluntatem et mente teneamus, et opere exsequamur impense, vox tua novas nobis sufficiat vires ac firmiores.

« Atque ista dum opperimur, corde animoque iungimur Christifidelibus pietate ac doctrina conspicuis, terrarum undequaque ad Petri Cathedram hodie accitis, aegre admodum ferentes quod nostrum alii docendi officio, alii periculi ab Universitate prohibendi ratione, illic impediantur corpore adesse, quo nostra iam convolarunt omina et vota. Plausus vero ac gratulationes, licet absentes, ingeminamus sanctissimo Leoni divina misericordia Papae XIII, Pontificatus romani et Europae civilitatis perennes necessitudines adserenti;[2] civilibus societatibus diuturna perduellium hominum convulsione in ruinam praecipitibus amicum Sedis apostolicae foedus ac praesens columen ultra offerenti;[3] divinorum in christiano matrimonio sanctitatis, unitatis, ac perpetuitatis munerum conservatori ac vindici;[4]

[1] *Commonit.* nn. 27-32.
[2] Encycl. *Inscrutabili.*
[3] Encycl. *Quod Apostolici.*
[4] Encycl. *Arcanum.*

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

Angelicae tandem doctrinae in catholicis scholis Instauratori.[1] Qui quinquagesimo ante hunc diem anno, praeclarum in solemni certamine eiusdem doctrinae specimen exhibuit maxima quaeque in posterum daturus.

« Neve pietatis nostrae vota et gratulationes incassum cadant, Deum optimum maximum plurima ac sollicita prece imploramus, ut Sanctitatem tuam Romanae Ecclesiae in multos annos incolumem atque in omnibus bene fortunatam servet ac tueatur. Tum ad Beatitudinis tuae pedes provoluti, Universitatis Catholicae Parisiensis Episcopis fundatoribus, Administris, Consiliariis, Opitulatoribus, Auditoribus omnium Facultatum universis, ac nobis demum, Vice Rectori, Decanis, Professoribusque apostolicam benedictionem, divinorum munerum ac tranquillioris tempestatis auspicem, enixe efflagitamus.

« Quod si, arcano Providentiae consilio, pericula nostris cervicibus impendentia Deus minime depulerit, tum ad nostrum usum Pauli[2] verba animumque apprime derivabimus: sive enim vivimus, sive morimur, Domino nostro Iesu Christo et ipsius vice in terris gerenti Leoni Papae XIII vivimus vel morimur.

« Parisiis, in aedibus Universitatis Catholicae, die 1 martii 1880.

« M. d'HULST, Vic. Generalis Emi Archiep. Parisiensis
« Conil Vice-Rector Universitatis Catholicae Parisiensis
« Carolus Maria Iovene Soc. Iesus Professor Theologiae Dogm., Moderator Academiae S. Thomae, Doctor in Theol. et Philos.
« F. Moniez, Praefectus Seminario Universitatis Catholicae regendo
« L. Duchesne, Professor Historiae ecclesiasticae et Antiquitatum christianarum
« P. Martin, Professor Scripturae sacrae et Linguae hebraicae
« R. Valtier, Professor adiunctus Theologiae dogmaticae
« C. Hamel, Administrator Universitatis Catholicae Parisiensis
« Tassin, Secretarius Generalis Universitatis Catholicae Parisiensis ».

Sequuntur subscriptiones Professorum Iuris, Scientiarum ac Litterarum.

626. III. Litterae Rectoris Scholae Apostolicae Avenionensis:

« Beatissime Pater. Scholae apostolicae Avenionensis moderatores et alumni, in sanctam Sedem significandae devotionis amorisque testificandi semper appetentes, opportunam occasionem sese nactos arbitrantur, cum, solemni totius Orbis catholici Scholarum concursu, grates agantur summo Pontifici, qui sanctum Thomam, summa omnium utilitate, debito honoris

[1] Encycl. *Aeterni Patris.*
[2] *Rom.*, XIV, 8.

restituerit loco, tantumque lumen tot iam saeculis collucens novo fulgore splendere iusserit.

« Etsi quidem eis doctrinis, quibus Angelicus Doctor apud omnes laude conspicuus evasit, studere nondum liceat humaniorum litterarum tironibus, ipsum tamen praeclarum habent Magistrum, vel earum quibus nunc vacant disciplinarum, sed imprimis eius quae inter omnes locum obtinet principem, videlicet sanctorum Scientiae.

« Nobis igitur liceat humilem ambiisse locum in praeclaro isto studiosorum adolescentium agmine Angelico Doctori hac die applaudente, atque vestrae Sanctitati gratulante, quod, catholicis magistris restituto exemplari, et inter omnes praecellente magistro, universae Christianorum plebi tam egregie consuluerit.

« Dignetur vestra Sanctitas illas benigne gratulationes accipere, quas humillime provoluti ad pedes simul cum tenui obolo offerunt sanctissimae Sedi devotissimi Filioli

« Scholae Apostolicae Avenionensis
« Moderatores et Alumni

« Avenione, die 25 februarii 1880.

« G. Bouffier Sup. S. I. ».

Sequuntur aliae subscriptiones.

627. IV. Litterae Professorum Universitatis catholicae Insulensis:

« Beatissime Pater. Quam quotidie praelectionibus nostris in sacra Facultate theologica Insulensi, et subinde etiam dissertationibus et libris profitemur erga Doctorem Angelicum mentis et cordis devotionem, hanc sane dulce foret coram Sanctitate vestra, in tanta virorum doctorum concertatione quae in honorem Aquinatis mox instituetur, testari.

« Officiis vero magisterii nostri distenti, his saltem litteris, Beatissime Pater, profiteri volumus amplissimum simulque laetissimum intellectus nostri obsequium, tum in divi Thomae doctrinam theologicam et philosophicam, tum in Beatitudinis vestrae mandata et minima etiam quaecumque desideria.

« Sanctitatis Vestrae

« Devotiss. et omnium humillimi Filii

« Dr. Iulius Didiot decanus
« Prof. Theol. dogm. et Exeg. N. T.

« Ex Universitate catholica Insulensi, die XV feb. an. MDCCCLXXX ».

Sequuntur aliorum Professorum subscriptiones.

628. V. Litterae Professorum Universitatis catholicae Matritensis:

« Beatissime Pater. Appropinquante divi Thomae Aquinatis solemni anniversario, illius nimirum Angelici Doctoris, cuius doctrina a romanis Pontificibus saepenumero laudata ac commendata exstitit, Doctoris ac Magistri, qui in Gymnasiis ac Universitatibus studentium quaslibet disciplinas profitentes catholica in primis Fide gloriamur, id unum in praecordiis, et maximum in officiis nostris habere debemus, ut christiana Philosophia in pristinum restituatur splendorem, prouti vestra elapsi anni encyclica Epistola hortatur enixe. Quod si omnibus indiscriminatim scientiarum Professoribus hoc iniunctum est munus, ut animis iuvenum, cuique disciplinae navantium operam, hanc salutarem insinuent doctrinam, eique semetipsos addictissimos praebeant, multo nos fortiori iure tenemur hac lege, ac reverenti obsequio, qui huic Matritensi generali Studio adscripti sumus, utpote quod ex illa celeberrima Complutensi Universitate originem ducit, tertio loco a Sanctitate vestra in supradicta Epistola habita et laudata inter eas, quae si vestris verbis uti fas est, " in unius Angelici Doctoris magisterio et auctoritate conquieverunt."

« Nam ex Compluto, vicino oppido, ad hanc caput Hispaniae urbem, anno huiusce saeculi XXXVI, translata fuit cum suis tabulis, libris ac saecularibus iuribus clarissima illa Academia, quae ab eo celeberrimo S. R. Ecclesiae Cardinali et Toletano Antistite, Francisco Eximenii Cisneros, anno Dom. MDVIII, in hunc finem condita est, ut nostrae Catholicae Fidei adversariis, iis praesertim qui Christianum nomen nihilominus iactitant, firmissimam arcem opponeret.

« Quocirca, Beatissime Pater, hortatui vestro, vestrisque praeceptis, quibus in tradendis disciplinis viam nobis prosequendam demonstratis, plane ac toto corde adhaeremus; atque ut semper, et ubique, quidquid a nobis, et publice et private dicatur, et scribatur hisce in posterum stemus promissis ac declarationibus, iuxta id quod unicuique tradendae specialis doctrinae munus sit impositum, sub divi Thomae clarissima tutela ponimus, ac Sanctitatis vestrae paternam benedictionem humiliter exoptamus ac petimus.

« Matriti, kalendis martii, anno a nativitate Domini MDCCCLXXX.

« Ad Sanctitatis vestrae pedes

« Professores Universitatis Matritensis, qui privatim ac singillatim subscribunt

« Vincentius a la Fuente
olim Univers. Rector ».

Sequuntur subscriptiones Professorum Theologiae, Iuris utriusque, Philosophiae, Medicinae, Artium, et Humaniarum Litterarum.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

629. VI. Litterae Rectoris et Professorum Universitatis catholicae Conimbricensis:

« Beatissimo Padre! Ao acatamento e applauso com que o mundo catholico acolheu a aurea Encyclica *Aeterni Patris*, associou-se desde logo a adhesão sincera dos alumnos da Faculdade de Theologia da Universidade de Coimbra: e, se só agora humildemente prostrados aos pés de Vossa Sanctidade, veem significal-a, não é porque seiam tibios seus sentimentos, mas porque lhes parecia demasiado arrôjo misturar vozes tam tenues aos suffragios e manifestações dos Prelados, dos sabios, dos mestres, das Academias mais insignes.

« Hoje porem reconhecemos que não é este motivo assaz ponderoso para que hajâmos de guardar silencio; e, como filhos d'esta Universidade que vossa Sanctidade honrou, nomeando-a entre as escholas mais celebres, entre os focos mais florescentes da sabedoria humana em outras eras, comprehendemos que é de nosso dever testimunhar á vossa Sanctidade a submissão e jubilo com que recebemos aquelle documento pontificio, e a veneração que consagramos ás doutrinas do grande sancto Thomaz d'Aquino.

« É proprio de mancebos olhar confiadamente para o futuro; mas crêmos que não é vã a confiança com que perfilhâmos os presentimentos e desejos de muitos homens notaveis, que no vosso pontificado, Sanctissimo Padre, vêem a inauguração d'uma era de esplendor para a sciencia christã, de gloria para a Egreja, de paz para o mundo.

« Nobre e grande é a missão que a Providencia parece ter reservado ao vosso inclyto merecimento!

« A data faustissima de 4 d'agosto de 1879 marca o principio do cumprimento d'essa missão providencial.

« Ao contemplar a anarchia intellectual, os escombros dos systemas e das escholas, a esterelidade da philosophia, vossa Sanctidade quiz restituir ás intelligencias o principio da unidade e vida, - a Fé, sem a qual a decadencia dos espiritos seria cada vez mais profunda e mais lastimosa; porquanto, como a historia attesta e vossa Sanctidade lucidamente demonstra, os progressos e triumphos da verdadeira Philosophia á Fé são devidos, nem aquella póde jamais evitar a repercussão dos golpes que esta soffre.

« N'este proposito, era mister rebater previamente o preconceito secular da antinomia entre a Fé e a razão: e ninguem mais triumphantemente do que vossa Sanctidade podia fazer tal refutação, sendo vossa Sanctidade, como é, uma personificação admiravel da alliança entre estes dois principios, e um exemplo vivo da sublimidade a que póde ascender o espirito humano, quando n'elle se verifica a feliz conjunção das luzes naturaes com as sobre naturaes.

« Porém diagnosticar o mal, advertir do perigo, sendo já muito, não era tudo: urgia indicar o remedio, o meio de salvação: por isso, vossa Sanctidade, com a sua alta sabedoria e suprema auctoridade doutrinal, instantemente recommendou aos Bispos e ás escholas catholicas que restituissem á Philosophia christã o logar de honra que as desgraçadas vicissitudes dos tempos lhe havrian feito perder.

« Mais ainda: reconhecendo que esta grande obra de restauração seria quiçá improficua, vacillante ou pouco harmonica, se os Prelados e os sabios não tivessem sempre ante os olhares um modêlo seguro, um exemplar completo, vossa Sanctidade propoz e proclamou como Mestre e Guia dos Philosophos e Theologos catholicos o grande Doutor Angelico, lustre e decoro singular do seculo XIII, ou antes, de todos os seculos christãos.

« A obra que este genio sublime emprehendeu e consummou n'essa epocha que a insciencia apoda de tenebrosa, não só é o mais colossal monumento da Sciencia philosophico-theologica, mas póde e deve servir de base á outro monumento, que o Anjo da Eschola já entrevíra, mas que lhe não era dado erguer: - a synthese das sciencias experimentaes com a Philosophia e com a Revelação.

« Empreza gigantesca, que só um novo Thomáz d'Aquino poderia tentar e concluir! Bem felizes devem reputar-se aquelles a quem Deus conceder que preparem o terreno e facilitem o exito! A Egreja não póde ser indifferente ao futuro da sciencia, porque ese futuro da sciencia ha de ter por divisa aquella inscripção sublime de que fala o illustre Cardeal Wiseman: "Religio, vicisti!"

« Quando esse momento chegar, a Cadeira de san Pedro, invocando a vossa immortal Encyclica *Aeterni Patris*, poderá reivindicar o maior quinhão de gloria. Mais uma vez Roma terá alumiado o mundo!

« Em Roma estarão sempre fixos nossos olhos: ás inspirações do Vigario de Jesu-Christo queremos ser sempre doceis; porque sabemos que é este o caminho seguro e facil da verdade e da vida.

« Para que estes nossos protestos sejam fecundados e fortalecidos pela graça divina, supplicamos-vos, Sanctissimo Padre, com a mais respeitosa instancia, que vos digneis conceder a benção apostolica aos

« De vossa Sanctidade

« Universidade de Coimbra, 18 de maio de 1880.

« Humillimos e addictissimos Filhos ».

Sequuntur subscriptiones.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

630. VII. Litterae Professorum Universitatis catholicae Tolosanae:

« Beatissime Pater. Cum in omnem terram exierit sonus eloquentissimae huius adhortationis qua christiani exercitus duces excitasti ad vexillum divi Thomae Aquinatis sequendum, suosque milites validissimis iis armis instruendos quae scholastica Philosophia suppeditat; cumque ex omnibus Orbis finibus catholicae Scholae huic tuae invitationi summa cum alacritate unanimiter responderint: fieri non poterat ut ea sola taceret quae ad Angelici Praeceptoris doctrinam tuendam et summorum Pontificum mandatis et ipsa sua historia arctius obligatur.

« Quae scilicet ad maiores nostros, veteris Tolosanae Academiae Magistros, Urbanus V scribebat a te ipso relata audivimus, Beatissime Pater: " Velle nempe Pontificem ut beati Thomae doctrinam tanquam veridicam et catholicam sectarentur, eamque studerent totis viribus ampliare." Nec oblivisci nobis licet insignem honorem quo nostra Civitas gloriatur, ut scilicet mortalium exuviarum Angelici Doctoris custos sit, ideo ipsi, prae caeteris urbibus, fuisse tributum " quia ibi erat Universitas nova in Theologia, quam Pontifex fundare volebat in doctrina solida atque firma illius Sancti. "

« Haec sane satis erant ut circa viam qua incederemus, et ducem quem sequeremur minime ancipites esse possemus. Novas igitur tuae Beatitudinis exhortationes Tolosana Universitas e cineribus redivina non exspectaverat, Beatissime Pater: sed vix e tumulo, in quo per integrum ferme saeculum iacuerat, resurrexit, omnes eius Professores postulato subscribere festinaverunt, quo petebatur ut divus Thomas, quem ut specialem nostrum Protectorem veneramur, omnibus catholicis Scholis tanquam studiorum Patronus daretur.

« Huic nostro erga Angelicum Doctorem scolasticamque Doctrinam studio stimulos adiecit, Beatissime Pater, gravissima illa commonitio qua huius doctrinae vim, utilitatem, immo necessitatem adeo luculenter ostendisti et adeo vehementer commendasti. Dum enim imperturbatam illam serenitatem admiramur qua, mediis in ruinis, ultimorum saeculorum erroribus congestis, et pravarum cupiditatum ventis circumquaque furentibus, solida fundamenta restaurare conaris quibus, transacta procella, novae Societatis aedificium superstrui possit, nihil nobis magis cordi est quam optatissimae huic restaurationi totis viribus cooperari. Tua igitur fiducia roborati, et impendentibus periculis minime territi, omni qua poterimus diligentia et docilitate aeternae veritatis documenta ab iis Magistris accipiemus quorum ore se nobis ipsa manifestavit, quorumque auctoritatem catholicae Scholae maxime suspexerunt, inter quos procul dubio eminet sanctus Thomas. Utque nostri discipuli has scholasticae traditionis aquas puriores ebibant, id quod tua Beatitudo adeo sapienter commendat, curare non desistemus, ut nempe has aquas tum ex ipsis fontibus, tum ex incorruptis rivis hauriant. Idque iam praestitimus, cum ipsam sancti Thomae *Summam*, tanquam nostrarum lectionum textum a principio adhibuerimus, ad eumque ampliandum eorum auxilio nos constanter adiuvemus, qui et sui ingenii acumine et sua erga Angelicum Magistrum fidelitate insigniores fuerunt.

« Ut vero id cum maiori fructu efficere possimus, omnes quotquot hic sumus, Professores et Alumni, ad tuae Beatitudinis pedes provoluti, apostolicam benedictionem imploramus, nosque summa cum animi demissione subscribimus

« Tuae Beatitudinis

« Humillimos et obedientissimos Filios

« CAUSSETTE V. G. Délégué de NN. SS. les Evêques ».

Sequuntur Professorum subscriptiones.

631. VIII. Litterae Rectoris Universitatis catholicae Andegavensis:

« Très saint Père. Divers motifs m'ont empêché d'exprimer plus tôt à votre Sainteté les sentiments d'admiration, de respect et d'amour que m'a fait éprouver la lecture de votre Encyclique *Aeterni Patris*, dont la forme splendide fait éclater la richesse doctrinale. Gagné depuis longtemps à la cause de la Philosophie thomiste, que j'ai pu connaître et goûter tout d'abord dans la capitale du Monde chrétien; honoré autrefois de l'amitié de l'illustre chanoine Gaetano Sanseverino, dont je me suis efforcé de divulguer les œuvres; attaché par les liens du respect et de la reconnaissance à l'Eminentissime cardinal Pecci, votre illustre et modeste frère, qui, par ses savants entretiens, n'a fait qu'augmenter mon amour pour le Docteur Angélique; reçu, il y a quelques années, dans votre palais épiscopal, à Pérouse, où il m'a été donné d'assister à une séance de l'Académie de Saint-Thomas, fondée par vos soins, et d'entrer ainsi en rapport avec les membres distingués du clergé qui en faisaient partie; Recteur aujourd'hui de l'Université catholique d'Angers, où, sous la puissante direction de son vaillant Chancelier, je m'efforce de répondre aux désirs de votre Sainteté en inculquant aux Maîtres et aux étudiants le culte de l'Ange de l'Ecole et de ses doctrines, pourrais-je ne pas tressaillir d'une vive allégresse en lisant l'Acte pontifical qui glorifie à un haut degré le Maître chéri dont les enseignements m'ont été si utiles et si doux? Ah! Très saint Père, ma plume est impuissante à vous redire tout ce que mon cœur éprouve. Soyez mille fois béni!

« Déjà, sans doute, les Pontifes romains, vos augustes prédécesseurs, avaient célébré en termes très élogieux le Docteur Angélique et ses in-

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

comparables écrits; mais aucun d'eux n'avait, aussi expressément que l'a fait votre Sainteté, appelé l'attention sur ses doctrines philosophiques; aucun surtout n'en avait autant fait valoir les excellences, et recommandé l'enseignement. Il est vrai qu'en exaltant sa Théologie, les souverains Pontifes avaient implicitement loué sa Philosophie, puisque l'une et l'autre sont intimement liées dans ses œuvres, et que saint Thomas n'a mérité le titre de " Prince des Théologiens " que parce qu'il a été vraiment le Prince des Philosophes. Toutefois il convenait qu'à cette heure où la philosophie est tombée dans un si étrange désarroi, où les principes de la raison subissent chaque jour de si graves et si douloureuses atteintes, le souverain Pasteur de l'Eglise signalât aux sociétés qui chancellent faute de s'appuyer sur la Foi et sur la vraie Philosophie, le génie le mieux équilibré, le Docteur le plus sûr, qui a si bien su harmoniser dans un admirable tout les vérités révélées et les vérités rationnelles. C'est ce que votre Sainteté vient de faire dans cette Encyclique *Aeterni Patris*, qui est et restera un des grands monuments de notre âge, comme elle sera désormais le programme officiel de la Philosophie chrétienne. Le saint Siège qui, durant le cours des siècles, a déjà tant fait pour les sciences, les lettres et les arts, vient de rendre, par votre organe, Très saint Père, un service éclatant et nouveau à la Philosophie, en inculquant avec force et suavité le retour aux sublimes doctrines de l'Ange de l'Ecole. Plusieurs esprits jusqu'ici hésitants ou prévenus voudront, sur la parole de votre Sainteté, se mettre en contact immédiat avec le saint Docteur, lire et étudier avec ardeur ses œuvres immortelles, se pénétrer du vrai sens de ses paroles, et il n'est pas douteux que cette lecture et cette étude ne leur ouvrent de nouveaux horizons, de vastes perspectives, tout en leur fournissant des armes puissantes et très propres à combattre les erreurs modernes.

« Avec et par saint Thomas, la Philosophie sortira de l'état d'infériorité où elle languit et végète; elle prêtera un secours plus efficace à la Foi, donnera aux sciences physiques les principes rationnels qui leur manquent, et rétablira les vraies bases et les conditions normales de l'état social. Est-il besoin d'ajouter qu'en informant d'une manière plus large et plus solide les esprits qui la cultiveront, elle les élèvera, les perfectionnera, et qu'en leur imposant une discipline forte et sûre, elle les fera marcher avec assurance dans les voies du vrai, en même temps qu'elle leur assurera, dans la sphère des vérités de l'ordre naturel, un repos analogue à celui que la Foi procure au chrétien?

« Si votre Sainteté exprime le désir que l'on puise la doctrine de saint Thomas surtout dans ses œuvres mêmes, c'est, sans doute, qu'à ses yeux cette doctrine se présente comme un merveilleux palais, dont on ne saurait retrancher certaines parties sans nuire gravement à l'ensemble, ou comme une chaîne brillante et solide, dont il serait imprudent de briser quelques anneaux. Quiconque, du reste, aura lu et étudié les écrits de l'Ange de l'Ecole sérieusement et sans parti pris, sera certainement son fidèle et fervent disciple.

« Non content d'avoir publié l'Encyclique *Aeterni Patris*, votre Sainteté vient d'adresser à l'Eminentissime cardinal De Luca une lettre qui a redoublé ma joie, et qui, jointe à d'autres actes, manifeste de plus en plus le désir qu'elle a de voir refleurir partout la philosophie de l'Ange de l'Ecole. Puisse votre règne, o Très saint Père, se prolonger assez pour que vous sanctionniez par votre autorité souveraine la nouvelle édition des œuvres de saint Thomas. Puissiez-vous voir de vos propres yeux la restauration complète de sa Philosophie dans les Ecoles, les Séminaires et les Universités. Puissiez-vous, du moins, avoir la consolation d'apprendre qu'après s'être nourri de la doctrine de cet illustre Maître, le Clergé en fasse profiter partout les fidèles, soit du haut de la chaire évangélique, soit dans les lieux d'instruction confiés à ses soins! L'Eglise alors pourra entonner l'hymne d'action de grâces, enregistrer dans ses annales un nouveau triomphe, le triomphe de la Philosophie intégrale et vraie sur les philosophies mutilées ou fausses de notre temps, et saluer en Léon XIII le restaurateur de la Philosophie, comme elle salua en saint Pie V le restaurateur de la liturgie.

« Daignez agréer, Très saint Père, les hommages de profond respect et d'obéissance filiale avec lesquels je suis

« De Votre Sainteté

« Le très dévoué Serviteur et Fils

« Henry Sauvé

« Prélat domestique de Sa Sainteté

« Consulteur de la S. Congrégation de l'Index

« Recteur de l'Université catholique d'Angers ».

« Angers, le 20 novembre 1879.

632. IX. Litterae Rectoris et Professorum Universitatis catholicae Lovaniensis:

« Beatissime Pater. Epistolam encyclicam *Aeterni Patris*, quam ad universum Orbem catholicum nuperrime dedisti, quamque venerabunde boni omnes acceperunt, nos quoque laeto eodemque obsequentissimo animo excepimus. Cuius laetitiae atque obsequii ut publicum aliquod exhibeamus documentum non tantum suadent, sed suo veluti iure postulant gratissima illa amoris et obedientiae vincula quibus cum Sede apostolica et tecum,

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

Beatissime Pater, Lovaniensis Universitatis amantissimo Patrono, sumus coniuncti.

« Iure merito admirantur omnes, Beatissime Pater, singularem illam sapientiam qua Ecclesiae bono et civilis Societatis prosperitati, Pastor supremus, opportuna sollicitudine invigilas, dum miranda hac tua Encyclica malorum, quibus undique res publica premitur, simul et penitiorum causam declaras et eisdem occurrendo remedium affers. Profecto ubi suprema illa quibus scientiae omnes necessario reguntur principia pervertuntur, ipsae quoque scientiae pervertantur atque in erroris instrumenta convertantur necesse est. Et vero incidit aetas nostra in tempora quibus perversa illa philosophandi ratio tanquam nova quaedam pestis passim grassatur. Hinc effrena illa quidvis cogitandi et scribendi licentia, cui nihil certum nisi quod sensu percipi potest. Hinc nefanda illa doctrinae systemata quae non tantum Fidem catholicam ordinemque supernaturalem negant et eliminare conantur, verum ipsa etiam ordinis naturalis fundamenta, Dei scilicet exsistentiam, regulam morum, animae immortalitatem impugnant et porro labefactant. Quum autem falsorum principiorum venenum scientias speculativas infecerit, illudque veneficium necessario in hominum actus influat eosque pervertat, quid mirum si et mores corrumpuntur, matrimonii sanctitas violatur, auctoritas pessumdatur, ipsaque societatis exsistentia in discrimen adducitur? Quid mirum si Ecclesiae sanctae praecepta et monita contemnuntur, eiusque iura ac libertas impio ausu violantur?

« Quodsi haec delictorum multitudo quae magnam partem ex perversa philosophandi ratione nata est, bonos quosque moerore afficit, magnae profecto gratiae agendae sunt tibi, Beatissime Pater, qui hisce malis medendis remedium affers saluberrimum. Et vero persuasum nobis est, Beatissime Pater, ex doctrinis philosophicis ad mentem sancti Thomae correctis et traditis multa perniciosarum opinionum commenta deletum iri, multasque e contra christianae iuventutis institutioni atque adeo ipsi civili Societati utilitates obventuras.

« Felice msese praedicat Lovaniensis Academia quod vota tua, quasi praeveniens, constanter pro viribus laborat ut Philosophia sancti Thomae instauretur, et in pristinam sui honoris sedem restituatur. Cuius rei liceat nobis, Santissime Pater, sequentia adducere argumenta.

« In Facultate sacrae Theologiae, disciplinae dogmatica et moralis secundum inconcussa sancti Thomae principia traduntur. Et ut discipuli scholasticae disputandi methodo assuescant, publicae singulis hebdomadibus habentur disputationes; eadem quoque disputandi methodus servatur in propugnandis thesibus ad gradum sive Baccalaurei, sive Licentiae, sive Doctoris consequendum.

« Philosophiae Magistri diligenter operam dant ut inhaerentes prin-

cipiis Angelici Doctoris, doctrinas eius de Deo, de Homine, de Rebus sensibilibus et incorporeis Substantiis, de Actibus humanis eorumque regulis, de Legibus ratiocinandi plene atque dilucide, quantum temporis angustiae ferunt, exponant atque demonstrent. Quocirca, et ineunte hoc anno scholastico, nihil antiquius habuerunt, Beatissime Pater, quam ut in primis suis praelectionibus Encyclicam Sanctitatis tuae alumnis suis notam facerent eiusque pondus ac sapientiam apto commentario illustrarent.

« Atque ita quoque illustrissimus Universitatis Rector in solemni quam habuit oratione inaugurali ex eadem Encyclica verba sumpsit et recitavit quibus Philosophiae scholasticae utilitatem necessitatemque mirifice commendaret eiusque studium omnibus inculcaret.

« Porro qui scientiam Iuris profitentur Magistri, in iure naturae interpretando a sancti Thomae doctrina nullo modo declinant.

« Iam quod attinet ad Magistros Facultatum quae dicuntur " Scientiarum ". et Medicinae, hi quum plerumque in consideratione factorum et legum naturae studio versentur, quaestiones philosophicas vix attingunt; attamen docent si rerum corporearum naturae penitius inficiuntur, nihil esse in Philosophia scholastica quod cum incrementis scientiarum et certis exploratisque conclusionibus non possit apte componi.

« Praeterea adnotandum est, alumnos omnes quando ad scholas Scientiarum aut Medicinae admittuntur, iam sese applicasse per annum integrum ad disciplinas philosophicas ad mentem sancti Thomae ipsis traditas.

« Quod superest, Beatissime Pater, promittimus nos omni ope atque opera enixuros ut scholastica Philosophia in Lovaniensi Academia cognoscatur, tradatur, ametur, atque ab adversariorum oppugnationibus defendatur.

« Quod ut exsequi possimus, Beatissime Pater, ad pedes Sanctitatis tuae provoluti, apostolicam benedictionem humiliter flagitamus.

« Universitatis catholicae Lovaniensis Rector

« Alexander Iosephus Namèche,

« Sacrae Theologiae Doctor Sanctitatis tuae Praelatus dom.

« Lovanii, in festo sancti Clementis Papae, 23 novembris 1879.

633. X. Litterae Professorum Universitatis catholicae Cracoviensis:

« Beatissime Pater. Dum totus Orbis catholicus Sanctitati vestrae pro ardentissimo studio praeclaram sancti Thomae Aquinatis doctrinam in pristinum splendorem restituendi summas gratias refert, alma Mater Cracoviensis omnium suffragiis vocem suam tanto libentius iungit, cum ipsa merito gloriari possit, quod inde a suis incunabulis in Fide catholica et obedientia erga Sedem apostolicam firma semper steterit, nec unquam per quinque

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

saeculorum decursum filiis suis erroris venenum propinaverit. Nos praesertim Professores Facultatis theologicae inclytam Sanctitatis vestrae Epistolam encyclicam *Aeterni Patris* non tantum ingenti laetitia excepimus, verum etiam Philosophiam ad mentem sancti Thomae in Universitate Cracoviensi docere statuimus, ut " ad catholicae Fidei tutelam et decus, ad Societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum " sublimis Doctoris Angelici sapientia discipulorum animis inculcetur. Non enim ignoramus, quam periculosa sit Fidei et Rationis, Theologiae et Philosophiae discordia, quantaque mala oriantur ex perverso illo philosophandi modo, qui, nullo habito Dei respectu spretaque Ecclesiae auctoritate, rationem humanam ceu unicum veri et falsi, boni et mali arbitrium omnisque veritatis fontem declarat. Inde factum est, ut Philosophia solido fundamento privata, in Pantheismi et Materialismi voraginem praeceps corruerit, quae systemata dum ex una parte turpem Atheismum generant, ex altera exitiali Communismo viam sternunt, ordinemque Societatis subvertunt. Hisce malis nemo mederi potest nisi Ille, qui est Via et Veritas et Vita, quique per suum in terris Vicarium mundo aegrotanti opportuna semper praebet medicamenta. Contra recentes philosophiae errores nullum datur salutarius remedium, quam aurea sancti Thomae doctrina, quae insigne Ecclesiae armamentarium invictumque propugnaculum optimo iure dici meretur. Hoc remedium Sanctitas vestra tanta cura commendat, nil mirum ergo, quod omnes veritatis studiosi Sanctitati vestrae grati animi sensa exhibeant. Utinam hoc remedium quam efficacissimum sit, ut veritas catholica ubique regnet, ubique imperet, ubique triumphet. Quod enixe exoptantes et ad pedes Sanctitatis vestrae procumbentes, benedictionem apostolicam tum pro nobis, tum pro omnibus in Universitate Cracoviensi professoribus et discipulis a Sanctitate vestra precamur.

« Cracoviae, nonis februariis, ann. D. MDCCCLXXX.

« Doctor sacrae Theologiae IOANNES DROZDZIECVICZ, p. p. o.
« Decanus Facultatis theologicae ».

Sequuntur Professorum subscriptiones.

634. XI. Litterae Rectoris Lycaei catholici Friburgi:

« Beatissime Pater. Uno abhinc anno, cum a supremis Reipublicae Friburgensis Magistratibus ad munus docendi in Lycaeo nationali Philosophiam novus professor designatus fuisset, illustrissimus dominus Schaller, publicae Instructionis moderator, mandatum ei dedit, ita fungendi officio, ut a catholicae Fidei norma nunquam deflecteret, doctrinasque sectaretur, quae auctoritate apostolicae Sedis comprobatae, omnium firmissimae et

certissimae exsistunt. Id porro dum exsequi satageret professor, apparuit Epistola encyclica, mira sapientia refulgens, qua, Sanctissime Pater, totius Orbis Episcopos, " quam enixe hortabaris, ut ad catholicae Fidei tutelam et decus, ad Societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum, auream sancti Thomae sapientiam restituerent, et quam latissime propagarent. " Quibus cognitis et perpensis, illustrissimus publicae Instructionis Moderator caeterique Magistratus certiores fieri voluerunt Philosophiam iuxta normam a supremo Ecclesiae Doctore statutam tractari in suo Lycaeo; quod olim a beato Petro Canisio erectum, summum decus a Patribus Societatis Iesu consecutum fuerat, sed, prohibitis ab Helvetia sapientissimis magistris, per aliquod tempus collapsum, denuo cura catholici Gubernii restauratum est. Philosophiae autem Professor eo facilius et libentius optatis Magistratuum respondere potuit, quod iam pridem divi Thomae excellentem eminentemque sapientiam persuasam habuerit, nullaque omissa occasione, discipulis consueverit ostendere, veram Philosophiam non in commentis Cartesii aliorumque recentiorum reperiri, sed inquirendam esse in scriptis Patrum et Scholasticorum, maxime vero in voluminibus Angelici Doctoris. Itaque sicuti hactenus Philosophiam iuxta methodum et mentem sancti Thomae docere solitus est, ita etiam in posterum et quidem maiori adhuc alacritate et studio, idem praestabit, oculos nunquam avertens a regula quae in encyclica Epistola *Aeterni Patris* continetur. Quem eius animum, necnon et Reipublicae Friburgensis sensum religiosum atque devotionem in Sedem romanam dum profitemur, ad pedes tuae Sanctitatis provoluti, humillime deprecamur ut studiis Lycaei Collegiique Friburgensis benigne digneris annuere, atque benedictionem apostolicam in documentum divini auxilii velis impertiri Rectori, cunctisque professoribus et alumnis, nobisque,

« Sanctitatis tuae

« Friburgi Helvetiorum, die 30 novembris 1879.

« Filiis humillimis et obedientissimis
« Collegii Rectori BARTH. FAVRE
« Philosophiae Professori J.-B. Jaccoud.[1]

[1] Hic nobis cordi omnino est ut grati animi significationes propalemus erga D. J.-B. Jaccoud, quem Deus diu sospitet, virum egregie doctum, iamdiu Philosophiae Professorem, qui, ut ipsemet hic enarrat, omnes curas adhibuit ut Philosophia Thomistica in Lycaeo Friburgensi firmius institueretur. Grates insimul magnae debentur Instructionis publicae Moderatoribus aliisque Magistratibus, praesertimque egregio viro G. Python, qui mox Universitatem catholicam in civitate Friburgensi erexerunt, ubi solemnius, ipsis urgentibus, atque D. Jaccoud ipso cooperante, traditur Philosophia et Theologia sancti Thomae. Haec referre liceat nobis qui aliquando harum rerum nonnulla pars fuimus. *J. J. B.*

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

§ VII.

Litterae Seminariorum.

635. I. Litterae Rectoris et Alumnorum Pontificii Seminarii Poloni in Urbe:

« Beatissime Pater. Gaudium, quo de Encyclica *Aeterni Patris* tota exsultavit Ecclesia, quodque eam iam prope universam ad pedes tuos, Pater Sanctissime, gratulabundam perduxit, hoc Collegium Polonum in Urbe, eiusque Alumni, alto pectore persenserunt quoque, et festinantes ad thronum Sanctitatis tuae accurrunt cum amplissimis gratiarum actionibus. Hoc porro eo alacrius paragere officii sui ducunt, quod in tam unanimi totius Orbis christiani concentu, quem verbum tuum sacratissimum provocavit, sola ferme Polonia, dura sorte oppressa, vocem suam vix, aut nullo etiam modo attollere poterit. Quod quidem quam luctuosum et acerbum sit, ille solus rite percipiet qui plene conscius fuerit Poloniam nostram olim non fuisse certe ultimam in theologicis studiis, et sancti Thomae divinam scientiam et summam doctrinalem auctoritatem maximi apud nos habitam et diligenter exceltam semper tum fuisse. Testis esto vel solus ille magnus Stanislaus Hosius noster, sacrosancti Concilii Tridentini unus ex Cardinalibus praesidibus, et summi Pontificis Legatis, haereticorum malleus, Theologorum princeps, et qui certe nec studio suo neque opera defuit, quum *Summa Theologica* Doctoris Angelici supra altare in medio Concilio, cui praeerat, collocabatur, atque ita, polona etiam manu et corde, ipse sanctus Doctor iubebatur Concilii veluti e coelo praeses.

« Huius antiqui sancti Thomae apud nos cultus, Pater sanctissime, nos hodie tametsi indigni, tamen haeredes, ad pedes tuos cum animo commoto provolvimur; et quum nostro nomine, tum etiam nomine totius gentis nostrae, Sanctitati tuae laeti significamus, quam felix, quam iucundum, quam gratum nobis fuerit studium tuum et summa cura de divi Thomae Aquinatis auctoritate magis magisque restauranda, augenda, amplificanda; et quam immortales gratias pro hoc tuo praeclaro facto nos cum tota Polonia fideli, Pater sanctissime, tibi devote referimus.

« At simul etiam, Pater beatissime, da veniam, precamur, ut sancte tibi spondeamus nihil nobis exinde antiquius fore quam ut huic Magistrum sequuti, eius sinceram et coelestem doctrinam animo toto haurire et profiteri perpetuo curemus. Hoc Sanctitati tuae, uti certo confidimus, iucundissimum et gratissimum erit; atque ut ad gloriam Dei, ad Ecclesiae utilitatem et solatium, ad optimam gratiam tibi ipsi reddendam, id etiam re et veritate compleamus, tu ipse sis auctor, Pater sanctissime, dum nobis gratiae divinae auspicem apostolicam tuam benedictionem impertire dignatus fueris.

« Romae, die 7 martii 1880.

« Petrus Semenenko

« Ex Congr. a Resur. Pontificii Collegii Polonii in Urbe Rector ».

Sequuntur Alumnorum subscriptiones.

636. II. Litterae Rectoris et Alumnorum archiepiscopalis Seminarii Reginensis:

« Beatissimo Padre. Il corpo insegnante e disciplinare di questo Seminario Arcivescovile, all'esempio e sotto la guida del loro amatissimo Pastore, viene unanime a prostrarsi ai piedi di vostra Santità per umiliarle il sentimento di riverente gioia e riconoscenza per quell'atto solenne e provvidentissimo che fu l'Enciclica *Aeterni Patris*, e per significarle insieme, per quanto spetta a ciascuno di essi, la loro pienissima e concorde adesione all'autorevole sua parola, che suona tanto ammiranda in quella Enciclica, sia per tutto quanto in essa la Santità vostra da Maestro universale della Chiesa insegna e consiglia, sì segnatamente per l'indirizzo da darsi " ad mentem divi Thomae " allo studio della Filosofia e quindi di tutte le scienze.

« Sono essi convinti che da una parte la importantissima scienza della Ragione che in tutto influisce, procede, nei suoi capitali e pericolosi problemi del pensiero e della vita, sicura da errori e con progressivo acquisto di verità, quanto è possibile alla nostra finita intelligenza, se conforme alla rivelazione cristiana; ma procede ondeggiante fra mille errori e perniciosa al sommo, se disforme — e che altresì il solo sistema di Filosofia che la storia ci mostra fra tanti dei vari filosofi fioriti pei secoli — il solo — che mentre serba alla ragione più ardita tutta la libertà di speculazione nel proprio campo, la mantiene nel più felice accordo con la Fede cristiana — è quello appunto che san Tommaso, il più grande fra gli Scolastici, ha tracciato profondamente nelle opere sue; sicchè il dipartirsi da quello in questi ultimi secoli segnò nelle scienze speculative la decadenza come della Fede così della Ragione. Veggono d'altra parte assai bene che le sorti o prospere o ree della Filosofia son con esatta rispondenza seguite da tutte le scienze non solo, ma da qualsiasi disciplina di lettere ed arti; la quale doppia diversa sorte dell'or-

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

dine del pensiero si estrinseca poi necessariamente l'istessa nell'ordine sociale: cose tutte espresse stupendamente nella venerata Enciclica di vostra Santità. Per lo che tutti gli insegnanti in questo sacro efebeo devono sentire vivamente interesse e sollecitudine di questa filosofica restaurazione dall'Enciclica proposta, ed accettare lieti e riconoscenti un così salutare provvedimento.

« Le discipline filosofiche, che da oltre vent'anni dall'attuale Professore qui si sono insegnate e s'insegnano, sono state sempre conformi alle teorie di San Tommaso; e ne è prova un saggio dato dagli alunni di questa scuola nel 1858, le cui tesi scritte dall'insegnante in essa furono pubblicate da lui nel 1872, col titolo *Saggio di Filosofia Fondamentale*, in cui è sciolto con le teorie dell'Angelico Dottore il capitale problema della conoscenza umana. È perciò che ora egli dalla dotta e autorevole parola di vostra Santità si sente assai rassicurato ed energicamente infervorato nello indirizzo del suo insegnamento. Tanto più che vede nella odierna guerra intentata alla Fede dagli atei cultori delle scienze naturali, le quali sono in tanta voga e pure di tanta importanza, che i progressi di queste, ben considerati, non contrastano a nessuna delle filosofiche teorie di san Tommaso, e che anzi, come anche la venerata Enciclica dice, sol da queste possono essere razionalmente assodati senza alcuna contraddizione alla cattolica dottrina.

« Ma sentono bene tutti i sottoscritti che senza la grazia di Dio, senza il soccorso del lume potente che vien dall'alto, non possono che poco o nulla ottenere dei grandi vantaggi sì alla Fede come alla Scienza, che si aspettano da questa sapiente restaurazione degli studi, intesa dalla Enciclica *Aeterni Patris*, e che valevolissima a procacciarsi siffatta grazia, è la vostra apostolica benedizione. Questa adunque tutti essi, prostrati al suolo, baciandole riverenti e grati il sacro piede, chieggono ardentemente alla vostra Santità amantissima, nell'atto che ripetono la unanime protesta del lor profondo attaccamento e pienissima adesione a tutti i suoi salutari insegnamenti.

« Reggio, 5 decembre 1879.

« Rettore Canon. LUIGI COSTANTINO ».

Sequuntur Professorum subscriptiones.

637. III. Litterae Rectoris et Alumnorum episcopalis Seminarii Laudensis:

« Beatissimo Padre. Il dovere di ogni cattolico di aderire agli insegnamenti proclamati dall'autorità del Pastore della Chiesa per mezzo della solenne Enciclica *Aeterni Patris*, è specialissimo per coloro, che il

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

Vescovo della Diocesi ha scelti alla educazione ed istruzione degli allievi del Santuario. La manifestazione dell'adesione diviene necessaria, perchè appaia che non solo l'Episcopato è unito a voi Pastore supremo della Chiesa universale, ma altresì noi siamo uniti ai Vescovi e per mezzo dei Vescovi, a voi, Vicario di Gesù Cristo. Così apparirà splendido allo sguardo dei Popoli e dei Re lo spettacolo meraviglioso della Unità della Chiesa, la Città elevata sul monte.

« Per queste ragioni specialmente, noi abbiamo voluto testificare pubblicamente, a voi, Beatissimo Padre, la nostra piena e perfetta adesione a quegli insegnamenti, che voi ci avete proclamato nell'ultima Enciclica. E siccome noi abbiamo già la autentica interpretazione intorno al vero senso ed al valore di questo solenne Documento, proposta dal consenso dell'Episcopato cattolico, ed anzi abbiamo conosciuto le precise intenzioni di vostra Santità, sia dalla Lettera all'Eminentissimo Cardinal De Luca e da altre Lettere, sia dall'esempio dato nei Seminari Romani, e specialmente nella scelta dei Professori; così siamo felici di specificare la nostra adesione secondo le determinate intenzioni della Santità vostra, manifestate in tanti modi e con una evidenza superiore ad ogni eccezione.

« Onde protestiamo di ritenere che l'unica vera Filosofia della Chiesa è la Scolastica, della quale fu sommo Maestro san Tommaso d'Aquino; e di escludere dal nostro insegnamento sia filosofico che teologico ogni altra filosofia, qualunque ne sia il nome. Lo stato di controversia poi in cui ci troviamo, ci pone altresì nella necessità di dover dichiarare a testimonianza della purezza della nostra adesione, che rigettiamo le interpretazioni dissone da quelle dell'Episcopato, quelle cioè di coloro che, ammesso il valore della Enciclica relativamente alle Scuole, vogliono in privato riservarsi la libertà di professare altre teorie filosofiche diverse dalla Scolastica; e di coloro che sotto l'artifizioso velo d'interpreti di san Tommaso, persistono in sistemi e dottrine affatto discordi.

« Per tal modo, persuasi di conformarci pienamente alla volontà ed ai desiderii della Santità vostra, speriamo di meritarci la vostra benedizione, che umilmente imploriamo ad avvalorare le nostre fatiche, ed a fecondarle in mezzo a queste giovani speranze del Clero Lodigiano.

« Profondamente prostrati, baciamo il sacro piede e ci protestiamo

« Devmi Umilmi Figli

« GHIGO Sac. PAOLO Rettore.

« Lodi, dal Seminario Vescovile, il giorno 8 gennaio 1890 ».

Sequuntur Professorum subscriptiones.

638. IV. Litterae Rectoris et Alumnorum episcopalis Seminarii Papiensis:

« Beatissime Pater. Ut nil cuiquam iucundius atque optabilius esse potest, quam in rerum discrimine ea mentis acie, eaque sapientiae luce instrui, qua anxietates omnes a se propellat, ita maximo a te beneficio cumulati sumus, cum inter tot, tamque varias doctorum de rebus ad Fidem moresque pertinentibus opiniones, et qua via, quibusque auxiliis ad veritatem reperiendam, et quonam potissimum duce uti debeamus luculentissime nos docuisti. Encyclica *Aeterni Patris* bonorum omnium spem erigit, Ecclesiam laetificat, scelestos confundit atque obterit; futurum quippe, ut ipsa ratio, ex qua ii tam audacter arma ad dimicandum contra Fidem parant, in munitissimum huius praesidium ac propugnaculum, contra eorundem impetus convertatur. Quare immortales Deo gratias agimus, semperque, dum vita contigerit, agemus, quod talem, tantumque Pontificem, difficillimis his temporibus nobis largitus sit; eumque ut te diu sospitem, incolumemque humani generis felicitati praestet, semper exorabimus.

« Adlecti Clericis huius Seminarii humanioribus Litteris, Philosophia, ac Theologia excolendis, simul atque voluntatis tuae pagina prodiit, qua datum fuit, ac pro cuiusque disciplinae ratione, morem tibi gerere studuimus. Quemadmodum enim in Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam Christus Dominus potestatem tibi tradidit, teque infallibili magisterio donavit, ac super universum Ecclesiae statum paterna tua sollicitudo intendit: ita nec ulla nos manet salutis spes, nisi in omnibus tibi, ac per omnia pareamus, atque idem tecum in omnibus sentiamus; quia qui tecum non colligit, spargit. Hinc ea tantum, Beatissime Pater, documenta, eosque Doctores qui tibi maxime probantur, amplectimur, semperque posthac amplectemur: caeteros, utcumque ingenio, auctoritateve polleant, aut religionis speciem praeseferant, plane reiicimus, semperque reiiciemus. Is in theologicis disputationibus Doctor nobis erit, cuius quot articuli scripti, tot sunt edita miracula; qui Doctorum fons; cuius *Summa* " mysteriorum compendium " appellatur: conclusionesque omnes ac theses sive dogmaticae Theologiae, sive Moralis, pro quibus Franzelin et Gury textus nobis propositi sunt, nedum ad eius mentem adamussim componendas, sed et sententiis eius ac verbis adornandas curabimus. Quod quidem et in Philosophia, pro qua Sanseverini codex assignatus est, atque in ipsis litterariis exercitationibus: ut scilicet omnes sacri ministerii tirones illius principia, axiomata, atque argumenta animo versare ac percurrere assuescant, perficiemus. Neque alio quidem sensu Angelici verba, sive de philosophicis, sive de theologicis rebus sermo erit a nobis accipientur, quam qui in admirabili illa tua ad totum Orbem Epistola, tum in Brevibus ad Episcopos, praesertim Viglevanensis ac Cremensis Dioecesis, datis, et in Academiarum institutionibus, quas inter eminet quam in ista catholica Metropoli condidisti, indigitatur. Is in opinionum delectu, tum quoad docendi munus, tum etiam in concionibus ad populum habendis, ac fidelium conscientiis dirigendis Doctor nobis erit, cuius libri, apostolico oraculo, omnis prorsus labis expertes sunt: videlicet sanctus Alphonsus Maria de Ligorio, qui fidelissimus Thomae interpres, ac seraphico ardore flagrans, ea scripsit quae ad Christi charitatem fovendam, veramque sanctitatem promovendam quam maxime conferunt.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

« Neque vero haec omnia nostris viribus fidentes: quam enim timidae cogitationes incertaeque providentiae nostrae! sed Eius in primis auxilio, a quo est omne quod est optimum; tum illius Praesulis hortationibus atque exemplis, qui scientiae ceterarumque pastoralium virtutum laude Sedem hanc illustrat, statuimus ac spondemus. Ex quo enim ceu Angelus Ticinensibus datus fuit, nunquam cessavit germanam sanctorum Thomae et Alphonsi doctrinam in frequentissimis sermonibus ac collocutionibus, in menstruis Cleri congregationibus, atque omni pene conversatione omnibus commendare ac proponere, ipsiusque doctrinae studium ac praxim urgere. Quo namque zelo pro totius Dioecesis salute, eodem plane et pro recta Cleri sui educatione incenditur, ut ipsa oratio, quam in Seminario, potiore Cleri parte adstante, habuit, occasione Academiae, qua hoc anno studiorum resumptionem celebrandam decrevit; ut numero Clericis auctae studiorum materies, ac cura qua eorundem Clericorum profectui prospicit; cum et magis arduis naturalium scientiarum partibus in scholasticis lectionibus pertractandis se addixerit; ac demum, ut cetera praetereamus, Academia ab eo sub nomine atque auspiciis divi Thomae instituta, qua sacerdotum ingenia iugi divinarum rerum meditatione exercere, eosque ad doctissimi aeque ac sanctissimi Viri religiosum cultum inflammare satagit, palam faciunt.

« Has obedientiae impensissimique amoris ac devotionis significationes, dum tibi, Beatissime Pater, exhibemus, ad pedes tuos provoluti, apostolicam benedictionem pro hac Dioecesi, dilectissimoque Antistite nostro Augustino Caietano Riboldi, ac pro nobis omnibus suppliciter imploramus.

« Papiae, VII kal. mart. MDCCCLXXX.

« Sanctitatis tuae

« Humillimi addictissimique Filii

« Canon. ALEXANDER RE Rector ».

Sequuntur Professorum Seminarii subscriptiones.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

639. V. Litterae Rectoris et Alumnorum archiepiscopalis Seminarii Mutinensis:

« Beatissime Pater. Admirabiles illae encyclicae Litterae, quibus Scholasticorum, praesertim vero sancti Thomae Aquinatis doctrinam instaurare contendis, supra quam dici potest gratissimae exstiterunt nobis, qui sacrorum alumnis in Mutinensi Seminario regendis erudiendisque praepositi sumus. Siquidem eximiae et prorsus angelicae Aquinatis doctrinae semper addictissimi fuimus et sumus; neque alio, praeter sanctum Thomam, doctore in tradendis disciplinis utimur. Nulla enim alia philosophandi methodus unquam visa nobis est aut aptior aut solidior ad firmandum sororium illud vinculum, quo Fides et Ratio inter se continentur, necnon ad gliscentes in dies errores proterendos.

« Idque eo vel magis retinendum putamus, quod probe noverimus quam enerves evaserint, ne dicamus ineptos et perniciosos, ad Religionem sartam tectamque tuendam, qui, posthabita Scholasticorum doctrina, novas de Creatione Animarum, de Idearum origine, de Rebus sensibilibus, de Actibus humanis eorumque regulis, deque aliis permultis, iisdemque gravissimis, quaestionibus opiniones, quas deliramenta potius vocavimus, obtrudunt.

« Quamobrem dum plenissimo et nullis limitibus circumscripto mentis et cordis obsequio praelaudatis Litteris tuis adhaeremus, nobis ipsi laetamur apta tibique probata institutionis methodo hucusque usos fuisse. Nunc vero sapientissimo tuo consilio in eadem firmati, pressius etiam, si fieri potest, vestigiis sancti Thomae insistentes, omnem in eo operam ponemus, ut alumni in spem Mutinensis Ecclesiae succrescentes Angelici doctrina, tanquam lacte purissimo, enutriantur ac veluti saginentur, ut, Deo adiuvante, ii christianae sapientiae defensores evadant, quibus tempus eget.

« Quod ut plenius consequi possimus, te, Pater Sanctissime, etiam atque etiam rogamus ut apostolicam benedictionem nobis impertiri digneris, qui in osculum sacri pedis provoluti, heic nomina nostra reverentissimi subscribimus.

« Mutinae, die 16 decembris 1879.

« Humillimus ac obsequentissimus Servus

C. Dominicus Ricci Praef., Hist. eccl. Prof. ».

Sequuntur Professorum subscriptiones.

640. VI. Litterae Rectoris et Alumnorum episcopalis Seminarii Aquinatensis:

« Beatissime Pater. Cum primum legimus Epistolam encyclicam, qua patefacta norma est docendi Philosophiam ad mentem divi Thomae de Aquino, nec non Litteras humaniores in Gymnasiis catholicis, paene incredibili capti fuimus laetitia, rati verbum tuum, Spiritu Sancto illustratum, esse solum, quod tute homines ducat ad perfectam scientiam, vitaeque incolumitatem.

« Neminem enim fugit Sedem apostolicam esse solam lucem veritatis et magistram morum. His temporibus miseris, quibus vivimus, fideles catholici nullum alium receptum habere possunt, quam in sapientia Vicarii Christi. Nos innixi tam maxima auctoritate, profitemur omnem curam et studium conferre velle ad docendos iuvenes doctrinam illibatam Doctoris Aquinatis. In hoc lumine et ornamento Ecclesiae Iesu Christi erunt usque defixi, tanquam in simulacro, oculi nostri, et quoad vires nos minime deficiant, perpetuam propugnationem suscipiemus pro doctrina Angelici Doctoris.

« Hoc Seminarium, paucis abhinc annis restauratum in patria divi Doctoris, eique dicatum, arbitramur nunquam defuturum studio tuendae, augendae et dilatandae eius doctrinae. Te denique, Pater sanctissime, precamur, ut benedictionem apostolicam nobis et Alumnis huius Seminarii impertiri velis, idque in tuam tutelam accipere.

« Datum Aquini, die 26 novembris 1879.

« Humillimus ac addictissimus Filius

« Vincentius Camilli Rector ».

Sequuntur Professorum subscriptiones.

641. VII. Litterae Rectoris et Alumnorum Seminarii Cremensis ad suum Episcopum:

« Eccellenza Reverendissima. Approssimandosi l'apertura degli studi in questo ven. Seminario, i sottoscritti Professori, chiamati dalla bontà e fiducia dell'Eccellenza Vostra Revma ad istruire ed educare gli allievi del Santuario, stimano che non potrebbero sotto migliori auspicii ripigliare le scolastiche lezioni, se non col deporre nelle mani venerate di vostra Eccellenza Revma l'Atto presente di piena, formale, esplicita adesione alla memoranda Enciclica di Sua Santità Papa Leone XIII "de instauranda in Scholis Philosophia christiana ad mentem divi Thomae."

« Il Sommo Pontefice, dopo di avere con linguaggio forbito encomiato l'aurea sapienza di san Tommaso d'Aquino a tutela e ad onore della Fede cattolica, e a bene della società e ad incremento di tutte le scienze, e colla suprema sua autorità dopo d'aver dichiarato che le dottrine dell'Angelico Dottore si hanno da ritenere per cattoliche, veridiche e ammirande, rivolgendosi all'Episcopato prescrive: " Doctrinam Thomae Aquinatis studeant Magistri a vobis intelligenter lecti, in discipulorum animos insinuare; eiusque prae caeteris soliditatem atque excellentiam in perspicuo ponant."

« I sottoscritti, Eccellenza Revma, sentono il dovere di assicurare il proprio veneratissimo Presule, che non si dipartiranno punto dal sublime insegnamento che il Vicario di Cristo, nella sua provvidenziale Enciclica *Aeterni Patris,* vuole che sia impartito in tutte le scuole cattoliche, quale regola assoluta in ordine alla Filosofia. Perciò ciascuno degli scriventi, nella sfera delle sue attribuzioni e per quelle parti scientifiche e letterarie che deve svolgere e spiegare a' suoi discepoli, intende di attenersi scrupolosamente ai principii ed alle dottrine della Filosofia scolastica, di cui è Maestro e Principe san Tommaso d'Aquino. E poichè tutti insieme vivamente desiderano che sieno tolti gli equivoci, e che questa loro dichiarazione abbia un senso positivo e preciso, i sottoscritti protestano che hanno a cuore d'insegnare, promuovere e sostenere le preclare dottrine dell'Angelico Dottore, come vengono esposte e commentate nella loro parte razionale dagli antichi e moderni Scolastici: e tra i più recenti dall'Emo Cardinal Zigliara, dal Sanseverino, adottato in questo Seminario, e dal P. Liberatore.

« Gli scriventi pertanto prendono formale impegno e si obbligano verso l'Eccellenza vostra sia nella scuola, sia nell'interno del Seminario, sia fuori di questo sacro recinto, in discorsi publici e privati, a non difendere e propugnare che la dottrina pura di san Tommaso, giusta l'esegetica esposizione de' prefati interpreti, commendati dal Santo Padre. Al sicuro e concorde giudizio dei quali aderendo con pieno ossequio e convincimento, dichiarano di ripudiare tutti i moderni sistemi di filosofia che si oppongono a quello tomistico.

« Gli è in tal modo che i sottoscritti Professori sperano, per quanto loro riguarda, di soddisfare il voto prezioso che Sua Santità espresse ai Vescovi nella sua ammirabile Enciclica colle seguenti gravi parole: "Reliquos ex vobis singulatim monemus, nihil nobis esse antiquius et optabilius, quam ut sapientiae rivos purissimos ex Angelico Doctore iugi et praedivite vena dimanantes, studiosae iuventuti large copioseque universi praebeatis... sed ab iis, qui exinde fluxisse dicuntur, re autem alienis et non salubribus aquis creverunt, adolescentium animos arcendos curate."

« Gli è pure con questa protesta che gli scriventi hanno certezza di uniformarsi pienamente ai venerati desiderii dell'Eccellenza Vostra Rma, della quale si professano colla più alta stima e profonda venerazione.

« Crema, 17 ottobre 1879.

« Umilmi devmi Figli e Servi

« Sac. FRANCESCO DENTI Prof. di Teologia Morale ».

Sequuntur reliquorum Professorum subscriptiones.

642. VIII. Litterae Professorum episcopalis Seminarii Drepanensis:

« Beatissimo Padre. Il nobilissimo pensiero, veramente degno dell'alta sapienza della Santità vostra, di far ritornar nel primitivo splendore la dottrina dell'Angelico Dottor san Tommaso d'Aquino, affin di restaurare la Filosofia cristiana nelle cattoliche Scuole, ha riscosso a meraviglia i maggiori applausi di quanti avvi solerti cultori delle filosofiche e teologiche scienze, non che delle discipline d'ogni ragione; essendo stato egli di tutte le scienze luce e maestro. Nè per avventura è a meravigliarne; attesochè enciclopedico egli fu e profondo in tutto che trattò, e trattò di tutto; talchè sembra mandato dal Cielo ad agevolar le vie d'ogni scienza, ed a sorreggere nel lungo volger de' secoli gl'ingegni più potenti, perchè in loro ardir non fallissero.

« Il perchè fu sapiente, lodevol consiglio della Santità vostra, con la memoranda celebratissima Enciclica *Aeterni Patris,* non mai abbastanza degnamente lodata, opportunamente promuovere, come il migliore e più efficace rimedio, lo studio della sana dottrina dell'Angelico, a ristorare i danni della corrotta e sviata filosofia, auspicandone alle scienze, alla Società, alla Chiesa il vero progresso, la felicità, il trionfo.

« Nè vi si può altrimenti ben riuscire: poichè, secondo avvisa il chiarissimo cardinal Gerdil, la scarsa intelligenza, e la quasi smarrita sublimità degli spiriti moderni egli è da ascriversi all'esser troppo neglette da molti a dì nostri le speculazioni della soda metafisica di san Tommaso; di quel profondo Filosofo, di cui Victor Cousin col più bello elogio scriveva: " San Tommaso rimase sempre fedele allo spirito filosofico, e lo trasportò alla morale: perciò la sua *Somma,* ch'è uno dei più insigni monumenti dello spirito umano del medioevo, comprende con un'alta metafisica un sistema intero di morale e di politica; ma di politica tutt'altro che servile." Nè andava egli punto lungi dal vero: poichè nessun filosofo, dopo ormai sette secoli, regge al paragone di san Tommaso. Nessuno meglio di lui investigò e definì le ragioni dell'Ontologia

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

e della Psicologia, senza rompere negli scogli dell'Empirismo e dell'Idealismo. Nessuno meglio di lui fondò i cardini dell'Etica e della Teologia razionale, senza confonder mai i limiti del naturale e del soprannaturale. Nessuno sciolse con pari acume di prudenza civile gli ardui problemi della Filosofia del diritto e della politica. La restaurazione pertanto della scienza razionale ritorni sulle orme dell'Angelico Dottore, qual è, e non qual vorrebbesi farlo, e si vedranno invittamente conquisi gli errori de' Razionalisti, dei Panteisti, dei Materialisti, che minacciano la sovversione di ogni civil società. Ben a ragione quindi egli è stato sempre proposto come esemplare di dottrina da' Pontefici e da' Santi, e prescritto qual norma certissima alle Università; non mai convinto d'un solo errore nell'ordine metafisico; da tutti prescelto a propugnar le loro opinioni, autorizzare le loro opere scientifiche, ed avvalorar le loro polemiche. Ond'è che a dì nostri, sorgono in Italia i dotti di tutte le discipline, e stringonsi in Accademie scientifiche che da san Tommaso si appellano, oltre le parecchie teologiche, che ormai fioriscono nella culta Europa. Ed è per questo che la Santità vostra, con savissimo accorgimento, a secondare i fervidi voti de' cultori di tutte le scienze, in solenne adunanza, nel giorno a lui sacro, umanissimamente gli accoglie, a festeggiarne splendidamente la gloriosa memoria, e celebrarne le lodi, presentando i loro omaggi e le più affettuose gratulazioni al supremo Gerarca della Cattolica Chiesa, Maestro infallibile di Fede e di morale.

« In così fausta occasione, Professori del Seminario di Trapani, in attestato di adesione, riverenti offrono anch'essi alla Santità vostra i loro plausi ed omaggi, lieti di partecipare alla comune giocondità; implorando con somma venerazione e filiale ossequio l'apostolica benedizione.

« Di vostra Santità

« Trapani, addì 26 febbraio 1880.

« Obbedmi devmi Figli

« Ciantro Alberto La Via Prof. di Teologia Morale
« Can. Teol. Francesco Rizzi Prof. di Teologia Dommatica
« Can. Nicolò Buscarino Prof. di Diritto Canonico ».

643. IX. Litterae Rectoris et Alumnorum episcopalis Seminarii Parmensis:

« Beatissime Pater. Simul ac sapientissimas Litteras tuas encyclicas eo, quo par est, obsequio, perlegimus, nos omnes Theologiae et Philosophiae in episcopali Seminario Parmensi Praeceptores, licet omnium extremi ac minimi, vehementer et laetati sumus, et Christi Ecclesiae gratulati; propterea quod eam benignissimus Deus hac nostra miserrima

aetate donavit tam sapienti Pontifice, qui probe noscens mala, quibus Societas universa premitur, et simul primam horum omnium malorum radicem, remedium efficacissimum proposuit in philosophicis studiis instaurandis, et ad purissimos divi Thomae Aquinatis fontes revocandis. Atque utinam studiosa cohors, insano flagrans novitatis amore, nunquam ab eis fontibus recessisset! Neque enim Ecclesia tanta hodie lamentaretur errorum portenta, ut plerisque vel ipsa recti verique notitia penitus de mente excessisse videatur. Equidem nos iampridem divi Aquinatis doctrinam tum in theologicis tum in philosophicis disciplinis amplexati sumus, eique firmiter adhaesimus, et ut in proposito perseveraremus, saepissime quidem sed praecipue in recenti Synodo Dioecesana a veneratissimo Antistite nostro et moniti et iussi fuimus. Verum Litterae tuae encyclicae, Beatissime Pater, novos veluti stimulos nobis admoverunt, quo maiori in dies cura et sedulitate sancti Thomae doctrinam de ipsius operibus, adhibitis etiam probatorum interpretum subsidiis, eruamus, et in discipulis nostris studium et amorem in ipsam, quantum possumus, ferventissimum incendamus. Quinimo, ut cognoscas quantae sit nobis curae non modo iussa tua, verum etiam desideria explere, te volumus certiorem facere hoc anno pro Philosophiae studio *Institutionibus* P. Matthaei Liberatore, quae multis abhinc annis pro textu adhibebantur, *Compendium Philosophiae* Caietani Sanseverini substituisse.

« Beatissime Pater, faxit Deus Optimus Maximus, ut labor hic tuus in studiis rite instituendis, quemadmodum et caeteri, quos gravissimos impendis pro regenda Ecclesia, ad felicem exitum perducantur, ut triumpho, qui in votis est maxime bonorum omnium, tandem perfruaris.

« Ad sanctissimos pedes tuos provoluti illos deosculamur, et apostolicam imploramus benedictionem

« Beatitudinis tuae

« Datum Romae, die 10 septembris 1879.

« Servorum infimi

« Can. Iosephus Burlenghi
« Vic. Gen. Doctor Colleg. et Prof. Biblic. Instit.
« Soc. Academiae Sancti Thomae ».

Adsunt reliquorum Professorum subscriptiones.

644. X. Litterae Rectoris et Alumnorum episcopalis Seminarii Collensis:

« Beatissime Pater. Qua et quam maxima laetitia unusquisque nostrum affectus fuerit ex tua admirabili Encyclica *Aeterni Patris* haud

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

facile dictu. In ipsa enim adolescentibus in philosophicas incumbentibus disciplinas Thomam Aquinatem exemplar et Magistrum proponis, utpote qui veterum Doctorum " doctrinas (tuis utimur verbis) veluti dispersa cuiusdam corporis membra in unum collegit et coagmentavit, miro ordine digessit, et magnis incrementis ita adauxit, ut Catholicae Ecclesiae singulare praesidium et decus iure meritoque habeatur. " Quare hunc incomparabilem Virum praecipuo semper prosequuti sumus honore, et pluribus abhinc annis in tradendis disciplinis tum theologicis, tum philosophicis, eius vestigiis inhaerere curavimus: idque eo magis exsequi constanter studebimus ex monitis atque hortamentis quae sapienti consilio praebes.

« De caetero supradictam Encyclicam universus terrarum Orbis plaudens excepit, qui una voce testatur te inter gliscentes errores et mentium deliramenta, Ecclesiae et civilis Societatis prosperitati sapientissime consuluisse. Et re quidem vera, tot malorum origo, quae utriusque dissolutionem minantur, ex eo potissimum repetenda quod pluribus in ephebeis philosophandi libertas plus aequo data sit institutoribus, qui pro lubito ingenioque excogitandi, citra quempiam ad Fidem respectum, incerta persaepe ac dubia, non raro falsa et absona tradunt.

« Hosce animi sensus, quos aperimus, gratos tibi fore putamus, maxime cum praelaudati Angelici Doctoris dies festus instet, ac iucundissimum sit memoriae revocare quod eo ipso die, quinquanginta abhinc annis, nobilissimus Aquinatis discipulus, ingenii acie praestans, summa cum laude publicas theses substinere valueris.

« Interim, Beatissime Pater, te humiliter instanterque rogamus, ut apostolicam benedictionem nobis impertire velis, qui ad pedum tuorum provoluti, reverenti ac submisso animi sensu hic subscribimus

« Sanctitatis tuae

« Ex Seminario Collensi, kalendis martii 1880.

« Addictissimi obsequentissimi Servi et Filii ».

Adsunt Professorum subscriptiones.

645. XI. Litterae Rectoris et Alumnorum episcopalis Seminarii Derthonensis:

« Beatissime Pater. Seminarii Derthonensis Moderatores et Alumni, qui sapientissimis documentis et monitis a Sanctitate vestra passim editis, sed praesertim admirabili Encyclicae *Aeterni Patris* reverenti gratulatione plausimus utpote Angelici Magistri placitis constanti iampridem adhaesione devincti, praeeunte adhortationibus et exemplis amantissimo Episcopo nostro, cuius ideo festum tanquam auspicatissimi studiis ecclesiasticis Patroni ab annis iam pluribus celebrare consuescimus, etsi corpore absentes, tamen ad pedes Sanctitatis vestrae humiliter in spiritu provoluti, filialis devotionis et obsequii significationibus concinere profitemur, quibus undequaque terrarum tot eximii scientiarum cultores, Academiae, Athenaea, Collegia et omnigena disciplinarum Instituta, hac fausta die sanctissimo Doctori sacra, Beatitudinem vestram prosequi certatim gestiunt.

« Unaque spondemus, et divina adiuvante gratia confidimus, nos etiam in posterum usque ad extremum vitae nedum praeceptis atque doctrinis, sed et consiliis ac nutibus, quae a Sanctitate vestra proferri contigerit, alacri plenoque animo obsequuturos, siquidem in te, gloriosissime Leo, infallibilem Ecclesiae et Orbis universi veneramur Magistrum.

« Ut autem haec sensa, ex intimo corde nostro sponte deprompta, fideliter custodiamus ac opere adimpleamus, flexis coram te genibus, apostolicam benedictionem suppliciter poscimus, quae nos in omni opere bono ac potissimum in muneribus nostris accurate fungendis, confirmet atque confortet.

« Beatitudinis vestrae

« Humillimi obsequentissimi et addictissimi

« Famuli et Filii

« Claudius Can. Theol. André Seminarii Rector ».

Sequuntur Professorum subscriptiones.

646. XII. Litterae Rectoris et Alumnorum episcopalis Seminarii Placentini:

« Beatissime Pater. Scholas auspicantibus iucundum et nobis visum est, Beatissime Pater, litteras nostras gratiarum actiones offerentes tibi mittere ob sapientissima quae statuisti in tua Encyclica *Aeterni Patris*, consilia de doctrina, qua hac temporum nostrorum tristitia, instituendi sunt iuvenes. Ex dubio enim a Cartesio in scientiis tradendis invecto ad hanc aetatem nostram, omnia errorum monstra Materialistarum et Idealistarum profitentium systemata ortum habuisse certo scimus: inde idearum confusionem, animorum inconstantiam et crebram opinionum commutationem, et rationem se sui iuris esse iactitantem, exoriri facile ex tuis Litteris colligimus. Ad hos autem errores omnes et impia systemata refellenda, ad discrepantiam mentis a Fide radicitus convellendam, ad harmoniam inter utramque restituendam apprime et perbelle conferre doctrinam Scholasticorum, et praecipue Thomae Doctoris Angelici ex eisdem tuis Litteris plane ac probe contuemur, atque proinde edocemur unde mala hac nostra aetate debacchantia proveniant, unde remedia pe-

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

tenda. Quapropter in has tuas Litteras de instauranda Philosophia Scholastica, laeti tibi gestiente animo gratulamur; ac si antea Antistitum nostrorum mente, et postremo Ioannis Baptistae Scalabrini consilio, modo auctoritate tua roborati alacriori animo spondemus, nos Thomae doctrinis continuo deditissimos fore, easque ipso ex fonte et ex clarissimorum eius interpretum lucubrationibus, ut Thomae de Vio Cardinalis Caietani, Ferrariensis, per quas tanquam per uberes rivulos tanti viri doctrina decurrit, haurire et ad discipulos nostros derivare curaturos.

« Adiuvet nos ac iuvenes nostrae sollicitudini commissos, ut de Thomae Aquinatis doctrina erudiantur, tua apostolica benedictio, quam ad terram proni expostulamus; tunc enim solummodo labores nostri ac studia tuis, Deo auxiliante, votis favebunt.

« Placentiae, pridie nonas novembris MDCCCLXXIX.

« Moderatores Seminarii Urbani

Sequuntur Professorum subscriptiones.

« Moderatores Collegii Alberoni Sancti Lazari

Sequuntur horum subscriptiones.

« Moderatores Seminarii Bedoniensis huius Dioecesis ».

Sequuntur etiam horum subscriptiones.

647. XIII. Litterae Rectoris et Alumnorum episcopalis Seminarii Guastallensis:

« Beatissime Pater. Qua laetitia ac veneratione, Pater Beatissime, encyclicas Litteras tuas ad universi Orbis Episcopos, de Philosophia christiana ad mentem sancti Thomae Aquinatis in Scholis catholicis instauranda accepimus, verbis haud satis exprimere possumus. A te enim in terris custode ac vindice rei catholicae divinitus instituto proponitur, suadetur Dux et Auctor in philosophicis ac theologicis disciplinis tradendis Aquinas ille, quem Angelici Doctoris nomine exornatum, omnis Patristicae ac Christianae doctrinae veluti flumen rivulos, solem radios in unum colligentem, ac thesaurum scientifice exactum tota antiquitas coluit et venerata est; quem cuiusvis aetatis errorum ob mentis aciem ac scientiae copiam profligatorem cuncti suspexerunt, atque amplissimi viri, vel heterodoxi, romani Pontifices, Concilia, potissimum Tridentini Patres, summis laudibus commendarunt: ut scilicet in tanta hominum perversitate, tantoque religionis discrimine arx Fidei validioribus armis muniatur, apud Ephebea ac Scholas catholicas doctrinae unitas foveatur, scientiae et artes

inoffenso pede progredi valeant, uno et invictissimo ictu omnes conterantur errores, unamque fere disciplinae rationem, prout unam Fidem, Orbis catholicus profiteatur.

« Quapropter de hisce Litteris tuis obsequenter gratulantes, iisdemque penitus adhaerentes, testamur eo quidem, et alacriore studio, quo Ephebeum hoc sacrum instituere iam contendimus, coelestem Aquinatis doctrinam e purioribus fontibus haustam nos semper prosecutoros esse, remque omnem philosophicam ac theologicam ipso Duce ac Magistro explicaturos.

« Interim ad pedes Beatitudinis tuae humiliter provoluti, apostolicam benedictionem in nos, laboresque nostros imploramus.

« Guastallae, XIII cal. ianuarii MDCCCLXXX.

« Humillimi obsequentissimi et addictissimi

« Famuli et Filii ».

Adsunt Professorum subscriptiones.

648. XIV. Litterae Rectoris et Alumnorum episcopalis Seminarii Boianensis:

« Beatissimo Padre. Dopo la provvidenziale Enciclica *Aeternis Patris*, con cui la Santità vostra ha additato il faro più luminoso a questo nostro secolo infelice, non si sarebbe potuto prescegliere giorno migliore di questo, sacro al sommo Aquinate, per raccogliere di tutte le nazioni il plauso ed il consentimento. E plauso e benedizione son piovute sulla Santità vostra dalle Accademie, da' Ginnasi, dai Seminari dell'Orbe cattolico, testimone questa innumerevole adunanza di rappresentanti, nei quali è già nobile lavorío ad instaurare gli studi filosofico-dommatici "ad mentem divi Thomae," dilungandosi da quella spavalda filosofia, la quale ebbe in Europa origine dal famoso Risorgimento, ed accarezzata dai Riformatori alemanni e dagli Enciclopedisti francesi, fece capolino con l'Idealismo sul principiare del nostro secolo, ma via via più degenere è ora caduta nel pagano Naturalismo.

« Quale tempo più opportuno a togliere in mano i sapienti volumi dell'uomo più grande d'Italia e del mondo, per confutare invittamente il moderno Scetticismo, ch'è l'errore dove in ultimo va a rompere ogni falsa dialettica? Quale scuola meglio acconcia a insegnare il modo, onde negli ordini dell'essere al perfetto accordo si richiede che tra le forze una sovrasti alle altre per maggiore prossimità all'Ente supremo; e del pari negli ordini della cognizione, che quella forza sovrastante sia, non che intelligibile, anche intelligente?

« Ah sì, Beatissimo Padre, illuminati dal gran Sole di Aquino, i giovani intelletti non potranno smarrire la diritta via; ma in quell'Oceano di luce uopo è adusare le pupille; ed ecco la grand'opera degl'Insegnanti e degl'Insegnati, la quale venne dalla Santità vostra inculcata con queste memorande parole: " Illud etiam accedit, quod philosophicas conclusiones Angelicus Doctor speculatus est in rerum rationibus et principiis, quae quam latissime patent et infinitarum fere veritatum semina suo velut gremio concludunt, a posterioribus Magistris opportuno tempore et uberrimo cum fructu aperienda. "

« Nulladimeno a tale scientifico incremento non avrebbe potuto collaborare, forse sola tra tante mila, la popolosa Diocesi di Boiano rimasta lunghi anni in deplorevole abbandono, se dalla Santità vostra non le si fosse inviato un Pastore, tutto zelo e sollecitudine a rifare, direi quasi dalle fondamenta, il diocesano Seminario, superando le maggiori difficoltà materiali ed il cinismo di crudeli oppressori di ogni opera buona. Ma di presente, confortati dall'autorevole parola della Santità vostra, e dalle paterne cure dell'ottimo Prelato, metteremo tutte le nostre deboli forze a tener alto e riverito il vessillo dei buoni studi.

« Arrida Iddio O. M. a' generosi propositi, concedendone quel forte amore allo studio di vera sapienza, onde in questo cinquantesimo anniversario ammiriamo la Santità vostra fatta esempio luminosissimo sin dai più giovani anni, e prostrati al bacio del sacro piede, imploriamo per noi, pei Professori ed Alunni del Seminario Boianese l'apostolica benedizione.

« Boiano, il 21 febbraio 1880.

« Il Rettore

« SERAFINO Arciprete PISTILLO

« Esaminatore Pro Sinodale e Vicario Foraneo ».

649. XV. Litterae Rectoris et Alumnorum episcopalis Seminarii Veronensis:

« Beatissime Pater. Sapientissimas litteras tuas, quibus christianae Philosophiae in Catholica Ecclesia instaurandae prospexisti, obsequenti ac devoto animo venerati sumus, Beatissime Pater, tanquam novum atque insigne illius sollicitudinis monimentum, qua apostolica Sedes, pro suprema sui magisterii auctoritate, verae scientiae provehendae humanisque disciplinis ad Fidei normam ubique tradendis constanter advigilat.

« Equidem persuasum tecum habemus tot mala quibus aetas haec nostra miserrime inficitur, ex pravis mentium opinionibus de divinis humanisque rebus ortum habere, quae in hominum actiones influunt easque

pervertunt; simulque intelligimus iis propulsandis atque evellendis, post auxilium gratiae Dei nil aptius exsistere, quam rectum Philosophiae usum, quae tum sacrae Theologiae ambitioso famulatu subservit, tum, veris solidisque restitutis principiis in ordine metaphysico, ethico et politico, caeteris omnibus humanis scientiis pro sua dignitate principatur.

« Verum hic honos illius tantum philosophandi methodi proprius est et privus, quae a veneranda sanctorum Patrum antiquitate latissime exculta, Fidei alumna constanter exstitit, et a Doctoribus scholasticis diligenter conquisita atque in certam formam redacta, a sancto Thoma Aquinate scholarum Principe ad supremum sapientiae fastigium evecta fuit.

« Quare maximas ex intimo cordis tibi gratias agimus, Beatissime Pater, quod veterem illam ac diuturno tot saeculorum usu probatam scholasticam Philosophiam in suum locum per tuas encyclicas Litteras reduxeris, et Doctorem Angelicum in omnibus Scholis catholicis tanquam in suo regno restitueris.

« Nostra quod attinet, tuae Litterae nos exceperunt patrimonium antiquae sapientiae ex Angelico Doctore dimanans Alumnis huius Veronensis Seminarii ex maiorum praescripto iam tribuentes; quae res quanto solatio nobis fuerit, quantosque addiderit animos ad Discipulorum mentes pura sancti Thomae doctrina usque imbuendos, vix verbis exprimere possumus, Beatissime Pater.

« Pro ea itaque religione, qua supremo tuo magisterio adstringimur, pro ea omnium nostrum devotione, qua nihil antiquius nobis esse gloriamur, quam cum Ecclesia Catholica eiusque visibili Capite in omnibus sentire, tuis Litteris encyclicis sensu a te intellecto et exposito plene et perfecte adhaeremus, ac tibi, Beatissime Pater, et per te Christo ipsi spondemus, nos, omnibus quas tu improbas philosophandi rationibus posthabitis, auream sancti Thomae doctrinam pro viribus ex immortalibus eius voluminibus hausturos, et exinde, vel nonnisi ex rivis a tanto fonte deductis et integris in Discipulorum animos derivaturos.

« Ut autem benignissimus Deus nostris studiis arrideat, eaque ad exoptatam metam perducat, apostolicam tuam benedictionem, Beatissime Pater, nobis et omnibus huius Seminarii Alumnis enixe efflagitamus, dum in genua provoluti, tuos sanctissimos pedes humillime deosculamur.

« Sanctitatis tuae

« Veronae, ex aedibus Seminarii Episc., V non. martias a. MDCCCLXXX.

« Devotissimi atque obsequentissimi Filii

« BARTHOLOMAEUS BACILIERI Canonicus Rector

« Theologiae Dogmaticae Professor ».

Sequuntur Professorum ac Magistrorum subscriptiones.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

« *P. S.* Beatissime Pater. Maxima animi laetitia has litteras Moderatorum et Praeceptorum Seminarii mei tibi, Beatissime Pater, offero, iterumque pleno mentis et cordis obsequio tuis encyclicis Litteris adhaereo.

« AL. card. CANOSSA Episc. ».

« Plenissimo mentis obsequio et maxima cordis exsultatione admirabilissimae *Aeterni Patris* Encyclicae adhaereo, nomine etiam Veronensis Missionum pro Nigris Instituti Alumnorum, omniumque Sacerdotum ac Missionariorum mei Aegyptiensis Nigrorum in Magno Cairo erecti Collegii, et Vicariatus Apostolici Africae Centralis; ita ut nos omnes pro sacra divi Thomae Philosophia sapientissima a Beatitudine tua providentialiter proclamata, vitam et sanguinem fundere aequo animo parati sumus.

« DANIEL COMBONI Episc. Claudiopolitan. i. p. i.
« et Vicarius Apostol. Africae Centralis ».

650. XVI. Litterae Rectoris et Alumnorum episcopalis Seminarii Isclani:

« Beatissime Pater. Inter tot voces, quibus catholicorum hominum Universitates, Collegia et Scholae omnes tibi de Religione et Societate optime merito plaudunt, quoniam immortali, quae incipit *Aeterni Patris*, Encyclica in honorem revocare dignatus es scholasticae Philosophiae et praesertim divi Thomae studium, haud ingratum tibi sit gratulationibus etiam arridere libenter huius Isclanae Dioecesis Seminarii, quod licet doctrina et auctoritate se in domo Patris coelestis ultimum esse fateatur, nemini tamen se sentit esse secundum studio et amore in istam apostolicam Sedem, quae Religionis columna et firmamentum, Dei Omnipotentis misericordia ad hominum salutem est constituta.

« Postquam Decessor tuus aeternae memoriae Pius IX supremo actu infallibilis suae auctoritatis fundamentales tum Fidei, tum rationis asseruerit veritates, quae, conatibus cuiusdam scientiae, ad quam tantummodo per antiphrasim nomen spectat " progressus " quo vocari vellent, labefactatae concuti videntur in dies, providum apprime et salutare consilium fuit eadem auctoritate verae rationalis scientiae fontes velut digito ostendi, penes quos et ad firmandas illas generis hominum saluti omnino necessarias veritates, et ad perniciosissimos errores profligandos validissima inveniantur argumenta.

« Faxit Deus, ut studium horum vere summorum Philosophorum, praesertim Principis eorum divi Thomae, cuius laudes miro quidem sermonis eloquio in praefata Encyclica enarrasti, excitatum inter doctos huius saeculi homines, quibus experimento licet tristi contigit ultimos Lutheranismi effectus videre, quales iam ab ortu suo fuerant praevisi, Atheismum nempe et Nihilismum, revocet mentes ad sincere Christi Iesu Religionem sectandam, in quam Lutherus verus moderni paganismi antesignanus non aliter primum lapidem coniecit, nisi Angelicum Doctorem non minus stulte quam impie deridendo.

« Non solum autem speramus, verum etiam confidimus fore quam citius ut Sanctitas tua, quae divum Thomam eiusque doctrinam tanto honore prosequitur, Catholicorum fere omnium votis satisfaciat tandem, eum, Scholarum Angelum merito nuncupatum, universalem Scientiae catholicae Patronum solemniter declarando.

« Interim Beatitudinis tuae pedibus provoluti, qua par est reverentia et amore, apostolicam benedictionem Episcopo nostro in primis, qui totus est in huius Seminarii studiis promovendis, tum nobis ipsis, tum denique adolescentibus omnibus sollicitudini nostrae commissis, enixe efflagitamus.

« Isclae, die 3 martii 1880.

« CAROLUS Canon. MENNELLA Studiorum Praefectus.
« Ioannes Canonicus Faliercio Rector ».

Adsunt Professorum et Magistrorum subscriptiones.

651. XVII. Litterae Rectoris et Alumnorum episcopalis Seminarii Sorani:

« Beatissime Pater. Iure meritoque de te dicere possumus, quod de Iesu Christo Filio Dei, cuius es Vicarius plane dignus, scriptum legimus: " Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, et habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis." Dum enim tot haeresum errores, tantaeque tenebrae per totam Italiam ac Europae regiones aliasque mundi plagas impune debacchabantur propter illam philosophiam, cuius cultores quin ratiocinentur, potius somnia fingunt ac insaniunt, quaeque tum scientiis et bonis artibus, tum rectae hominum agendi rationi innumera attulit mala, prodiit, atque exsilivit ad instar solis inter nebulas, Epistola tua encyclica *Aeterni Patris*, V idus septembr. data, qua quid tenendum quidque agendum sit clarissime innotuit, ut ad portum veritatis et felicitatis tuto perveniri possit. Nimirum divus Thomas, quem tu, voce tua sapientissima et fallere nescia, Ducem ac Praeceptorem proposuisti, praeclare atque abunde arma suppeditat, quibus omnes infernae castrorum acies effundi queunt. Ex illius sapientiae fonte salutaria profluunt antidota, quorum ope neque inquinari, neque offici fideles metuunt.

« Quapropter nos infrascripti Rector et Professores scientiarum lite-

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

rarumque huiusce venerabilis Seminarii Sorani, ad pedes Amplitudinis tuae humillime provoluti, maximas gratias agimus tibi, qui talem Magistrum exhibuisti; Deumque ex toto corde precamur, ut te ad plurimos annos sospitet, beatumque reddat, atque uberrimos fructus, quos illa Encyclica promittit, continuo videre faciat. Ac verbis praeceptisque tuis inhaerentes fideliter, lubenti ac firmo animo profitemur non aliam doctrinam sequi, atque alumnos et auditores nostros docere quam traditam a divo Aquinate, ipsique conformem. Namque eius doctrina eadem est ac doctrina Verbi incarnati, Domini nostri Iesu Christi, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, et est via, veritas et vita. Faxit Ipse ut vota nostra adimpleantur.

« Interim te enixe rogamus, Beatissime Pater, ut nobis, alumnis et auditoribus nostris benedicas, atque a Deo optimo maximo benigne implores, ut, amota semper ab hoc Seminario omni erroris vitiique labe, mittere in ipsum et in nos dignetur de coelis sanctis suis, et a Sede magnitudinis suae sedium suarum assistricem Sapientiam, quae nobiscum sit, nobiscum laboret, ut sciamus et faciamus quod acceptum sit apud se, et ab ipsomet per preces tuas, tandem aliquando recipiamus mercedem, quam solam divus Thomas optavit et petiit.

« Datum Sorae, ex Seminario, kalendis decembris MDCCCLXXIX.

« ROCHUS Can. Theol. DI FOLCO ».

Sequuntur aliorum subscriptiones.

652. XVIII. Litterae Rectoris et Alumnorum patriarchalis Seminarii Venetiarum :

« Beatissime Pater. Quo die sapientissima vox tua " ad catholicae Fidei tutelam et decus atque ad Societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum " divum Thomam Aquinatem tanquam fidissimum in philosophicis Ducem omnibus sequendum proposuit, magna quidem perfusi sumus laetitia.

« Licet enim sacrum nobis nullo non tempore fuerit viam illam terere quam Angelicus Doctor coelesti plane sapientia muniverat, vix dum omnes quibus cordi esset et veritatis iura sarta tecta servare et errores prosterni a te, Beatissime Pater, ad Aquinatis doctrinae studium summopere incitatos intelleximus, novos nobis additos stimulos ad studium illud impensius prosequendum laetabundi fatemur.

« Eaque nobis dulcissima affulget spes, fore ut omnibus tandem domesticis dissidiis compositis, frequentissimas Philosophorum acies sub uno instructas videamus vexilio, quo certiorem facilioremque victoriam, certantium consensu disciplinaque consequamur.

« Si enim catholicae veritatis hostes prudentia carnis innixi, ordinis theoretici fundamento sublato, collatis undique viribus illud assequi potuerunt ut totum paene socialem ordinem funditus everterent, ecquod melius ad socialem ordinem restituendum excogitari posset consilium, quam ut tuis obsecundantes verbis, pro sanctissimo veritatis iure iisdem armis congrediamur ?

« Immo et illud fore confidimus, ut adversariorum permulti, nostra concordia incitati atque admirabili doctrinae pulchritudine illecti, sponte veluti sua veritati et ipsi sese dedant, tandem aliquando experti quam libertatem appellant turpissimam esse et homine sane indignam servitutem.

« Adveniat ergo quam primum auspicatissima illa dies qua, ex ipso effectuum splendore, adversarii ultro dignoscant tibi infallibile munus ea docendi quae ad Fidem moresque pertinent, erroresque profligandi, et certaminis insuper viam rationemque ostendendi divinitus esse commissum, nostrisque suos etiam plausus consocient, quibus Deo Optimo Maximo summas referimus gratias qui te talem tantumque Pastorem Ecclesiae universae benigne concesserit.

« Nos interim, Beatissime Pater, propitiis intuere oculis, atque apostolicam, quam ad tuos provoluti pedes imploramus, benedictionem nobis imperti.

« Venetiis, ex Seminario Patriarchali, kal. martiis an. MDCCCLXXX.

« ANTONIUS D'ESTE Theol. Stud. Praefectus
« Ioseph Callegari Theol. Mor. Prof. emerit.
« elect. Episc. Tarvisinus ».

Sequuntur aliorum subscriptiones.

653. XIX. Litterae Rectoris et Alumnorum episcopalis Seminarii Tridentini :

« Beatissime Pater. Quod iamdudum optaverant Seminarii Tridentini Moderatores et Magistri, quod erat in votis omnium Clericorum hic disciplinis philosophicis, theologicisque operam navantium, immo Cleri nostri fere universi ut coërceretur impudens nostri aevi philosophandi libido, id maximo gaudio, maximaque animi voluptate tua sapientia, Pater Beatissime, impletum videmus. Nam effraenis cogitandi et sentiendi libertas hodiedum mentes invasit, novaque in dies philosophica systemata prodire conspiciuntur, quae deserta plerumque via veritatis pro luce sapientiae phantasiae vana commenta studiosae iuventuti propinant. Hinc factum est, ut tanta errorum colluvies mundi regiones incesserit, quos rerum divinarum humanarumque contemptus subsequutus est.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

« Huic igitur malo occurrens tua paterna sollicitudo datis Litteris, quarum initium *Aeterni Patris,* omnes christianae Reipublicae Praesules adhortata est, et enixe rogavit, ut Angelici Doctoris sententiae in re philosophica inhaerentes, hunc unicum ceu Magistrum et sapientiae Fontem commendarent; hunc unicum in Scholis explanandum curarent, et Aquinatis doctrinis mentes discipulorum imbuerent, quo illos redderent aptos ad falsi nominis scientiam sine magno labore detegendam, invictisque argumentis refutandam. Et ne quis in sententiis sancti Thomae interpretandis erraret, placuit Sanctitati tuae nomina etiam eorum, qui Aquinatis systema editis commentariis egregie illustrarunt, nobis indigitare, iis plane reticitis, qui a quibusdam tanquam optimi iactantur divi Thomae expositores et interpretes, licet a sententiis Angelici Doctoris quam maxime recedere videantur. Horum perpauci sunt in hac regione fautores. At nos vero tibi plaudentes, minime cunctamur per legatos nostros in tam honesto conventu unanimes profiteri nullum alium auctorem in philosophicis disciplinis, nullum alium interpretem sequi velle, quam quos Sanctitas tua in Epistola *Aeterni Patris* commendandos esse duxit. Una est veritas, una genuina veritatis explanatio; quae ubinam quaerenda nisi in oraculis apostolicae Sedis?

« Reliquum est, Sanctissime Pater, ut tibi offeramus nostrae devotionis obsequia, quod facimus Deum bonorum omnium largitorem deprecantes, ut a te adversa cuncta submoveat, tuaeque Sanctitati omnia prospere ac feliciter evenire disponat.

« Tuam Beatitudinem tandem rogamus, ut nostra proposita in praesentibus litteris expressa apostolica benedictione confirmes, quam supplices implorant

« Tuae Sanctitatis

« Tridenti, die 24 februarii 1880.

« Obedientissimi Filii

« Ios. Planert, Can. Vice Director St. Theol. ».

Sequuntur Professorum aliorumque subscriptiones.

654. XX. Litterae Rectoris et Professorum episcopalis Seminarii Brixinensis:

« Beatissime Pater. Theologicis disciplinis in Seminario clericorum Brixinensi docendis deputati semper apostolicam Sedem supremam catholicae scientiae moderatricem venerati sumus. Unde novissima praecepta a Sanctitate vestra in Encyclica *Aeterni Patris* aliisque publicis actibus de catholicae scientiae studiis promulgata, et pio reverentiae affectu suscepimus, et quantum in nobis est, re et factis observare nunquam neglexìmus.

« Quanquam, Beatissime Pater, ut verum fateamur, vestrae Sanctitatis vota apud nos quodammodo praeoccupata fuisse, non immerito nobis gratulamur. Nunquam enim in nostro Seminario theologicae disciplinae ab antiqua schola et sancto Thoma alienae fuerunt. Deinde etiam Philosophia, iniquitate temporum e Scholis eiecta, sub nomine Propedeuticae philosophicae apud nos iam ab aliquot denuo annis est introducta, et Academia sub nomine Sancti Thomae instituta, cuius rector simul Philosophiae Professor in omnibus mentem Angelici Doctoris optimorumque eius interpretum sequendam sibi proposuit. Ita per vestrae Sanctitatis monita non tam ad probatam medii aevi Scholam revocati, quam ad coeptum iam studium prosequendum incitati videmur.

« Quam ob rem hac die, quae vestrae Sanctitatis tyrocinio philosophico est celebris, cum viris catholicae scientiae cultoribus e toto fere Orbe confluentibus obsequia iungentes, nos etiam in futurum Sanctitatis vestrae in tradendis ecclesiasticis disciplinis monita per omnia secuturos esse spondemus.

« Quod ut maiori robore maiorique fructu exsequi possimus, apostolicam benedictionem humillimis precibus flagitamus.

« Datum Brixinae, pridie kalendas martias MDCCCLXXX.

« Simon Aichnerm, Rector Seminarii ».

Sequuntur Professorum subscriptiones.

655. XXI. Litterae Alumnorum eiusdem Seminarii Brixinensis:

« Beatissime Pater. Quo vera Philosophia et vera Fides arctissimo vinculo inter se connectantur, una cum iudicio de vera Fide etiam iudicium de vera Philosophia purisque Philosophiae fontibus ad sanctam Petri Sedem spectare didicimus. Quare, ut omnes sinceri christiani, ita et nos, sacrae Theologiae in Seminario Brixinensi studiosi, Sanctitatis tuae monita de vera Philosophia sincerisque Philosophiae fontibus ac methodo in Encyclica *Aeterni Patris* manifestata, statim ab initio laetissimo animo excepimus.

« Id nobis eo gratius accidit quod in nostro Seminario, ex mandato Reverendissimi nostri Antistitis b. m. Vincentii, iam a decennio et ultra Philosophia ad mentem Angelici Doctoris et optimorum eius interpretum, ut Francisci Suarez inter antiquiores et Iosephi Kleutgen inter recentiores, a Magistris nostris methodo scholastica tradi, disputationesque de ea haberi coeptae sint. Insuper Academiam, a Professore, qui simul Academiae Philosophico-medicae in Italia sub nomine Sancti Thomae erectae membrum exsistit, sub nomine eiusdem Sancti Thomae institutam alacri animo frequentamus.

« Quam ob rem recurrente faustissimo die, quo Sanctitas tua, quam modo supremum sanae Philosophiae vindicem veneramur, ante dimidium saeculum primum illustre Philosophiae specimen edidit, occasionem nacti, protestamur, nos dictam Encyclicam in sensu a tua Sanctitate manifestato ac in futurum manifestando, sincero corde amplecti eamque, quod in nobis erit, totis viribus propugnaturos, et eius principia in studiis philosophicis atque theologicis semper secuturos esse promittimus.

« Quod ut fructuosius assequi possimus, ad tuae Sanctitatis pedes provoluti, apostolicam benedictionem enixis precibus flagitamus.

« Datum Brixinae, pridie kalendas martii anni MDCCCLXXX.

« ALVERA PETER Sac. ».

Sequuntur aliorum subscriptiones.

656. XXII. Litterae Rectoris et alumnorum episcopalis Seminarii Ruthenensis:

« Beatissime Pater. Seminarii Ruthenensis Magistri et Alumni, ad pedes Sanctitatis vestrae provoluti, humiliter deprecantur ut religionis, obedientiae necnon dilectionis devotionisque sensus, quos absentes quidem corpore praesentes vero spiritu cum Reverendissimo Episcopo suo fiducialiter offerunt, acceptissimos habeas benigneque excipias. Testis nobis erit ille eximius Praesul, qui pro sua speciali vigilantia et aemulatione in clericalem familiam, quid Magistri et Alumni Seminarii sentiant et peragant certissime novit, nos nihil antiquius habere quam, ipso promovente et adiuvante, bonitatem, disciplinam scientiamque a summis Pontificibus in honorem et decus ordinis sacerdotalis tantopere commendatas, pro parte virili nostra fideliter excolere. Iamdiu enim quaecumque de christiana Philosophia et theologica doctrina iuxta mentem divi Thomae tradendis Encyclica *Aeterni Patris*, Orbe catholico applaudente, feliciter suasit et decrevit, Reverendissimus Praesul noster Sanctitati vestrae in omnibus tam unanimis, menti nostrae tum verbis, tum scriptis inserere non destitit; cui sponte laetantique obsequentes animo, omni conatu satagimus quatenus e purissimis Scripturae sacrae, summorum Pontificum, Conciliorum Patrumque necnon probatissimorum Theologorum, Historicorum Ecclesiae, sacrorum Rituum, Canonum et eloquii mystici peritorum fontibus antiquam, certam et uberrimam doctrinam semper hauriamus, non immemores praesertim nostri officii esse " sapientiae rivos purissimos ex Angelico Doctore iugi et praedivite vena dimanantes studiosae iuventuti large copioseque praebere. " Etsi elementaribus libris, ut parvuli quibus lacte opus est, usque nunc usi sumus, eos tamen iuxta principia et placita Angelici Praeceptoris sedulo interpretamur, singulis tractatibus tum dogmaticis, tum

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

moralibus *Summae Theologicae* analysim et explanationem pro coronide adiicientes.

« Quidquid vero Sanctitati vestrae ad perficiendos Magistrorum discipulorumque animos videbitur expedire, libenter accipiemus et adamussim exsequemur: siquidem ad Sedem apostolicam oculos mentis nostrae et aures cordis nostri indesinenter protendentes, coram Deo in Christo profitemur ac spondemus nos omnes quodcumque supremae Auctoritati vestrae per Antistitem nostrum tradere placuerit, tanquam de ore Petri manans in praxim adducturos, ita ut nunquam rebelles praecipiens, suadens diffitentes, adhortans pigros morantesve invenias.

« Hoc tandem filiali libertate et confidentia Paternitatem vestram rogamus, ut bonum semen in mentes nostras Litteris apostolicis insertum vel inserendum potenti apud Deum interventu foecundare digneris, ut doctrinam Angelici Doctoris seraphico pectore condentes, " veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus; " cuius coelestis gratiae pignus erit apostolica, quam plenissimam imploramus, benedictio.

« Et Deus...

« I. MALET e Societate Sancti Sulpitii, Superior S. R. ».

Sequuntur Professorum subscriptiones.

657. XXIII. Litterae Rectoris et Alumnorum episcopalis Seminarii Conimbricensis:

« Santissimo Padre. D'este canto do Occidente, tão famoso nos annaes da Egreja pela sua entranhada dedicação a essa Cadeira apostolica, oraculo infallivel da verdade e da justiça, saudamos no mais vivo transporte de enthusiasmo e de amor a augusta pessôa de vossa Sanctidade a quem o mundo catholico já proclamou o " Immortal Restaurador da Sciencia Christã. "

« Não podiamos nem deviamos, Santissimo Padre, permanecer indifferentes a esse grandioso movimento que a vossa immortal Encyclica de 4 de agosto de 1879 produziu no Universo catholico, nós os descendentes de tantos heróes christãos, nós os filhos do fidelissimo Portugal que dilatou o imperio de Jesus Christo nas remotas plagas do Oriente, nos sertões da Africa, nos palmares da America, nós finalmente os herdeiros das tradicões venerandas de tantos sabios e santos que foram e ainda hoje são a gloria da Egreja e o legitimo orgulho da nossa Patria.

« E se Portugal, Santissimo Padre, fiel ás suas gloriosas tradições não podia ser indifferente ao resurgimento da sciencia christã operado pela vostra palavra apostolica, Coimbra, a famosa sede d'uma Universi-

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

dade illustre e outr'ora tão dedicada á aurea Doutrina do Anjo das Escholas, devia por isso mesmo unir-se á admiravel e importante manifestação dos sabios catholicos de todo o Universo em prol da vossa immortal Encyclica *Aeterni Patris*.

« Aqui, Santissimo Padre, ainda vivem as tradições d'um Suarez e de tantos outros educados na eschola do Angelico Doutor; aqui ainda não se apagaram os echos da palavra de tantos sabios, cuja doutrina, modelada na doutrina do grande Aquinatense, marcou uma epocha gloriosa e por ventura de esplendor sem par na historia da Theologia em Portugal.

« E se o espirito de dedicação pela Escolastica Thomista amorteceu no animo de muitos pela nefasta influencia de certas doutrinas philosophicas que, vindas da Allemanha, invadiram a nossa patria, hoje, Santissimo Padre, resurge e levanta-se cheio de vida ao prestigio immenso da vossa palavra, que proclamou ao mundo a necessidade do estudo, ensino e propagação da doutrina do Angelico Doutor para levar a sciencia au seu ideal, reduzir os inimigos da Fé catholica e promover nos Estados a ordem e a civilisação.

« È por isso, Santissimo Padre, que os abaixo assignados, Vice-Reitor e Professores de Theologia do Seminario Episcopal de Coimbra, unidos ao seu venerando Pastor, tão desvelado em formar o espirito do seu Clero segundo a doutrina de sancto Thomaz, applaudem com os Prelados, Academias, Seminarios e sabios do Mundo catholico, o acto mais glorioso do vosso já immortal Pontificado, a restauração da Sciencia elevada ao apogeu da gloria pelo maior genio dos seculos christãos, e renovam os seus inabalaveis protestos de amor, obediencia e filial dedicação á vossa augusta Pessoa, e a essa Cadeira apostolica que para bem da Egreja e da Sociedade civil tão sabiamente occupaes.

« Acceitae, Santissimo Padre, estes nossos protestos de amor e obediencia, e concedei-nos a benção apostolica a fim de que, fortalecidos com a benção do Vigario de Jesus Christo, possamos cumprir com fructo os tremendos deveres de nosso ministerio.

« E já que não podemos voar a Roma para vos manifestar de viva voz estes nossos sentimentos, permitti, Pontifice magnanimo, que d'aqui mesmo brademos con todo o enthusiasmo da nossa alma crente, com todo o fogo da nossa fé catholica: " Viva Leão XIII, o Pontifice da Sciencia e da Paz. "

« Seminario Episcopal de Coimbra, 2 de maio de 1880.

« De Vossa Santidade

« Filhos obedientissimos

« ANTONIO JOSÉ DA SILVA, Vice-Rector ».

Sequuntur reliquorum subscriptiones.

658. XXIV. Litterae Rectoris et Alumnorum episcopalis Seminarii Dioecesis Bredanae in Hollandia:

« Beatissime Pater. Liceat et nobis, Praesidi et Professoribus Seminarii episcopalis Dioecesis Bredanae in Hollandia, Filiorum vestrorum humillimis, in memorabili hoc sancti Thomae Aquinatis festo, quo etiam Patrono Seminarium nostrum gloriatur, ad Sanctitatis vestrae pedes nosmet ipsos prosternere ac nostros intimi cordis sensus pandere. Enimvero recurrit iam post annos quinquaginta auspicatissima dies, qua Sanctitas vestra primum publice tanta cum laude propugnavit auream Doctoris Angelici sapientiam, cuius instaurationem per encyclicas Litteras suas pariter vere aureas Orbi catholico in hac tempestate nostra enixe suasit ceu anchoram salutis. Sanctitatem vestram deprecamur, ne dedignetur exiguitatis nostrae gratulationem memoranda hac die accipere simul et testificationem, qua nostram doctrinis Angeli Scholarum adhaesionem nedum profitemur novam, sed confirmamus antiquam. Haec est enim, Beatissime Pater, nostra in Domino gloriatio, rivos sapientiae purissimos ex Angelico Doctore iugi et praedivite vena dimanantes studiosae iuventuti in Seminario Bredano iam pridem large copioseque fuisse praebitos. Idipsum nos religiose semper facturos, iterum iterumque spondemus.

« Vestrae Sanctitatis pedes venerabundi deosculantes, apostolicam benedictionem nobis et Seminarii Alumnis devotissime expostulamus, qua roborati, doctrinis Angeli Scholarum ferventius intendere possimus.

« Sanctitatis Vestrae

« Hoeven, 2 martii 1880.

« Humillimi ac devotissimi Filii

« C. VAN DER VEETER, Praeses ».

Sequuntur subscriptiones Professorum.

659. XXV. Litterae Rectoris et Alumnorum episcopalis Seminarii Dioecesis Ruraemundensis in Hollandia:

« Beatissime Pater. Summo mentis applausu atque intimo laetitiae sensu infrascripti, Seminariorum in Dioecesi Ruraemundensi Moderatores et disciplinarum theologicarum ac philosophicarum Professores, Sanctitatis tuae Encyclicam *Aeterni Patris*, mira eruditione et lucida rerum expositione fulgentem, ubi primum fuit evulgata, exceperunt. Cum autem eo praesertim collimet, ut, Angelico Doctore Duce, Philosophiae christianae studium in Scholis instauret catholicis; haud ingratum tibi fore autumarunt, Beatissime Pater, si quae egregium istud documentum in ipsorum animis excitavit sensa, occasione festi sancti Thomae, mox celebrandi, tibi panderent.

« Liceat igitur in primis, sicut devotos Patris amantissimi filios decet, praeclare effatis tuis pleno cordis affectu suffragari, eaque, tanquam e prima veritatis Cathedra emanantia, ambabus quasi ulnis humillime amplecti. Liceat ea velut totidem idonea gravium, quae per mundum serpunt ac grassantur, malorum remedia alte proclamare. Quis enim, historia palam id attestante, nescit errores, flagitia, publicas rerum perturbationes, quae per varia ingruebant saecula, cum falsis, quae tum temporis vigebant, philosophorum placitis arcte cohaesisse, atque ex iis, veluti ex radice venenata, tanquam surculos quosdam pestiferos pullulasse? Quis e contra ignorat, ubi fontes philosophici, catholica mundante veritate, fluebant limpidi atque illimes, doctrinas ex iis promanasse puras atque intemeratas, quae in privatam et publicam hominum redundabant felicitatem?

« Nec mirum. Cum enim Philosophia de supremis agat principiis, de ultimis rerum rationibus, ubi haec vere exponuntur et recte edisseruntur, non potest non scientiis quibuscumque, prae caeteris autem iis, quae maxime in hominum influunt mentes et voluntates, sidus affulgere amicum, suo praestans lumine, ut, inter varios errorum scopulos, a veri via haud deflectant, et ad portum securum appellant. Quod si universim Philosophia cum scientiis magna connectatur necessitudine, peculiarem habet nexum Philosophia christiana cum Fidei scientia, sive cum disciplinis theologicis, quae vel eo magis hominum moderantur vitam, quod, ineluctabili praefulgentes auctoritate, quid sit credendum, quid agendum definiunt. Ad hasce enim rite excolendas, uti tam graphice Sanctitatis tuae explicat Encyclica, Philosophia christiana planam sternit ac munit viam, easque deinde recto digerit ordine, evolvit, defendit, elucidat.

« Praeclara autem tua Encyclica, Sanctissime Pater, non ideo tantum nobis est cara, quia, instaurata Philosophia christiana, idonea civilis Societatis malis affert remedia et scientiis universim, in primis vero Fidei scientiae, sive sacrae Theologiae apta praebet adiumenta; sed ea etiam de causa, quia Philosophiae christianae Ducem omnino tutum assignat sanctum Thomam Aquinatem, qui sicut inter scholasticos Doctores facile Princeps exstat et Magister, ita quoque nullam Philosophiae partem non acute simul et solide pertractavit.

« Gratias igitur tibi, Beatissime Pater, agimus, quam vividissimas, quod tanta cura, tanta sollicitudine societatis bono ac scientiarum, praesertim Sacrarum, cultui prospicere volueris; unde alte etiam menti nostrae est insitum, ut, sub tutela illustrissimi nostri Episcopi, tramitem a Sanctitate tua nobis stratum, Duce atque Auspice sancto Thoma, presso sequamur pede.

« Dum hocce tempore dies recolimus anniversarios felicis tuae Creationis ac Coronationis, gratissima hac liceat nobis uti occasione, ut ferventissimis pro te precibus nixi, cuncta tibi fausta uberrimamque in munere apostolico exsequendo gratiam propenso in te animo exoptemus, simulque profunda nostra venerationis, obsequii atque amoris sensa corde tibi offeramus devotissimo.

« Ut autem arduo docendi muneri haud exstemus impares votisque tuis obsecundemus graviter, apostolicam tuam benedictionem, coelestium munerum auspicem, enixe efflagitamus.

« Sanctitatis tuae

« Ruraemundae in Hollandia, 28 februarii 1880.

« Filii humillimi atque obedientissimi

« P. I. Hoefnagels, Sem. Maior. Praeses et Prof.,
« S. S. Cubic. secret. sup. num.

Se subscribunt Professores.

« VV. Everts Sem. Min. Rector S. S. Cubic. ad hon. ».

Se pariter subscribunt Professores.

660. XXVI. Litterae Rectoris et Professorum archiepiscopalis Seminari Rysemburgensis, in Archidioecesi Ultraiectensi:

« Beatissime Pater. Inter magna et praeclara quae iam ab apostolica Sede ad nos pervenerunt documenta, nullum nobis gratius et magis acceptum fuit, eo quod " de Philosophia christiana ad mentem sancti Thomae Aquinatis Doctoris Angelici in Scholis catholicis instauranda " Sanctitas vestra Orbi catholico mittere dignata est. Non enim in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed vere in ostensione spiritus et virtutis, quae toto decursu temporum irrecusabiles Ecclesiae dotes permanent, Sanctitas vestra nobis de eo Doctore loquebatur, qui " soli comparatus Orbem terrarum calore virtutum fovit et doctrinae splendore complevit. "

« Infrascripti, in Seminario Maiori Rysemburgensi, Archidioecesis Ultraiectinae Moderatores et Professores, summa cum veneratione, summo cum gaudio apostolicas istas Litteras acceperunt. Summorum enim Pontificum eloquia, Oecumenicorum Conciliorum exempla iam eos ad Principem Theologiae catholicae, ad Doctorem Angelicum trahebant, et medias inter haereticorum factiones viventibus eos latere non potuit in doctrina sancti Thomae Aquinatis fortissima et vere invincibilia contra errores arma inveniri.

« Gratissimo ergo animo acceperunt quod Archiepiscopo et Episcopis suffraganeis Provinciae ecclesiasticae Ultraiectensis unanimi voto et consensu per modum Synodalis decreti statuere et ordinare placuit: " ut

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

omnes in episcopalibus Collegiis disciplinae philosophicae et theologicae Magistri accuratissimo studio Encyclicae *Aeterni Patris Unigenitus Filius* principia et praecepta ob oculos habeant, iisdemque pontificiis Litteris velut norma directrice suis in praelectionibus utantur. "

« Beatissime Pater! Ad pedes Sanctitatis vestrae provoluti, infrascripti haec filialis amoris et summae venerationis testimonia offerre audent. Nihil eis altius, nihil dignius videtur quam te Magistrum audire, te Ducem sequi. In eloquiis enim tuis cum Philosophiae honore Theologiae splendor eis apparuit.

« Iam memores quod quinquaginta abhinc annis Sanctitas vestra in isto sancti Thomae Aquinatis festo lauream doctoralem acceperit, optima quaecumque vota retinere non possunt. Deum ergo Patrem et Dominum Salvatorem suum precantur ut Sanctitas vestra ad multos annos universalis Ecclesiae summus Doctor persistat. Et sanctus Thomas Aquinas praeconem suum apostolicum protegere et comitari dignetur, ut Sanctitas vestra ad Angelici huius Doctoris instar Ecclesiam Dei mira eruditione clarificare et sancta operatione foecundare possit!

« Sensibus istis repleti apostolicam petunt benedictionem.

« Sanctitatis vestrae

« In Seminario Rysemburg., die 5 martii 1880.

« Humillimi et devotissimi Filii

« F. P. VAN DE BURGT, Rector et Professor ».

Sequuntur subscriptiones Professorum.

661. XXVII. Litterae Rectoris et Professorum episcopalis Seminarii Luxemburgensis:

« Beatissime Pater. Praeclarissimo coetui virorum, qui pro instante Doctoris Angelici festo ad condignas laudes huic Sancto debitasque gratiarum actiones Sanctitati tuae tribuendas in Urbem convolaturi sunt, quum nos infrascripti, Seminarii clericalis Luxemburgensis Praeses et Magistri, corpore adstare nequeamus, mente saltem uniri et per praesentes litteras sociari gestimus.

« Quantopere iis, qui hocce nostrum Seminarium anno 1845 fundaverunt, praesertim Rmo Dno I. Th. Laurent Ep. Chersonensi, tunc Vicario nostro Apostolico, in votis fuerit, ut tam Magistri quam Discipuli divum Thomam in studiis theologicis Ducem et Patronum haberent, testatur insignis et antiquissima huius Sancti effigies, quae inde ab initio super cathedram in auditorio nostro collocata, tam nobis docentibus, quam alumnis discentibus verum communemque Magistrum demonstraret.

« Quanto etiam amore, quantaque devotione Doctorem Angelicum usque ad ultimos hos annos prosequi perrexerimus, illud alterum satis probat, quod tribus abhinc annis, sanctum Thomam Aquinatem tanquam secundum Domus nostrae Patronum elegerimus, quum sancto Iosepho, sponso B. V. Mariae Consolatricis nostrae Afflictorum, tanquam primario iam uteremur.

« Maximo igitur repleti sumus solatio, Beatissime Pater, quum per memorandas tuas Litteras encyclicas, sub finem superioris anni datas, ad tantum Doctorem pressius adhuc sequendum, et ad tantum Patronum vehementius amandum diligentiusque colendum admoneremur et accenderemur.

« Faxit Deus, ut per eiusdem magni Patroni merita et intercessionem, et per Sanctitatis tuae monitionem et apostolicam benedictionem, magis magisque in dies id assequamur, quod per tantum Doctorem facere per te monemur.

« Ad quam benedictionem super nos et alumnos nostrae curae concreditos implorandam, prevoluti, pedes Sanctitatis tuae osculamur.

« Sanctitatis tuae

« Luxemburgi, 20 februarii 1880.

« Devotissimi et obsequiosissimi in Christo Filii

« JAES Mcl FÖHR Sem. Praeses et Praep. Cap. Cath. ».

Sequuntur subscriptiones Professorum.

662. XXVIII. Litterae Rectoris et Professorum episcopalis Seminarii Trevirensis:

« Beatissime Pater. Appropinquante festo sancti Thomae Aquinatis, quo catholici Orbis Theologi Angelici Doctoris sapientiam celebrant, tuumque simul consilium instaurandae ad illius mentem Philosophiae christianae, inter alios Collegium Professorum Seminarii clericalis Trevirensis vota sua filialis obsequii tibi, Beatissime Pater, offert, et doctrinam summi Doctoris Angelici se sequi te duce profitetur ac gloriatur. Etenim quantum opus sit sanae Philosophiae studiis incumbere, et Ecclesiae auctoritas nos docuit, et in aliis nostrae gentis hominibus, qui a vero tramite aberrarunt, gementes videmus. Quam latam vero securamque viam verae scientiae in philosophicis theologicisque disciplinis sancti Thomae doctrina aperiat, incipientibus non nimis arduam, amoenam proficientibus, provectis denique ad maiora ubertate scientiae ac firmitate semper magis gratam, iamdudum cognovimus, cum in hoc Episcopali Seminario Discipuli primum, deinde Magistri sancti Thomae volumina, defuncto Episcopo Matthia praeclaro duce, explicaremus.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

« Nunc quidem clauso temporum iniuria clericorum Seminario, perturbatoque Dioecesis solito ordine, " viae Sion lugent, et non sunt qui veniant ad solemnitatem. " Sed etiam nunc, si quid verbis vel scriptis possumus in sancti Thomae exponenda propagandaque sapientia, opus non praetermittimus. Speramus autem fore, ut divina sic disponente gratia, et tua potissimum opera, Beatissime Pater, revoluto tandem lapide ab ostio monumenti, velut angelico interventu, nostrae Ecclesiae ac genti nova aurora pacis exsurgat, ut Ecclesia Germaniae cordi tuo tot rationibus, immo ipsis doloribus carissima, resurgat splendeatque sicut in diebus antiquis Fidei firmitate, scientiae christianae lumine, charitatis uberrimis donis, sancti Thomae et doctrinam et exemplum secuta, qui quid humana valeat ratio, quid divinae Fidei Romae concreditae poscat auctoritas, quid mens possit amore divino repleta, una intellectus, obedientiae, intimae charitatis gloria complexus est.

« Atque utinam datum nobis sit, hoc in opus praeclarum nostros quoque humillimos labores conferre! Nihil in nobis dubites, Beatissime Pater! Quemadmodum nunc plurimum sancti Thomae aureae sapientiae nos debere profitemur, ita tunc nos eiusdem Doctoris tuaeque Beatitudinis discipuli obsequentes ipsi erimus, et alios adducemus qui in Ecclesiae spem succrescent!

« Haec vota intima dum in festo sancti Thomae tibi ac nobis insigni proferimus, peculiarem benedictionem Dioecesi huic et Seminario imploramus, ut tuae benedictionis virtute " filii eius de longe veniant, " et " refloreat deserta et invia, cum scissae fuerint in deserto aquae, et torrentes in solitudine. "

« Ad pedes Sanctitatis tuae prostrati

« Treveris, die 1 martii 1880.

« Humillimi et obedientissimi Filii
« Seminarii clericalis Trevirensis Superior. et Profess.
« BALTHASSAR EBERHARD sacr. Theol. Prof. Regens ».

Sequuntur Professorum subscriptiones.

663. XXIX. Litterae Rectoris et Professorum episcopalis Seminarii Eystettensis:

« Beatissime Pater. Sancti Willibaldi undecim abhinc saeculis in sede Eystettensi successores nunquam non fidelissime sanctae apostolicae Sedi Romanae adhaeserunt, nec quidquam antiquius habuere, quam ut sanctam catholicam veritatem eius infallibili magisterio traditam tenerent et docerent.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

« Quem scopum in primis sibi ob oculos posuerunt, quum saeculo decimo sexto Academiam pro clericorum institutione erigerent, et Magistris concrederent scientia et sanctitate illustribus. Quo factum est, ut ad nostram usque aetatem, Deo auxiliante, in huius Dioecesis sacerdotibus sanctae catholicae Fidei integritas eiusque Populum christianum imbuendae zelus floreat. Quam primum igitur Academia pristina temporum iniuria exstincta, ab Illustrissimo et Reverendissimo Episcopo Carolo Augusto ex Comitibus de Reisach, postmodum S. R. Ecclesiae Cardinali, anno 1844, denuo inaugurata fuit, non alios adiit fontes scientiae, nisi illos, unde aquae vivae et incontaminatae medios inter haeresum atque errorum turbines saeculorum decursu iugiter manarunt, Scholasticorum scilicet opera, atque praecipue eorundem Principis sancti Thomae Aquinatis atque eorum, qui tantorum Magistrorum discipuli esse coram aevi moderni fastu et superbia non erubescebant. Quo maius inde perciperent lucrum, Alumni iam viginti quinque ante annos unionem inter se constituerunt sub nomine " Academiae Sancti Thomae Aquinatis, " cuius finis est, de thesibus singularum sacrae Theologiae et Philosophiae disciplinarum a professoribus propositis disserere, easque ad mentem divi Thomae in se et in ordine ad curam animarum accuratius indagare.

« Quapropter summa consolatione et gaudio affecti sunt istius Seminarii et Academiae Professores humillime infra scripti eorumque Alumni, quum Sanctitas vestra emitteret Epistolam encyclicam illam incomparabilem *Aeterni Patris,* quae ad instar luminis de coelo semitam monstrat unice securam sectandi veritatem atque vitandi illecebras sophistarum, quorum est negare et destruere, quidquid non ipsi excogitarunt nec nullam admittere infallibilitatem nisi proprii ingenii.

« Provoluti proinde humillime ad Sanctitatis vestrae pedes, profitemur atque vovemus, quod ne ungue quidem a tramite illo veritatis aberrabimus, nihilque nobis sanctius atque religiosius erit, quam ut sancti sacerdotii candidatos discipulos nostros, in quantum vires nostrae permittunt, ad amussim instructionis doceamus atque instituamus, quae Sanctitatis vestrae Encyclica supra dicta exhibetur.

« Annuere digneris benigne, Sanctissime Pater, hisce votis, quae humillime in die solemnissimo litteris mandare audemus, quo quintum completur lustrum, ex quo summo suo splendore in Christi Ecclesia militanti fulgere coepit Stella illa matutina Maria sine labe concepta, qua fugantur erroris umbrae, et omnia interimuntur haeresum monstra. Non cessabimus ad ipsam confugere effundendo preces ardentissimas, ut eiusdem intercessione reddatur sanctae Ecclesiae pax et libertas, Sanctitatis vestrae autem pontificatus largos undique colligat fructus veritatis et gratiae.

« Supplices sanctam apostolicam benedictionem sibi atque Academiae et Seminarii Eystettensis Alumnis humillime efflagitantes, summa cum devotione perennat.

« Sanctitatis vestrae

« Eystadii, die festi Immaculatae Conceptionis 1879.

« Obsequentissimi et obedientissimi Servi et Filii

« Dr. HANNECKAD, Eccl. Cath. Praepos. et Theol. Prof. ».

Sequuntur Professorum subscriptiones.

664. XXX. Litterae Rectoris et Professorum episcopalis Seminarii Maraulensis ad Emum ac Rmum Cardinalem a Secretis SSmi Domini Nostri.

« Eminentissime ac Reverendissime Domine. Subscripti hic Sacerdotes theologicis ac philosophicis disciplinis tradendis in Seminario Maraulensi Regii Emiliae Dioecesis addicti, sapientissimis permoti verbis SS. Patris Leonis XIII feliciter regnantis in Encyclica *Aeterni Patris* elapso anno in Orbem catholicum pervulgata, quibus praestantissimam sancti Thomae Aquinatis doctrinam mentibus rite imbuendis prouti fundamentum in Scholis habendam tuetur, eamque potissimam hisce praesertim temporibus fore ad refellendos errores Fidemque ab hostium insidiis tutandam, una cum tot caeteris catholici Orbis gravioribus viris plenissime ac lubentissime adhaerentes, sese, iuxta mentem Pontificis, ne vestigio quidem, ut antea, ab eiusdem Angelici doctrina, Deo opitulante, abscessuros profitentur.

« Eminentiae vestrae

« Datum Marauli, die 20 martii anno 1880.

« Submississimi

« Io. BAPTISTA MORELLI Theol. Dogm. et Iuris Eccl. Lector

« Ioannes Canali Rector Seminarii ».

Accedunt Professorum subscriptiones.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

§ VIII.

PRAESTANTIUM VIRORUM SINGULARES LITTERAE.

665. I. R. D. Ioseph Conti Canonici Theologi Cathedralis Aretinae:

« Beatissime Pater. Cum inter funereas procacium errorum tenebras atque malorum hinc inde ex rationis abusu ingruentium furentes procellas verbum supremi Doctoris audiatur, illico discipulorum animis ad veritatem exquirendam propagandamque comparatis, nova lux effulget et ingens, qua, scientiae iter pro viribus iam ingressi, alacrius prosequuntur; et corda insuper veluti opimo pabulo recreata laetantur, novamque ad nostrae rationalis naturae iura vindicanda facultatem acquirunt. Mihi quoque, Beatissime Pater, etsi Philosophiae cultorum minimo, qui non sum dignus vocari philosophus, illa lux praeclara resplenduit, illaque consolatrix adfuit virtus, cum tuam Epistolam encyclicam *Aeterni Patris*, omnimoda sapientia refertam, in humilitate et simplicitate filii, qui ab ore patris inhiat addiscere verum, perlegerim, et nocturna manu versaverim aeque ac diurna. Ecce plane in hoc magisterii tibi desuper traditi pondere invicto, cui non modo sacrorum Antistites, sed Viri etiam Principes et gentium quiqui Moderatores attentum ac docilem praebere debent auditum; in hoc tuae vocis auspicatissimo oraculo, per quod angelicae doctrinae Thomae Aquinatis superabundantes thesauri mirabili quodam synthetico nutu toti mundo reserantur, ecce utique pro scientia universali tandem instauranda felix omen simul et archetypum lineamentum. Non enim aliunde haurire poterit Philosophia suae renovationis ac provectionis exordium, nisi ex sedula sollertique principiorum evolutione, in quibus tanquam germinibus scientia concluditur. Istas autem rerum summas rationes Doctorem Angelicum prae cunctis philosophis, qui eius aevum vel antegressi sunt, vel hucusque exceperunt, spectatas et cognitas in altissimae suae mentis acie habuisse, tamque lucido et, ut ita dicam, symmetrico ordine, tantaque perspicuitate logica posteris tradidisse, ut maxima nos afficiat admiratione, iam philosophici non secus ac theologici annales me docuerant, atque ego ipse, quamvis pro ingenii infirmitate, attigeram. Ast ubi animum intendere ac defigere mihi datum fuit in tua illa verba, commendanda memoriae hominum sempiternae, " ..... Praeterea [Angelicus Doctor] Rationem, ut par est, a Fide apprime distinguens, utramque tamen amice consocians, utriusque tum iura conservavit tum dignitati consuluit, ita quidem ut ratio ad humanum fastigium Tho-

mae pennis evecta, iam fere nequeat sublimius assurgere; neque Fides a Ratione fere possit plura aut validiora adiumenta praestolari, quam quae iam est per Thomam consecuta..... " adeo istud de philosophica Aquinatis virtute, omnibus absoluta numeris et mirum in modum quaquaversus frugifera, iudicium me pervasit, ut Scholarum Angeli documenta penitus sequi omnique ope propugnare ex animi sententia sim professus, et tibi, Pater Sancte, profundissima ausus veneratione gratulari, quod sic rationalem hominum naturam inter miserrimas deceptiones degeneresque conversationes, in quibus versatur, tandem se se recipere, suam agnoscere dignitatem, et studium inire sapientiae solemni adhortatione coëgeris. Quapropter, postquam tuis oraculis adhaeserint catholici gregis Pastores, sinas, deprecor, celebrantibus te hodie bonarum artium cultoribus, etiam parvulum venire ad te, qui iamdiu exoptaverat ut illa elucesceret dies, in qua desineret humana ratio, heu! nimium indecoras agere nugas, in Scholis et Academiis verbis inanibus strepere, absurda commenta instar idolorum colere, Religionis Deique se iactare expertem, atque a veritatis tramite quomodocumque abhorrere.

« Philosophiam equidem secum toto coelo pugnantem nemo, qui veritatem intimo prosequatur amore, siccis oculis et absque cordis moerore intuebitur; sed potius, cum ex humanae investigatione naturae omnibus vel leviter perpendentibus palam fiat intellectualium nostrarum facultatum veritatem, moralium autem honestatem tanquam nativum esse nutrimentum, absonam prorsus, lacrimabilem, falso nomine gloriantem praedicabimus scientiam illam, quae hominum generi errorem pro pabulo et iniquitatem suppeditat. Ast undenam, quaeso, Beatissime Pater, tanta aberrationum malorumque colluvies, quae nostra praesertim aetate fere ubique grassatur? Tu verbis sapientissimis, et quibus est impar quaecumque lectissima laudatio, dixisti: " ... Cum constet, ea quae revelatione innotescunt, certa veritate pollere, et quae Fidei adversantur pariter cum recta ratione pugnare, noverit Philosophus catholicus se Fidei simul et Rationis iura violaturum, si conclusionem aliquam amplectatur, quam revelatae doctrinae repugnare intellexerit.... " Philosophum igitur tua ista sententia monuisti, ne sacra illa ligamina abrumpi sinat, quae Rationem inter a Fidem Deus ipse contexuit: Philosophum propterea docuisti, rectum rationis usum in eo potissimum splendere, ut ipsa auctoritati Fidei reverenter subiiciatur; humanam Rationem Revelationi Fideique infensam sibimetipsi contradicere, in praeceps ferri et nihil aliud, praeter infanda monstra, progignere; duplici ministerio, Rationis nempe lumine et supernaturalis Revelationis beneficio, nobis scientiam a Deo tradi, cum ratio nostram aggrediatur per naturalia principia institutionem, quam supernaturalis deinde sermonibus aeternae vitae perficit revelatio. Quae cum ita sint, luculenter ostendisti

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

somnia velut aegri et vesana figmenta, quae hodie nostrum genus in profundam demergunt degradationis abyssum, ab illa effreni libertate dimanare, qua ratio absque divinae auctoritatis fulcimento philosophari praesumit: ostendisti plane Philosophiam, sicuti ab imis avulsa sedibus non amplius exstaret nisi naturalium principiorum scissa exsequeretur, haud secus a proprio statim excidere officio, quod est sapientiae amor, et inane, quandoque vero infestum nomen evadere, si Revelationis supernaturalis respuat veritates. Non enim, si ipsum Philosophiae vocabulum spectare velimus, beatius poterit amari ac uberius inveniri sapientia, quam " in omni verbo, quod procedit de ore Dei." O vere mira tua illa sententia, in cuius synthesi divinae auctoritatis imperium veluti universalis scientiae regimen et decus innuitur.

« Sed praeterea (parcas mihi, deprecor, Beatissime Pater, si nonnullas meas ideas pandere audeam), tantum abest ut Philosophiae canere liceat a quacumque auctoritate libertatem, quin potius praestantissimae huius disciplinae unica basis, angularis immo petra censenda sit auctoritas: illa quidem supremi momenti auctoritas, nobis naturaliter insita, quae nos ineluctabili premit imperio; lumen scilicet naturale rationis, quod pantheistica utique, sed admodum ingeniosa locutione ab ethnicis vocabatur poëtis " divinae aurae particula, " vere autem ac proprie ab Angelico velut participatio quaedam divini luminis perhibetur, et quod confiteri gaudet quicumque rerum omnium Auctori cum divino Psalte canit: "Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine."

« Istam spiritalem lucem omnibus refulgentem hominibus, cui resistere nequeunt quin propriam deprimant, immo funditus evertant naturam; istum, ut sancti Thomae utar verbis, " intellectum agentem," per quem perspectas habemus illas primaevas veritates, seu summa illa " principia, " ex quibus " omnia principia sequuntur sicut ex quibusdam rationibus seminalibus, " auctoritatem voco " apodicticam, " et cuius est possibilem reddere caeterarum auctoritatum in homines efficaciam. Est ipsa porro animis nostris divinitus indita ad semet instituendos vis, sive potentia, illos inflexibilibus obstringens legibus, quibus ideas cognitionesque sibi pariunt, veritatem assequuntur et ab errore secernunt, ad certitudinem et scientiam assurgunt. Huiusmodi autem auctoritatem verum et unicum esse Philosophiae fundamentum nemo, ut mihi patet, inficiari potest, cum istius disciplinae basim inquirere idem sit ac supremum illum naturalem investigare fontem, ex quo scientia dimanat.

« Ave igitur, Beatissime Pater, qui felicem societatem Rationem inter et supernaturalem Revelationem tuo oraculo Philosophis demonstrasti. Ave, qui scientiae universalis maximum Patronum, et tanquam desuper missum Administrum pro vindicanda illius dignitate praedicasti Aquinatem, cuius

doctrinae substantia, ut ita dicam, idealis, seu dominatrix idea haec est: "Deus per revelationis supernaturalis lumina exornat ac ditat lumen naturale rationis." Ave, sapientiae custos, pretiosissimum Ecclesiae decus, signum magnum quod nostro apparuit saeculo; ave inter Leones, qui in Apostolorum Principis Cathedra exstiterunt, Leo sapiens. Hoc, de quo ego nunc praecino, tibi erit nomen in aevum: hoc nomine ecclesiastica monumenta tum insanias saeculi, tum obviantia pro illis curandis a te adhibita medicamenta narrabunt. Mihi denique ad tuos sanctissimos pedes tota devotione provoluto et suppliciter imploranti, apostolicam impertiri dignare benedictionem.

« Scribebat sua inculta manu, Beatitudinis tuae

« Die 7 martii 1880.

« Amantissimus Filius

« Ioseph Conti, Can. Theol. Cath. Aretinae ».

666. II. R. D. Ioseph Ciccarelli sacr. Th. Doctoris et Canonici Ecclesiae Barulensis:

« Beatissime Pater. Cum primum Sanctitatis tuae sapientissima Encyclica *Aeterni Patris* ad manus venit, illamque de genibus ut epistolam omnipotentis Dei perlegere coepi, illico in mentem meam subiit cogitatio fore ut nulla re melius eiusdem Encyclicae vis ratioque impleretur, quam si in Cleris aliae atque aliae Academiae Thomisticae excitarentur; quod quidem in Sanctitatis tuae Litteris significatum deprehendimus iis verbis "Eandem [doctrinam sancti Thomae] Academiae in vobis institutae ac instituendae illustrent ac tueantur."

« Sane si facile erit novitium Clerum in spem Ecclesiae succrescentem, doctrina Angelici Doctoris in Scholis et privatis palaestris imbuere; at seniorem Clerum, qui ex scholis pridem excessit, et variis curis distinetur, quo melius pacto ad sibi comparandos et ebibendos Angelicae doctrinae latices revocabimus, quam multiplicatis Academiis, universoque Clero ad eas rite frequentandas excitato?

« Hinc huiuscemodi Academiarum necessitas emergit, quibus quilibet e Clero homines Aquinatis placita rimari, inter se excutere, pervolvere, digesta proponere queant: atque hinc, Encyclica Sanctitatis tuae vix praelibata, exarsit in me studium instituendi eiusmodi Academiam in tribus Dioecesibus mihi affinibus Tranensi, Barulensi ac Vigiliarum, coadiuvante in primis illarum Praesule Archiepiscopo de Bianchi-Doctula, avito sacrorum studiorum patrono eximio, quique me et socios olim ad philoso-

phicas et theologicas disciplinas recolendas in sacrum Ephebeum aliquando a Patribus Societatis Iesu erectum, Neapolim misit.

« Cum tamen notitia huius apud nos erigendae Academiae, publicarum ephemeridum nuntio, longe lateque per Italiam disseminata sit, ac plures ad me scribant ut velim ea de re mentem meam explicare, peropportunum iudicavi paucis negotium complecti, ac Sanctitatis tuae iudicio humillime subiicere.

« Unamquamque igitur Dioecesim sua peculiari Academia instruendam esse opinor, tum ut socii sive proprii nominis sive honorarii ad statos congressus coram adesse possint, tum ut singuli ex singulis Dioecesibus Episcopi propria auctoritate ac studio sociorum solertiam, aemulationem, studium promovere valeant.

« Tum vero unamquamque Academiam distinguendam esse censeo in tot subalternas Sectiones quot sunt potiores civitates quibus Dioecesis constat, quaeque numerum ecclesiasticorum non adeo exiguum sinu suo complectantur.

« Quaelibet autem Sectio Praesidem ac Secretarium habebit, sociorum suffragio institutos; atque ex his Praesidibus Consilium directivum totius Academiae conflabitur, cui Episcopus sive per se, sive per suum delegatum, pro aequo et bono, praeerit. Generalis Academiae conventus quoque mense, aut saltem singulis bimestribus celebrabitur, quin tamen localis cuiusque Sectionis congregatio veluti praeparatoria praetermittatur. In his enim localibus variarum Sectionum conventiculis veluti familiari ac pedestri collatione, ex sancti Thomae doctrina, illud disputabitur quod solemnius in generali Comitio unus ex sociis elaborata dissertatione illustrabit.

« Ad hoc autem generale Comitium quod Episcopus modo in hac civitate habebit, modo in alia, ne ullos offendat, ni omnes et singuli socii eo loci minime commorantes adstringi debeant, saltem cogentur adesse singularum Sectionum Secretarii et Praesides, tum ut Comitio generali referant an et quemadmodum ipsa illa thesis in privatis congressibus fuerit persoluta; tum ut quae ibidem in generali Comitio gesta fuerint vicissim absentibus denuncient.

« Denique ne cuiquam sive ad disserendum, sive ad publice legendum temporis copia desit, cuiuslibet anni exordio praeformandus erit ac publici iuris faciendus Catalogus Thesium enucleandarum, necnon nomina sociorum, quibus sorte obtigerit illas tali ordine ac tempore enodare.

« Haec sunt, Beatissime Pater, quae pro ingenii mei tenuitate, ad doctrinae Angelici Aquinatis existimationem, propagationem, professionem comparandam, potui animo complecti. Restat ut Sanctitas tua hisce meis perexiguis conatibus dignetur opitulari. Quapropter enixe rogo ut circa conceptum opus, responsumque aliorum postulationibus reddendum, me

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

consilii inopem Beatitudo tua illustret, suoque infallibili oraculo corroboret atque soletur: quod quidem oraculum ad tuos sanctissimos pedes provolutus percupide exspectans hos iterum iterumque deosculor

« Baruli, IV idus decembris MDCCCLXXIX.

« Amantissimus in Christo Filius, et Subditus humillimus

« IOSEPHUS Canon. CICCARELLI
« sacrae Theologiae Doctor
« in Philosophia et Artibus ingenuis Licentiatus ».

667. III. R. D. Charaf Elcazen Presbyteri Maronitae:

« Très saint Père. Humblement prosterné aux pieds de votre Sainteté, j'ai l'honneur de lui exposer avec quel vif intérêt et profond respect, j'ai lu votre admirable Circulaire adressée aux Patriarches, Primats, Archevêques et Evêques du Monde catholique, au sujet de l'étude de la vraie Philosophie et de la bonne Théologie. Aussi, Très saint Père, docile à un appel si plein de zèle pour une étude si nécessaire, et dirai-je indispensable dans notre temps, pour appuyer la Religion et procurer le salut des âmes, je me le suis approprié, comme me regardant moi-même comme les autres, bien que je ne sois qu'un simple prêtre; et j'ai ouverte, cette année, une école pour les garçons de la classe basse et médiocre qui ne peuvent entrer étudier dans ces établissements nombreux, il est vrai, chez-nous, mais qui semblent n'être que pour les riches. C'est pourquoi les garçons des susdites classes gisent dans une ignorance incroyable pour les choses de la Religion, non obstant leur beau titre de Maronite, et c'est ce que j'ai expérimenté moi-même, en sortant de mes études chez les RR. Pères Jésuites.

« Comme il n'y a pas moyen de bien apprendre la Philosophie et la Théologie, sans savoir surtout le latin, et comme éléments le français et l'italien, je fais commencer par faire le français ainsi que l'arabe puisqu'il est la langue du pays.

« Pour mieux faciliter aux parents l'accès de cette école, j'ai annoncé l'ouverture d'un externat avec le pensionnat: les élèves de l'internat ne payent que 21 fr. par mois, et ceux de l'externat un seul franc par mois. Cette école ne compte à présent que huit élèves de français et d'arabe, et je les ai confiés à un seul professeur, en attendant qu'ils deviennent plus nombreux pour avoir de quoi payer un autre professeur. Votre serviteur donne les leçons de Théologie et de Philosophie, mais à présent, je n'ai qu'un élève de Théologie et je m'attends à recevoir ces jours-ci un autre élève de Théologie et un élève de Philosophie.

« Enfin, permettez-moi, s'il vous plait, Très saint Père, de vous demander encore une seconde fois votre bénédiction apostolique sur l'Ecole et sur moi, qui ai le bonheur d'être et de signer avec le plus profond respect

« De Votre Sainteté

« Daraoun (Mont-Liban), 27 octobre 1879.

« Le très humble Serviteur et très soumis Enfant en N. S.

« JOSEPH CHARAF ELCAZEN
« Prêtre Maronite ».

668. IV. Perillustris Medicinae Professoris Alphonsi Travaglini:

« Beatissimo Padre. In questi dolorosissimi tempi per la Chiesa e per la Società, piacque al clementissimo Iddio elevare alla suprema Cattedra di Pietro la Santità vostra, che con apostolica fermezza continuando a portare la croce dalla rivoluzione imposta sulle spalle del glorioso vostro Predecessore Pio IX, cui fu dato il motto " Crux de Cruce," sapientemente dissipa le tenebre dell'errore e dell'ignoranza, dappertutto elevate a sistema d'insegnamento da coloro in Europa preposti al dominio della pubblica cosa. E si è appunto per questa provvida diffusione della luce della vera dottrina, tra le fitte tenebre di così crassa ignoranza, che della Santità vostra è detto " Lumen in coelo."

« Di fulgidissima luce invero rischiara oggidì l'Universo la mirabile Enciclica *Aeterni Patris*, testè dalla Santità vostra promulgata; luce che promana da quella Luce vera, che illumina ogni uomo veniente in questo mondo, e che rifulge siccome sole nell'Angelico Dottore san Tommaso d'Aquino. Con atto sì autorevole la Santità vostra ha ricollocato solennemente nel centro del firmamento intellettivo e sociale l'Angelo delle Scuole, il quale " Soli comparatus, Orbem terrarum calore virtutum fovit, et doctrinae splendore complevit." Si è questa, Santissimo Padre, la spiegazione del " Lumen in coelo, " di quella luce di Fede e di Ragione, che promana dalle pagine immortali dell'Aquinate, il quale rappresenta nell'ordine intellettuale la più sublime tra le umane intelligenze, siccome è il sole nel cielo rispetto al sistema planetario.

« Tutti perciò, Santissimo Padre, debbono prostrarsi a' piedi del vostro Trono, e tributarvi infinite azioni di grazie per così inestimabile beneficio, da cui la Scienza e la Società si avranno ben presto quella pace, quell'ordine, quella prosperità che giammai perdettero, finchè fedeli al divino magistero di cotesta infallibile Cattedra di verità, seppero mantenere puro ed illibato il prezioso tesoro della Fede. Ma più di tutti ne hanno un sacro dovere i membri dell'Accademia Filosofico-medica di San Tommaso

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

d'Aquino, poichè veggono così coronate le loro speranze, soddisfatti gli ardenti loro desiderî, cosicchè animosi ed indefessi proseguiranno per quella via, che se dall'immortale Pio IX fu schiusa loro dinanzi col memorando Breve *Dum praeterito*, a me diretto, è stata però dalla Santità vostra colla presente Enciclica spianata a tutti, e resa ampia e regale.

« È perciò che a nome di tutti io, quale indegnissimo fondatore e presidente della medesima, ardisco prostrarmi a' piedi del vostro Trono per effondervi tutta la piena della gratitudine, di cui il cuore d'un figlio possa essere capace: e ciò con tanto maggiore affetto e riconoscenza, inquantochè la Santità vostra non solo ci ha additato in san Tommaso il faro luminoso fra le tempeste del moderno Razionalismo, ed il mare morto del Materialismo; ma, contro lo spirito di superbia, ed i seguaci del libero esame, ce lo propone umile modello da imitare, inquantochè: " nunquam se lectioni aut scriptioni dedit, nisi propitiato precibus Deo; " e confessò con angelica candidezza che " quidquid sciret, non tam se studio et labore suo sibi peperisse, quam divinitus accepisse. " Sì, Beatissimo Padre, il giorno in cui le umane intelligenze saranno guidate da questa umiltà, e presteranno razionale ossequio alla cattolica Fede, il Signore diffonderà nuovamente su di esse " spiritum scientiae et intellectus, " e renderà palese alle medesime " sensum ad intelligendam sapientiam."

« E questo giorno, Santissimo Padre, abbiam fede che spunterà presto, poichè le vostre parole sono luce e vita intellettiva. Confortati da questa speranza, ed implorando l'apostolica benedizione, chiediamo altresì ardentemente al Signore che conceda alla Santità vostra un lunghissimo pontificato, onde possiate vedere il trionfo della Chiesa, la sovrana indipendenza dell'apostolica vostra Sede, ed i popoli disingannati godersi in pace i frutti della vera scienza congiunta ad una soda ed operosa pietà.

« Vasto (Abruzzi), 4 settembre 1879.

« Di vostra Santità

« Umilissimo e fedelissimo figlio

« ALFONSO TRAVAGLINI Medico ».

669. V. Nobile testimonium quod de praefatis encyclicis Litteris scripto prodidit clar. B. Saint-Hilaire (ad D. Lorenzelli rescribens):

« Monsieur. En revenant de voyage je trouve la brochure que vous m'avez fait l'honneur de m'envoyer, et je m'empresse de vous remercier des termes si bienveillants dans lesquels vous avez bien voulu parler de ma traduction d'Aristote.

« Après 48 ans de travail, j'ai terminé les *Œuvres Philosophiques*, mais il me reste à faire toute l'*Histoire Naturelle*; et comme elle devra contenir huit ou dix volumes, il est peu probable que je puisse l'achever avant que Dieu me retire de ce monde.

« Je partage absolument votre opinion sur l'Encyclique de Sa Sainteté Léon XIII. C'est un événement pour le Catholicisme sans doute; mais c'en est aussi un pour le monde intellectuel. Le second Empire avait proscrit chez nous jusqu'au nom de la Philosophie; c'est aujourd'hui un Pape éclairé qui la remet en honneur. La leçon vient de haut: et il faut espérer qu'elle sera entendue.

« Je vous prie, Monsieur, d'agréer mes remercîments, et l'assurance de ma considération la plus distinguée.

« Paris, rue d'Astorg 29 bis, 8 octobre 1879.

« B. SAINT-HILAIRE ».

ADHAESERE PARITER PER SUAS PECULIARES LITTERAS:

D. Ioannes Facundus Ficai Decanus Capit. Cath. Eccl. Aretinae.
» Pacificus Ciarmadori alumnorum Septempedanae Ecclesiae Doctor Theol.
» Franciscus D'Aloia Canonicus Theol. Metrop. Eccl. Barensis.
» Aurelius Pecoraro una cum pluribus Neapolitanis Viris.
» Michaël Eques De Chiara.
» Parochus Petrus Lucidi.
» Aloysius Avogaro.
» Ioseph Can. Berardinelli.
» Professor Rochus Maria Zagari Archipr. et Paroch.
» Dominicus Gomez Adanza Sacerd. Compostellanus.
P. Ioannes Maria Cornoldi S. I.
D. Didacus a Lara et Valle Director hebdomadarii « Consultor de los Parocos Matriti.
» Doct. et Canon. Eduardus Palon y Flores.
» Iulianus Pastor y Alvira Doct. et Prof. in Universitate Matrit.
» Doct. et Profess. Benedictus Gutierrez Fernandez.
» » Petrus Lopez Sanchez.
» » Ioannes Emanuel Osti y Lara.
» » Fernandus Mellado.
» » et Senator Carolus Maria Coronado.
» » Benignus de Capranza y de Pando.
» » Emanuel Garcia y Menendez de Nava.
» » et regius concionator Antonius Chacon y Muñoz.
» » Iustus Barbarego y Villar.
» » Franciscus Gomez Salazar.
» » Emanuel Pedrayo Valencias.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

D. Doct. et Profess. Franciscus Codera y Zaidin.
» » et Commend. Gonzalo Fuintero y Rodriguez.
» » Vincentius de la Fuente iam Rector Matritensis Univ.
» » et Senator Ioannes Creus.
» » Roman Torres Muñoz de Luna.
» » Salvator de Torres y Aguilar Amat.
» » José Maria Solano y Eulase.
» » Franciscus Xaverius de Castro y Perez.
» » Marcellinus Menendez y Pelago.
» » Ioannes Gelalbert Gordiola.
» » Xaverius Castejon y Elio.
» » Petrus Izguierdo y Ruiz.
» » Santana y Villanueva.
» » Emanuel Romeo y Anarez.
» » Ioannes Maria Truz Cardin.
» » Emeterio Suaña y Castellet.
» » Franciscus Commerelan y Gomez.
» » Franciscus Fraile Rodriguez.
» » Felix Sanchez y Casado.
» » Marianus Barri Contardi.
» » Esteban Sanchez de Ocaña.
» » Antonius Aguilar y Vela.
» » Eduardus Forroja y Caballé.
» » Ignatius Sanchez-Solis y Mayoli.
» » Laureanus Perez Arcas.
» » Marianus Rementerja y Landeta.
» » Franciscus Martinez y Suez.
» » Eugenius de la Camara y Muñoz.
» Augustus Caricati Director ephemeridis *La Luce* Parmae una cum pluribus.

SENTENTIA PRO VERITATE
REV. PATR. DOM. PROMOTORIS FIDEI.

Eminentissime ac Reverendissime Domine.

670. « I. Commissum cum mihi fuerit, ut super oblatis huic sacro Ordini precibus intimum mei animi sensum aperiam, fateor me vix quidquam adiiciendum esse putare, iis quae in nuperrima sua elucubratione Petitionis clarissimus Auctor docte simul eleganterque proposuit. Prudentissimam quippe ac maxime proficuam merito fuisse fatetur dilatoriam sententiam, quam III nonas februarias anni MDCCCLXXVII sacra Congregatio protulit, sac. mem. Pii IX mentem hac in re omnino secuta. Illico

enim novae prodiere postulatoriae Litterae eidem Pontifici datae, aliaeque plurimae sanctissimo Domino nostro oblatae sunt, vix, toto plaudente Orbe, Petri Cathedram ascendit. At numerus iste precum omnem exspectationem superavit, cum idem sanctissimus Dominus noster apostolicas dedisset Litteras, quarum initium *Aeterni Patris,* ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos atque Episcopos, « de Philosophia christiana ad mentem sancti Thomae Aquinatis in Scholis catholicis instauranda ». Nedum enim eiusmodi Litteras encyclicas omnes quotquot sunt fideles humillimo exceperunt obsequio, verum plurimi S. R. E. Cardinales, Patriarchae, aliique sacrorum Antistites, quin etiam Academiae, Universitates, Collegia, ac lectissimi quique ex utroque Clero, et cultiori laicorum coetu e re esse duxerunt ad Sanctissimum Dominum nostrum amoris, submissionis et plenissimae adhaesionis dare litteras, quibus se Angelici doctrinam vel hactenus tenuisse, vel impensius in posterum secuturos ultro fatentur ac spondent. « Nulla est pars Orbis, utar ipsius Patroni verbis, unde eiusmodi Epistolae profectae non sint, sive Orientis spectes, sive Occidentis plagas, sive terras continentes, sive insulas circumspicias, sive hemispherium ab antiquis agnitum, sive quod posteriori innotuit aetate ».

671. « II. Tam mira tamque universali consensione ipse permotus sanctissimus Pontifex, non potuit quin cum ipsis auctoribus gratularetur in ea gravissima oratione, quam solemniter habuit ad omnes scientiarum Cultores, qui hoc vertente anno die sacra Thomae Aquinati undique convenerant, ut Sedi apostolicae et communi christianorum Parenti ac Magistro obsequium, et observantiam significarent: « Nostis, inquit, dilecti Filii, Episcopos catholici Orbis omnes una pene voce testatos esse se consiliis nostris, sicut in caeteris rebus solent, ita in hac de qua loquimur, nec voluntate, nec opere defuturos. » Hae porro Litterae, pro summa ipsius Pontificis humanitate Postulatoribus communicatae fuerunt, et illarum praecipuae in novo Summario suo ordine dispositae iustae molis volumen exaequant.

672. « III. Iam si horum documentorum numerum et gravitatem spectemus, ambigendum non est, quin iis simul iuncta quae in priore Positione collecta iam fuerant, Petitioni obsecundandae affatim sufficiant. Novi quidem eas adhaesionis litteras, quas sacrorum Antistes nuperrime ad sanctissimum Dominum nostrum dederunt, directe Studiorum, philosophicorum praesertim, instaurationem ad mentem Aquinatis Doctoris spectare. Attamen quam arctissimo nexu haec duo simul studia coniungantur, scilicet Thomam uti Praeceptorem habendi, eumque in Patronum eorundem studiorum cooptandi, allata eiusdem sanctissimi Domini nostri gravissima sen-

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

tentia, et Collegii Theologici Neapolitani suffragio, idem clarissimus Patronus meridiana in luce adeo collocavit, ut eius rationum momentis quidquam addere haud necesse sit.

673. « IV. Quibus positis, exsulant iam omnia quae pro officii munere in meis Adnotationibus olim, obiicientis ritu, animadverteram, quaeque, ut verum fatear, illis potissimum verbis Pontificis Pii IX innitebantur in suis Litteris ad praefatum Collegium Theologicum Neapolitanum datis nimirum: « Cum haec vota totum respiciant Orbem... id undique petendum esse, ut res iuxta eorum, ad quos pertinet, suffragium rite decernatur. » Quod itaque in praesentiarum undique, quod ab omnibus exquiritur, quemadmodum commune omnium suffragium ostendit, ita universalem provisionem expostulat. Non enim iam singulis petentibus concedendum esse dixerim, quod flagrantissimis omnium votis exquiritur. Advenisse iam scilicet laetamur quod idem summus Pontifex suis in Litteris praenuntiaverat: « Contentio quam passim excitatam laeti conspicimus exigendi philosophicas theologicasque disciplinas ad scholasticam methodum, suadere videtur huiusmodi postulata crebriora in dies fieri debere, quod certe assequetur, ut honore multo splendidiore sancto Doctori ab omnibus expetito, Patronatus universalis Studiorum ab ac sancta Sede deferatur ».

674. « V. Quod autem aliquot fuerint aut sint adhuc Scholae a Thomistica diversae, postulantium intentioni non nocet. Nam praeterquam quod istae theologicum potius, quam philosophicum systema respiciant, etiam apud eas Scholas sancti Thomae doctrina summo in pretio est, prouti non inviti in suis Postulatoriis precibus religiosorum Ordinum Praesules fassi sunt. Quod si quae Scholae aut catholicae Universitates, Academiae aut Collegia peculiarem aliquem Patronum inter Coelites iam sibi adlegerint, iis profecto non invitis, sed lubentissimis Scholarum Angelus accedet. Neque demum ullum mutuae charitatis timendum est dispendium ex parte eorum, praesertim Regularium Ordinum, qui alterius e probatis Auctoribus doctrinam sequantur. Non enim per honorem, qui Angelico Doctori decernatur, ullum praeiudicium inferri intelligitur privatis cuiusque Scholae opinionibus, quae libere in utramque disceptari partem, uti hactenus factum est, ita et in posterum poterunt. Ac sane, ut ea repetam quae in priore elucubratione animadverteram, non ista sunt, quae deperitura quique exoptat, instaurato inclyti Angelici Scholarum studio, sed doctrinae pravae et absurdae, erronea ac ridicula systemata philosophica; non hi fructus, quos inde catholici homines sibi adpromittant, sed ut humanae mentes e barathro ementitae sapientiae eductae, ad lucem redeant veritatis, quam deseruerunt.

675. « VI. Quapropter, cum universi catholici Orbis una pene voce, sanctus Doctor Aquinas in studiorum instaurandorum Auspicem expetitus iam fuerit, haud amplius cunctandum esse existimo, quin eiusmodi universale desiderium ac votum a Sede apostolica compleatur; idque non sine omnium plausu, concordia, atque ingenti demum fructu eventurum confido. Eo vel maxime quod ad eiusmodi beneficium impertiendum, iam ipse sanctissimus Dominus noster, propensissimam animi voluntatem ostenderit, cum in memorato Conventu diei 7 martii solemniter edixerit: « Ad coepta feliciter perficienda, vobis adiumento sit coeleste praesidium ipsius Doctoris Angelici, quem catholicis scientiarum et bonarum artium domiciliis Patronum, uti vobis est in optatis, rite dari quam primum curabimus ».

LAURENTIUS SALVATI S. C. Adv.
S. Fidei Promotor.

His ita se habentibus, Leo pp. XIII, per suas Litteras in forma Brevis, datas die 4 augusti 1880, declaravit « SANCTUM THOMAM DOCTOREM, ANGELICUM PATRONUM UNIVERSITATUM, STUDIORUM, ACADEMIARUM, LYCAEORUM, SCHOLARUM CATHOLICARUM ».[1]

[1] Vide supra, nn. 238-342.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

APPENDIX.

TESTIMONIA GRAECORUM.

676. Eodem fere tempore quo sanctus Thomas apud Occidentales Aristotelem vulgaret et interpretaretur, Blemmidas monacus Graecus, apud Orientales, id est Constantinopoli, in compendiis tradebat, eximia quidem perspicacia eximioque ingenio. Paulatim vero Graecorum in Aristotelem devotio et ad Thomam, Aristotelis egregium interpretem, extensa est, ita ut, teste Isidoro de Isolanis « consueverat dicere Comes Iohannes Picus Mirandulanus: " Tacente Thoma, mutus fit Aristoteles." A Graecis credimus id traxisse, qui vocant sanctum Thomam " Animam Aristotelis " ».[1]

Doctrina divi Thomae Graecis innotuit imprimis in Concilio Lugdunensi anni 1274. Cui etsi Thomas, morte praereptus, interesse nequiverit, allati tamen fuerunt ad Concilium ipsius libri, inter quos opus *Contra errores Graecorum*, eiusque doctrinam exposuit et vindicavit Fr. Petrus de Tarantasia, Thomae addictissimus, atque graece exposuit Fr. Gulielmus de Morboeka, Latinorum ad Graecos et Graecorum ad Latinos interpres, Thomae amicissimus.

Hinc Thomas quasi Occidentalium Theologus, seu quasi « Doctor Communis » antonomastice visus est Orientalibus, ita ut Angelus Panaretes, unioni Ecclesiarum infensus, contra unum Thomam, circa annum 1300, plusquam viginti conscripserit disputationes, hucusque ineditas atque in Bibliotheca Oxoniensi asservatas.

Inter auctores graecos qui Thomam venerati sunt, nominandus pro antiquitate est Maximus Planudes, monachus, quem nonnulli volunt transtulisse, circa annum 1330, in graecum idioma partem *Summae Theologicae*.[2] Res tamen incerta remanet.

Adverte caeterum Graecorum Theologorum auctoritates a nobis hic afferri non solum qua individuorum, sed qua gerentium vices maioris minorisve partis suae Ecclesiae, siquidem, etsi non constituantur ea hierarchia firmissima qua gaudet Ecclesia Romana, nonnullam tamen hierarchiam

[1] *Quaest. Capreol. Epitome*, p. II, p. 224, edit. 1580.
[2] Vide Touron, *Vie de saint Thomas*, lib. VI, cap. ix. Cf. rursus Echard, De Rubeis.

moralem servant, ut patet ex ea quasi unanimitate qua contra Ecclesiam Romanam sua dogmata tuentur.

Nilus Thessalonicensis Archiepiscopus, idemque eo sensu orthodoxus, qui circa annum 1340 floruit, etsi Primatum Pontificis Romani vehementer impugnet, id tamen laudis de Thoma pronuntiat: « Thomas, Latinae Theologiae facile Princeps ».[1]

Eadem fere aetate, Barlaam de Seminara, monachus Basilianus, catholicus semel factus, doctrinam divi Thomae inter Orientales summo zelo frequentibus suis epistolis vulgavit. Is fuit quem Boccacius vehementer propter scientiam eminentem admiratus est, simulque et ipse Petrarca.[2]

Anno circiter 1350, Gregorius Akindynos, monachus, unionis Ecclesiarum fautor, e latino in graecum quasi transtulit duos priores *Summae contra Gentiles* libros, sub hoc titulo: Περὶ οὐσίας καὶ ἐνεργείας τοῦ Θεοῦ, quos editos habes in *Patrologia graeca*.[3]

677. Sed vero circa annum 1350 floruit Thomae assecla inter Graecos celeberrimus, Demetrius nempe Cydonius, Thessalonicensis idemque vir catholicus.

Is tum officiis publicis, tum doctrina et eloquentia clarus, honoribus valedicens, ultimam vitae partem sanctissime in Cretensi insula inter monachos egit.[4] Cum studiorum sacrorum zelo flagraret vehementissimo, iter in Italiam arripuit, Mediolanique stetit ad discendam linguam latinam, usquedum Aquinatis opera perlegere, eiusdemque doctrinam percipere apprime valeret. Cum vero intellexisset hanc doctrinam non modo in se sublimem esse, sed etiam a Graecis imprimis procedere, mediantibus Platone, Aristotile, Dionysio Areopagita, Ioanne Damasceno aliisque, statuit vertendam sibi esse in graecum idioma utramque *Summam*, harumque doctrinam et studium egregie commendavit in epistola ad monachum quem dam, Prochorum forsitan fratrem, et ipsum unionis Ecclesiarum fautorem strenuissimum.

En imprimis ipsammet epistolam.[5]

« Καλῶς ποιεῖς τοῖς τοῦ μακαρίου Θωμᾶ λόγοις προσκείμενος, καὶ μὴ ταυτὸ πάσχων τοῖς φθονεροῖς, οἱ πάσχειν εὖ ἀπ' ἄλλων οὐδ' αὐτοὶ βούλοιντ' ἄν, ἵνα μὴ τοῖς εὖ ποιήσασιν ἀναγκασθῶσι χάριν ὁμολογεῖν. 'Αλλ' αὐτὸς πανταχόθεν σαυτῷ

[1] Ita refert MICHAEL SOPHIANUS in translatione opusculi *De Ente et Essentia.*
[2] Cf. P. EDMOND BOUVY, *Revue Augustinienne*, vol. XVI, p. 403.
[3] MIGNE, vol. CLI, col. 1191, sqq.
[4] Cf. IOAN. CANTACUZENUM, *Hist.*, lib. IV, cap. XVI.
[5] Quam primo edidit ex cod. Vat. P. NICOLUS FRANCO, Romae, anno 1893, in opusculo cui titolus: *I codici Vaticani della versione greca delle opere di san Tommaso d'Aquino.*

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

κέρδος συλλέγων, καὶ τὸ διδόμενον, ἀλλ' οὐ τὸν ποριστὴν ἐξετάζων, ἄνδρα νοῦν ἔχοντα σαυτὸν ἀποφαίνεις. Οὕτω γὰρ αὐτός τε τὸν θεῖον λόγον πλουσιώτερον ἕξεις ἐνοικοῦντά σου τῇ ψυχῇ· καὶ τοῖς ἄλλοις ἀφθόνως, ὧν τούτου δέονται χορηγήσεις, καινὰ καὶ παλαιὰ δυνάμενος ἐκφέρειν ἀπὸ σαυτοῦ κατὰ τὸν εὐαγγελικὸν γραμματέα.

« 'Ατεχνῶς γὰρ πολὺς ὁ τῶν θείων νοημάτων θησαυρὸς παρὰ τῷ ἀνδρὶ· καὶ χαλεπὸν ὅτι τῶν εὐσεβῶν δογμάτων οὐκ ἂν εὕροις ἐν τοῖς τούτου συγγράμμασιν· ἢ καθ' αὐτὸ ζητούμενον, ἢ δι' ὧν ἄλλοθι ἄλλα ζητεῖ, ἢ καὶ λύει, καὶ αὐτὸ συναναφαινόμενον· ὃ δ' ἄν τις ἰδιαίτατον εἰπὼν εἶναι τῶν αὐτοῦ λόγων, οὐκ ἂν ἁμάρτοι· ὅτι καὶ τοὺς τῷ ζητήματι μαχομένους λογισμούς, ὡς ἂν παρὰ τῶν ἐναντίων ῥηθεῖεν προτίθησι, καὶ τούτους, οὐχ ὡς ἔτυχε λύσας, ἀλλ' ὥστε μὴ δ' ἐκείνους λοιπὸν ἔχειν ὅτι ἀντείπειεν· οὕτω πανταχόθεν ταῖς ἀποδείξεσι καταδεῖ τὸ ζητούμενον, ταῖς τε παρὰ τῶν Γραφῶν χρώμενος μαρτυρίαις, αἳ πάντων ἡγοῦνται τῶν λόγων αὐτῷ· καὶ ταῖς ἐκ τῶν λογισμῶν καὶ τῆς Φιλοσοφίας ἀνάγκαις προσχρώμενος, ἵν' οὕτω περὶ τὰ πιστευόμενα καὶ τῶν δυνατῶν ἀποδείξεων εὐπορῶμεν· ᾧ τρόπῳ διδασκαλίας οὐδένα τῶν πρὸ αὐτοῦ χρησάμενον ἴσμεν.

« Τὸ γὰρ τοῖς κατασκευάζουσι τὸ προκείμενον λόγοις προστιθέναι καὶ τοὺς ἀνασκευάζειν αὐτὸ πειρωμένους, καὶ τούτους οὐδὲν πρὸς ἔπος ὄντας ἐλέγχειν, τοῦτ' εἶναι τὸ κράτιστον τῆς ἐπιστήμης, οἱ περὶ τὰς ἀποδείξεις φασί· μηδενὸς καταλειπομένου λοιπόν, ὃ φαινόμενον ἐξαίφνης, ὥσπερ λῃστής, τὴν ἀλήθειαν, ἣν ἐδωκοῦμεν ἔχειν, δύναιτ' ἂν ἡμῶν ἀφελέσθαι, καὶ γυμνοὺς αὐτῆς ἀποπέμψαι. Ἔχου τοίνυν τῆς ἀναγνώσεως, ἐῶν ῥύγνυσθαι τοὺς τὴν τῶν καλῶν ὕβριν ἔπαινον ἑαυτῶν ἡγουμένων. Οὐ γὰρ ἂν ψῆγμα συλλέγων ἀπέστης τῆς συλλογῆς, τὰς τινῶν ἀνοήτους φυλαττόμενος μέμψεις, οὓς ῥᾳδίως ἐλέγξεις, ὅταν ἐν συλλόγοις ἀνδρῶν, αὐτὸς μὲν ἔχῃς ὅ, τι περὶ τῶν προτεινομένων ἐρεῖς· οἱ δ' ἄφωνοι κατὰ τὰς αὐτῶν σκιὰς ὁρῶνται καθήμενοι.

En translationem textus graeci:

« Pulchre facis dum beati Thomae sermonibus incumbis, nihil passus de invidiosorum vitio qui nollent ab aliis sibi benefieri ne benefacientibus gratias agere cogerentur. Tu tibi utile undique aucuparis, atque donum respicis, non offerentem, indeque te sapientia praeditum manifestas.

« Hinc enim tu tibi divinum verbum abundantius inditum habebis in anima tua, caeteris vero largius ea suppeditabis quae ab eodem accipere indigent, siquidem nova et vetera ex te proferre poteris, iuxta dictum Evangelistae.

« In semplicitate enim multus est sensuum divinorum thesaurus apud virum illum, atque vix invenies unum ex piis dogmatibus quod in scriptis eius non sit investigatum sive in se ipso, sive per alia quae alibi disputat et solvit, et quidem eadem perspicuitate. Si quis assereret hanc esse sermonum eius proprietatem, non erraret; ipse enim rationes militantes contra quaesitum quasi ex parte adversantium proponit: has vero non utcumque solvit, sed ita ut illis nihil relinquat reponendum. Ita undique quaestionem suis demonstrationibus circumdat, mox usus Scripturarum testimoniis, quae in omnibus eius discursibus dominantur; mox rationum atque Philosophiae conclusiones adhibens, unde circa credenda demon-

« Ἃ δὲ τῶν λόγων φῂς μὴ πάνυτοι συνιέναι, τυχὸν μέν ἐστι, καὶ διὰ τὴν τῶν νοημάτων λεπτότητα, οὐ προχείρως λαμβάνεσθαι δυναμένην, μάλιστα ταῖς Θεολογικαῖς πραγματείαις διὰ τὸ πάνυ τῶν ἀνθρωπίνων ἀνακεχωρηκέναι, τοῦ τοιούτου συμβαίνοντος· ὅπερ ἰάσεται τὸ μὴ ῥᾳδίως τῶν ἠπορημένων ἐθέλειν ἀφίστασθαι, ἀλλὰ πολλάκις ἐπανιόντα ζητεῖν καὶ τοὺς βέλτιον δὲ εἰδότας ἀνερωτᾶν. Ἴσως δέ σοι τοῦτο καὶ διὰ τὴν ἐμὴν ἀμάθειαν συμβαίνει. Πάνυ γὰρ νέος τῆς ἑρμηνείας των τοῦ Θωμᾶ λόγων ἡψάμην· ὅτ' οὔπω τῆς Ἰταλῶν γλώσσης, ὅσον ἐβουλόμην, συνελεξάμην· ἀλλὰ καὶ αἱ τῶν κοινῶν φροντίδες καὶ ἀσχολίαι, αἷς με βασιλεὺς τότε φέρων προσέδησε, καὶ τὸ δεῖν τὰς πάντων χρείας μανθάνοντα δήλας ἐκείνῳ ποιεῖν, οὐ πάνυ τὴν ἑρμηνείαν ἀκριβοῦν συνεχώρουν. Καὶ τρίτον ἂν τις αἰτιήσαιτο τὴν τῶν βιβλίων σπάνην· μόλις γὰρ ἑνὸς εὐπορoῦμεν, ὅθεν ἐχρῆν μεταφέρειν, ὥστε τὴν ἐκείνου φθορὰν οὐκ ἦν ῥᾳδίως φωρά-

strationes possibiles abundantius habemus : quod praestitisse nullum ex antecessoribus novimus.

« Quod enim rationes proferat argumentum confirmantes, quodque rationes idem evacuantes inducat, istasque nihil esse contra thema propositum arguat, id summam scientiam, esse fatentur qui de demonstrationibus tractant: ubi nihil nempe remanet quod ex improviso apparens, ut latro, posset nobis auferre veritatem quam tenere nobis videbamur, nosque nudatos dimittere.

« Insta igitur lèctioni, atque sinas eos murmurare qui bonorum iniuriam reputant sui gloriam. Neque pulvisculi metu desistas a colligando, atque nonnullorum insanas querimonias verearis. Hos facilius argues ubi in hominum coetibus tu habebis quid dicas de rebus propositis, ipsi autem quasi muti apud umbras suas sedentes apparebunt..

« Tu autem dicis discursus illos te non plene intelligere. Id evenit propter doctrinarum sublilitatem, quae facile attingi nequit, praesertim in theologicis tractationibus. Istae enim omnino res humanas superant: cui malo remedium erit, si non facile ab obscuris desistas, sed saepius resumpta expendas, si melius videntes interroges.

« Id etiam tibi accidere potest propter meam inscitiam. Omnino enim novus in Thomae sermonibus interpretandis manum admovi. Italorum enim linguam nondum, ut voluissem, callebam. Et praeterea rerum publicarum curae et studia quibus me Imperator tum ferens impedivit, et quod oportuit me omnium necessitates addiscere, ipsique manifestas facere, haec non permiserunt interpretationem omnino accuratam exigi. Tertiam demum rationem quis afferre posset, raritas nempe librorum. Aegre enim unum exemplar suppetiit, unde perficienda erat interpretatio, ita ut istius corruptionem non facile deprehendere et emendare possum, cum alterum deesset, quocum illud conferretur ad attingendam melius veritatem. Latinorum enim librorum nulla apud nos copia: sed oportebat uti iis qui casu inveniebantur.

« Attamen, ut dixi, ubi non facile desistas ab iis quae non intelligis, sed per te ipsum rursus expendas et examines ; ubi curaveris addiscere apud eos qui melius norunt, id faciet plerumque nihil tibi perire ex iis quae legeris. Gratias quas dicis mihi agendas propter interpretationem, rectius libri auctori referes. Id mihi sufficiet me tibi lectionem utilem exhibuisse. ».

σαι, ἢ διορθώσασθαι, οὐκ ὄντος ἑτέρου, ᾧ τὸ ἓν ἐκεῖνο τις παραβάλλων, ἠδύνατ' ἂν μᾶλλον τῆς ἀληθείας στοχάσασθαι. Λατινικῶν γὰρ βιβλίων οὐκ ἦν παρ' ἡμῖν ταμιεῖον, ἀλλ' ἔδει τοῖς, ὡς ἔτυχεν, εὑρισκομένοις ἀρκεῖσθαι.

« Πλὴν, ὅπερ εἶπον, τὸ μὴ ῥᾳδίως τῶν ἀγνοουμένων ἀφίστασθαι, ἀλλ' ἐπανασκοπεῖν καὶ αὐτὸν ἐξετάζοντα, καὶ τὰ παρὰ τῶν βέλτιον εἰδότων μανθάνειν πειρώμενον, πλεῖστόν σοι πρὸς τὸ μηδενὸς τῶν ἀνεγνωμένων ἀπολειφθῆναι ποιήσει. Χάριν δὲ, ἥν τινά μοι φῂς τῆς ἑρμηνείας εἰδέναι, τῷ πατρὶ μᾶλλον τῶν λόγων, οὐκ ἐμοὶ δικαιότερ' ἂν ποιοίης ἀποδιδούς. Ἐμοὶ δ' ἀρκέσει τὸ σοὶ τὴν ἀνάγνωσιν ὠφέλειαν φέρειν ».

Ex quo textu habes hic agi imprimis de *Summa Theologica*, siquidem ille modus in demonstrationibus procedendi sancti Thomae qualem describit Demetrius, longe clarius magisque proprie apparet in illa quam in *Summa contra Gentiles*, quod norunt omnes.

Exinde rursus habes Demetrium translationi manum primo admovisse quum curis publicis, iubente Imperatore, addictus esset, hoc est ante annum 1354, mense decembris, siquidem hoc anno purpuram dimisit imperator Ioannes Cantacuzenus, atque monachus evasit, dum et ipse Demetrius in solitudinem et ad studia sacra abiit.[1]

Piissimi doctissimique translatoris devotio in divum Thomam apparet non solum ex generalius dictis, sed etiam ex nonnullis specialius enuntiatis in epistola, ex hoc dicto imprimis quod *πολὺς ὁ τῶν θείων νοημάτων θησαυρὸς παρὰ τῷ ἀνδρί*, scilicet apud Thomam, invenitur.

Idipsum rursus patet titulis quos praefixit variis translationis in graecum partibus. Ita v. gr. in Primam Secundae: Τῆς Θεολογικῆς συνάξεως τοῦ δευτέρου τὸ πρῶτον συντετοῦ παρὰ τοῦ σοφωτατοῦ Θωμᾶ Θάξεως τῶν Ἀδελφῶν Πρεδικατόρων, id est: *Theologici voluminis secundi Primum, compositum a sapientissimo Thoma Ordinis Fratrum Praedicatorum*. Ita ex cod. Paris.[2]

In Secundam vero Secundae ita: Τοῦ σοφωτατοῦ Θωμᾶ τοῦ Αγχινοῦ τοῦ παρὰ Λατινοῖς Διδασκαλοῦ τῆς Θεολογίας τῶν ἠθικῶν τοῦ δευτέρου, hoc est: *Sapientissimi Thomae de Aquino apud Latinos Theologiae Magistri, Secundi rerum moralium Secundum.*[3] Ita rursus ex cod. Paris.

In altero codice Vaticano[4] quo continetur integra Prima Secundae, pariter Thomas titulo σοφωτάτου donatur, in altero autem, titulis τοῦ σοφωτάτου καὶ λογιώτατου insignitur.[5]

[1] Utrum Tertiam Partem *Summae Theologicae* pariter transtulerit, nonnihil dubii moveri potest, propter huius Partis deficientiam in variis codicibus.

[2] Cod. Paris., Reg. n. 1778.

[3] Cod. Paris., Reg. n. 708.

[4] Cod. Vat. Gr. n. 433.

[5] Cod. Vat. Gr. n. 612.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

Praeter *Summam Theologicam* idem Demetrius totam *Summam contra Gentiles* in linguam graecam vertit. Quod ipse propria manu, ut videtur, testatus est in codice ex quo prodiit Vaticanus, ubi et annus translationis, in mense et die adnotatur. Ita quippe latine habetur:

« Finito libro, sit laus et gloria Christo.

« Istum librum transtulit de latino in graecum Demetrius de Thessalonica, servus Iesu Christi, et laboravit autem per totum annum, et fuit completus anno 1355, indictione VIII, die XXIV mensis decembris, hora post meridiem tertia.

« Hoc autem dictum est non solum pro istis duobus libris, tertio scilicet et quarto, sed pro tota *Summa contra Gentes*, quae tota fuit translata ».[1]

Haud secus opusculum Thomae *Ad Cantorem Antiochenum* pariter transtulit, eodem zelo, eadem fide.[2]

Hinc est quod Demetrius in scriptis propriis, scilicet in *Epistola ad Barlaam de Seminara*, in *Libris contra Palamam, Nicolaum, Nilum Cabasilaum*, in *Sermone de Annunciatione* perpetuo doctrinam adhibet Aquinatis.[3]

678. Post Demetrium inter Graecos Thomae discipulus apparet Prochorus, Demetrii ipsius frater, qui graece vertit opusculum *De aeternitate Mundi*, circa annum 1358.[4]

In Concilio Florentino, eodemque Oecumenico, ad provocandam Ecclesiarum unionem anno 1439 convocato, non solum Patres prae manibus habuerunt sancti Thomae Opera, inter quos eminuerunt e graecis Bessario, Marcus Ephesius, Georgius Scholarius, sed etiam eiusdem doctrinam a celeberrimo theologo Fr. Ioanne de Montenigro O. P., quem Patrem Provincialem in *Actis* nuncupant, audiverunt, admirati sunt, et plures suam fecerunt.

Georgius Scholarius, vir doctrina et eloquentia eximie praeditus, indeque factus Patriarcha Constantinopolitanus, pro more Patriarcharum nomen mutavit, dictusque est Gennadius. Anno 1464 vita functus est.

Is in Concilio Florentino pluries peroravit, ibidemque fulgere divi Thomae doctrinam perspexit: quapropter huic addictissimus imprimis quoad philosophica remansit, variaque opuscula sancti Doctoris commentariis illustravit, iuxta translationem Michaëlis Sophiani, postquam dignitatibus valedicens, sapientiae in monasterio curas suas voverat.

[1] Vat. Cod. Gr., n. 616.

[2] Cf. Vat. Cod. Gr. nn. 1093, 1122. Adeas L. ALLATIUM, *De Georgiis*, p. 408, edit. Paris. 1651; ECHARD, *Scriptores*, I, p. 345, sq.

[3] Nonnulla documenta historica de eodem Demetrio, quoad argumentum nostrum, edituri infra sumus, si dederit Deus.

[4] Cod. Vat. Gr., n. 1102.

Opusculo divi Thomae *De Angelis* in graecum translato hunc praefixit titulum: *Liber sapientissimi et disertissimi Domini Thomae Ordinis Praedicatorum: De creaturis Dei immaterialibus, seu De Angelis.*[1]

In commentariis autem super opusculum *De Ente et Essentia* haec profitetur: « Thomam Aquinatem nescio an aliquis suorum sectatorum plus quam ego admiretur et colat. Ego, si quis eius scriptis animum adhibuerit, hunc nullis aliis indigere opinor musis, satisque ei esse sua recte percipere posse.

« Sed quia Italorum nonnulli, iique ex Franciscanorum coetis, recentioribus quibusdam Doctoribus ita addicti sunt, ut non solum eorum partes tueri, verum etiam prae nimio erga illos studio in hunc Doctorem invehi atque maledicere conentur, qui vel ab iis ipsis quos praeferendos censent, maximam meruit laudem, atque, si quid illis vel addidisse, vel excogitasse accidit, in hoc eos tanquam discipulos a praeceptore occasionem accepisse verisimile est. Hanc igitur ob causam onus interpretandi huiusce libelli suscepi, ut tibi ostenderem quonam ingenii acumine vir iste praeditus esset, quo iudicio, qua denique subtilitate: quam ipsi, si diis placet, crassitudinem appellare non erubescunt, quamque propter iudicii inopiam eiusque debilitatem ita censeant. Iunioribus enim qui vel aliquid addiderint, vel excogitaverint, suae non sunt negandae laudes: illi vero, tanquam omnium praeceptori benemerito, maioris doctrinae viro, iure optimo maiores habendae sunt gratiae. Quamobrem et Romanae Ecclesiae suffragiis ornatus, et in Divorum numerum est relatus, cum reliqui solum inter Scholasticos congressus aliquid honoris sint consecuti ».[2] Eodem intento ex latino in graecum Thomae commentaria transtulit circa librum *De Anima*[3] partemque commentariorum in *Metaphysicam*.[4] Prae manibus perpetuo habuit *Summae contra Gentiles* exemplar, quo usus est postmodum Maximus III, Patriarcha Constantinopolitanus quique aliquando apud Taurinenses asservabatur etsi hodiedum invenire amplius non detur.[5]

[1] De hisce cf. TOURON, *Vie de saint Thomas*, livr. VI, ch. IX; DE RUBEIS, *Dissert.* XIII in Opp. s. Th.; ECHARD, *Scriptores*, to. I, p. 345, seq.

[2] In librum *De Ente et Essentia*, interprete MICHAELE SOPHIANO. Ita refert Fr. WIELMIUS O. P., *De doctrina et scriptis divi Thomae*, lib. II, pag. 161, sq. edit. Vindob., an. 1763.

[3] Vat. Cod. Gr. 235.

[4] Cf. GONZALES, *Hist. de la Phil.*, trad. Pascal, vol. III, p. 16.

[5] Quia huius Codicis descriptio, qui fuit n. XXIII inter Codd. mss. Ios. Pas., plurium Graecorum in divum Thomam devotionem manifestam facit, illam exscribere hic nobis liceat, qualis in ipso Catalogo legitur: « Cod. XXIII. Chartaceus, saeculi XV, constans foliis 403, in quo: Sapientissimi Thomae ex Ordine in Ecclesia Romana dicto Fratrum Praedicatorum, in ipsa Magistri Sacrae Christianorum Theologiae De Veritate Catholicae Fidei, adversus sectas ipsi

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

679. Nec secus Bessario cardinalis, anno 1472 vita functus, Patriarcha Constantinopolitanus, vir piissimus atque simul eruditissimus, qui in Concilio Florentino partes praecipuas gessit; hic, inquam, eximiam devotionem in sanctum Thomam servavit, cuius hoc inter omnia egregium protulit encomium: « [Thomas] vir plane peripateticus, non minus inter sanctos doctissimus quam inter doctos sanctissimus ».[1]

Alias autem: « Quae res, si ita foret [si Trinitas nempe ratione demonstrari posset], nequaquam id subticuissent tot praeclaro ingenio expositores, tam Graeci quam Latini, qui adversarium [Georgium videlicet Trapezuntium] praecesserunt: praesertim sanctus Doctor Thomas, vir et acumine ingenii et optimarum artium Philosophiae studiis insignis, qui opiniones nostras aristotelicis rationibus, quantum fieri potest, roborare conatus est. Hic profecto et qui eum secuti sunt doctissimi viri, si quid tale religioni nostrae lucrifacere potuissent, id proculdubio fecissent ».[2]

Prae devotione in « Doctorem Communem » egregius ille homo plura opera eiusdem vel in graecum verti curavit, vel prius translata collegit atque diffundi studuit, quae Venetiis servata fuisse constat.[3]

Hac aetate eadem qua dissensio ferbuit Aristotelicos inter et Platonicos Opera sancti Thomae perpetuo inter documenta potiora afferuntur et laudantur.

Ita et schismaticus nonnullus haec scribit in marginibus codicis anno 1495 conscripti atque Parisiis asservati: « Utinam, o Thoma, non in Occidente, sed in Oriente natus esses! Utinam orthodoxus esses non minus de Processione Spiritus Sancti quam de aliis quaestionibus quas admirando prorsus modo tractas! ».[4]

contrarias, Summae scilicet est Catholicae Fidei Thomae Aquinatis Contra Gentiles, e latino in graecum sermonem conversa.

« Desideratur interpretis nomen. Putamus tamen esse Demetrium Cidonium, quem Fabricius, to. X, Bibliothecae Graecae, pag. 389, tradit hanc Summam graece interpretatum fuisse.

« Praemittitur initio totius operis index, ad cujus calcem haec habentur: « Hic codex primum quidem fuit Beati Domini Gennadii Patriarchae, deinde vero Patriarchae Domini Maximi, postea venditus ab illius consobrino Domino Manuale Comneno, emptus est a me Demetrio Castreno, in memoriam eorum ad quos primitus spectabat, eo ne contemptus subesset, nunc autem spectat ad me Gabrielem Philadelphiae Metropolitam ex Monembasia...

« In fine dicitur codex scriptus anno 6941, id est Christi 1443, mense novembri, manu Grecori Monachi ».

[1] *Adv. calumniatorem Platonis*, lib. II, cap. VII, fol. 24, edit. Venet. 1516.

[2] Ibid., cap. IV, fol. 14, edit. cit.

[3] Cf. TOURON, *Vie de saint Thomas*, liv. VI, ch. IX.

[4] Ibid., BOUVY, *Revue Augustinienne*, an. 1910, vol. XVI, p. 406.

Eadem pietate moti et Iohannes Argyropulos circa annum 1500 opusculum *De Ente et Essentia* rursus transfert, et circa 1550 Georgius Chumnos orationem piissimam: « Gratias tibi ago, Domine sancte », carminibus vertit.[1]

Non immerito nobis igitur cum veteri theologo concludere licet: « Thomae Aquinatis doctrina vel ipsis Graecis nomini nostro infensis, admiranda toti Orbi illuxit: fremant ut volunt haeretici ».[2]

Nos hic brevissime dicta de *Summae Theologicae* aliorumve operum translationibus iamdiu conscriptis, sed tamen adhuc ineditis atque per Bibliothecas delitescentibus, concludere placet hisce P. Bouvy O. A. verbis:

« J'ai écrit ces quelques pages en l'honneur du Docteur Angélique, en l'honneur aussi de son traducteur trop oublié Demetrius Sydonius. Mais en traçant ces dernières lignes, une pensée, un regret, un désir surgit dans mon esprit et dans mon cœur. Ces traductions si laborieuses, qui font parler saint Thomas dans la langue de saint Jean Damascène, sont enfouies depuis quatre siècles dans les poudres des bibliothèques; est-ce là pour l'avenir toute leur destinée? Ne se trouvera-t-il pas quelque part un théologien, un apôtre, à la fois Thomiste et Helléniste, pour répandre et faire circuler dans l' Eglise Grecque ces richesses doctrinales, que Sydonius a mises en réserve pour des temps nouveaux? Qui sait ce qui pourrait résulter de cette apparition de la *Somme Théologique* sur ce champ de bataille intellectuel, où nos missionnaires dépensent tant d'efforts héroïques et recueillent si peu de victoires? Saint Thomas, synthèse magnifique des Pères Grecs et Latins, de Platon et d'Aristote, ne serait-il pas par excellence, s'il était lu, étudié, approfondi, le guide doctrinal vers l'Union, le conciliateur providentiel de l'Eglise qui s'attribue de si beaux noms — l'Orthodoxie ou l'Eglise Oecuménique, ou l'Eglise de Conciles, — avec la sainte Eglise notre mère, qui est seule l'Eglise du Christ, l'Eglise vraie et catholique? ».[3]

Quam editionem procurandam esse iamdiù nonnulli in consilio habuerunt, quod probant textuum excriptiones, quae una cum praefationibus aptatis in Bibliotheca Vaticana aliisve asservantur, neque inutiles forent existimandae ubi de prosequendo labore ageretur.[4]

Alicuius utinam Moecenatis munificentia sapientissima provideat!

[1] Adeo exarsit in Concilio Florentino Graecorum in Thomam pietas, ut Officium de ipso liturgicum graece conscripsisse dicantur, licet idem nobis hucusque invenire non licuerit.

[2] TH. BOSIUS, *De signis Ecclesiae*, lib. VII, cap. I.

[3] *Revue Augustinienne*, vol. XVI, pag. 407-408. Nonnullorum operum Aquinatis in graecum translatorum editionem, ad conversionem infidelium promovendam, fieri sub cura Marsilii Ficini iamdiu statuerat ipse Laurentius Medices. Cf. TOURON, *Vie de saint Thomas*, liv. IV, ch. IX.

[4] Vide P. NIC. FRANCO, *I codici Vaticani dalla versione greca delle opere di San Tommaso*, p. 11 sqq.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

CONCLUSIO

680. Primum hoc operis nostri volumen iamiam in lucem proditurum erat, quum, ita disponente Dei providentia, Summus Pontifex Pius PP. X. suum *Motu proprio*, cui initium est *Doctoris Angelici* edidit, quod hic laetanti animo addimus utpote maximi momenti tenendum tum doctrinis enuntiatis, tum practicis edictis; utque confirmatio et conclusio quaedam omnium a nobis hucusque enarratorum.

Etsi quidem, quoad rem disciplinarem datum sit « Pro Italia et insulis adiacentibus », attamen cuique cordato apparebit quoad rem doctrinalem qua omnibus catholicis Doctoribus immediate, omnibus iterum Christifidelibus mediate directum: hiis praesertim qui huiusmodi doctrina maxime indigent, cuiuscumque regionis aut ditionis sint.

Perpendat attente lector singula hic dicta et praescripta, quum eximiae perspicuitatis sint, maximaeque gravitatis.

« Doctoris Angelici nemo sincere catholicus eam ausit in dubium vocare sententiam: « Ordinare de studio pertinet praecipue ad auctoritatem Apostolicae Sedis qua universalis Ecclesia gubernatur, cui per generale studium providetur »[1]. Quo nos magno quidem officii munere cum alias functi sumus, tum praesertim die 1 Sept. a. MCMX, quum datis litteris *Sacrorum antistitum* ad omnes Episcopos summosque Religiosorum Ordinum magistros, quibus cura rite instituendae sacrae iuventutis incumberet, haec in primis eos admonebamus: « Ad studia quod attinet, volumus probeque mandamus, ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur... Quod rei caput est, philosophiam scholasticam quam sequendam praescribimus, eam praecipue intelligimus, quae a Sancto Thoma Aquinate est tradita: de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et, qua opus sit, instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus. Episcoporum erit,

[1] Opusc. *Contra impugnantes Dei cultum et religionem*, c. III.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

sicubi in Seminariis neglecta fuerint, ea ut in posterum custodiantur, urgere atque exigere. Eadem Religiosorum Ordinum Moderatoribus praecipimus».[1]

« Iam vero, cum dictum hoc loco a nobis esset « praecipue » Aquinatis sequendam philosophiam, non « unice », nonnulli sibi persuaserunt nostrae sese obsequi aut certe non refragari voluntati, si quae unus aliquis e Doctoribus scholasticis in philosophia tradidisset, quamvis principiis Sancti Thomae repugnantia, illa haberent promiscua ad sequendum. At eos multum animus fefellit. Planum est, cum praecipuum nostris scholasticae philosophiae ducem daremus Thomam, nos de eius principiis maxime hoc intelligi voluisse, quibus, tamquam fundamentis, ipsa nititur. Ut enim illa reiicienda est quorumdam veterum opinio, nihil interesse ad Fidei veritatem quid quisque de rebus creatis sentiat, dummodo de Deo recte sentiatur, siquidem error de natura rerum falsam Dei cognitionem parit; ita sancte inviolateque servanda sunt posita ab Aquinate principia philosophiae, quibus et talis rerum creatarum scientia comparatur quae cum Fide aptissime congruat;[2] et omnes omnium aetatum errores refutantur; et certo dignosci licet quae Deo soli sunt, neque ulli praeter ipsum attribuenda;[3] et mirifice illustratur tum diversitas tum analogia quae est inter Deum eiusque opera: quam quidem et diversitatem et analogiam Concilium Lateranense IV sic expresserat: « Inter Creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda »[4]. — Caeterum, his Thomae principiis, si generatim atque universe de iis loquamur, non alia continentur quam quae nobilissimi philosophorum ac principes Doctorum Ecclesiae meditando et argumentando invenerant de propriis cognitionis humanae rationibus, de Dei natura rerumque caeterarum, de ordine morali et ultimo vitae fine assequendo. Tam praeclaram autem sapientiae copiam, quam hic a maioribus acceptam sua prope angelica facultate ingenii perpolivit et auxit, et ad sacram doctrinam in mentibus humanis praeparandam, illustrandam tuendamque[5] adhibuit, nec sana ratio vult negligi, nec Religio patitur ulla ex parte minui. Eo vel magis quod si catholica veritas valido hoc praesidio semel destituta fuerit, frustra ad eam defendendam quis adminiculum petat ab ea philosophia, cuius principia cum *Materialismi, Monismi, Pantheismi, Socialismi* variique *Modernismi* erroribus aut communia

[1] Vide supra, n. 376. Quae praescriptio primo prodiit in Bulla *Pascendi*, data die 8 septembris 1907. Hic tertio proinde eamdem enuntiat Pontifex.

[2] *Contra Gentiles*, lib. II, c. II et III.

[3] Ibid., c. III; et I[a] q. XII, a. 4; et q. LIV, a. I.

[4] Decretalis II[a] *Damnamus ergo*, etc. Cfr. S. THOM., q. disp. *De Scientia Dei*, a. II.

[5] In Librum BOETHII, *De Trinitate*, q. II, a. 3.

sunt, aut certe non repugnant. Nam quae in philosophia Sancti Thomae sunt capita, non ea haberi debent in opinionum genere, de quibus in utramque partem disputare licet, sed velut fundamenta in quibus omnis naturalium divinarumque rerum scientia consistit: quibus submotis aut quoquo modo depravatis, illud etiam necessario consequitur, ut sacrarum disciplinarum alumni ne ipsam quidem percipiant significationem verborum, quibus revelata divinitus dogmata ab Ecclesiae magisterio proponuntur.

681. « Itaque omnes qui Philosophiae et sacrae Theologiae tradendae dant operam, illud admonitos iam voluimus, si ullum vestigium, praesertim in metaphysicis, ab Aquinate discederent, non sine magno detrimento fore. — Nunc vero hoc praeterea edicimus, non modo non sequi Thomam, sed longissime a sancto Doctore aberrare eos, qui, quae in ipsius Philosophia principia et pronuntiata majora sunt, illa perverse interpretentur aut prorsus contemnant. Quod si alicuius auctoris vel sancti doctrina a nobis nostrisve Decessoribus unquam comprobata est singularibus cum laudibus, atque ita etiam ut ad laudes suasio iussioque adderetur eius vulgandae et defendendae, facile intelligitur eatenus comprobata, qua cum principiis Aquinatis cohaereret aut iis haudquaquam repugnaret.

« Haec declarare et praecipere Apostolici officii duximus, ut in re maximi momenti, quotquot sunt ex utroque Clero, saeculari et regulari, mentem voluntatemque nostram et penitus perspectam habeant, et ea, qua par est, alacritate diligentiaque efficiant. Id autem peculiari quodam studio praestabunt christianae Philosophiae sacraeque Theologiae magistri, qui quidem probe meminisse debent non idcirco sibi factam esse potestatem docendi, ut sua opinionum placita cum alumnis disciplinae suae communicent, sed ut iis doctrinas Ecclesiae probatissimas impertiant.

« Iam, quod proprie attinet ad sacram Theologiam, huius quidem disciplinae studium semper eius luce Philosophiae, quam diximus, illustratum esse volumus, sed in communibus Seminariis clericorum, modo idonei praeceptores adsint, adhibere liceat eorum libros auctorum, qui, derivatas de Aquinatis fonte doctrinas, compendio exponunt; cuius generis libri suppetunt valde probabiles.

« At vero ad colendam altius hanc disciplinam, quemadmodum coli debet in Universitatibus studiorum magnisque Athenaeis, atque etiam in iis omnibus Seminariis et Institutis, quibus potestas facta est academicos gradus conferendi, omnino oportet, veteri more, qui numquam excidere debuerat, revocato, de ipsa *Summa Theologica* habeantur scholae; eo etiam, quia, hoc libro commentando, facilius erit intelligere atque illustrare solemnia Ecclesiae docentis decreta et acta, quae deinceps edita sunt. Nam post beatum exitum Sancti Doctoris, nullum habitum est ab

Ecclesia Concilium, in quo non ipse cum doctrinae suae opibus interfuerit. Etenim tot saeculorum experimentis cognitum est in diesque magis apparet, quam vere Decessor noster Ioannes XXII affirmarit: « Ipse (Thomas) plus illuminavit Ecclesiam, quam omnes alii Doctores: in cuius libris plus proficit homo uno anno, quam in aliorum doctrina toto tempore vitae suae »[1]. Quam sententiam sanctus Pius V, cum Sancti Thomae festum, ut Doctoris, toti Ecclesiae celebrandum indiceret, ita confirmavit: « Sed quoniam omnipotentis Dei providentia factum est, ut Angelici Doctoris vi et veritate doctrinae ex eo tempore quo coelitibus civibus adscriptus fuit, multae, quae deinceps exortae sunt haereses, confusae et convictae dissiparentur, quod et antea saepe et liquido nuper in sacris Concilii Tridentini decretis apparuit, eiusdem memoriam, cuius meritis Orbis terrarum a pestiferis quotidie erroribus liberatur, maiore etiam quam antea grati et pii animi affectu colendam statuimus »[2]. Atque, ut alia praeconia Decessorum, plurima quidem et praeclara, mittamus, libet his verbis Benedicti XIV omnes scriptorum Thomae, praesertim *Summae Theologicae*, laudes complecti: « Cuius doctrinae complures Romani Pontifices, Praedecessores nostri, perhonorifica dederunt testimonia, quemadmodum nos ipsi in libris, quos de variis argumentis conscripsimus, postquam Angelici Doctoris sententiam diligenter scrutando percepimus atque suspeximus, admirabundi semper atque lubentes eidem adhaesimus atque subscripsimus; candide profitentes si quid boni in iisdem libris reperitur, id minime nobis, sed tanto Praeceptori totum esse adscribendum ».[3]

« Itaque " ut genuina et integra sancti Thomae doctrina in scholis floreat, quod nobis maxime cordi est " ac tollatur iam " illa docendi ratio, quae in magistrorum singulorum auctoritate arbitrioque nititur," ob eamque rem " mutabile habet fundamentum, ex quo saepe sententiae diversae atque inter se pugnantes oriuntur... non sine magno scientiae christianae detrimento ",[4] nos volumus, iubemus, praecipimus, ut qui magisterium sacrae Theologiae obtinent in Universitatibus, magnis Lycaeis, Collegiis, Seminariis, Institutis, quae habeant ex apostolico Indulto potestatem gradus academicos et lauream in eadem disciplina conferendi, *Summam Theologicam* Sancti Thomae tamquam praelectionum suarum " textum " habeant, et latino sermone explicent: in eoque sedulam ponant operam ut erga illam auditores optime afficiantur. — Hoc in pluribus Institutis laudabiliter iam est usitatum; hoc ipsum Ordinum Religiosorum Conditores sapientissimi in suis studiorum domiciliis fieri voluerunt, nostris quidem Decessoribus valde probantibus: nec, qui post Aquinatis tempora fuerunt, sancti homines alium sibi summum doctrinae magistrum habuerunt, nisi Thomam. Sic autem, et non aliter, fiet ut non modo in pristinum decus revocetur Theologia, sed et sacris omnibus disciplinis suus ordo suumque pondus restituatur, et quidquid intelligentia et ratione tenetur, quodammodo revirescat.

[1] Alloc. hab. in Consistorio an. MCCCXVIII.
[2] Bulla *Mirabilis Deus*, data die XI April. an. MDLXVII.
[3] *Acta Cap. Gen. O. P.*, t. IX p. 196.
Leonis XIII Epist. *Qui te* data die XIX iunii MDCCCXXXVI.

« Quare nulla in posterum tribuetur cuiquam Instituto potestas conferendi academicos in sacra Theologia gradus, nisi quod hic a nobis praescriptum est, sancte apud ipsum servetur. Instituta vero seu « Facultates » Ordinum quoque et Congregationum Regularium, quae legitime iam huiusmodi potestatem habeant academicos in Theologia gradus aut similia documenta conferendi, vel tantum intra domesticos fines, eadem privabuntur privataeque habendae erunt, si post tres annos, quavis de causa, etiamsi minime voluntaria, huic praescriptioni nostrae religiose non obtemperarint.

« Atque haec statuimus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

« Datum Romae apud S. Petrum die XXIX mensis Iunii MCMXIV, Pontificatus nostri anno undecimo. »[1]

Quod igitur tot laudaverunt per saecula Pontifices Romani, quod toties commendarunt, quod quandoque nonnullis praescripserunt, id iussum omnibus et in perpetuum fecit Pius PP. X, videlicet Thomam Aquinatem, non titulo verbisque solum, sed re ipsa atque de facto habendum esse qua DOCTOREM COMMUNEM ECCLESIAE.

682. Ad praxim tamen ulteriorem usque Pontifex asserta deduxit, dum ipsius approbatione et iussu, Sacra Studiorum Congregatio sequens emanavit hisce diebus praescriptum, quasi praecedentis documenti explicationem simul et applicationem:

Theses quaedam in doctrina sancti Thomae Aquinatis contentae et a Philosophiae Magistris propositae adprobantur.

« Postquam sanctissimus Dominus noster Pius Papa X Motu Proprio *Doctoris Angelici*, edito die XXIX iunii MCMXIV, salubriter praescripsit ut in omnibus Philosophiae scholis principia et maiora Thomae Aquinatis pronuntiata sancte teneantur, nonnulli diversorum Institutorum Magistri huic

[1] *Acta Apostolicae Sedis*, vol. VI, pp. 336-341. Vide ea quae subjunguntur in ephemeride *Osservatore Romano*, die 8 Julii, 1914. Hoc idem jam facto sanxerat Pontifex paucos ante dies, die nempe 24 Junii, 1914, in suo *Motu proprio*, cui initium *Praeclara inter*, de facultate conferendi gradus academicos concessa Anselmiano Urbis Collegio, scilicet Benedictinorum. Vide *Acta Apostolicae Sedis*, vol. VI, pp. 333-335. De quo privilegio infra verbum faciemus ubi de Benedictinorum testimonio.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

sacrae Studiorum Congregationi theses aliquas proposuerunt examinandas, quas ipsi tanquam ad praecipua sancti Praeceptoris principia, in re praesertim metaphysica, tradere et propugnare consueverunt.

« Sacra haec Congregatio, supra dictis thesibus rite examinatis et Sanctissimo Domino subiectis, de eiusdem Sanctitatis suae mandato, respondet eas plane continere sancti Doctoris principia et pronuntiata maiora.

« Sunt autem hae:

« I. Potentia et actus ita dividunt ens, ut quidquid est, vel sit actus purus, vel ex potentia et actu tanquam primis atque intrinsecis principiis necessario coalescat.

« II. Actus, utpote perfectio, non limitatur nisi per potentiam, quae est capacitas perfectionis. Proinde in quo ordine actus est purus, in eodem nonnisi illimitatus et unicus existit; ubi vero est finitus ac multiplex, in veram incidit cum potentia compositionem.

« III. Quapropter in absoluta ipsius esse ratione unus subsistit Deus, unus est simplicissimus: caetera cunta quae ipsum esse participant, naturam habent qua esse coarctatur, ac tanquam distinctis realiter principiis essentia et esse constant.

« IV. Ens, quod denominatur ab esse, non univoce de Deo ac de creaturis dicitur, nec tamen prorsus aequivoce, sed analogice, analogia tum attributionis tum proportionalitatis.

« V. Est praeterea in omni creatura realis compositio subiecti subsistentis cum formis secundario additis, sive accidentibus: ea vero, nisi « esse » realiter in essentia distincta reciperetur, intelligi non posset.

« VI. Praeter absoluta accidentia est etiam relativum sive " ad aliquid ". Quamvis enim " ad aliquid " non significet secundum propriam rationem aliquid alicui inhaerens, saepe tamen causam in rebus habet, et ideo realem entitatem distinctam a subiecto.

« VII. Creatura spiritualis est in sua essentia omnino simplex. Sed remanet in ea compositio duplex: essentiae cum esse et substantiae cum accidentibus.

« VIII. Creatura vero corporalis est quoad ipsam essentiam composita potentia et actu; quae potentia et actus ordinis essentiae, materiae et formae nominibus designantur.

« IX. Earum partium neutra per se esse habet, nec per se producitur vel corrumpitur, nec ponitur in praedicamento, nisi reductive ut principium substantiale.

« X. Etsi corpoream naturam extensio in partes integrales consequitur, non tamen idem est corpori esse substantiam et esse quantum. Substantia quippe ratione sui indivisibilis est, non quidem ad modum puncti, sed ad modum eius quod est extra ordinem dimensionis. Quantitas vero, quae

extensionem substantiae tribuit, a substantia realiter differt, et est veri nominis accidens.

« XI. Quantitate signata materia principium est individuationis, id est numericae distinctionis, quae in puris spiritibus esse non potest, unius individui ab alio in eadem natura specifica.

« XII. Eadem efficitur quantitate ut corpus circumscriptive sit in loco, et in uno tantum loco de quacumque potentia per hunc modum esse possit.

« XIII. Corpora dividuntur bifariam: quaedam enim sunt viventia, quaedam expertia vitae. In viventibus, ut in eodem subiecto pars movens et pars mota per se habeantur, forma substantialis, animae nomine designata, requirit organicam dispositionem, seu partes heterogeneas.

« XIV. Vegetalis et sensilis ordinis animae nequaquam per se subsistunt, nec per se producuntur, sed sunt tantummodo ut principium quo vivens est et vivit, et cum a materia se totis dependeant, corrupto composito, eo ipso per accidens corrumpuntur.

« XV. Contra, per se subsistit anima humana, quae cum subiecto sufficienter disposito potest infundi, a Deo creatur et sua natura incorruptibilis est atque immortalis.

« XVI. Eadem anima rationalis ita unitur corpori, ut sit eiusdem forma substantialis unica, et per ipsam habet homo ut sit homo, et animal, et vivens, et corpus, et substantia, et ens. Tribuit igitur anima homini omnem gradum perfectionis essentialem; insuper communicat corpori actum essendi, quo ipsa est.

« XVII. Duplicis ordinis facultates, organicae et inorganicae, ex anima humana per naturalem resultantiam emanant: priores, ad quas sensus pertinet, in composito subiectantur, posteriores in anima sola. Est igitur intellectus facultas ab organo intrinsece independens.

« XVIII. Immaterialitatem necessario sequitur intellectualitas, et ita quidem ut secundum gradus elongationis a materia, sint quoque gradus intellectualitatis. Adaequatum intellectionis obiectum est communiter ipsum ens; proprium vero intellectus humani in praesenti statu unionis, quidditatibus abstractis a conditionibus materialibus continetur.

« XIX. Cognitionem ergo accipimus a rebus sensibilibus. Cum autem sensibile non sit intelligibile in actu, praeter intellectum formaliter intelligentem, admittenda est in anima virtus activa, quae species intelligibiles a phantasmatibus abstrahat.

« XX. Per has species directe universalia cognoscimus; singularia sensu attingimus, tum etiam intellectu per conversionem ad phantasmata; ad cognitionem vero spiritualium per analogiam ascendimus.

« XXI. Intellectum sequitur, non praecedit, voluntas, quae necessario appetit id quod sibi praesentatur tanquam bonum ex omni parte explens

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

appetitum, sed inter plura bona, quae iudicio mutabili appetenda proponuntur, libere eligit. Sequitur proinde electio iudicium practicum ultimum; at quod sit ultimum, voluntas efficit.

« XXII. Deum esse neque immediata intuitione percipimus, neque a priori demonstramus, sed utique a posteriori, hoc est, per ea quae facta sunt, ducto argumento ab effectibus ad causam: videlicet a rebus quae moventur et sui motus principium adaequatum esse non possunt, ad primum motorem immobilem; a processu rerum mundanarum e causis inter se subordinatis, ad primam causam incausatam; a corruptibilibus quae aequaliter se habent ad esse et non esse, ad ens absolute necessarium; ab iis quae secundum minoratas perfectiones essendi, vivendi, intelligendi, plus et minus sunt, vivunt et intelligunt, ad eum qui est maxime intelligens, maxime vivens, maxime ens; denique, ab ordine universi ad intellectum separatum qui res ordinavit, disposuit et dirigit ad finem.

« XXIII. Divina Essentia, per hoc quod exercitae actualitati ipsius " esse " identificatur, seu per hoc quod est ipsum Esse subsistens, in sua veluti metaphysica ratione bene nobis constituta proponitur, et per hoc idem rationem nobis exhibet suae infinitatis in perfectione.

« XXIV. Ipsa igitur puritate sui "esse", a finitis omnibus rebus secernitur Deus. Inde infertur primo, mundum non nisi per creationem a Deo procedere potuisse; deinde virtutem creativam, qua per se primo attingitur ens in quantum ens, nec miraculose ulli finitae naturae esse communicabilem; nullum denique creatum agens in esse cuiuscumque effectus influere, nisi motione accepta a prima Causa.

« Datum Romae, die 27 iulii 1914.

« B. Card. LORENZELLI, *Praefectus* ».[1]

Nullus sane unquam erit inter sancti Thomae asseclas, qui Pio X P. M., strenuo doctrinae Thomisticae assertori, atque simul Emo. Card. Lorenzelli, de eadem doctrina peregregie omnibus titulis merito, gratias non sit ex intimis acturus.

Dum nos hasce paginas ad typos correctas dimittimus, die 20 aug. 1914, en notitia repentina Romam pervadit **Pium X**, hodie, hora matutina, e vivis excessisse, ita ut duo praedicta sancti Pontificis documenta quasi « ultima verba » eiusdem de re doctrinae habenda sint. VIVAT IN CHRISTO!

[1] *Acta Apostolicae Sedis*, vol. VI, p. 383 sqq.

FINIS PRIMI VOLUMINIS.

SAINT LOUIS UNIVERSITY LIBRARIES

INDEX

PRAEFATIO:

TESTIMONIA ECCLESIAE, seu:

N.B. Index Nominum et Rerum in finem alterius voluminis remittitur.

Romae, apud Sanctam Sabinam, die 4 augusti, divo Dominico sacra, anno 1914.